
DEO REIPUBLICÆ ET AMICIS
ESTO SEMPER FIDELIS

HERMANNI WITSII
EXERCITATIONES SACRÆ
IN
SYMBOLUM
QUOD
APOSTOLORUM DICITUR
ET IN
ORATIONEM DOMINICAM.



CUM PRIVILEGIO S. REG. POL. MAJ. & ELECT. SAXON.

BASILEÆ.
Apud JOH. RUDOLPHUM IM-HOFF.
M DCC XXXIX.

NOBILISSIMIS & AMPLISSIMIS
Inclutæ Reipublicæ
ULTRAJECTINÆ
CONSULIBUS
ET
SENATORIBUS,
ECCLESIÆ NUTRITIIS, ACADEMIÆ PRÆSTITIBUS.
H. WITSIUS.
Dedicat consecratque.

Ex quo tempore rei Academicæ admotus sum, PATRES CONSCRIPTI, id mihi negotii credidi primum dari, ut sacratissimam Evangelii veritatem, quantum illius à me fieri poterat, pure, perspicue, accurate, modeste, graviter, studiosæ juventuti inculcarem; totamque quanta quanta est ad generosæ pietatis praxin referrem. Uti enim veritate ista nihil præstantius, nihil acquisitu dignius, aut scitu utilius jucundiusque est; ita illa caste se imprimis sancteque haberi postulat. Non est cœlestis illius sapientiæ idoneus auditor, ne dignum nunc doctorem dicam, qui non animum ei submittit æquum, pacificum, placidum, & pietatis non fucatæ sedulo studiosum. Ubicunque novaturiendi pruritus, contendendi lubido, vitilitigandi acrimonia, facturiendi insana voluptas, fastuosa sui cum aliorum contemtu elatio, similesque malæ pestes dominantur; in iisdem pectoribus pudicum veritatis amorem habitare, quidquid illius nomen prætexatur, haut facile quis mihi persuaserit. Neque profecto cognitam ille, perspectamque veritatem habet, sicuti veritas in Christo Jesu est, qui eum tantum in finem cognoscit, ut sua quadam linguæ volubilitate de ea inaniter garriat, ut scripturientis calami acumine litigiose disputet, aliove eam modo ambitioni suæ famulari cogat. Tum demum opes illa suas explicabit, arcanæque dulcedinis gustu explebit animum, ubi nativa simplicitatis suæ luce in mente radians voluntatem simul affectusque castæ charitatis ardore inflammat; ubi infelicia vitiorum lolia urendasque filices absumit; ubi hominem totum, supra hujus mundi caduca evectum, cœlique accensum desiderio, ad Divinæ transformat imaginem puritatis. Hoc modo, hac fini, quum discendam docendamque cœlestem ve-

ritatem eſſe arbitrarer, illius inſtituti mei typum quendam pubi Academicæ proponere animum induxi. Et præcipua quidem Religionis noſtræ capita ſelegi, Oecumenico comprehenſa Symbolo, ut iis qui operam mihi dant præirem in illorum exponenda indole; aſſerenda, comprobanda, vindicanda certudine; &, quod potiſſimum intendebam, adſignanda urgendaque ſacra praxi. Hinc natæ mihi EXERCITATIONES iſtæ, quas in illuſtri FRISIORUM Lyceo cum ipſo profeſſionis meæ exordio inchoatas, in Veſtro autem Athenæo exeffectas & conſummatas, Vobis, PATRES CONSCRIPTI, LUBENS MERITO DATUM DICATUMQUE venio. Vos qui auctorem ampliſſimis invitatum conditionibus, tam comiter excepiſtis, tam benevole & prolixe etiamnum fovetis, eadem frontis ſerenitate literarum hoc accipite munuſculum: non pretium, ut me devictum liberem; ſed pignus, ut obſtringam. Non enim exigua hæc, & diſcipulis ſolum meis ſcripta, referendæ gratiæ eſſe volo, ſed teſtandæ. Id cæteris veſtris in me beneficiis addite, ut quod offero non à ſe æſtimetis, ſed ab animo; qui quum maxima quæque ſe Vobis debere profiteatur, nihil nunc in omni re literaria aliud invenire potuit, quo fidem quoque modo liberet. In voto deſino: Deus Optimus ille & Maximus, qui Rempublicam Veſtram, & cum ea Eccleſiam atque Academiam, tot ereptas diſcriminibus, potenti ſua dextra vindicavit, protexit, auxit; qui Vos difficillimis hiſce temporibus, dum altera alteram procella urget,

Et malus celeri ſaucius Africo,
Antennæque gemunt,

ad clavum ſedere juſſit; idem Rempublicam Vobis, Vos Reipublicæ ſoſpitet. Sub imperio Veſtro Pio, Felici,

Redeat Concordia, Virtus,
Cumque Fide Pietas alta cervice vagetur.

Valete, PATRES CONSCRIPTI, & Magiſtratum diu ac proſpere geſtum Filiis olim ſeriſque nepotibus tradite. Ita ſcribebam in Urbe Veſtra Poſtridie Kalen: Maj. ANNO MDCLXXXI. COSS. ALBERTO VAN BENTHEM, PAULO VOET VAN WINSSEN. Quod Repetij Prid: Non: Jul: Anno MDCLXXXIX. COSS. JOANNE BORRE VAN AMERONGEN II. & ARNOLDO SPOOR. Tertiaque nunc, & noviſſima fortaſſis, ſcriptione obſigno Kal. April. A. MDCXCVII. COSS: CORNELIO VAN LIDT DE JEUDE, & EVERARDO VAN ZYPESTEIN. II. Quo me anno, PATRES, pro inſigni & veſtra nunquam ſatis prædicanda adverſus me benevolentia, iterum Academiæ veſtræ eſſe voluiſtis Rectorem.

AD
LECTOREM.

NOn morabor te multis, **Benevole Lector:** *verbo expediam, quodnam operis hujus institutum, quis scopus sit. Id præmonendum ante omnia arbitror, non eruditis ac studiorum nostrorum veteribus hæc scripta esse, sed Discipulis solum atque Auditoribus meis, quibus facem ac sacratissimæ Religionis nostræ genuinam praxin prælucere volui. Non enim putabam committendum esse, ut qui è Disciplina nostra ad sacros venirent ambones, sublimibus fortasse sed frigidis dissertationibus, aut calidis etiam sed parum profuturis disputationibus, plebis Christianæ aures obtunderent, animos interim nullo rerum cœlestium gustu, nulla divinarum consolationum dulcedine, nullo veræ pietatis amore imbuentes. Religionem non in lingua sed in animo, non in verbis sed in factis, non in speculationum subtilitate sed in cordis puritate, non in novorum* ἐυρημάτων *adfectatione sed in nova vitæ studio sitam esse, hoc erat quod quotidie meis ingeminabam. Eum demum dictabam verum esse Theologum, qui in simul* τῶν μὲν ὄντων θεωρητικὸς τῶν δὲ δεόντων πρακτικὸς *esset. Atque hanc rem non perfunctorie solum & dicis caussa ad sacri sermonis finem, verbulo tangendam esse; sed totam orationem ita esse componendam, ut mens, cum stupore quodam in admirabilium veritatum meditatione defixa, cœlesti se ardore inflammari sentiat ad vitam sicuti tantarum rerum cognitione & fide dignum est componendam. Informandas etiam mentes esse, ut diligenti instituto examine ex gnorismatis infallibilibus dignoscere queant, num ad se quoque Evangelii promissa pertineant. Idque tanta esse urgendum sermonis vehementia, ut vel securissimis quibusque fatalis iste veternus excutiatur, neque possint Auditores quin de animæ suæ statu solicitius acquirant. Addebam nullum esse Theosophiæ nostræ caput, quod non eximiam quandam ad hanc rem pollentiam haberet: quumque id exemplis quibusdam commonstrassem, cœperunt nonnulli obtestari ut quæ meditata haberem scripto secum communicarem. Atque ea quidem harum Exercitationum origo est. Institueram autem initio, ea quæ ad Theoriam pertinent, tanquam ex Institutionibus Catecheticis, Systematibus Theologiæ & Locis quos vocant Communibus nota, supponere: atque duntaxat agere, ut fidei dogmata ad Christianæ Pietatis praxin referrem. Sed quum in ipso Professionis primordio versarer, & ex me quoque intelligere gestirent Auditores mei, quo ordine, & quo argumentorum selectu dogmata ista tractanda existimarem, ne hac quoque in parte petitioni eorum volui deesse. Hinc factum est ut in ipsa dogmatum è Sacris Literis repetitione fuerim aliquando prolixior, & occasione ita ferente* των ἑτεροφρονούντων *torsiones refutaverim. In argumentorum autem selectu, & tractandi methodo, mea quadam usus sum libertate, qua puto fraudandum non esse eum qui veritates omnes, quarum professione Ecclesia*

Christi ab erroneis quibusvis cœtibus distinguitur, usque adeo sartas tectas esse cupit, ut nihil in tota vita agat libentius, quam iis illustrandis, confirmandis & ad verum suum usum transducendis, omnem suam operam impendere. Christiani sumus. Unum habemus Magistrum & Doctorem infallibilem, Christum. Ad homines ubi deventum est, tunc unius semper sententiam sequi, non id curiæ, *ut eleganter alicubi Seneca loquitur*, sed factionis est. *A qua ego me alienum esse profiteor, fore spondeo.* Non me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero, multum magnorum virorum judicio tribuo, aliquid & meo vindico. *Non defuere tamen quibus displicuerit innocua hæc libertas; quam ut ego invideo nulli, ita nec mihi invidendam fuisse autumavi. Aliqui non satis me ubique ἀρχαϊκῶς locutum fuisse opinantur: alii indignantur prolixius, quod novis hypothesibus, ac prophetiarum periodicis interpretationibus, non per omnia adsurrexerim. Ut cæteros taceam, quibuscum altercari mihi nunquam libebit; Vir Clarissimus*, JOHANNES VAN DER WAEYEN, *Collega quondam meus, amicus ac necessarius, postquam à se ipso dissidere cœpit, divortium etiam cum amicis fecit: & quum antea non pessime de me sentiret, mutata postmodum velificatione, in plerisque suis scriptis, qua vernaculis qua Latinis, non mea tantum, sed & me ipsum notandum, exagitandum ac traducendum sibi sumsit; ea animi impotentia, eo fastu atque arrogantia, ea fingendi audacia, ea convitiandi licentia, ea contumeliarum protervitate, ut omnes humanitatis, æquitatis atque honestatis leges vel ignorasse, vel certe tunc oblitus fuisse videatur. At quo meo crimine? Nullo equidem; nisi quod pro Professoris Theologi officio, sine partium studio, sine cujusquam insectatione, modeste sententiam meam dixi super iis, quæ his annis disputata inter eruditos sunt: & quod, homo meticulosioris ingenii, animo præsagii, & Principibus Viris prænunciavi, turbas illas quibus ab aliquo jam tempore quassata fuit Ecclesiarum Frisicarum tranquillitas. Vehementius id mihi doluisset, nisi eodem modo exceptos cernerem alios quorum venerabile in Ecclesia nomen est, atque eum imprimis Virum, quo in diffusissima pariter atque accuratissima omnis sacræ literaturæ peritia majorem fortassis nunc orbis Reformatus non habet, cujus ipse olim* VANDER WAEYEN *non Collega, sed Auditor, Discipulus atque Admirator fuit. Si isthac sibi ratione cum Symmystis suis agendum esse Vir Magnus existimet, per me quidem sua fruatur indole; modo eam Deo atque Ecclesiis adprobet. At ne sirit unquam Deus, ut ea ipsum ripa sequar. Id semel sibi dictum habeat: ad convicia ipsius æternum mihi ipse impono silentium; operam per Dei gratiam daturus, ut non verbis, sed factis refellam. Non tam præclare de ipso, tam abjecte de me, tam inique de lectoribus sentio; ut viros prudentes atque æquos ex contumeliis ipsius sententiam laturos verear. Si quid interim monstraverit quod ad clariorem & didistinctiorem veritatum Divinarum cognitionem adjumento esse queat, quo id*

cunque

cunque modo fuerit propositum, habebitur tamen gratia. Ex iis sum qui cottidie amant proficere, nulliusque mortalium monita respuunt, modo fida sint ac salutaria. Gavisus equidem fuissem, si plura mihi discere licuisset ex ea quam nuper edidit Summa Theologiæ Christianæ; *neque existimassem caussam mihi irarum datam, quod aliquoties per multas paginas me i'.* notatum *viderem, si iis id fuisset factum rationibus quibus minus exactæ perceptionis aut malæ ἐγχειρήσεως convinceretur animus. Nunc id liquido deprehendo, quod per nimiam sive occupationem, sive festinationem, mea alicubi non satis perceperit; atque inde eas mihi absurditates impegerit, à quibus alienissimus sum. In aliis id me valde solatur, quod, si errem, errorem eum communem habeam cum præstantissimis, imo & plerisque Ecclesiæ nostræ doctoribus: nec quidquam mihi vitio verti possit nisi quod receptiorem tueor sententiam. An perite & pertractate, an secus; ignoscat mihi Vir Clarissimus, si alios arbitrari malim qui animo magis defæcato ad hæc sacra accedant, minusque quam ipse suis indulgent adfectibus.* Male cuncta ministrat Impetus. *Ego vero uti credo me non esse ἀναμάρτητον, ita meas cæspitationes nolim obesse veritati. Quod passim exprobrat candoris defectum, id nescio quomodo à quoquam mortalium aliter refutari possit, nisi videnti protestatione sinceritatis, illiusque ipso facto demonstratione ubi quis convincitur erroris. De animo enim judicare illius est qui solus renes ac corda scrutatur. Abdita mentium cœlesti menti reservanda: nec pectoris fibræ pulsandæ cuiquam & reserandæ, nisi qui eas fecit. Profiteor autem nihil a me cuiquam attributum esse, nisi quod ab ipso ita dictum scriptumve existimavi: Si mentem cujusquam male expressero, non data id factum esse opera, sed & ἀβλεψίαν; quam monitus ita corrigam, nulla ut querelæ remaneat materia. Sponte offero*

Σπόγγον ἀκεστορίην πλαζομένης γραφίδος.
Spongiam, aberrantis quæ medicina stili est.

Id unum obtestatus, ut eodem & alii agant candore, neq; quæsitis verborum involucris obnubant sententias, quas ubi commodum est, apud suos tradunt explicatius. Nunquam illud à me factum: sed quod verum sanctumq; quod verbo Dei consentaneum credidi, hoc quam potui disertissime semper expressi; neque cujusquam mortalium gratiam captans, neque offensam metuens. At non committam ut odiosa earum rerum quæ ad præsens institutum non pertinent disceptatione fastidium lectori creem. Erit suus huic caussæ locus in tertia editione illorum librorum quos de Oeconomia fœderum Divinorum scripsi; ubi omnibus rite atque in timore Domini pensitatis, & profecisse me ostendam; & eos laudabo per quos profeci, & bene dicta cordate tuebor. Hæc amicorum hortationibus Anno 1689. dederam, ne silentium meum aliovorsum, ut solet, traheretur. Postea usu venit ut quod futurum esse credebam, libri de Fœderum Divinorum œconomia tertium recuderentur: in qua editione executus sum quod animo destinaveram, eâ sacrarum reverentiâ literarum, eâ æquitate, modestia, mansuetudine, & erga dissentientes comitate, ut majore non potuerim. Tu, Lector, quisquis pius, peritus, atque extra partes positus es, judica: Deumque mecum ora, ut Spiritus ipsius bonus deducat nos in semitam rectam.

Valde

Valde Venerabili Viro,

HERMANNO WITSIO

Academicas in Symbolum Oecumenicum Exercitationes edenti,

Doctori & Praeceptori, optimo, incomparabili,

SCAZON.

AT quo Calore quove conciti motu
Meritas Tibi speremus eloqui laudes
Titulosque, WITSI? *quò rapis Tui plenos*
Vi blandiore, quosve ducis in saltûs
Succo fluentes atque coelico rore,
Quo terrae ocellus ille sacrosanctorum
Potor fluentorum, illa Terra Belgarum,
Coelestioris proma conda Doctrinae,
Nil divius nil purius bibit quidquam?
Jam diu diserta vidimus rudimenta
Sacri laboris: quamque teste fers Coelo
Scientiaeque & Conscientiae laudem
Miramur olim. Seu minacis Interpres
Tonantis aerumnabile illud abs alto
Quod quondam Amosides onus tulit Vates,
Diamque Litem actamque saepius caussam,
Ter maximi optimique Numinis caussam,
Jussus redordiri, impiata vineta
Putator ambis, sordidumque labruscas
Pratium laborum traducesque silvestres
Sterilesque truncos atque degener colle
Recidis omni rejicisque sarmentum.
Seu inficeto, & oris inverecundi,
Et obstinato calcitrare Livori,
Cordata quàm facunda non minùs scripta
Reponis, & non absque taedio multo
Cuncta eloquutum ulcisceris piè, menti
Bonae intonatum devovendo, & edurum in
Caput benignos colligendo carbones
Multum adstupenti. Quis modestior Paci
Silentium donare? fortior verba
Praebere Vero? ne sibi furor pugnax
Insanientis aut Scientiae turbo

Doctrina

Doctrinæ honorem poscat, ille divinis
Humana miscens, ætheremque terrenis
Spurcans salivis; neu loquax strepat cœlo
Tonante Rana. Promtior quis exemplo
Monituque Honestum urgere, & ipsa Virtutis
Ostendere edita templa, ne boni vultum
Mentita culpa devium trahat vulgus?
Non aliter animo sic recepit in terris
Sic hausit æthram, seculique venturi
Faciemque propinquiore contigit visu,
Tantumve toto limpidam Deo mersit,
Pavitque mentem. Porta cui poli tanto
Patuit hiatu? perviam alta cœlorum
Cortina in adyta quem profundiùs misit
Quæ Cœlitum gens ipsa cernuâ gestit
Inspexe fronte? Namque grandibus quis non
Adsurgat orsis, dum Salutis augustæ
Momenta libras singula, æviternumque
Pars Sacramentum, & verenda consulta
Divini Senatus, Ætherique jurata
Primæva federa, federumque difformes
Leges renarras; improbosque Sponsoris
Magni Labores, & laboribus pactum
Pretium, futurum ordinemque fatorum,
Flos lacteæ explicas medullæ, & utrumque
Vetus Novumque clave duplici Tempus
Aperis, reique duplicem sacræ vultum
Animum bifrontem exporrigendo complexus
Morâ atque metâ competente deformas
Mundique ab incunabilis recentes per
Ecclesiæ juvenantiores ætates,
Nec una fidei pullulantis augmenta,
Choragium omne, tota quo stetit quondam
Mosis potestas, anxiasque spes Patrum
Ac vota, longe edisseris, tot umbrarum
Vestita schemate, tot typis figurata,
Ænigmatum crepusculis tot occulta,
Oraculorum rapta per tot ambages,
Tam multiformi tracta syrmate: integram
Nutu Dei perenni dædalo textam
Telam affabrè dum denique, ô adorande

Divinitatis Archymista divinæ,
Non simplici stupendus arte detexis?
Seclo tamen debere pergit & famæ
Sublimis illa & ambulare per doctas
Mens sueta curas, nesciique mentiri
Per cuncta Libri: discutitque, & ex sacri
Anquirit usque latifundiis agri
Tot ruderatum opinionibus Verum,
Coloribus tot innatantibus sparsum,
Scintillulasque fenerat novæ luci
Jam funeratas: nec nigrante defossa
Aurei talenta pectoris tegit cryptâ
Sed paginâ benigniore plus uni
Transcripta donat seculo. Illicet præsens
Toti orbis auditorio labor surgit,
Jamque in celebri se recens die jactat,
Quo Christianæ scita plebis, & nuda
Publicaque verba, Scriptor, & fidem castæ
Antiquitatis sequeris, ut præit simplex
Deoque digna Religio, nec infausto
Paratragœdiata Veritas fuco.
Heic hospitalis illa portio ingentis,
Quem possides, Dei, ingeniique inexhausti
Vegens acumen, & sacrum eloquî pondus
Se prædicandis oppido explicant signis,
Dum mentis illud ignea entheum lumen
Toto theatro spargis, immerentique
Tot expetenda dogmata imputat ævo,
Multum disertis expedita pagellis.
Agnosce Lector, æstimaque, non-lentè
Orbe erudito se quod approbat, tanti
Tam luculentum munus instar Auctoris.
Non somnia his imaginosa, non nugæ
Chartis laboriosæ inambulant, quales
Sicci solentes litoris legunt nautæ
Bullas sonoras, quasve nubium auriga
Ventosiores, ut poplo palam vendant,
Nebulas sequuntur. Non nuces vides cassas,
Adfaniasve, pectorisve fastosos
Vapidi tumultûs, qualibus cerebrosi
Libros amant implere Phantasi curis,

Quos

Quos musca cum proboscide, atque vexat
Quæstus juvat labore nodus in scirpo.
Sacrario isthoc mascula illa creatos
Se venditat Sapientia osa Doctores,
Cœlestis illa, tota quanta divina,
Nihil profani noxiique contrectans,
Non insolens, non aucupans novos sensus,
Lascivientis seculi & senescentis
Funestius dubium an frequentius crimen;
At strenuum illud integrans sine ampullis
Lenocinantibusque inaniis Verum,
Quod cæde signatum Dei Redemtoris,
Crucibus, quadrigis, eculeisque fundatum,
Tormenta per mille atque mille per mortes
Fuso cruore Martyrum, intulit cælo
Animosa virtus, sancta sed Fides terris
Regina stabili sanciit sacramento
Heu! illa avitis dum stetit tholis, felix,
Pietaticultrix antequam evaporavit
Ætas Parentum, quæ sacris procul rixis,
Dissentiendi sordidoque pruritu,
Non glande pasta vel rudi tamen fœno,
Non fece pota vel sophisticis sputis
At nec malo libidinantior luxu,
Sed flore lactis, sed liquore Sionis
De fontibus scaturiente contenta,
Sciri negata scire non nimis quærens,
Diviniores se excitabat ad curas;
Nunc exul, exspes, inprobisque vah! factis
Contusa colaphis, quando perdidit fractas
Circum-malorum fraude-venta Tutorum
Res sacra vires, dogmatumque nascentum
Profano aceto lota, inelegantique
Postposta pellici, & pedissequæ jussa
Vices obire Virgo, vilior scorto,
Vah! impotente Virgo, vidit extremum
Nefas suorum: quando pristinum Candor
Sanctumque nomen, & modestus illorum
Scrutator ardor, quæ silentii sacrum
Post supparum verenda providum Numen
Nec vult videri tota, tota nec condi,

 Pu-

Puræque concors Veritatis adfectus
Sororiâ cum Caritate proscriptus,
Orbemque totum demigrans sub extremam
Concessit Arcton; indidemque porrigo
Subiit novandi, & immodesta libertas
Per sacra eundi, per profana, per fas &
Nefas ruendi, quà procacior quemque
Trahit lubido, & illa cochleæ in morem
Cuniculosâ hypocrisis lantens testâ,
Intraque se reposta cratibus septem
Longe reductis, Religioque plus centum
Plicis striata: quando flebile Europa
Pomum momordit; ambitusque non viles
Venatus animas; pestilensque & haut unâ
Sanabile anticyrâ usque & usque rixandi
Corda cacoëthes insolenter insedit;
Studiisque tot divortiisque discordes
Famosa Erinnys usque lancinat fratres,
Odiisque scindit. Unde tanta pugnandi
Talisque rabies? candidis quis indixit
Hæc bella calamis? anne dura Cadmæis
Enata sulcis se novissimè in nostris
Resevit agris ferreûm seges fratrum,
Cerita pubes, quæ, vidente ridente
Hoste, invicem se conficit suis telis?
Parum cruentos ergo visa sumsisse
Orchestra vultûs, luctuosa quamdudum
Bellona gressu concurrit cothurnato,
Formidoloso Europen efferans cantu
In se manûs convertere & suas gnatas,
Aquilisque prohibens & Leonibus somnos;
Nisi igne sacro se quoque & sacris pascat
Vulgus favillis, mobile & suo semper
Favens periculo? Ah! digna pluribus perdi
Gens, quàm quibus quotidie peris, damnis
Non absque sumtu! quem Sinona, quod muris
Ferale Dolopum credula invehis monstrum,
Dolitura serò, (& serò, scis, Phryges quondam
Sapuere) nunc quod triste gaudium gaudes?
Quid si docentis ipse, Lector, haurires
Responsa ab ore, nemo qualia audivit

Tripodum

Tripodum minister, mysticosque sermones,
Quos ore profert, nec supinus auditor
Venerabili suspendereris ab vultu?
Credes? at immo credere istud hinc ausis
Fassure mecum: graphica WITSII *dextra, &*
In secla ituras illinens stilus chartas,
Vinci nisi ore WITSII *nequit solo;*
Nec ultimâ felicitatis in parte
Mecum putaris, pectus illud, os illud
Coram tueri quisse, & inclytas coram
Tacitâ stupere quisse mente virtutes.
Nam plura nunquam videris simul monstra,
Opesve plures: neminemque spectâris
Absolvere omnes ex decore sic scenas.
Absconsa magni sive Codicis sensa
Pubi emedullans simplici docet visu,
Acieque mentis liberalis erectâ,
Eniti in altum: duplicis quod est Agri
Nimiique lyncis, hoc foco his procul sacris
Exesse jusso; & atra candidis confert,
Incerta certis, cumque turbido errore
Opinionem noctis haut minùs fontem
Exarmat, alma notionis ut puro
Dies in auro fulgeat: nec apricæ
Nimbosa flamma copiam arceat lucis:
Seu eruditis armilustriis adstes
Quæstôrque pulcris consecraneam bellis
Format juventam; quisque tutiùs dirum
Cataphracta virtus hostem adorta defendat;
Quis pertinacem fundat & stygi mactet,
Tela elaborat administer, & tota
Qua sanctiore fornicis penetrali
Vetus supellex vel novella servatur,
Emuniendo promit arma tironi.
Seu copiosum cymbulâ æquor ingressus
Solenne Remis ad celeusma lentatis
Cælestiorum lina dogmatum tendit,
Zephyrosque poscit, aliusque subnecta
Dicentis illa haut æmulanda majestas,
Præsens adspirante Numinis flatu
Ingens in ævum mergitur: sacrique ipse

Fluentis instar medius aureo templum
Sophiæque doctos imbuit lares fluxu
Jam ripâ inaudax semiliberumque intra
Spatiatus alveum, nec fragosus incedens
Nimiusve rerum, jam per aggerem præceps
In obvias se plebis inserens aures
Torrentiorem, & incitos simul fastûs,
Apicesque honoris & superbiæ colles
Altasque scelerum criminumque radices
Fundo revellens; saxaque ipsa facundâ
Convulsa strage tabito emovens limo,
Placide verendus: plurimùm tamen lene
Admurmurantis more rivuli labens,
Propter sonori marginem cavum tophi,
Quem creber ambiat sititor, illimem
Vado videri, & roscidum & suum semper,
Animisque titillante cereis flecti,
Et gratioso blandus incidens sensu,
Præ quàm fluentis pura guttula electri,
Tenerrimoque vulnerans sono pectus,
Jecurque circùm ludibundus & fibris
Penitis inerrans. Palpitare tunc castis
Corda entheata gaudiis; decentesque
Ridere fletûs, præ dolore, sed læto
Singultientes, flere risus, at motu
Voluptuoso, quando melleus fandi
Danaëio se pondere in sinûs ipsos
Penetrat imber, atque amabilem plenis,
Si qua est animula misella, vagula, sol
Rorem propinat poculis. Simul dulcis
Siticulosa flore musteo Suadæ
Inebriatur auris, & simul sancto
Lymphatur æstu, seculique despectum
Mens & suave tædium imbibit vitæ,
Ardetque superas jugiter perennantes
Non eloquendi fluminis cataractas,
De fonte cœlum purius refundentes,
Lautamque vivis amphoris sitim stinguit
Sub verticosi mersa Numinis lymphis.
Verende WITSI, *cujus insidens labris*
Divina Peitho sacro sancta stillantem

Latio-

Latioque Patrioque Tullio humectat
Et invidendis uberat favis linguam,
Fandi potentem quando suspicit magnas
Hiante & aure & ore devorans voces
Juventa totis destinata divinis,
Tantoque cœtus, si bonum suum novit,
Felix Magistro, & insolente famosi
Monitore Recti. Pande mentis augustos
Doctor recessus. Vindica fidem Vero,
Lumen Lyceo, gloriam ingenî famæ,
Scientiam Orbi, Conscientiam Cœlo.
Jam vindicasti. Laudibus tuis ecce
Subscribit Æther, docta natio applaudit,
Invitus atrum Livor atterit dentem,
Reddunt honorem idonei æstimatores,
Faventque linguis; vilis umbra post omnes,
Meus Tuarum cultor ille virtutum,
Litatque farre simplici, indisertumque
Ineruditus carmen adstrepit Scazon:
Et pro salute, pro laboribus longum
Superstitandis, grande, ritè quod vortat!
At impetrabile, ore suscipit votum,
Ut sospitem Æther commodet diu terris
Patriæque profuturum; ut oris ac mentis
Non pœnitendos illa demetat fructûs,
In postumisque sero discat absentem
Quæsisse chartis, tunc Sionios inter
Scriptum Quirites, Cœlitum Senatorem.
Sine hæc Tibi accini, Professor, & nostræ
Interpretare gratitudinis partem
Quas candidus conatur, ô genus Divûm,
Amor loquelas. Cernitis? polo latè
Nitor emicat præsagus. Annuit votis
Virtus Olympi, longiusque Te nobis
Servare velle, Te decoris exemplum
Animamque. Ipsa, Livor hoc audi,
Æternitatis Diva præstes & fama,
Felicibus quæ dat libris perennare,
Rerumque trux vorator omnium Tempus,
Genium hisce Scriptis, inclytamque & ingentem
Laude usque germinante præstat ætatem.

ISACUS TREUGHORN, *Dantiscanus.*

Nomina Ornatissimorum Juvenum qui Respondentium vices in Exercitationibus hisce Academicis sustinuerunt.

In Academia FRANEQUERANA.

SAlomon Opitius, Lesna Polonus 1675. 29. Sept.
Thomas Ecken, Regiomonto Borussus. 20. Octob.
Tiardus Greidanus, Franequera Frisius. 4. Decemb.
Rombertus Itsma, Sneca Frisius. 1676. 17. Mart.
Regnerus Ens, Bolsvvardia Frisius. 7. Jun.
Sebastianus Reinhardus, Bremensis. 8. Novemb.
Alexander Dennis, Regiomonto Borussus. 1677. 16. May.
Andreas Pama, Sneca Frisius. 16. May.
Rintius Meilsma, Oldega Frisius. 29. Junij.
Samuel Audzjejevvicz, Lithuanus 20. Octob.
Johannes Nelenus, Wormera-Batavus. 24. Novemb.
Johannes Böshasi, Ungarus 1678. 29. Jun.
Ernestus Sigismundus Crellius, Berolino Marchicus. 16. Octob.
Henricus Cramer, Vesalia-Clivensis. Norimb.
Henricus Ratbergen, Wormera-Batavus. 4. Decemb.
Jacobus de Clyver, Mattiacus. 1679. 15. Febru.
Franciscus Gellides, Leovardia Frisius. 22. Febru.
Andreas Gottlieb Hesius, Anhaltinus. 1. Mart.
Henricus Warendorp, Winsumo-Omlandus. 12. April.
Abrahamus Acronius, Husuma-Frisius. 28. Octob.
Andreas Austen, Dantiscanus. 3. Decemb.
Petrus Roldanus, Enchusa-Batavus. 1680. 31. Mart.

In Academia ULTRAJECTINA.

HErmannus van Zurc, Ultrajectinus. 1680. 22. May.
Petrus Lastdrager, Tvviskâ-West-Frisius. 20. Octob.
Johannes Best, Ultrajectinus. 10. Novemb.
Stephanus P. Kiskomaromi, Ungarus. 1681. 12. & 16. Febr.
Stephanus R. Szombati, Ungarus 18. & 23. Febr.

EXER-

EXERCITATIO PRIMA.
DE
SYMBOLI APOSTOLICI AUCTORIBUS ET AUCTORITATE.

BREVIARIUM.

1. Historiam Symboli copiose exposuerunt Usserius, Voëtius, Vossius, Heideggerus. 2. Apostolos Symboli Auctores esse, Romana Ecclesia credit. 3. Et quidem singulos Apostolos suum quemque articulum dixisse. 4. Imò quid quisque dixerit in numerato se habere opinantur. 5. Quod ex inscriptione & vocabulo Symboli, ut & Patribus, & Ratione, probare conantur. 6. Verum enim vero hæc vel incerta, vel falsa sunt. 7. Nam neque inscriptio Apostolici est Authentica, & tale dici potest, non ob efficientem caussam, sed ob materiam. 8. Neque Symbolum collectionem notat; &, si notaret, referri id posset, non ad colligentium, sed ad collectorum pluralitatem. 9. Id quod ex Patribus desumitur argumentum admodum vacillat. 10. Quod a Ratione petitur magis obest, quam prodest. 11. Contrarium longe probabilius esse, variis argumentis evincitur. 12. Singulos Apostolos sententiam suam dixisse, pene ridiculum videtur. 13. In prima Christianismi simplicitate nullum fuit Symbolum præter illud Christi, Mat: XXVIII. 19. 14. Cæterum crescentibus hæresibus varii articuli lapsu temporis additi sunt. 15. Auctoritas hujus Symboli magna est, non tamen summa. 16. Non est precandi formula.

DOctrinam *Symbolo Apostolico* succincte comprehensam Academicis exercitationibus explanaturus, ut ab illius *Auctoribus* & *Auctoritate* ordiar ipsa me res monet. Hanc autem eruditionis Theologicæ partem Maximi Viri, *Jacobus Usserius*, *Gisbertus Voëtius*, *Gerardus Johannes Vossius*, & *Johannes Henricus Heideggerus*, omnes immensæ propemodum lectionis, tam copiose pertractarunt, ut secuturis otium fecisse censeri debeant. Mihi saltem nihil hic restat, nisi ut, in gratiam eorum qui nobis dant operam, quæ illi fuse exposuerunt, & locupletibus luculentisque ex omni Antiquitate testimoniis confirmaverunt, in summam contracta, hac diatriba exhibeam. **Historiam Symboli copiose exposuerunt Usserius, Voëtius, Vossius, Heideggerus.**

II. Apostolos vere Auctores Symboli esse quod ipsorum circumfertur nomine, pro tam indubitato Ecclesiæ Romanæ Doctores communiter tenent, ut præfractam esse temeritatem dicant illud in quæstionem vertere. Traduntque Apostolos jam Spiritu Sancto plenos, antequam Hierosolymis, Evangelium prædicaturi, quaquaversum discederent, tam *sui* caussa, ne, diversa docendo, alii ab aliis alienis fierent animis, quam *Ecclesiæ* caussa, quo certam ea haberet formulam, quam baptizandis exponeret, colle- **Apostolos Symboli Auctores esse Romana Ecclesia credit:**

giſſe verba quædam brevia & certa, expedita ſententiis, ſed diffuſa myſteriis, & continentia compendium quoddam eorum, quæ quiſque corde ad juſtitiam credere, & ore ad ſalutem confiteri debeat: atque ita natum eſſe illud quod nunc habemus Symbolum. Quo autem tempore illud factum ſit, pro certo determinare non poſſunt. Quibuſdam id contigiſſe exiſtimantibus, mox ubi Spiritus Sanctus in Apoſtolos deſcendit: aliis vero id referentibus ad tempus quo Herodes, non Antipas [quod magno Voſſio excidit Theſi VI]. ſed Agrippa, in Judæorum gratiam, crudeliter Chriſtianos perſequebatur. Qua de re legere eſt Act: XII.

Et quidem ſingulos Apoſtolos ſuum quemque articulum dixiſſe.

III. Cæterum aliud addunt; non ab uno aliquo, cui id operæ datum erat, Concilii Apoſtolici nomine, formulam hanc concinnatam eſſe; ſed Apoſtolorum ſingulos ſuum quemque articulum dixiſſe, eaque factum eſſe ratione, ut articulorum numerus numero Apoſtolorum exacte reſponderet. Ita ut ſinguli articuli eſſent à ſingulis per expreſſionem, totum Symbolum à quolibet per approbationem.

Imo quid quiſque dixerit in numerato ſe habere opinantur.

IV. Et nequid nobis in tanti momenti negotio lateret, placuit Annalium Eccleſiaſticorum Conditori *Baronio, ad An:* XLIV. certiores nos facere, quem cuique Apoſtolo articulum debeamus: laudata *B. Auguſtini* auctoritate, qui *de Tempore, Serm:* CXV. ſic ſcripſiſſe perhibetur. *Petrus dixit: Credo in Deum Patrem, Omnipotentem. Johannes dixit: Creatorem Cœli & Terræ. Jacobus dixit: Credo & in Jeſum Chriſtum, filium ejus Unicum, Dominum noſtrum. Andreas dixit: Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Philippus ait: Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Thomas ait: Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit: Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit: Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Jacobus Alphæi: Credo & in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum communionem, Remiſſionem Peccatorum. Judas Jacobi: Carnis reſurrectionem. Matthias complevit: Vitam æternam. Amen.*

Quod ex inſcriptione, & vocabulo Symboli, ut & Patribus, & Ratione, probare conantur.

V. Hæc omnia, ne temere credulitatem ſuam hujus modi traditionibus addixiſſe videantur, variis argumentis firmatum eunt. Ac *primo* quidem *inſcriptione* pugnant, qua diſerte hæc formula Apoſtolis vindicatur. Cur enim Symbolum hoc *Apoſtolicum* in omni Eccleſia Chriſtiana vocaretur, ſi Apoſtolos Auctores non haberet? *Secundo* ex *Symboli* vocabulo id colligunt. Quod *collationem* notare putant: qualis cœna eſt collatitia, ubi ſinguli convivarum ſuam conferre ſolent portionem: inde, inquiunt, nomen datum hiſce fidei capitibus, quia Apoſtoli ſinguli, ad hoc veluti ſpirituale epulum, indubitatum aliquod contulerint caput fidei. Sive, ut ſua eos lingua loquentes audiamus: *Symbolum,* inquit *Gabriel Biel, in diſtinct:* XXIII. *quæſt: unica. art:* I. *lib:* III. *deducitur à ſin, quod eſt con, & bolos, particula vel morſellus, quaſi particularum collectio: nam quilibet Apoſtolorum*

rum particulam suam, quasi bolum suum, apposuit. Tertio nubem testium ex *antiquitate* producunt: quorum ingenti numero *in* III *de Trinitate Genebrardus* pugnat. Imo si *Sixtum Senensem* audimus *Bibliothecæ Sanctæ Lib.* II. *Omnes Orthodoxi Patres affirmant, Symbolum ab ipsis Apostolis conditum.* Imprimis *Rufinum* laudant, qui historiam concinnationis Symboli fuse prosecutus est. *Quarto* ab utilitate id suadente, vel etiam jubente, ita argumentantur: expedivit ut Apostoli *discessuri ab invicem normam prius futuræ prædicationis in commune constituerent: ne forte, ab aliis alii abducti, diversum quid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent:* quæ Rufini verba sunt. Sic ergo vel utile, vel necessarium fuit, ab initio formulam aliquam consensionis exstare, *Apostolorum* respectu. Minus adhuc tali Symbolo *Ecclesia* carere potuit. Opus enim fuit ut Baptizandi ederent fidei confessionem: hæc autem brevis esse debuit, & plena, planaque: talem vero Apostolicum esse Symbolum cernimus.

VI. Verum utut hæc ingenti confidentia dicantur, plurimosque, ex nostris etiam, astipulatores inveniant; tanti tamen non sunt, ut cum præstantissimo *Chamiero, Panstr: Lib.* IX. *de Canone Cap:* X. dicere non audeamus: *Esse ab Apostolis Symbolum sic compositum, si non falsum, certe, quod proximum falso esse nemo negat, incertum est.* Non inutile est hominum animis ejus generis præjudicia evellere. Agedum itaque singula argumenta ad calculos vocemus. Verum enimvero hæc vel incerta, vel falsa sunt.

VII. Quod ad primum attinet: *Apostolicum* vulgo hoc Symbolum vocatur. Sed quæritur primum, qua auctoritate, tum quo sensu, ita vocetur? Fieri potest ut ex communi & inveterato præjudicio id nominis sortitum sit; unde tamen nihil certo concludi potest. Ne quidem Sacrorum Librorum inscriptiones omnes, & subscriptiones Epistolarum Pauli, authenticas, satisque certas esse, eruditissimi Viri observarunt. Et quis id de inscriptione Symboli asseveraverit? aut si asseveret, qui probaverit? Demus tamen à prima sui nativitate, & recte quidem, Symbolum hoc Apostolicum dictum esse: ne tum quidem quod intenditur satis confectum erit. Ita enim dictum esse credibile est, quoad materiam, non quoad caussam efficientem: quia continet ea fidei capita, quæ ex Apostolicis scriptis desumta sunt. Sane Symbolum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ab hoc nostro, & sententia, & verbis, diversum, Apostolos Auctores non habet, & tamen vocatur à *Cyrillo, Catechesi* XVIII. ἐπαγγελία ἁγίας καὶ Ἀποστολικῆς πίστεως, *Traditio Sanctæ & APOSTOLICÆ fidei.* Neque, opinor, Nicenæ Synodi decreta Apostolos Auctores habuerunt: de iis tamen *Athanasius* dicit, αἱ νῦν σύνοδοι γράφουσιν ἀποστολικῶς, *Hodiernæ Synodi scribunt* APOSTOLICE. Hoc est, Apostolicis Scriptis convenienter. Nam neque inscriptio Apostolici est Authentica, & tale dici potest, non ob efficientem caussam, sed ob materiam.

VIII. Minus adhuc roboris in secundo argumento est. Nam, si largiamur Symbolum esse collectionem, vel collationem, ita dici posset, non Neque Symbolum collectionem

notat; &, si notaret, referri id posset, non ad colligentium, sed ad collectorum pluralitatem.

ob colligentium, sed ob collectorum pluralitatem: in cujus rei signum *Athanasius* solus Symbolum collegit: [si modo id Athanasii sit] quæ non inerudita *Cajetani* observatio est, ad *Thomæ secundam secundæ, Quæst*: I. *Art:* VIII. Verum non largimur *Symbolum* significare *collationem*, sive cœnam collatitiam. Talem Græci non σύμβολον, sed συμβολὴν nuncupant. Sane *Aristophanis* interpreti συμβολὴ δεῖπνον ἐστι τοῦ ἐκ κοινοῦ συντιθεμένου. Quod ante *Vossium Casaubonus* quoque ad *Athenæum* monuit *Lib*: III. *Cap*: XXXI. & *Matthias Martinius* in *Etymologico*. Diffiteri tamen nolo, *Hesychium* σύμβολον, inter cæteras significationes, per συμπόσιον quoque interpretari. Quæ *Biel* similesque Scholastici de bolis nugati sunt, erudito hoc seculo refutatione sunt indigna. Symbolum ergo dicitur hæc formula, quia est veluti *tessera* pacti, quod in Baptismo inimus cum Deo, & velut *Sacramentum militare*, quo fidi Christo milites à perfidis desertoribus facile distinguuntur. Hoc sensu de συμβόλων στρατιωτικῶν, *insignibus militaribus* loquitur *Herodianus Lib*: II. *Cap*: XIII. Optime *Maximus Taurinensis de Tradit: Symb: Symbolum tessera est & signaculum, quo inter fideles perfidosque secernitur.*

Id quod ex Patribus desumitur argumentum admodum vacillat.

IX. Tertium argumentum, ab Auctoritate Patrum desumtum, tanti momenti non est, uti quidem prima fronte videtur. Nam I. Observavit Polyhistor *Vossius*, ante annum quadringentesimum, neminem id quod nunc tantopere urgent Pontificii scripsisse; neminem etiam aliquanto post, nisi qui in Romana, vel Italica, vel saltem Occidentali degeret Ecclesia. Illi vero qui tam procul ab Apostolorum ævo absunt, non sunt idonei primæ Antiquitatis Auctores. II. Adde quod supposititia videantur quædam. Sane sermo ille CXV *Augustini*, unde probat *Baronius*, quam Apostolus quisque sententiam dixerit, pro genuino ab aliis non habetur. Quod *Baronius* dissimulare non fuit ausus. III. Ipse *Rufinus*, cujus testimonium hic in prima acie collocari solet, non est Pontificiis testis ἀνυπεύθυνος. Sic enim *Bellarminus, Libro de Scriptor: Eccles. Num*: CCCXC. *In Apologia pro Origene multa mentitur, ipso Hieronymo teste.* Et *Possevinus* in *Apparatu Sacro, tom*: II. *p*: 358. scripta Rufini vocat *Labyrinthum*: dicitque *haut facile judicari posse, cujus ingenii aut fidei Rufinus fuerit.* IV. Neque *Rufinus* tamen Symbolum ab Apostolis conditum esse confidenter pronunciat: sed id *Majores tradidisse* scribit: indicans se in eo plurium quidem sequi opinionem; non tamen id pro certa historia habere. Et, quemadmodum *Erasmus* in suo ad Parisiensium Censuram responso notavit, *in media narratione non dicit, Apostoli, sed, qui Symbolum tradiderunt: velut incertus, à quibus id factum sit.* V. Prætensa traditio etiam antiquissimos quandoque Patres misere decepit, licet eam ex illorum haberent ore, qui Apostolorum Auditores credebantur. Quibus non imposuit *Papiæ*, Zelotæ quidem illius, sed tamen nimis creduli & superstitiosi, traditiones Apostolicas venditandi lubido? Quis ignorat *Cyprianum* cum suis tradi-

tionem

tionem Apostolicam obtendisse pro suo anabaptismo? quam tamen Romana Ecclesia, non magis quam nos, pro genuina agnoscat. Gnorismata quibus traditiones genuinæ à spuriis dignoscantur tam sunt inevidentia, totaque adeo traditionum materia tam Cimmeria involuta caligine, nihil ut inde certi, & quod assensum imperet, demonstrari queat. Atque ita tertium quoque argumentum cadit.

X. Quarta ratio talis est, ut suspectam merito eam pro qua profertur sententiam facere debeat. Nam neque Apostoli tali prædicationis suæ Canone & unionis vinculo indigebant, quippe Spiritus Sancti pleni, qui ducebat eos in omnem veritatem: neque à Baptizandis in initio Christianismi alia exigebatur fidei professio, à simplici illa qua se credere dicerent in Christum, sive in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Uti liquet in Baptismate illorum de quibus agitur in Actis Apostolicis. Ita ex examine argumentorum patet, non posse ex illis demonstrari Apostolos Auctores illius Symboli esse, quod vulgo eorum nomine circumfertur. Quod à Ratione petitur magis obest, quam prodest.

XI. Quanquam hæc sufficere deberent ad destruendam hanc hypothesin; quæ credi non debet, quia probari non potest: ex abundanti tamen argumentis quibusdam ostendemus, quam parum illa verisimilitudinis habeat. I. Si Apostoli Symbolum tale communicatis consiliis condidissent, quod inter ipsos vinculum unionis, & toti Ecclesiæ brevis credendorum norma foret, non est credibile Beatum Lucam, qui actus Apostolicos, eos etiam qui longe minoris momenti sunt, accurate descripsit, hoc tantum negotium tam profundo silentio transmissurum fuisse: vel Apostolos ipsos, in Epistolis suis, nihil de tanta re fuisse monituros. II. Non omisissent etiam Prisci Patres, contra hæreticos disputantes, ad hoc Symbolum provocare, quod utilissimo compendio potuissent & debuissent facere, si quidem illud ab Apostolis concinnatum esse constitisset. III. Nunquam venisset Sanctis Patribus in mentem, tot Symbola & confessiones cudere, quæ perfectione multum cederent Symbolo quod Apostolorum dicitur. Non potuit id aliunde provenire, nisi quia illud plenius planiusque nondum natum notumque erat. IV. Non fuisset tanta, pro diversitate Ecclesiarum, in Symbolis diversitas, si Apostoli Symbolum aliquod, iis sententiis, eo ordine, iis verbis, Ecclesiæ Universali tradidissent. Nunc autem Symbolum Hierosolymitanum, quod *Cyrillus* explicuit, & sententiis, & ordine, & verbis, à vulgari non parum discrepat; uti accuratâ collatione demonstravit *Vossius*. Quam vero Ecclesiam Symbolum fidelius retinuisse credibile est, eâ ipsâ in cujus medio id conditum esse volunt? Contrarium longe probabilius esse, variis argumentis evincitur.

XII. Porro singulos Apostolos sententiam quemque suam dixisse, tam parum probabile est, ut pene ridiculum videatur. Parumque abest quin veneranda hæc fidei formula isthoc modo in insolenter consutum cen- Singulos Apostolos sententiam suam dixisse.

se, pene ridiculum videtur.

centonem transmutetur. Quis à se impetrare potest ut credat, *Petrum dixisse: Credo in Deum Patrem Omnipotentem: Johannem addidisse: Creatorem Cœli & terræ*, & sic porro? articulis aliquando male divulsis, male junctis. Quid non ausa est temeritas, ut justum numerum duodenarium articulorum inveniret, respondentem scilicet numero Apostolorum? Quid? an duo distincti articuli sunt: I. *Credo in Deum Patrem omnipotentem* II. *Creatorem Cœli & terræ*? Quos tamen ita discerpunt, ut hunc Johanni, illum Petro tribuant. An unus articulus est, *Descendit ad inferos: Tertio die resurrexit ex mortuis*? Quas duas distinctissimas sententias, quarum illa ad humiliationem, hæc ad exaltationem Christi pertinet, in unum conflant, & *Thomæ* adscribunt. An unus est articulus, *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam*? Quam *Jacobi Alphæi* esse dictitant. Hæc imperitiora sunt, quam ut fidem apud prudentes mereantur.

In prima Christianismi simplicitate, nullum fuit Symbolum præter illud Christi. Mat: XXVIII: 19.

XIII. Quid ergo de Symbolo hoc tenendum est? Brevibus id quod vero propius videtur exponemus. In prima Christianismi simplicitate nullum aliud Symbolum invenitur, præter id quod Christus tradidit Mat: XXVIII: 19. *Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Hoc Symbolum nudum fundamentum est, ad quod antiqui Patres sæpe provocarunt. Loca quædam, ex plurimis, Venerandus *Voëtius*, Præceptor mihi omni observantia colendus, adduxit; quorum unum atque alterum hic dabo. *Athanasius in Epistola ad ubique Orthodoxos, & Oratione contra Sabellium, & contra Arianos: Summa*, inquit, *& corpus totius nostræ fidei continetur in verbis Baptismi, & fundatur in illa Scriptura: Ite & Baptizate omnes nationes in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Augustinus* similiter, *sermone in Symbolum. Hanc fidei normam ipse Dominus noster Jesus Christus instruxit, & nemo nisi impius de ea Catholicæ fidei regula dubitat, quam ille dictavit, cui fides ipsa debetur. Ipse ergo Dominus noster Jesus Christus, quum jam glorificatus resurrexit à mortuis, in cælum ascensurus ad Patrem, hæc sacramenta fidei discipulis reliquit. Ait enim, euntes baptizate omnes nationes in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.*

Cæterum crescentibus hæresibus varii articuli lapsu temporis additi sunt.

XIV. Cæterum crescentibus cum tempore hæresibus non licuit Ecclesiæ in ea simplicitate manere. Lapsu ergo temporis varii articuli nudo huic fundamento superstructi sunt, quibus Ecclesiæ doctrina ab hæretica, item Ecclesiæ filii ab hæreticis, & eorum sectatoribus, secernerentur. Patet id ex eo, I. Quod Antiquissimi Scriptores, *Martialis, Ignatius, Justinus, Ireneus, Tertullianus*, quum summam fidei recensent, ultra Trinitatem non progrediantur. *Hilarius, initio Lib: II: de Trinit:* solam Trinitatis professionem sufficere debuisse multis disputat; quod additum, hæreticorum excludendæ importunitati acceptum ferendum esse. In eandem sententiam it *Paschasius, Præfat: ad libros de Spiritu Sancto.* II. Constat Articulum de *Descensu ad inferos* in multis Symboli editionibus

non

non comparuisse. Ipse *Rufinus in Expositione Symboli*, *cap*: xx. testatur suo tempore eum in Symbolo Ecclesiæ Romanæ & Orientalium Ecclesiarum defuisse. Esse autem eum ex Symbolo *Athanasii* in Symbolum Apostolorum intrusum, ab hominibus qui non animadverterunt in eodem Symbolo desiderari articulos mortis & sepulturæ, conjectat *Molinæus Tom*: I. *Thesi*: *Sedanens*: *p*. 581. Cæterum de hac re prolixius & accuratius suo loco dicendum erit. III. Epithetum, *Catholicæ*, Ecclesiæ datum, Apostolorum ætate ignotum erat. Neque agnovit illud Rufinus. Et verisimile est *Catholicæ* nomen apponi cœpisse, ut Ecclesia, quæ toto orbe obtineret, distingueretur à conventiculis Hæreticorum, & Schismaticorum: qualia erant Novatianorum, & postea Donatistarum. Unde concludimus, non esse hoc Symbolum unius Auctoris, vel unius Concilii; sed labentibus seculis, varia occasione, à variis, multis accessionibus locupletatum: exstantibus tamen veteris fundamenti, cui reliqua superædificata sunt, indiciis.

XV. De *Auctoribus* quod satis est locuti, nunc de *Auctoritate* videamus. Statuimus ergo, I. Merito huic Symbolo Majorem Auctoritatem tribui, quam reliquis quæ exstant omnibus. Quia & sententiis plenum, & verbis perspicuum, & ordine concinnum est: & tam generaliter in Christianismo nunc receptum, ut pro Christiano haberi non debeat, qui id proterve rejecerit. II. Quia & quoad sententiam cum S. Scriptura exacte convenit, & verbis Scripturæ plerumque, paucissimis vocabulis exceptis, expressum est; ut materialiter Divinum & Authenticum dicatur, non repugnamus. III. Quoad formam tamen, & singulorum articulorum dispositionem, scriptum mere humanum est: quod per se non obligat ad fidem, sed quia ex Scriptura Canonica desumtum est, & cum ea per omnia convenit. IV. Non ferimus ergo ut formaliter pro Authentico habeatur, non minus quam verbum Dei scriptum, quod contendunt Pontificii; aut *fere* Authenticum, quomodo nonnulli ex nostris minus caute locuti sunt: quia Auctoritas Divina, quum non nisi summa sit, gradus non habet. Si ab Apostolis, à Spiritu Dei actis, prolatum est: non *fere*, sed *vere* est Authenticum. Si non est prolatum ab Apostolis, vel Apostolicis viris, infallibilis Spiritus instinctu, uti non esse probatum supra dedimus; neque *vere*, neque *fere* est Authenticum. Nullum intermedium, aut *quasi*, hic potest habere locum.

Auctoritas hujus Symboli magna est, non tamen summa.

XVI. Unum adhuc monendi sunt juniores: pessime scilicet, in Ecclesia Romana, Symbolum Apostolorum, pro formula quadam orationis haberi: cui puerili errori Doctores ipsorum occasionem vel fomentum dederunt, vocando illud, *Hymnologiam Catholicam*, & *Hierarchicam Eucharistiam*. Distinguendæ sunt tres illæ notæ formulæ: Decalogus, Oratio Dominica, & Symbolum. In Decalogo Deus loquitur Hominibus.

Non est precandi formula.

nibus. In Oratione, Homo loquitur Deo. In Symbolo, Homo loquitur & Deo, & hominibus. Uti Oratio distincta est à Lege: ita & Symbolum distinctissimum est ab Oratione.

EXERCITATIO II.
DE
ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS.
BREVIARIUM.

1. *An omnes, & soli, necessarii articuli Symbolo contineantur.* 2. *Necessarium quid dici potest, ad Salutem, ad Religionem, ad Ecclesiam.* 3. *Necessariorum cognitio vel magis vel minus explicita est.* 4. *Plura cognoscenda sub N. T. quam sub V.* 5. *Nihil pro fundamentali articulo haberi debet, quod in Scriptura non reperiatur.* 6. *Et quod ibi evidenter propositum non sit.* 7. *Id solum pro fundamentali articulo tenendum, sine quo neque fides, neque resipiscentia potest consistere.* 8. *Eum quoque articulum fundamentalem esse patet, cui, si non teneatur, annexuit Deus comminationem exitii.* 9. *Non illud omne fundamentale est, quod annexam habet promissionem vitæ.* 10. *Sed fundamentale est quod scriptura fundamentum vocat.* 11. *Et sine quo id quod necessarium est nec credi, nec cognosci potest.* 12. *Denique quod res ipsa docet non minus, vel etiam magis, necessarium esse eo, quod ut tale in Scriptura proponitur.* 13. *Horum κριτήριον discrimen.* 14. *Necessariorum articulorum non æque distincta in omnibus scientia præcise necessaria est.* 15. *Necessariorum articulorum numerum determinare vel impossibile, vel difficile admodum est.* 16. *Neque id oppido necesse est: sive singulos spectes:* 17. *sive universam Ecclesiam.* 18. *Non omnes articuli necessarii Symbolo continentur.* 19. *Quo sensu omnia Symbolo contineri quidam dixerint.* 20. *Neque omnia eo contenta necessaria sunt.* 21. *Qualia tamen non male sunt inserta Symbolis.*

An omnes, & soli, necessarii articuli Symbolo contineantur.

Quum non semel Symbolum Christianismi tesseram esse diximus, quæritur non immerito, an *omnes* articulos *necessarios* & fundamentales contineat, & an *omnes* quos continet pro *talibus* debeant censeri? Cui quæstioni satisfieri non potest, nisi primo explicatum sit, quid per articulos necessarios & fundamentales intelligatur, & quæ eorum sint κριτήρια. Tam autem abstrusum hoc negotium est, ut etiam sagacissimi quique Theologorum senserint hic sibi hærere aquam; & vix quisquam inventus sit, qui vel ipsi sibi, nedum aliis, omni ex parte satisfecerit. Nos quoque hic aliquid, cum aliis, & post alios, conemur.

II. Ad

II. Ad pleniorem hujus rei intelligentiam distinctiones aliquot præmitti necesse est. Et *primo* quidem, dogmata quædam *necessaria* dici possunt, ad *Salutem*, vel ad *Religionem*, vel ad *Ecclesiam*. Ad *Salutem* necessarium est, sine cujus cognitione & fide Deus adultos non facit salvos: ad *Religionem* necessarium est, sine cujus professione & praxi nemo censeri potest Religiosus: ad *Ecclesiam* necessarium est, sine quo nemo ad communionem Ecclesiæ visibilis assumitur. Potest aliquid esse sine quo quis ad Ecclesiæ communionem admitti non debeat, cui non ideo statim omnis derogetur religio, vel salus. Nemo confestim eum quem non ausit condemnare, ad Ecclesiæ idcirco suæ communionem promiscue admittet, cujuscunque opinionis vel sectæ sit. Et in Religione, quæ sub præceptum cadant manifestum est; at quousque error & peccatum in aliquo tolerare possit, velitve, Dei benignitas, ut adhuc servetur; vel quid illud minimum sit, sine quo neminem servat Deus, quis dixerit? Hæc est distinctio Clar: *Hoornbeeck Socin: Confut: Tom:* I. *p:* 209.

Necessarium quid dici potest, ad Salutem, ad Religionem, ad Ecclesiam.

III. *Secundò*, dogmatum ad salutem necessariorum *cognitio* varios habet gradus: vel enim est clara, distincta, certa, cum firmissimo assensu; vel est confusior, & magis implicita, vacillans etiam quandoque, & assensum habens non sine lucta: prout revelatio Divina, & dispensatio mediorum salutis, & ministerium gratiæ, vel magis vel minus clara, abunda, efficacia sunt, Quanquam necessitate præcepti omnibus incumbat, ut, quantum fieri pote est, ad clarissimam, distinctissimam, certissimam credendorum cognitionem enitantur: tamen duditandum non est, quin immensa Numinis clementia multos cœlo beet, qui etiam præcipuorum articulorum non nisi confusam admodum cognitionem habent, quam verbis suis exponere non admodum idonei sunt. Minimus cognitionis requisitæ gradus hic esse videtur, ut quando articulus ille fidei exponitur, mens eum eatenus saltem apprehendat, ut pro vero agnoscat, & amplexetur.

Necessariorum cognitio, vel magis, vel minus, explicita est.

IV. *Tertio* distinguenda quoque sunt *tempora*. Neque dubitandum est, quin prædicato Evangelio impletionis, plura scitu necessaria sint ad salutem, & cognitio magis explicita requiratur, quam sub Oeconomia Veteris Testamenti. Nam pro mensura revelationis scientiam quoque, & scientiæ necessitatem, augeri consentaneum est. Sub Testamenti Veteris Oeconomia, quin agente in terris Christo, potuit quis vere fidelis & in statu gratiæ esse, pui Christi passiones, mortem, resurrectionem ignorabat, imo ea prædicanti Christo obloquebatur, ut patet exemplo Petri, Mat: XVI: 21, 22. & qui in Messiam quidem generatim credens, nesciebat tamen Jesum illum Christum esse, quemadmodum ex historia Cornelii Centurionis constat. Act: X: 2: 4. Non tamen, opinor, quisquam hodie eum pro vere fideli agnosceret, qui hæc de Domino Jesu ignoraret:

Plura cognoscenda sunt sub. N. T. quam sub V.

ret: minus, si iis, quando ipsi exponebantur, obloqueretur. Bene *Thomas Aquinas*, in *Secunda Secundæ Quæst*: I. *Art*: VII. *Articuli fidei temporum successione creverunt, non quidem quantum ad fidem, sed quantum ad explicitam & expressam professionem: nam quæ explicite & sub majore numero à posteris credita sunt, eadem omnia à superioribus Patribus implicite & sub minore numero credita sunt.*

Nihil pro fundamentali articulo haberi debet quod in Scriptura non reperiatur.

V. Distinctionibus hisce præmissis, *primo* generatim in κριτήριον articulorum fundamentalium inquiramus: *tum* specialius investigemus, an certus eorum numerus determinari queat. Ut aliquid pro articulo fundamentali habeatur, hæc requiruntur. I. Ut reperiatur in Scriptura: quippe quæ perfecta omnium ad salutem sciendorum, credendorum, faciendorum, norma est, & potest nos σοφίσαι εἰς σωτηρίαν. 2 Tim: III: 15. Quod nunc adversus Pontificios, & Enthusiastas supponimus.

Et quod ibi evidenter propositum non sit.

VI. II. Ut clare in Scriptura reperiatur, adeo ut vel simplicissimus quisque, modo attendat, id in Scripturis doceri facile pervideat. Ratio est, quia salus non modo præparata est sapientibus & qui perspicaci præditi sunt ingenio, sed etiam pueris & infantibus in Christo. I Cor: I: 25. Mat: XI: 25. Clare autem in scripturis extare censenda sunt, non modo quæ totidem verbis ibi leguntur, sed & quæ per evidentem, omnibusque attendentibus obviam, consequentiam, inde deducuntur. Nam per consequentias etiam fundamentales fidei articulos probatum passim ivere Christus & Apostoli. Non tamen ita hæc intelligi debent, quasi fundamentales articuli *ubique* tam claris & cuivis intelligibilibus verbis in Scripturà proponerentur, & ea res pro fundamentali articulo habenda non esset, quæ aliquo in loco ita proponitur, ut vel eruditorum exerceat industriam. Nam quum Deus eandem veritatem πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως in Scriptura doceat, id sine cujus fide non contingit aliquem servari aliquando ita clare proponit, ut nemo attendens, & Spiritu Sancto illuminatus, id ignorare, nemo, non contentiosus, id in dubium vocare queat: aliquando etiam ita involvit, ut obscuriora cum clarioribus conferendi necessitatem studiosis imponat. Non consistit autem cognitio articuli fundamentalis in intelligentia hujus vel illius Scripturæ loci, sed in scientia illius veritatis, quæ hic fortasse obscurius indigitatur, sed alibi clare, imo clarissime, exponitur. Neque tamen tantam hic claritatem cum Remonstrantibus requirimus, uti illa solum pro fundamentalibus habeamus, quæ apud Christianos omnes in confesso & apertissimi juris sunt, adeoque nec controversa sunt, nec controverti possunt. Etenim juxta hanc regulam vix quicquam relinquetur quod Ethicam Gentilium, & Theologiam Muhammedicam de Christo, superet. Vere dixit *Clemens Alexandrinus Stromat: lib*: I. *Nullam existimo Scripturam adeo feliciter procedere, cui nullus contradicat.*

VII. III. Ut talis sit sine quo neque fides in Christum Dominum, neque praxis veræ resipiscentiæ, consistere possit. Quippe uti fieri non potest, ut quis sine fide Deo placeat; Heb: XI: 6. ita sine sanctimonia nemo videbit Deum Heb: XII: 14. Verbi gratia, quum fieri non possit ut quis in Deum credat, nisi norit eum esse, & veracem esse in omnibus dictis suis; quum item fieri non possit ut quis eum amet colatque, nisi credat eum esse remuneratorem eorum qui ipsum quærunt: asseveranter dicendum est, articulos de Existentia & Veracitate Dei, & retributione mercedis, fundamentales esse. Præterea quum salus non contingat sine Christo; Act: IV: 12. per Christum nemo adultus servetur nisi mediante fide; Marc: XVI: 16. fides autem cognitionem supponat: Rom: X: 14. necesse est ad salutem ut Christus cognoscatur. Joh: XVII- 3. & XX: 31. Porro quum Deus honorare non velit, nisi honorantes se: 1 Sam: II: 30. & qui Filium non honorat is neque Patrem honoret - Joh: V:23. Filius autem honorari rite nequeat, nisi pro eo agnoscatur qui est, verus & ὁμοούσιος cum Patre Deus, Joh: X: 30. & eo nomine Patri ἰσότιμος, intrepide statuimus, articulum de vera Deitate Christi fundamentalem esse.

Id solum pro fundamentali articulo tenendum, sine quo neque fides, neque resipiscentia, potest consistere.

VIII. IV. Dubitari nequit quin talis articulus fundamentalis sit, cui, si non admittatur, Deus, supposita Evangelii ἐπιεικείᾳ & benignitate, annexuit comminationem exitii. Dico, supposita Evangelii ἐπιεικείᾳ: nam alias omnis culpabilis ignorantia, cujuscunque veritatis à Deo revelatæ, juxta legis rigorem, damnabilis est. Ex hac regula concludimus, articulum de incarnatione Christi fundamentalem esse. Johannes quippe scribit, Epist: 1. Cap. IV. 2. 3. *Quicunque Spiritus profitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo est. At quicunque Spiritus non profitetur J. C. in carnem venisse, non est ex Deo.* Ratio hujus regulæ hæc est, quia nemo unquam servatur, in quo illud est, propter quod, etiam supposito Evangelio, se è cœlo homines excludere declarat Deus.

Eum quoque articulum fundamentalem esse patet, cui, si non teneatur, annexuit Deus comminationem exitii.

IX. Addiderunt quidam, eum quoque articulum fundamentalem esse qui annexam habeat promissionem vitæ æternæ. Verum id universale non est. Exempli causa, de Prophetiis Apocalypsios dicitur. Apo: 1: 3. *Beatus qui legit, & beati qui audiunt verba Prophetiæ hujus.* Temere tamen inde quis concludat, Prophetias Apocalypsios esse articulos fundamentales. Ratio est, quia non omnia ea ad quæ Deus salutem promittit talia sunt, ut singulorum absentia mox in statu damnationis ponat. Nam supponunt id sine quo non contingit salus, licet non necessario neque semper id sequantur. *Qui crediderit & captizatus fuerit, servabitur*, dicit Dominus. Marci XVI: 16. Inde tamen non sequitur baptismum tam necessarium esse, ut sine eo nemini obtingat salus. Nam ipse Dominus baptismi mentionem omittit, quando enuntiationem hanc affirmantem in negantem convertit, dicens solummodo, *qui non crediderit, condemnabitur.* Nam

Non illud omne fundamentale est quod annexam habet promissionem vitæ.

 fieri

fieri non potest ut quis adultus bene baptizetur nisi credens: etiamsi fieri possit ut quis vere credens non baptizetur.

Sed fundamentale est quod Scriptura fundamentum vocat.

X. v. Pro fundamentali quoque articulo id tenendum est, quod Scriptura *fundamentum* vocat: sive expressis id verbis fiat, sive æquipollentibus. Ita doctrina de Christo Domino, ejus persona & officiis, fundamentum à Paulo nuncupatur. 1 Cor; III: 11. *Nemo potest aliud fundamentum ponere præter id quod positum est, quod est Jesus Christus.* Hoc est, nemo potest aliam doctrinam fundamentalem docere, quæ sejuncta sit à doctrina de Christo. Huc quoque referri potest quod Christus Petro dicebat: Mat: XVI: 18, *Super hac Petra ædificabo Ecclesiam meam.* Id est, vel super me ipso, quem confessus es, vel super hac doctrina quam professus es, me Filium Dei asserendo. Doctissimus *Camero*, sagax scripturarum interpres, animadvertit, verba Pauli 1. Tim: III: 15: 16. ita jungi posse: *Columna & firmamentum veritatis, & sine dubio magnum est pietatis mysterium, Deus conspicuus factus est in carne, justificatus est in Spiritu, &c:* confertque eum hoc loco initium nobilissimi operis Maimonidis יסוד היסוד ועמוד החכמות *fundamentum fundamenti & columna sapientiæ est, scire quod Ens aliquod primum detur.* *Jacobus Capellus*, vir profundissimæ eruditionis, constructionem hanc approbans, eam quoque *Andreæ Melvino & Johanni Frabricio* placuisse testatur. Additque *Irenæi* testimonium; ex quo colligit, videri eum ita quoque legisse. Sic enim *Irenæus* tertium librum suum inchoat: *Non enim per alios dispositionem,* οἰκονομίαν, *salutis nostræ cognovimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt,* FUNDAMENTUM ET COLUMNAM *fidei nostræ futurum.* Non admodum absimile est *Basilii Seleuciensis* dictum, *Sermone in Mat:* XVI: 16. de confessione Petri. Αὕτη γὰρ ἀληθῶς εὐσεβείας ἡ Πέτρα, αὕτη σωτηρίας ἡ κρηπὶς, τοῦτο τῆς πίστεως τεῖχος, οὗτος ὁ τῆς ἀληθείας θεμέλιος. *Hæc enim verè Pietatis Petra, hæc salutis basis, hic fidei murus, hoc veritatis fundamentum est.* *Scultetus in notis suis* hæc pie pariter docteque observata fatetur. Neque abludit *Johannes Henricus Ursinus, Analectorum Libro* VI. *Cap.* XXXV. Et sane, modo auctoritate Veterum codicum juvarentur, nulla mihi expositio videretur plausibilior. Quæ si admittatur, jam summam fundamentalium articulorum breviter expressam haberemus, quæ in ruborem Socinianos dare posset, blasphemantes de persona Christi vix quicquam cognitu necessarium esse.

Et sine quo id quod necessarium est nec credi nec cognosci potest.

XI. VI. Hoc quoque omittendum non est: si posita re quapiam uti cognitu necessaria, ea intelligi non possit, nisi alia quæpiam intellecta creditave ante fuerit, & hæc utique in necessariis habenda erit. Verbi gratia. Necessarium cognitu est, servari nos sola gratia Domini nostri Jesu Christi. *Nam si quis aliud Evangelium prædicet, præter hoc, is sit* ἀνάθεμα, Gal: 1: 8. Id autem neque intelligi neque credi potest, nisi sciamus nos

per

per peccatum in tam profundum miseriæ barathrum præcipitatos esse, ut liberatio nostra nostram, omniumque adeo creaturarum, valentiam superet. Atque ita ex necessitate articuli de liberatione nostra, valide concludimus necessitatem articuli de nostra miseria.

XII. VII. Denique, si expressum fuerit, cognitu necessarium esse id, quod magis dubium esse debuerit utrum esset necessarium nec ne, & id erit necessarium quod minus fuerit dubium, aut certe non magis. Exempli caussa. Docet Apostolus, articulum de justificatione ex fide Christi, sine operibus legis, esse necessarium, quando testatur, eos, *qui justitiam Dei non norunt, & propriam justitiam student constituere, justitiæ Dei subjectos non esse* Rom: x: 1. Hujus articuli demonstrata necessitas evincit necessarium quoque esse, ut sciamus, nos in nobis ipsis iræ Dei & condemnationi esse obnoxios. Quum id multo evidentius, & cuique se ipsum intuenti magis obvium sit: neque sine ejus rei cognitione ad justitiam quæ in Christo est quærendam impelli queamus.

Denique quod res ipsa docet non minus vel etiam magis necessarium esse eo quod ut tale in Scriptura proponitur.

XIII. Certiora his quæ diximus κριτήρια nobis non occurunt, neque alibi invenisse meminimus. Hæc autem eo sunt disposita ordine, ut priora duo ostendant, quid pro fundamentali articulo habendum non sit: sequentia, quid omnino eo loco censeri debeat. Nam etiamsi omnis articulus necessarius in Scriptura exstare debeat, & quidem evidenter; non tamen quidquid conceptis verbis in Scriptura traditur, ex: gr: Aaronem natu majorem fuisse Mose, vel Paulum habuisse penulam, mox necessarium est. Sed id, sine quo neque fides neque resipiscentia potest consistere; quo negato Deus ipse se in cœlum neminem intromittere testatur; quod Scriptura fundamentum vocat; sine quo id quod indubie fundamentale est neque intelligi neque credi potest; aut quod, reipsa docente, non minus vel etiam magis necessarium est eo quod Scriptura necessarium esse testatur: id omne, inquam, ut pro necessario admittatur omnis jubet ratio.

Horum κριτηρίων discrimen.

XIV. Illi porro qui ita fundamentales sunt articuli sciri & credi debent à quovis adultæ ætatis Christiano, docto & indocto, à cerdone & fullone non minus quam à Professore Theologo. Ita tamen ut Deus cognitionem minus distinctam minusque explicitam in illis ferat, quibus ingenium hebetius, memoria labilior, revelatio obscurior, & ministerium tepidius segniusque contigit; quam in iis ubi omnia contraria obtinent. Interim hoc quoque evenire potest, ut aliquis qui fundamentum tenet, errorem aliquem admittat qui cum fundamentali articulo pugnat, qui scilicet vel propter hebetudinem ingenii, vel propter institutionis defectum, & imbibita præjudicia, non animadvertit errorem esse, nedum ut animadverteret errorem illum cum fundamento pugnare. Et tum error ille non excludit à salute. Ita in mediis Papatus tenebris servati sunt electi, qui fundamentales veritates tenebant, licet abriperentur ad communes erro-

Necessariorum articulorum non æque distincta in omnibus scientia præcise necessaria est.

res, verbi gratia, ad communionem missæ, quam in rei veritate abnegationem unici sacrificii Jesu Christi, & horrendam idolatriam esse, vere Catechesis nostra dixit.

Necessariorum articulorum numerum determinare, vel impossibile, vel difficile admodum est.

XV. Quinam autem & quot præcise articuli ad salutem necessarii sint, determinatu si non impossibile, certe admodum difficile est. Nam sine dubio plures fundamentales sunt iis quibus in Scriptura, si non teneantur, diserta exitii comminatio adjuncta est. Et quotquot de hac materia scripserunt, saltem quos nobis videre datum est, quantumvis exiguum articulorum fundamentalium numerum faciant, ne quidem conati sunt omnes necessarios articulos hoc quo diximus modo ex Scriptura probare. Quisque pro suo captu ratiocinatus est. Quod quam lubricum sit, quis non videt? Accedit, quod Divina gratia tenuissimo quandoque filo electos Christo jungat, & ardentissimæ charitatis flammæ, ac sincerissimum Deo placendi studium, magnumque salutis desiderium in iis se animabus exserant, in quibus perexigua est cognitio articulorum fidei. Et quis hic, ipso non præeunte Deo, exacte definiat, minimum illud in singulis articulis, ad quod indispensabiliter alligatum sit judicantis Dei tribunal?

Neque id oppido necesse est: sive singulos spectes,

XVI. Neque oppido necesse est, ut quot præcise articuli Fundamentales sint in numerato habeamus. Nam cuilibet nostrum incumbit, ut summa ope ad incrementum salutaris notitiæ nitamur, ne forte necessaria comperiamur ignorare. Ille nihil adhuc de viis Domini novit, uti oportet nosse, qui non vult, quando potest, plura discere. Caute admodum *Leo Papa* dixit: *Concili: Gallic: à Sirmondo editorum tom:* II: *p:* 257. *Quisquis ad hoc* (de quo quærebatur capite) *sensu subtiliori pertingere potest, & id scire, aut ita sciens credere noluerit, salvus esse non poterit. Sunt enim multa sacræ fidei altiora mysteria, ad quorum indagationem pertingere multi valent: multi vero aut ætatis quantitate, aut intelligentiæ qualitate præpediti, non valent: & ideo, uti diximus, qui potuerit & noluerit, salvus esse non poterit.* Non ergo requiritur ad consolationem nostram ut numerum articulorum necessariorum exacte cognoscamus. Sufficit id generatim scire, eum necessaria tenere, qui Deum, in Christo, ex animo, amare, eique confidere, didicerit: interimque officium omnium esse adolescere in cognitione mysterii Dei & Christi. 1 Cor: XIV: 20. Eph: IV: 13.

Sive universam Ecclesiam.

XVII. Nec Ecclesiæ admodum interest præcisum necessariorum numerum tam exacte scire. Nostrum quippe non est involare in tribunal Dei, & de proximo pronunciare ob quantillum scientiæ defectum, quantillumve errorem, cœli mansurus sit extorris. Tutius id Deo committetur. Et etiam si id invenissemus, non tamen inde constaret, quinam præcise ad communionem Ecclesiasticam admittendi, qui arcendi sint. Neque enim secure recipias errantem, vel peccantem, in Ecclesia, quem tamen

men propter illum errorem, illud ve peccatum, coelo excludere non audeas. Nec etiam, hoc semel determinato, via complanata esset ad solidam Ecclesiarum pacem; quasi, modo necessaria teneantur, de cæteris anxie non sit laborandum. Nihil enim in veritatibus Divinis, licet una altera momentosior sit, parvum & contemtibile existimandum est,in quo an erres an recte sentias parum oppido intersit. Breviter, si usque adeo utile foret, certum & determinatum articulorum necessariorum numerum habere, Deus, Sapientissimus simul & Benignissimus, hac quoque in parte Ecclesiæ suæ consuluisset, numerumque illum in Scripturis definivisset. Quod quum non fecerit, ex eventu patet necessarium non fuisse.

XVIII. Hisce præmissis ad Quæstionem Thesi I. propositam respondemus: non omnes articulos necessarios, si id solum quod expressum est consideres, Symbolo contineri. Nihil enim hic est de Verbo Dei, quod fidei nostræ proximum objectum, norma, & fons est; quodque propterea *fundamentum Apostolorum & Prophetarum* dicitur, hoc est ab iis positum, & cui fides nostra inædificari debet. Eph: II: 20. Nihil de peccato & miseria nostra, cujus cognitio tamen ut unice necessaria inculcatur. Jer: III: 13. Nihil de justificatione per fidem sine operibus legis, cujus tamen notitiam tanti faciebat Apostolus, ut præ ea reliqua omnia damnum & stercora reputaret Phil: III:8.9.& Christi exsortes esse,& à gratia excidisse declaret, quicunque per legem justificari volunt. Gal: V: 4. Nihil etiam de Dei adoratione & cultu, & praxi novæ vitæ: quæ exerceri rite non possunt, nisi & cognoscantur & necessaria esse credantur.

Non omnes articuli necessarii Symbolo continentur.

XIX. Si qui ex nostris dixerint, omnes fundamentales articulos Symbolo contineri, ii id non eo dixerunt sensu, quasi verborum Symboli recitationem mox pro sufficienti Christianismi signo haberent. Nam fides nostra non in verbis,sed in sensu sita est;non in superficie,sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Nemo hodie hæreticorum est, qui se Christianos dici postulant, quin verbis Symboli facile subscripturi sint, unoquoque tamen sensum quem vult, licet ab Orthodoxia alienissimum, iis affingente. Tum etiam sub expressis in Symbolo ea comprehenderunt, quæ necessario vel supponuntur, vel consequuntur; & sine quibus ea quæ expressa sunt, solide cognosci, sincere agnosci, nequeunt.

Quo sensu omnia necessaria Symbolo contineri quidam dixerint.

XX. Et uti non omnia necessaria ῥητῶς Symbolo continentur; ita nec omnia ibi contenta absolute necessaria sunt. Quis enim salutem omnibus iis derogare præsumat, qui fortasse nesciunt Christum sub Pontio Pilato passum esse, & tempus ejus resurrectionis ignorant; & articulum de descensu ad inferos,& de Ecclesia Catholica, vel communione Sanctorum, non intelligunt? Nos tam rigidi esse non audemus, ne perfidi comperiamur adversus generationem filiorum Dei.

Neque omnia eo contenta necessaria sunt.

XXI. Ne-

Qualia tamen non male sunt inserta Symbolis.

XXI. Neque male id, tam à Priscis Patribus, quam ab Ecclesiarum Reformatarum Antistitibus, factum est, ut quædam non præcise necessaria, & aliis quandoque quam Scripturæ verbis, Symbolis ac Confessionibus inserta sint. Nam quum omnes fidei nostræ veritates admodum pretiosæ, insuperque arcto nexu colligatæ sint, prudenter firmitati necessariarum per stabilitionem minus necessariarum, sed tamen omni acceptione dignarum, cautum est. Expedit etiam Ecclesiæ, ut se ab omnibus veritatem pervertentibus sollicite secernat: maleque illius incolumitati consulunt, quamquam sub specioso pacis & tolerantiæ prætextu, qui omnes in non præcise fundamentalibus errantes passis ab ea ulnis exceptos velint. Non decet id castissimam Jesu Sponsam. Et quum hæretici in generalibus ludere soleant, verbaque Scripturæ retinentes alienum iis affingant sensum; necessitas aliquando jubet, ut, quo liquidius seductorum strophæ detegantur, quis genuinus Scripturæ sensus sit, nostris verbis exponamus. Ita τῷ ὁμοουσίῳ olim Orthodoxi se ab Arianis prudenter distinxerunt. Quicunque ejusmodi formulas calumniantur, & non nisi brevissimas volunt, nudisque Scripturæ verbis contextas, eos aliquid monstri alere, omnium seculorum experientiâ combrobatum est.

EXERCITATIO III.

DE

FIDE SALVIFICA.

BREVIARIUM.

1. *Summa dicendorum.* 2. *Fides salutaris plurima in se comprehendit.* 3. *Planè quemadmodum vita; quippe quæ spiritualis vitæ scaturigo est.* 4. *Neque ad unam aliquam animæ facultatem adstringi debet, non magis quàm liberum arbitrium, & justitia originalis.* 5. *Quod minus mirum est, quia facultates animæ rationalis realiter non distinguuntur.* 6. *Attamen inter actus fidei unus aliquis præcipuus est.* 7. *Neque in praxi fidei tam distinctus ordo est, quam nos nobis in theoriâ proponimus.* 8. *Ad fidem pertinet cognitio.* 9. *Quæ tamen in multis admodum implicita est.* 10. *Summa eorum, quæ cognoscenda sunt.* 11. *Cognitioni necesse est accedere assensum.* 12. *Fidei inest* πληροφορία. 13. *Et* ὑπόστασις. 14. *Et* ἔλεγχος. 15. *Unde patet fidei divinæ non posse subesse falsum.* 16. *Circa certissimas veritates fideles quandoque titubant.* 17. *Assensum sequitur amor.* 18. *Hunc fames & sitis Christi Domini.* 19. *Hanc excipit receptio Christi Domini.* 20. *De qua non semel* S. S. *loquitur.* 21. *Quæ cum reclinatione in Christum conjuncta est.* 22. *Explicatio vocis* האמין. 23. *Per fidem quoque anima se Christo ut Domino dedit.* 24. *Hinc oritur Syllogismus*

logismus fidei, cujus conclusio est, Christus meus est. 25. *Unde procedit beata animæ tranquillitas.* 26. *Compendium eorum, quæ dicta sunt.* 27. *Ex memoratis fidei actibus, quidam antecedenter, quidam formaliter, quidam consequenter, ad fidem pertinent.* 28. *Fides Historica quid sit, & an rectè ita dicatur?* 29. *Fides temporaria quid?* 30. *Differt a Fide salutari* I. *in Agnitione Veritatis.* 31. II. *In Applicatione promissionum Evangelii.* 32. III. *in Gaudio.* 33. *IV. In Fructibus.* 34. *Cur singuli dicamus, CREDO.* 35. *potest quis suæ fidei sibi esse conscius.* 36. *Quomodo ad illius cognitionem deveniatur.* 37. *Unde nonnunquam ejus cognoscendæ difficultas.* 38. *Licet non præcisè ad salutem sit necessarium, multifariam tamen expedit, fidei suæ conscientiam habere.* 39. *Ad fidei professionem adulti omnes obligantur.* 40. *Modus professionis in prisca Ecclesia.*

DE Symboli *Auctoribus* & *Auctoritate*, itemque de *Articulis fundamentalibus* in genere, quantum instituto nostro sufficere arbitrati sumus, præfati, nunc singula quæ Symbolo continentur propius lustremus; à Prima voce hac exercitatione ordientes. CREDO. Uberem unica hæc vox disserendi nobis materiam suppeditat. Quatuor enim res, & eæ quidem maximi momenti, ejus ambitu continentur. I. Ipse credendi *actus*, sive *Fides Salutaris.* II. Actus illius ad cujusque credentis animum specialis *appropriatio*, ita ut quisque fidelis pro se credat. *Credo*, non *Credimus.* III. Actus illius *conscientia*, per quam quisque fidei sibi suæ conscius ac certus esse potest & debet. IV. Fidei in corde residentis & operantis oralis *professio.* De singulis ordine agemus. Summa dicendorum.

II. FIDES SALUTARIS, cujus naturam nunc explicatum imus, non est unus aliquis singularis animæ actus vel habitus, neque ad unam duntaxat animæ facultatem restringi debet, sed est aggregatum quid, constans ex variis actibus, se invicem inconfuse permeantibus, & dulci συζυγίᾳ se mutuo promoventibus juvantibusque: totius hominis mutationem importat; totius vitæ spiritualis fons, & denique totius animæ sancta erga Deum in Christo ἐνέργεια & operositas est. Ideoque sub uno aliquo conceptu universus ejus ambitus vix distincte comprehendi potest. Fides salutaris plurima, in se comprehendit.

III. Neque mirum cuiquam videatur, quod unius virtutis Christianæ nomine tot simul complectamur. Uti enim quum quis vitam dicit, eo vocabulo id designat, quod se per totam animam, & singulas illius facultates, diffundens, corpori quoque communicatur, & ad omnes viventis actiones se extendit: ita quum de fide loquimur, quæ totius vitæ spiritualis uberrima scaturigo est, id ea voce significatum volumus, quod omnes facultates permeat, iisque cum Christo uniendis, atque ita vivificandis, sanctificandis, beandis, idoneum est. Plane quemadmodum vita, quippe quæ spiritualis vitæ scaturigo est.

Neque ad unam aliquam animæ facultatem adstringi debet, non magis quam liberum arbitrium, & justitia originalis.

IV. Plura sunt, tam in *naturalibus*, quam in *moralibus*, quæ omnium ferme consensu per universam animam se extendunt, neque uni alicui facultati adstringi sese patiuntur. In *naturalibus*, liberum arbitrium, quod qua *arbitrium* ad *intellectum*, qua *liberum* ad *voluntatem* magis refertur: adeo ut, quemadmodum *Bernardus* nonnullibi loquitur, *homo liber sui sit, propter voluntatem; judex sui, propter rationem.* In *moralibus*, Imago Dei, & justitia originalis, quæ neque in solo intellectu, neque in voluntate sola collocanda sunt, sed quæ utraque facultas suo sibi jure vindicat.

Quod minus mirum est, quia facultates animæ rationalis realiter non distinguuntur.

V. Nonne omnis difficultas tolleretur, & universa quæ inter Theologos agitata est de fidei subjecto controversia componeretur, si, quod jure possumus, realem intellectus & voluntatis, tam ab anima, quam à se invicem, diversitatem esse negaremus? Quid enim aliud intellectus est, quam anima intelligens & cognoscens? Quid voluntas, quam anima volens & appetens? Neutiquam licet nobis animam concipere uti rem in sese brutam & irrationalem, quæ aliâ demum re superveniente intelligens & rationalis evadat. Quod quidam dicunt, intellectum ab anima derivari, quadam emanatione, vix concipi potest qui fiat. Etenim si anima in proprio suo & formali conceptu ratiocinandi vim non includat, non potest illam parere; quum frustra exspectes à caussa quod neque formaliter neque eminenter in se continet. Si anima per sese ratiocinandi virtute polleat, nulla necessitas efflagitat, ut alia aliqua facultas superaccedat virtuti illi qua anima per sese pollet. Similis ratio voluntatis est, quæ non magis quam intellectus ab anima realiter distinguitur. Sed est ipsa anima, quatenus à Deo apta nata est ad appetendum bonum. Ambæ hæ facultates, quemadmodum ab anima, ita à se invicem modaliter distinguuntur. Etenim explicari non potest, si voluntas ita ab intellectu secernatur ut cœca sit in se, quomodo objectum ab intellectu monstratum ut bonum animadvertere, atque ita rationaliter appetere queat. Et quare, quæso, inter utramque reale constitueremus discrimen? An quod objectum varium sit? Sed utriusque objectum reapse idem est, scilicet Verum Bonum, tametsi ratio considerandi varia sit. Intellectus enim Bonum, quatenus Verum considerat. Voluntas Vero quatenus est Bonum sese applicat. Et nonne intellectus Contemplantis & Practici objecta longe magis inter se dissident? quos tamen unam eandemque animæ potentiam esse Philosophi ferme consentiunt. An quod actus sint diversi? Sed non omnis actuum diversitas potentiæ diversitatem inducit. Differt sane simplex apprehensio à judicio & discursu: qui tamen ejusdem facultatis actus sunt. Quemadmodum ergo facultatum harum divortium faciendum non est, ita nihil mirum si in utraque fidem collocemus.

Attamen inter actus fidei unus

VI. Hoc interim monemus, inter eos quos descripturi sumus actus, unum aliquem præcipuum esse, in quo formam fidei atque essentiam,

quatenus

quatenus nos cum Christo unit,& justificat,consistere existimamus.Quod probe observandum, in negotio imprimis justificationis, ne quis nonnullos charitatis actus fidei praxi diversimode implicitos,ad caussas justificationis trahat.

aliquis præcipuus est.

VII. Porro id quoque tenendum, ea quæ nos ad majorem ἀκρίβειαν distincte singula explanabimus, in ipsa fidei πράξει variis modis sibi invicem innexa esse. Dum universa anima se huic operi Dei impendit, plurimæ actiones confertim ad Deum Christumque tendunt,nulla certa methodo servata: quas singulas suo ordine digerere nec vacat,nec lubet sæpe fideli in ipso opere occupato; imo vero quandoque nec possibile est. Expedit tamen ut ad naturalem fidei processum attendamus, quo tota illius ratio penitius nobis perspecta sit.

Neque in praxi fidei tam distinctus ordo est quam nos nobis in Theoria proponimus.

VIII. Primum quod fides vel complectitur, vel supponit, est rerum credendarum *cognitio.* Patet id contra ineptientes Pontificios. I. Ex disertis S. S. locis, ita de fide loquentibus, ut in ipsius conceptu ac praxi cognitionem involvi manifeste innuant, Jes: LIII: 11. Joh: XVII: 3. col: cum Hab: II: 4. Joh: VI: 69. 2 Tim: I: 12. II. Ex ipsius fidei natura, quæ, quum sine dubio dicat assensum veritati à Deo revelatæ præbitum, necessario præsupponit cognitionem harum duarum rerum. 1. Deum aliquid revelasse. 2. Quidnam illud sit, cui ut Divinitus revelato assentitur. Ut enim quis assentiri dicatur alicui veritati, quam plane ignorat, & de qua non scit ullum fide dignum testimonium exstare, alienum est. III. Ex modo quo fides in electis producitur; quod fit *externe*, per præconium & auditum Evangelii, Rom: X: 17. revelantis id quod credi debet, cum demonstratione veritatis ad omnem conscientiam. 2 Cor: IV: 2. & *interne*, per institutionem Dei Patris. Joh: VI: 45. Si ergo fides per institutionem tam externam, quam internam, cordi ingeneretur, oportet ut in cognitione consistat. Nam proprius ac proximus institutionis effectus, est cognitio. IV. Ex adjuncto consequenti, quæ est confessio & ἀπολογία. Rom: X: 9: 10. 1 Pet: III. 15. Hæc autem ut sine cognitione sit, fieri non potest. Optime *Hilarius: Nec enim quisquam quod non sapit loquitur, aut, quod loqui non potest, potest credere.*

Ad fidem pertinet cognitio.

IX. Fatendum equidem est, in hac mentium nostrarum caligine plurima, etiam à maxime illuminatis, ignorari: multaque, præsertim à rudioribus & pueris in Christo, implicitâ fide credi, quatenus in genere pro infallibili omnium credendorum principio totam Scripturam admittunt, in qua quam plurima ipsis ignorata continentur, & quatenus κυρίας Christianismi δόξας amplectuntur, in quibus multæ aliæ veritates concentrantur, quæ exinde per evidentem consequentiam deducuntur, quas credunt in suo fundamento. Uti Johannes de fidelibus scribit, eos *omnia scire.* 1 Joh: II: 20. Quia fundamentum illud fundamentorum, do-

Quæ tamen in multis admodum implicita est.

cente Spiritu, didicerunt, ad quod omnes salutares veritates reducuntur, & ex quo deducuntur. Ulterius pergam. Fieri potest, ut aliquis, cui parcam cognitionis portionem admensus est liber bonorum suorum diribitor, Deus, in fide tamen firmissimus sit, ad martyrium usque. Attamen hinc nequaquam sequitur, fidem per ignorantiam melius quam per cognitionem describi: vel, bene eos facere, qui ignorantiam in populo, quasi fidei & devotionis matrem, fovent. contra Col: III: 16. Nullo quippe modo quis potest credere quod plane ignorat. Rom: X: 14. Omnibusque enitendum est, ut fides sua quam minime implicita, quam maxime distincta sit: uti decet eos qui sunt πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως. Rom: XV: 14. Nam quo quis distinctius percipit in lumine Spiritus veritatem à Deo revelatam, & in ea splendentes Divinitatis radios, eo firmius veritatem illam credet. Ipsi illi Martyres, qui cætera rudes erant, clarissime & distinctissime viderunt, veritates illas pro quibus mortem oppetere non dubitabant, certissimas & Divinas esse; etiamsi fortassis non multum disputare pro iis valerent.

Summa eorum quæ cognoscenda sunt.

X. Porro ea quæ homini crediturò cognitu sunt necessaria, sunt, in genere, Divinitas Scripturarum, in quam ultima fidei analysis est; specialius, ea quæ salutem in Christo obtinendam concernunt: quæ summatim ad hæc tria capita reduci possunt. I. Ut cognoscas, te per peccatum abalienatum esse à vita Dei, & *posteriorem factum gloria Dei*: Rom: III: 23. neque fieri posse, ut vel ipse te, vel angelus è cœlo, vel ulla in mundo creatura, imo ne tota quidem creaturarum universitas, ex hac miseriæ abysso extractum in felicem statum restituat. II. Ut cognoscas Christum Dominum, *plenum gratia & veritate*: Joh: I: 14. qui est unicum illud nomen sub cœlo datum quo possimus salvari. Act: IV: 12. & in cujus cognitione æterna consistit vita. Joh. XVII: 3. III. Ut cognoscas necessarium esse, si salutem in Christo obtinere velis, ut Christo uniaris per Spiritum & Fidem, eique te non justificandum modo, sed & sanctificandum, & suo arbitratu regendum, tradas, *probans quæ sit voluntas Dei, bona illa, placens, ac perfecta*. Rom: XII: 1.

Cognitioni necesse est accedere assensum.

XI. *Cognitioni* huic *assensus* accedat oportet, qui *secundus* fidei actus est, quo quis ut vera recipit & agnoscit, ea quæ cognoscit; *recipiens testimonium Dei*; atque ita *obsignans Deum esse veracem*. Joh: III: 33. Assensus imprimis fundatur in infallibili veracitate de se ac Filio suo testificantis Dei. I. Joh: V: 9. 10. Cui testimonio, in Scripturis revelato, & Divinitatis suæ radios quaquaversum spargenti, non minus tuto fidelis innititur, quam si ipse omnibus iis rebus præsens interfuisset. Quando enim anima, collustrata Spiritus luce, Divinas illas veritates cernit, & in iis eximiam quandam θειότητα, & sapientissimum ac indivulsum omnium nexum, non potest non assentiri veritati tot argumentis se ingerenti; sed tam

tam secure id quod ita cognoscit pro certo admittit, quasi ipsa suis id oculis vidisset, vel manibus palpasset, vel in tertium sublimata cœlum ex ipsius Dei ore ἀμέσως audivisset. Quicquid oggmanniat τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, quid contra argutentur vani Sophistæ, licet fortassis non omnibus objectionibus diluendis idonea sit, persistit tamen in veritatis hujus agnitione, quam clare nimis vidit, & certo nimis ex ore Dei audivit, quam ut ab ea ullis se sophismatibus abduci patiatur. *Neque enim*, inquit, *arte compositas fabulas sectata sum, quum credidi Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum*, Sed in Spiritu, ἐπόπτης *fui* τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος, *& vocem ejus cœlitus audivi.* 2 Pet: I: 16: 18. Atque ita fidei adest ὑπόστασις, & ἔλεγχος, Heb: XI: I. & πληροφορία. Rom. IV: 21. De quarum Vocum significatu non inutile erit quædam monere.

XII. Non semel de πληροφορίᾳ loquitur Apostolus. πληροφορίαν συνέσεως. dicit Col: II: 2. & πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος Heb: VI: II. & πληροφορίαν πίστεως. Heb: X: 22. Juxta etymologiam notat illa vox *plenam lationem*: metaphora, uti videtur, a navibus desumta, quum ventis implentur vela secundis. Atque ita hic significaret animi, a Spiritu sancto propulsi, ad assensum perceptæ veritatis vehementem inclinationem. Præstantissimus Græcæ linguæ Magister Hesychius, explicat per βεβαιότητα, *firmitatem*. Atque eo significatu πληροφορία πίστεως nihil aliud est quam στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, uti has phrases alternat Apostolus Col: II: 2: 5. & πεπληροφορημένα πράγματα sunt *negotia de quibus plane fides facta.* Luc: I: I. Tam firmum ergo esse oportet in homine fideli Divinæ veritatis assensum. Fidei inest πληροφορία.

XIII. Ἐμφατικώτατον etiam ὑποστάσεως vocabulum est, quo de fide loquens utitur Apostolus Heb: XI: I. Neque Latini vocem ullam habent quæ hujus vim omnem exprimere sufficiat. I. ὑπόστασις notat *existentiam*, sive, ut non nemo ex veteribus dixit, *exstantiam* rei, quo sensu Philosophi dicunt τὰ πρός τι *relata* habere ὑπόστασιν, hoc est, *esse revera*, non autem esse τῆς ἡμετέρας διανοίας ἀναπλάσματα, *mentis nostræ figmenta.* Et sane id facit fides, ut res sperata, quæ actu nondum exstat, exstet tamen in mente fidelis, qui tam firmiter promissionibus Dei assentitur, quasi rem promissam jam præsentem haberet. Hoc *Chrysostomus* in animo habuit, quando hunc locum ita interpretatur: ἡ ἀνάστασις οὐ παραγέγονεν, οὐδέ ἐστιν ἐν ὑποστάσει, ἀλλ' ἡ ἐλπὶς ὑφίστησιν αὐτὴν ἐν ἡμετέρᾳ ψυχῇ. *Resurrectio nondum existit in se, sed spes* (dicamus nos fides) *eam sistit & exstantem facit in anima nostra.* Feliciſsime idem expressit *Scholiastes Græcus*, cujus verba *Beza* adduxit: Ἐπειδὴ γὰρ τὰ ἐν ἐλπίσιν, ἀνυπόστατά ἐστιν, ὡς οὔπω παρόντα, ἡ πίστις οὐσία τις αὐτῶν καὶ ὑπόστασις γίνεται, εἶναι αὐτὰ καὶ παρεῖναι τρόπον τινὰ παρασκευάζουσα, διὰ τοῦ πιστεύειν εἶναι. *Quoniam enim quæ sunt in exspectatione posita, essentiæ sunt expertia, ut pote quæ nondum exstent, fides est quædam ipsorum substantia & essentia, quod efficiat quadantenus ut exstent, atque adeo ut sint præsentia, eo quod illa esse credat.* II. ὑπόστασις Et ὑπόστασις.

basin seu *fundamentum* etiam significat, quo sensu *Diodorus Siculus*, *Gomaro* citatus, ὑπόστασιν τοῦ τάφου dixit, h. e. *fundamentum sepulcri*. Atque eo spectat *Calvini* interpretatio, *fides est hypostasis*, id est, *fultura vel possessio in qua pedem figimus*. III. Notat etiam *subsistentiam*, sive *constantiam*, impetui hostili nullo modo cedentem. Ita *Plutarchus in Demetrio*; οὐδενὸς ὑφισταμένου τῶν ἐναντίων, ἀλλὰ φευγόντων, *nemine hostium subsistente, sed fugientibus omnibus*. Et *Polybius* in descriptione Horatii Coclitis, metuebant οὐχ οὕτω τὴν δύναμιν ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτοῦ, *non tam robur quam constantiam ipsius*, nequaquam loco cedentis. Et sane in fide aliquid est quod omnes tentationum insultus intrepide sustineat, neque ab assensu semel cognitæ veritatis se dimoveri patiatur. Quæ cuncta si jungamus simul, dicemus; fidem tam firmum esse Divinæ veritatis assensum, ut etiam longe post futura quasi præsentia sistat, utque animæ fultura sit in qua pedem figat, nulli assultui cedens.

Et ἔλεγχος.

XIV. Neque præteriri debet quod Apostolus fidem vocet ἔλεγχον *eorum quæ non videntur*. Ἔλεγχος autem duo notat, I. *Certam demonstrationem*. *Aristoteles*, *Rhetoricorum ad Alexandrum cap*: XIV. Ἔλεγχος δέ ἐστιν ὃ μὲν μὴ δυνατὸς ἄλλως ἔχειν, ἀλλ' οὕτως ὡς ἡμεῖς λέγομεν. Id est, *elenchus istiusmodi ratiocinatio est quæ aliter se habere non potest; sed ita necessario est uti nos dicimus*. II. *Convictionem animi* per talem demonstrationem veritatis. Uti *Aristophanes* in *Pluto*, σύγ' ἐλέγξαι μ' οὔπω δύνασαι περὶ τούτου, *Nondum me hac de re convincere potes*. Est ergo in fide, si ἔλεγχος sit, certa animi convictio, propter claram & infallibilem veritatis demonstrationem. Demonstratio autem hæc veritatis innititur testimonio fallere nescientis Dei: ex quo ita argumentatur fides; quicquid Deus, qui αὐτοαλήθεια est, revelat, id non potest non esse verissimum, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον, etiamsi fortassis neque oculis id cernere, neque plane assequi queam.

Unde patet, fidei Divinæ non posse subesse falsum.

XV. Omnia huc tendunt, ut firmitatem assensus qui in fide est doceant, supra quam nulla Mathematicæ demonstrationis certitudo ascendere potest. Quapropter incaute admodum loquuntur, qui contendunt, fidei Divinæ posse subesse falsum. Quum proprium fidei objectum sit testimonium Dei quod necessario verum est, & omni demonstratione certius. Neque ulla Scripturæ loca adduci possunt, quibus aliquid homini credendum proponitur, quod verum non sit.

Circa certissimas veritates Fideles quandoque titubant.

XVI. Cæterum alius hic removendus scrupulus est. Si fides tam certus ac firmus assensus est, an ergo illi vera fide destituuntur, qui etiam circa fundamentales veritates, quandoque fluctuant? Resp. I. Nos fidem nunc describimus in idea consideratam, uti virtutem illam Christianam ad cujus perfectionem omnes contendere debemus, non uti aliquando est in subjecto. II. Possunt quandoque in præstantissimis fidelium, præsertim vehementi alicui tentationi expositis, hæsitationes, titubationes, dubitationes, inclinationes in contrarium, existere: quod fluctuationes Asaphi, Jeremiæ, aliorum, circa Providentiam Dei evincunt: sed hæc fidei quædam

dam deliquia sunt, ex infirmitate carnis oborta. III. Cum tentationibus istis luctatur continuo fides, non assentitur illis injectionibus Diaboli, vel φρονήματι carnis, neque acquiescit unquam, donec in sacrarium Dei introiverit, &, informante Spiritu fidei, in contemplatione & agnitione earum circa quas titubat veritatum: confirmata sit. Ibi demum, neque usquam alibi, plantæ pedum suorum requiem invenit.

XVII. Assensum hunc sequitur veritatis ita cognitæ & agnitæ *amor*; atque hic *tertius* fidei actus est, de quo Apostolus 2 Thes: II: 10. Etenim quum in veritatibus salvificis clara gloriæ Dei manifestatio sit, non modo quatenus verax est in testimonio suo, sed & quatenus Sapientia, Sanctitas, Justitia, Bonitas, Potentia, cæteræque virtutes Dei in iis elucescunt, fieri non potest, quin anima fidelis, amabiles has numinis virtutes in veritatibus illis cernens, in amorem illarum exardescat, in iis exsultet, & Deum glorificet. Hinc credens dicitur *Deo gloriam dare*, Rom: IV: 20. & *gloriam ejus amare*. Joh: XII: 43. Præsertim deliciatur anima in fundamentali veritate de Christo. Eam ut inæstimabilem thesaurum & ingentis pretii unionem diligit. Hæc credentibus τιμὴ est 1 Pet: II: 7. hoc est τιμιωτάτη. Verum quidem est, caritatem stricte loquendo à fide distingui; sed tamen utriusque virtutis actus ita sibi invicem impliciti sunt, ut fidem, neque explicare, neque exercere possimus, sine intercurrentibus quibusdam actibus amoris. Qualis hic quoque est de quo nunc agimus. Quod præstantissimi etiam Theologi ante me observarunt. Ut de aliis nunc taceam, *Chamierus Panstrat: Tom.* III. *Lib*: XII. *Cap:* IV. *Num:* XVI. *Wendelin: Theol: Lib:* II. *Cap:* XXIV. *ad Thes:* VIII. *Uterque* pro se Augustinum citat: dicentem: *quid est credere in Deum? Credendo amare.* Videatur item Clar: *le Blanc*, Sedanensis Theologus in eruditissimis *Thesibus de Fidei justificantis natura &c*: §. XCV. Si quis autem amorem hunc, Scholarum glossemate, actum fidei imperatum vocare velit, per nos equidem licebit, modo id teneatur, fieri non posse, quin anima fidelis, dum fidem exercet suam, veritates, uti in Christo sunt, cognitas & agnitas, sincere amet, gaudens hæc talia vera esse, & in veritate ista delicians: longe aliter ac Diaboli & impii, qui quæ vera esse sciunt, vera esse nollent.

Assensum sequitur amor.

XVIII. Hinc exoritur *quartus* fidei actus, *Fames sitisque Christi*. Anima quippe fidelis veritates salutares cognoscens, agnoscens, diligens, non potest non optare, ut ea omnia quæ vera sunt in Christo, sibi quoque vera sint, ipsaque, juxta illas veritates, & per illas, sanctificetur, & beetur. Serioque desiderat, se, propter peccatum alienatam à vita Dei, esse rursus ad gloriam Dei, per gratuitam justificationem, atque in ea per Sanctificationem obsignari. Hæc est *fames* illa & *sitis justitiæ*, de qua Mat: V: 6. Et qua quæso ratione fieri potest, ut is qui se credit sentitque in se ipso longe miserrimum, qui persuasissimus est se nulla re, neque in cœlo neque in terra,

Hinc, fames & sitis Christi.

terra, è miseria sua liberari posse, qui videt simul plenitudinem salutis in Christo, qui certus est, non posse se salutem consequi, nisi cum Christo uniatur, qui veritatem istam de plenitudine salutis in solo Christo & communione cum eo ex animo diligit; ut is, inquam, non serio & ardenter desideret, Christum habere in se habitantem, hoc quærat, hoc ambiat, & tali quidem desiderio, cui, nisi per possessionem rei desideratæ, satisfieri non potest: uti fames & sitis non sedantur, nisi per cibum & potum.

Hanc excipit Receptio Christi Domini.

XIX. Famem hanc sitimque excipit *Christi Domini*, ad justificationem, sanctificationem, plenamque adeo salutem, *receptio*. *Qui quintus*, & is quidem formalis ac præcipuus, fidei actus est. Scilicet, Pater Cœlestis animæ ægræ lassæque Filium suum, Christus Dominus se ipsum, cum omnibus beneficiis suis & plenitudine quæ in ipso residet salutis, gratis offert, dicens הנני הנני, *Ecce me, ecce me*, Jes: LXV: 1. Anima autem suæ jam sibi miseriæ conscia, plenitudinem salutis in Christo cum gaudio & spe animadvertens, ac impense ejus communionem desiderans, non potest non oblatum illud grande bonum, summa cordis lubentia, apprehendere & recipere, atque ita accipiendo suum facere. Et hoc demum actu Christus proprium animæ credentis peculium fit. Ita quicquid Christi est, una cum Christo oblatum, sibi vendicat, & imprimis justitiam Christi, quæ salutis fundamentum est. Atque hoc modo Christum apprehendendo ei unitur; &, unita cum Christo, ipsa fecisse, ipsa passa esse censetur, quod Christus, qua sponsor, loco ipsius fecit & passus est. Quo probe animadverso, facile est intellectu, quomodo per fidem in Christum justificemur.

De qua non semel S. S. loquitur.

XX. Non semel Scriptura hunc fidei actum disertis verbis repræsentat. Illustris locus est Joh: I: 12. ὅσοι ἔλαβον αὐτόν, quod æquipollet τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. & Col: II: 6. ὡς οὖν παρελάβετε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν κύριον; quibus addi potest quod ἐμφατικωτάτως dixit Dominus Jesa: XXVII: 5. יחזק במעזי *firmiter apprehendet robur meum*, vel *arcem meam*: ita ut non dimittat. Etenim החזיק, & שלח *dimisit*, opponuntur. Prover: IV: 13.

Quæ cum reclinatione in Christum conjuncta est.

XXI. Quia autem anima, Christum ita apprehendens ad salutem, simul in ipsum *reclinat*, eique *innititur*, ideo fidei actus hac quoque Metaphora frequenter explicatur: ut Ps: LXXI: 6. עליך נסמכתי *tibi innixus sum*. Jes: XLVIII: 2. על אלהי ישראל נסמכו *Deo Israelis innituntur*, simulantes & mentientes veram fidem, & alio vocabulo נשען, ut Jes: L: 10. ישען באלהיו *innitatur Deo suo*. adde Jes: X: 20. 2 Chr: XVI: 7: 8. Quem actum animæ fidelis ita reclinantis in Christum, eique innitentis, si à receptione Christi subtiliter distinguere, eaque posteriorem statuere, velis, non improbe pugnabo. Dicamus ergo hunc *sextum* fidei actum esse.

Explicatio vocis האמין.

XXII. Quem significanter admodum expressum existimamus Hebraica voce האמין, quæ proprie significat *gestandum se rejicere in* alicujus veritatem & potentiam, uti infans se gestandum rejicit in nutricii brachia.

Deri-

Derivatur enim ab אמן, quod est proprie *gestare*: hinc אומן, *gestator, nutricius*. Num: XI: 12. *Fer eum in sinu tuo, quemadmodum fert* האומן *nutricius lactentem*. & האמן est *gestari*. Jes: XL: 4. בנותיך על צר תאמנה *filiæ tuæ ad latus (in ulnis) gestabuntur*: Pro eo enim dicitur Jes: LXVI: 12. על צד תנשאו *Ad latus portabuntur*. Et sane Christus credentes in se בחיקו ישא *in sinu portat*. Jes: XL: 11. uti אמונים, ἐγκολπίους: nam ea quoque similitudine Moses utitur. Deut: I: 31. *Portavit te Dominus Deus tuus, sicut vir filium suum portat*, suppositis *brachiis suis æternis*. Deut: XXXIII: 26: האמן ergo vi vocis est *gestandum se dare* Christo, atque ita se in sinum & brachia ipsius rejicere. Qua similitudine fidelis animæ erga Christum actuositas elegantissime exprimitur.

Per fidem quoque anima se Christo ut Domino dedit.

XXIII. Porro quando fidelis anima Christum ita recipit, eique innititur, non considerat ipsum ut *Salvatorem* duntaxat, sed etiam ut *Dominum*. Recipit enim *totum* Christum, & *talem qualis* est. Est autem non minus Dominus quam Salvator. Imo non potest esse Salvator, nisi & Dominus sit. In eo salus nostra consistit, quod non Diaboli, non nostri, non ullius creaturæ, sed Christi Domini simus. Fides ergo *Christum Dominum recipit*. Col: II: 6. Neque aliter se Christus animæ maritum offert, nisi hac quoque conditione ut eum pro *Domino* suo agnoscat. Ps: XLV: 11. 12. Et quando anima se gestandam rejicit in Jesum, simul abrenunciat propriæ suæ voluntati, deditque se arbitrio Jesu, ut ab ipso, quo lubitum est, portetur. Hinc in fide quoque est humilis sui deditio, & mancipatio, per quam fidelis, quantus est, se Christo, sibi gratis donato, ex officio reddit. *Ego dilecti mei sum, & dilectus meus meus est*. Cant: VI: 3. 2 Cor: VIII: 5. ἑαυτοὺς ἔδωκαν τῷ κυρίῳ. *dederunt se ipsos Domino*. Ferme uti Amasai cum comitibus suis hac formula se dabat Davidi. 1 Chro: XII: 18. לך דויד ועמך בן ישי *Tibi sumus, o David, & tecum sumus, o fili Isai*. Atque hæc nostri deditio Christo facta, quam pro *septimo* fidei actu numeramus, est fons ac scaturigo perennis veræ obedientiæ, quæ propterea etiam vocatur ὑπακοὴ πίστεως, obedientia ex fide promanans. Rom: I: 5.

Hinc oritur Syllogismus fidei, cujus conclusio est, Christus meus est.

XXIV. Postquam fidelis anima Christum ita recepit, eique se rursus dedidit, potest & debet exinde concludere, Christum cum omnibus suis beneficiis salutaribus suum esse, seque per ipsum certo beatum iri; juxta hunc infallibilem fidei syllogismum: Christus se plenum servatorem offert omnibus fatigatis, esurientibus, sitientibus, ipsum recipientibus, ipsi se reddere paratis: Atqui ego fatigata sum, esurio &c: Ergo Christus se mihi obtulit, meus jam est, & ego ipsius, neque quicquam me ab illius amore separabit. Hic *octavus* fidei actus est, & is quidem *reflexus*, ex conscientia fidei justificantis exortus. Gal: II: 20. 2 Tim: I: 12. Rom: VIII: 38.

Unde procedit beata

XXV. Hinc procedit denique animæ, quæ suæ jam sibi cum Christo per fidem unionis conscia est, *fiducia*, tranquillitas, gaudium, pax, &

animæ tranquillitas.

animosa quorumvis hostium, quorumvis discriminum, provocatio, gloriatio in Domino, gloriatio, in adversis, Dum anima *jucunde innititur dilecto suo*, מתרפקת על דודה Cant: VIII: 5. passis brachiis se in illum injiciens, vel cubito dulciter in illum recubans, (מרפק enim Thalmudicis *axillam* significat) certa de sui cum ipso mutua communione mutuoque amore; dum canit, *Ego dilecti mei sum, & desiderium ejus est ad me*, Cant: VII: 10. pie exsultat & deliciatur in Domino suo, inebriatur in amore ejus, gaudet *χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ*, *lætitiâ ineffabili & gloriosa*. 1 Pet: 1: 8. & ad exardescentes reciprocantis amoris flammas salutariter liquescit, *gloriatur* denique *in spe gloriæ Dei*. Rom: V: 2.

Compendium eorum quæ dicta sunt.

XXVI. Quæ fuse ita explicata sunt, nunc breviter contracta uni veluti obtutui subjiciamus. Complectitur fides cognitionem mysterii Dei & Christi in lumine gratiæ, cujus mysterii veritatem fidelis propter auctoritatem testificantis Dei pleno animi assensu agnoscit; nec hoc tantum, sed & amat veritatem illam, in ea exsultat, Deumque glorificat: imprimis quoque communionem Christi desiderat, ut ea quæ vera sunt in Christo sibi quoque ad salutem vera sint: propterea, quando in verbo & Spiritu offertur ipsi Christus, summa animi lubentia illum recipit, illi innititur, in illum se reclinat, illi se tradit, & mancipat: quo facto eum jam suum esse gloriatur & in illo quam jucundissime deliciatur, requiescens sub umbra arboris vitæ, & dulcissimis illius fructibus se satians. Hæc est illa *fides electorum Dei*, Tit: 1: 1. inæstimabile donum, vinculum unionis nostri cum Christo, scala Paradisi, clavis arcæ Fœderis qua reserantur ejus Thesauri, fons perennis vitæ sanctæ, tranquillæ, beatæ.

Ex memoratis fidei actibus, quidam antecedenter, quidam formaliter, quidam consequenter ad fidem pertinent.

XXVII. Si quis se existimet *ἀκριβολογεῖν*, quando hos fidei actus ita distinguit, ut quosdam fidem stricte dictam antecedere existimet; veluti cognitionem veritatis revelatæ, cui præstantes nonulli Theologi addunt piam voluntatis erga Deum affectionem: alios ad ipsam fidei formam & essentiam pertinere, ut assensum, famem sitimque justitiæ receptionem Christi ut Servatoris & Domini, animæque ad illum perfugium: alios actus fidei accidentales esse, qui fidei firmatæ & roboratæ tantum conveniunt; videlicet certitudinem illam, Christum jam meum esse, & suavissimam in Christo ut meo recumbentiam, cum exsultatione & gloriatione in eo conjunctam: caussam non dicimus quin ista sua accuratione fruatur, quæ neque nobis displicet. Id tantum intendimus demonstrare in plena fidei praxi omnia ista concurrere.

Fides Historica quid sit, & an recte ita dicatur?

XXVIII. Ex antedictis evidens est, à fide *salutari*, quam hactenus descripsimus, immenso prope intervallo distare fidem quam *Historicam* & *Temporariam* nuncupare solent; dubito tamen an nomenclatione satis congrua. *Historicam* fidem vocant *nudum assensum præbitum iis quæ in verbo Dei continentur, propter Auctoritatem asserentis Dei, sine ullo pio voluntatis motu.*

Verum

Verum quum assensus ille non tantum præbeatur Sacrarum literarum Historiis, sed & ad præcepta, dogmata, promissa, minas, se extendat; titulus fidei Historicæ angustus nimis esse videtur. Nisi fortassis ita dicatur, respectu modi quo versatur circa suum objectum. Uti enim qui Historias rerum nihil ad se pertinentium legit, eas nude contemplatur, nec inde commovetur aut afficitur intus; ita qui fidem illam habent, otiose duntaxat speculantur circa ea quæ verbo Dei docentur, neque referunt ea ad praxin. Quanquam nec hoc universaliter verum est, Historias, etiam antiquissimas, & alterius mundi, sine affectu, commotione, & applicatione legi. Satius ergo esset, fidem hanc *Theoreticam*, vel *nudi assensus*, appellare.

XXIX. Fidem *temporariam* Dominus noster Mat: XIII: 21. eam dicit, quæ præter illum generalem assensum, in cognita agnitaque veritate exsultat, eam profitetur, multasque emotiones in corde, & actiones in vita ciet, quæ speciem aliquam pietatis exhibeant, sed ad tempus duntaxat, dum omnia sub Evangelio prospera sunt; deficit autem ingruentibus persecutionum procellis. Hæc sapienter à Domino πρόσκαιρος nuncupatur. Cæterum quum contingere possit, atque adeo contingat frequenter, ut lætis Ecclesiæ rebus, homines in hac fidei professione, & imaginario gaudio, ac tali vitæ instituto quod ad pietatem sufficere arbitrantur, ad vitæ suæ finem perseverent; minus commode *temporariæ* fidei nomen, quod soli Apostatarum fidei dedit Dominus, huic, non salutari quidem, sed constanti tamen fidei, datur. Melius fortasse eam *Præsumtuosam* fidem diceremus, si Latinæ id linguæ genius ferret. Fides temporaria quid?

XXX. Interest autem consolationis nostræ, ut sciamus distincte, quibus modis fides hæc à vera, viva & salvifica, cujus speciem audacter mentitur, discriminetur. Et *primo* quidem in *agnitione* revelatarum veritatum non exigua differentia est, quibus quidem ut veritatibus præsumtuosa hæc fides assentitur, sed quum destituta sit vero Spiritus lumine, propriam earum veritatum formam, & pro ut veritas sunt in Jesu, non videt: non animadvertit in iis resplendescentes Dei virtutes: non rite æstimat earum pretium: quum primum eas nosse cœpit, capta quidem est earum novitate & raritate, sed non exardescit vivo earundem amore: neque laborat admodum ut eas non modo sibi impressas, sed & in se expressas habeat: & quotiescunque alia animo obversantur, quæ magna voluptatis vel utilitatis specie blandiuntur, facile patitur ideas istarum veritatum, quæ commodo illi inimicæ sunt, obliterari, & parum abest quin optet eas non esse veritates; quas invita pro talibus cogitur habere. Hæc autem in vera fide plane sunt contraria; quemadmodum Thes: XVII. ostendimus. Differt à Fide Salutari I. In agnitione Veritatis.

XXXI. *Secundo in applicatione promissionum Evangelii* ingens est discrimen. Nam fides præsumtuosa non procedit vera methodo. Temere sibi imaginatur, salutem Evangelio promissam ad se pertinere, vel nullo plane funda- II. In applicatione promissionum Evangelii.

fundamento, vel falso. Quandoque enim hi tales, sine ullo sui examine & scrutinio, quod, ut molestum nimis, ac rebus suis incommodum, refugiunt, ipsi sibi stulte blandientes, gratiam Domini nostri fastuose sibi arrogant, ac vano illi somnio secure indormiscunt, non inquirentes, neque volentes inquirere, quodnam hujus suæ imaginationis fundamentum sit. Aliquando pro fundamento confidentiæ suæ ponunt, vel conceptum illum perversum de universali Dei misericordia, & nescio qua facilitate fœderis Evangelici: vel opinionem sufficientis sanctitatis suæ, quandoquidem paulo minus mali sunt profligatissimis: vel communionem externam Ecclesiæ & cultus religiosi: vel securitatem dormientis suæ conscientiæ, & suorum suaviludia somniorum, quæ existimant esse pacem Dei & consolationem Spiritus Sancti. Hisce ac similibus rerum inaniis se ipsos decipiunt; quasi hæc sufficientia gratiæ indicia forent. Sed veri Fideles, ex imo Miseriæ suæ sensu, ad gratiam D. Jesu anhelantes, illamque trepida humilitate apprehendentes; non tamen de ea ut jam sua facta gloriari audent, nisi postquam diligenti scrutinio certa & infallibilia gratiæ gnorismata in se compererint. Cum profunda humilitate, ac sacro quodam horrore, & sincera sui abnegatione, accedunt, gratiam Christi apprehensuri. Et de ea apprehensa non gloriantur, nisi post exactum, primo *κριτηρίων* gratiæ, tum proprii cordis sui, examen. Utrumque in præsumtuosis secus est. Qui temere apprehendunt quod ipsis eo ordine non offertur (non enim Deus offert peccatoribus securitatem & gaudium, antequam dolore de admissis criminibus, & debita salutis sollicitudine, perculsus sit animus) tum etiam temere de apprehensa gratia gloriantur; cujus se participes esse factos, nullis necessariis argumentis addicere norunt.

III. In gaudio. XXXII. *Tertium* in *gaudio*, quod utramque fidem comitatur vel sequitur, discrimen est, & id quidem duplex; I respectu *ortus*, II respectu *effectus* istius gaudii. In fide præsumtuosa oritur gaudium partim ex novitate & raritate rerum revelatarum (nam cognitio veritatis rarioris & abstrusioris delectat intellectum, uti fruitio boni voluntatem) partim ex vana illa imaginatione, bona Evangelio oblata ad ipsos pertinere, quorum qualemcunque gustum, sed suprema modo labra afficientem, ex communibus Spiritus Sancti donis percipiunt. Sed in fide viva emergit gaudium multo nobilius, ac solidius, ex amore pretiosissimarum illarum veritatum, quarum cognitione se felicissimam factam esse anima à Deo edocta merito arbitratur; ex spe non fallaci, & certa spiritus sui persuasione, accedente Divini Spiritus testimonio, de præsenti Dei gratia & futura gloria; & denique ex suavissimo præsentis gratiæ sensu, & futuræ gloriæ prælibatione. Et quum tam diversæ utriusque gaudii *caussæ* sint, *effectus* etiam diversissimos esse non est mirum. Prius illud animam sui plenam facit, amoris Dei vacuam relinquit, & inani sua titillatione securitatis carnalis soporem aggravat.

gravat. Posterius autem fideles admirabilitate immeritæ Dei φιλανθρωπίας incredibiliter percellit, mutua benignissimi Jesu redamatione inflammat ingeneratque sollicitam ἀκρίβειαν, ne quid immenso illo Dei favore indignum admittant, neve Spiritum gratiæ tam comiter ipsos habentem, tristitia ac dolore afficiant.

XXXIII. *Quartum* discrimen in *fructibus* situm est. Nam Fides præsumtuosa vel profundo securitatis sopore homines obruit, ut carni indulgendo altum stertant: vel externam quandam actuum in melius mutationem importat, facitque *ut per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi pollutiones mundi* aliquatenus *effugiant*: 2 Petr: II: 20. vel quando præclarissime operatur, levia quædam & evanida accuratioris pietatis proposita ac tentamenta excitat: sed non purificat ipsum cor, non introducit novos sanctitatis habitus: & quotiescunque vel planditiæ mundi ac carnis, vel incommoda aliqua Evangelicam pietatem comitantia, solito fortius ingruunt, mox in orsæ probitatis cursu fatiscunt, redeuntque ut *sues lotæ ad volutabrum cœni*. Per superficiariam illam veritatis Evangelicæ, & boni, tam jucundi, ac utilis, quam honesti, quod Evangelio ostentatur, cognitonem, quæ non alte mentibus ipsorum impressa est, sollicitantur quidem ad vitæ emendationem: sed quando de præsentis alicujus boni acquisitione, vel de evitando imminenti malo agitur, ideæ veri & boni, quas Evangelium iis suggesserat, adeo obliterantur, ut præsentem voluptatem utilitatemve, aut evitationem ingruentis mali, omnibus Evangelii promissis, omni Evangelicæ pietati, antehabeant. Verum viva Fides tam profundis characteribus honesti speciem animæ imprimit, ut nihil sibi pulcrius arbitretur, quam ei omni contentione operam dare: tam vividis coloribus Christi Domini nitidissimam sanctitatem depingit, ut anima eam peramanter contemplans ad illius imaginem transformetur: 2 Cor: III: 18. tam patheticé morientis Christi caritatem repræsentat, ut nihil antiquius ducat fidelis quam ipsi rursus & vivere & mori; Gal: 20: tam alte meditationem promissæ beatitatis insculpit, ut pro ea omnia experiri, omnia sustinere paratus sit. 2 Cor: IV: 16 17: 18. atque ita ipsum cor purificat, Act: XV: 9. ad sinceram constantemque pietatem; quæ una cum fide vividiore vel languidiore, vividior vel languidior est.

IV. In fructibus.

XXXIV. Hæc de vivæ Fidei natura, illiusque à præsumtuosa distinctione commentati; nunc cætera brevius faciliusque exsequemur. Ac quod *secundo* nos loco dicturos polliciti sumus aggrediamur, quid sibi velit quod fides hæc cuique in individuo approprietur. Non enim dicimus Credimus sed Credo. Cujus rei tres potissimum rationes esse videntur. I. Quod alterius fides alteri ad salutem prodesse non possit, sed sua quisque fide justificetur. Non imus inficias, fidem parentum hactenus ipsorum liberis prodesse, ut eo nomine ii quoque inter fœderatos Dei censeantur,

Cur singuli dicamus, Credo.

 quamdiu

quamdiu actionibus suis contrarium non demonstrant. Non sufficit tamen hæc parentum fides liberis ipsorum servandis, nisi ipsi quoque regenerentur, & per Spiritum gratiæ Christo uniantur. Joh: III: 3: 5. Solet huc referri celebris locus Hab. II: 4. צדיק באמונתו יחיה, qui vertitur à quibusdam, *justus fide sua vivet*. Sed nolo dissimulare, affixum relativum commode referri posse ad Christum, de quo superiori versu dictum erat, *veniendo veniet*: sic ut sensus sit, in *Fide illius*, supple, *Christi*. quemadmodum & Jes. LIII: II. בדעתו cognitionem Christi significat. Et hic sensus plenior Christoque gloriosior videtur. Manet tamen ea veritas, sua propria quemque fide justificari. Altera singularis numeri ratio hæc est: Quia hæc fidei summa in prisca Ecclesia hoc fine condita est, ut baptizandi de ea interrogati pro se quisque responderent. Sic enim baptizandus interrogari solebat, *Quid credis?* Ad quod ille respondens, dicebat, *Credo in Deum Patrem* &c: III. Accedit hæc quoque ratio, quod non ea certitudine de alterius fide testari possimus: qua de nostra. Optime *Augustinus de Trinit: lib: XIII. cap: II. Fides est in intimis nostris, nec eam quisque hominum videt in alio, sed unusquisque in semet ipso: deinde potest & simulatione confingi: & putari esse in quo non est. Suam igitur quisque fidem apud se ipsum videt.*

Potest quis suæ sibi fidei esse conscius.

XXXV. Nunc quod *tertium* erat inquiramus, quomodo quisque *suæ sibi fidei sit conscius*. Posse autem, & solere in fidelibus conscientiam fidei suæ esse, non solum exemplo suo Paulus docet, 2 Tim. I: 12. *novi cui crediderim*: sed & monitione illa ad omnes directa, 2 Cor: XIII: 5. *vos ipsos tentate an sitis in fide, vos ipsos explorate*. Quæ monitio frustra foret, si tentando & explorando ad notitiam rei quam investigant pervenire non possent. Imo vero posse, diserte satis innuit, addendo; *an non cognoscitis vosmet ipsos, videlicet Jesum Christum in vobis esse?*

Quomodo ad illius cognitionem deveniatur.

XXXVI. Neque difficile intellectu est, quomodo hæc conscientia fidei in fidelibus oriatur. Primo enim eos de natura fidei salvifica bene ex verbo Dei informatos esse oportet. Nec necesse est multis κριτηρίοις mentes infirmorum fatigare. Explicetur modo iis simpliciter & clare, quinam veræ fidei principes & essentiales actus sint. Inculcetur differentia inter fidem firmam & debilem; vividam & languentem; tranquillam ac multis tentationibus quassatam. Moneanturque non solum debilem, languentem, quassatam fidem, veram esse: sed & in scrutinio sui ipsius fidem debilem non esse exigendam ad ideam fidei firmæ; neque languentem, ad ideam vividæ; neque quassatam, ad ideam tranquillæ: sed unamquamque cum sua idea contendendam esse. Qua re probe perspecta, quisque se ipsum examinet, an actus iis quos descripsimus homogeneos exserat. Quod nemo ad se ipsum attendens potest ignorare. Horum quæ quisque cogitat & vult, eo ipso quod illa cogitat & vult, sibi immediate conscius est. Fides autem mentis & voluntatis actio est.

XXXVII.

XXXVII. Regerat fortassis non nemo, si tam in expedito sit positum, fidei suæ conscientiam habere, unde ergo contingit, fidelium plurimos tam molestis circa hoc negotium fluctuationibus excruciari? Sed illius rei non una ratio est. I. Sæpe evenit ut perversam sibi fidei salvificæ ideam vel ipsi finxerint, vel ab aliis incaute præformatam temere arripuerint. Ita experientia magistra didicimus, afflictas animas non exiguo numero in ea fuisse opinione versatas, essentiam fidei consistere in Divini amoris certa persuasione, & jucundo sensu, ac salutis suæ πληροφορίᾳ. Quas res quum in se ipsis non animadverterent, inclementi judicio se albo fidelium expungebant. Iidem tamen de natura fidei melius informati, edoctique, hæc quæ mox enarravimus potius firmatæ fidei gloriosos fructus, quam veræ fidei essentiales actus esse, paulatim ad tranquilliorem mentem redibant. II. Contingit etiam aliquando fideles tot tentationum procellis agitari, ut ad proprios animæ suæ actus dignoscendos minus attendant, vel etiam attendere valeant. Nam eo rerum articulo, tam confuse, ac subsultim omnia ab ipsis peraguntur, ut, in ista perturbatione, proprii cordis constitutionem liquido cernere non possint, cogitationibus mentis, & emotionibus voluntatis, mira variationum mobilitate sibi invicem succedentibus, adversantibusque. III. Quandoque etiam difficultate sua non caret, præsertim in afflicto animarum statu, contentio illa actuum suorum cum descriptione veræ fidei, sive, ut clarius exponam, collatio regulæ cum eo quod ad regulam illam exigi debet. Præprimis quando quis ideam fidei vividæ sibi proposuit, & in se ipso non nisi lanquidam fidem deprehendit. Tum fieri vix aliter potest, quin, exiguam harum convenientiam, imo maximum inter utramque discrimen videns, sequius de fide sua arbitretur.

Unde non nunquam ejus cognoscendæ difficultas.

XXXVIII. Non quidem præcise necessarium est ad salutem, ut quisque se credere norit: nam promissio salutis sinceritati fidei annexa est: Marc: XVI: 16. Joh: III. 16. non cognitioni quam quis de fide sua habet. Expedit tamen ut quis accurato scrutinio in fidei suæ veritatem sinceritatemque inquirat. I. Ut Deo pro inæstimabili hoc dono debitas agat gratias. Si enim Paulus toties Deo gratias agebat pro aliorum fide: Eph: I: 15: 16. Phil: I: 3. Col: I: 3: 4. I Thes: I: 2: 3. 2 Thes: I: 3. quanto magis id cuique faciendum incumbit pro sua? Non potest autem id facere, nisi fidem se habere sciat. II. Ut valide se ipsum consoletur. Nam conscientia fidei nostræ simul nos certos facit de salute. Uti hæc duo jungit Apostolus 2 Tim: I: 12. *novi cui crediderim, & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem custodire.* III. Ut alacrius in stadio pietatis decurrat. Nam certus se ex fide operari, certus etiam est *laborem suum non fore inanem in Domino:* & hæc certitudo facit, ut fidelis sit *stabilis, immotus, eminens in opere Domini semper.* I Cor: XV: 58.

Licet non præcise ad salutem sit necessarium, multifariam tamen expedit, fidei suæ conscientiam habere.

XXXIX.

Ad fidei professionem adulti omnes obligantur.

XXXIX. Tandem de fidei *professione* verbo aliquid dicendum, quippe cujus formula quædam hoc Symbolum sit. Hanc Dei nomine cuivis fideli præcipit Petrus 1 Epist: III: 15. *Estote semper parati ad respondendum cuilibet poscenti rationem ejus spei quæ in vobis est.* Hanc dictat fidei Spiritus, non minus linguas fidelium quam corda movens, ceu *mustum* illud mysticum *quod facundas facit virgines.* Zach: IX: 17. *Quoniam habemus eundem Spiritum fidei, secundum illud quod scriptum est; Credidi & ideo locutus sum; nos quoque credimus, quam ob rem etiam loquimur.* 2 Cor: IV: 13. Hanc exigit Dei gloria, cui amplificandæ, per enarrationem veritatis & virtutum Dei in ea elucescentium, lingua nostra inservire debet: & cujus magnificationem in sua dicendi libertate Paulus intendebat. Phil: I: 20. Hanc postulat caritas erga proximum, isthoc modo ædificandum. Phil: II: 15. Hac proceres viri Christiani nominis iverunt, qui fremente mundo, frendente Diabolo, ringentibus Tyrannis, contemta omni morte, sub gladio, ad crucem, in mediis flammis, intrepide & λαμπροτάτῃ φωνῇ, *clarissima voce*, ut de Vetio Martyre scribitur apud *Eusebium, Hist: Eccl: Lib:* V. *cap*; I. quæ vera sciebant locuti sunt. Præclare *Basilius Magnus Moralium regula sexta:* ὅτι δεῖ ἀφόβως καὶ ἀνεπαισχύντως παῤῥησιάζεσθαι ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν λόγων αὐτοῦ. *Quod intrepide & sine pudefactione libere agere oporteat in confessione Domini nostri J. C. & sermonum ejus.* Huc exemplo nos suo ipse Dominus Jesus ducit, *qui testatam fecit coram Pontio Pilato præclaram illam professionem.* 1 Tim: VI: 13. Huic; si sincero edatur corde, annexa salutis promissio est: Mat: X: 32. Rom: X: 10. Uti ex adverso dirissima quæque iis minitatur Dominus, qui pudore mundano eum coram hominibus profiteri erubescunt. Luc: IX: 26.

Modus confessionis in prisca Ecclesia.

XL. Laudabilis ergo mos ab omni ævo in Ecclesia Christiana fuit, ut nemo adultus ad sacrum baptismi lavacrum admitteretur, nisi edita prius publice fidei suæ professione. Ad eundem modum Christianorum liberi, postquam adoleverant, olim coram Episcopo sistebantur, ut officium illud implerent quod ab iis exigebatur qui se ad baptismum adulti offerebant. Nam quia in infantia baptismo initiati, fidei confessione apud Ecclesiam tunc defuncti non erant, sub finem pueritiæ, aut ineunte adolescentia, repræsentabantur iterum à parentibus, & ab Episcopo examinabantur, secundum formulam Catechismi quam tunc habebant certam ac communem. Ex quo prisco ritu Romana Ecclesia fictitium Confirmationis Sacramentum cudit: observante *Calvino, Instit: Lib:* IV. *Cap.* XIX: §. IV: Idem quoque apud Bohemos Fratres in usu fuit, apud quos parentes infantes suos, duodecimo fere ætatis anno, Pastori in Ecclesia sistebant, ut fidem suam publice profiterentur, & appareret functine essent in eis erudiendis officio suo, quod se facturos in Baptismo erant polliciti. *Lasitius de moribus & institutis Fratrum Bohemorum, Cap:* XII: §. 28. 29. Quod qua ratione

tione solitum ab ipsis fuerit fieri, accurate narratur, in *Ratione Disciplinæ Ordinis Fratrum Bohemorum, p: 46.* Simile quid in Ecclesia Anglicana obtinere docet *Durellus*, in *Vindiciis Eccles: Anglic: Cap:* XXIII. *pag:* 253. Optandum foret idem nostris quoque Ecclesiis in usu esse, vel saltem, ut ii, qui ad Sacram admittuntur Synaxin, publice etiam, inspectante & audiente tota Ecclesia, profiterentur Dominum; quod qui vel coram Synedrio, vel Pastore privatim, facere renuunt, nescio quid caussificantes, eos monitos volo, etiam atque etiam cogitent, quid Dominus de iis pronunciet quos sui ac sermonum suorum puduerit.

EXERCITATIO IV.

DE

FIDE EXISTENTIÆ DEI.

BREVIARIUM.

1. *Præcipuum Fidei objectum est Deus* 2. 3. *Credere Deum, Deo, & in Deum, an differant.* 4. *Vox Dei quid notet.* 5. *Esse Deum, ex terminis patet.* 6. *Cognitio Deitatis quo sensu homini ingenita sit.* 7. *Pulcra Maximi Tyrii sententia.* 8. *Quod & Conscientia hominis evincit multifariam.* 9. *Hæc propter officium & operationes suas Deus dicta Gentibus.* 10. *Ipsa quoque mens ignorare non potest se à Deo & ad Deum factam esse.* 11. *Idem ex cæterarum creaturarum consideratione concluditur.* 12. *Quod Jobus docet Cap.* XII: 7. 8. 9. 13. *Et David Ps:* XIX. 2. 3. 4. 5. 14. *Quem locum pessimè Socinus pervertit.* 15. *Gentilibus ipsis hac in parte cæcior.* 16. 17. 18. 19. 20. *Rom.* 1. 20. *explicatur.* 21. *Mira Socini torsio.* 22. 23. *Quæ refutatur.* 24. *Ipsi Gentiles ex mundi consideratione ad Deum adscenderunt.* 25. *Pluribus hæc veritas argumentis firmari potest.* 26. *De quâ nullo prætextu licet dubitare.* 27. *Fides Naturam sibi substruit.* 28. *Fides dat animadversionem.* 29. *Nititur testimonio Dei.* 30. 31. *Non docet modo quod sit? sed & quid & quis sit Deus.*

PRinceps & ultimum simul fidei objectum *Deus* est. Joh. XIV. 1. πιςεύετε εἰς τὸν Θεόν. 1 Pet: 1: 21. *Qui per ipsum*, Christum, *creditis in Deum.* Deus fidelibus obversatur ut αὐτοαλήθεια, increata Veritas, cui tutissime innitantur; & ut suprema felicitas cui se fide unientes & ipsi evadant felicissimi. Hinc initium Symboli, CREDO IN DEUM. Præcipuum Fidei objectum est Deus.

II. Existimaverunt plurimi tres illas phrases, *Credere Deum, Credere Deo, & credere in Deum*, ita distingui, ut *ista* notet, persuasum esse de existen- Credere Deum, Deo, & in

Symb. Apost.

Deum, an differant?

tia, sive, ut Macrobius loquitur, *exstantia* Dei; *illa*, Deo aliquid testanti adhibere fidem; *hæc*, in Deum salutari animi fiducia recumbere.

III. Cæterum hæc uti in Scripturis non sunt fundata, ita ex mera Hebraismi ignoratione ortum habent. Nusquam Scriptura ea locutione utitur, *Credere Deum*. Paulus dicit πιστεῦσαι ὅτι ἐστί, *Credere quod sit*. Heb: XI: 6. *Et in Deum Credere*, Hebraismus est, ab antiqua tam Græci quam Latini sermonis puritate desciscens. Scilicet Hebræi suum האמין promiscue construunt vel cum ל, vel cum ב, eadem significatione. uti Ps: CVI: 13. ויאמינו בדבריו, *& crediderunt in verbis ejus*, & vers: 24. לא האמינו לדברו, *non crediderunt verbo ejus*. Id, ut pleraque, imitati sunt Hellenistæ, & Sacri N. T. Scriptores. Pro exemplo sit, Joh: VIII: 30: ἐπίστευον εἰς αὐτόν. v: 31. de iisdem, πεπιστευκότας αὐτῷ. Unde patet admodum eos errare, qui sciscunt phrasin *in aliquem credere* eum religiosum animi affectum significare, quo solus Deus honorandus est. Quum expresse dicatur, Exod: XIV. 31. ויאמינו ביהוה ובמשה עבדו *& crediderunt in Jehovam & in Mosen servum ejus*. Similiter 2 Chr: XX: 20. Falluntur item qui τὸ *credere in Deum*, vel *in Christum*, descriptionem vivæ fidei continere autumant, quum *prius* de Ninivitis dicatur Jon: III: 5. *posterius* de Judæis Joh: II: 23. quibus tamen *non credebat se* Christus. v: 24. Quemadmodum contra de viva & salvifica fide dicitur altera phrasi Joh: V: 24. *Qui credit ei qui misit me, habet vitam æternam*, & Act: XVI: 34. de Commentariensi, πεπιστευκὼς τῷ Θεῷ. Phrases indiscriminatim usurpantur. Vide sis eruditissimas Gomari observationes in Joh: II: 23. & XIII: 42.

Vox Dei quid notet.

IV. *Deum* quando dicimus, intelligimus eo nomine *Ens infinite perfectum, quod cæterorum omnium extra se Auctor & Dominus sit*. Hæc enim est communis illa notio, quam omnes gentes, singulæ sua lingua exprimunt, quotiescunque de Deo loquuntur. Credenti autem in Deum ante omnia necessarium est certa animi persuasione tenere, ens tale perfectissimum revera existere. Πιστεῦσαι γὰρ δεῖ προσερχόμενον τῷ Θεῷ, ὅτι ἐστί. Heb: XI: 9. Quandoquidem autem *Fides Naturam* sibi substruit, cui *Gratia Revelationem* superædificat: videndum *primo* est quid Natura hic docere queat; *tum* quid fides Christiana persuasioni ex natura haustæ superaddat.

Esse Deum ex terminis patet.

V. Existentia Dei tam necessariæ & evidentis veritatis est, ut recte attendenti vix quicquam certius, notius, evidentius, occurrere queat. Ex ipsa illa Deitatis notione, quæ omnibus communis est gentibus, id claret. Qui Deum dicit, dicit Ens infinite perfectum. Id autem nequidem cogitatione concipi potest, sine existentiæ suæ necessitudine. Quum enim perfectius sit existere quam non existere; necessario existere quam contingenter & ad arbitrium alterius existere; ab æterno existere, & in æternum, quam aliquando existere, & aliquando non existere: sequitur, in essentia Entis perfectissimi existentiam, & eam quidem necessariam atque æternam

æternam includi. Adeo ut non magis idea Entis perfectissimi, sine necessaria existentia dari queat, quam idea montis sine valle. Porro, qui negat Deum esse, simul dicit impossibile esse ut ens perfectissimum ac æternum existat. Nam si aliquando esse incipiat, non erit æternum, ideoque nec perfectissimum ideoque nec Deus. Quod autem non est, nec incipere potest esse, id esse impossibile est. Et juxta hanc hypothesin, in conceptu Deitatis includetur impossibilitas existentiæ. Quod tam est contradictorium, ac si quis dicat in conceptu ejus quod infinite perfectum est includitur necessarius magnæ perfectionis defectus.

VI. Hanc existentiæ suæ cognitionem menti humanæ tam alte Creator infixit, ut omnes natura magistra ad eam sapiant. Rom: I: 19. Τὸ γνωστὸν τȣ̃ Θεȣ̃, *id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in iis. Deus enim id iis manifestum fecit.* Atque hæc est quam vocare solent *ingenitam Dei cognitionem. Eusebius* in *Præparationibus Evangelicis Lib:* II. Cap: V. non male dixit αὐτοδιδάκτȣς ἐννοίας, μᾶλλον δὲ Θεοδιδάκτȣς, *notiones quarum sibi quisque magister est, aut potius quarum quisque magistrum Deum habet.* Quod non ita est intelligendum, quasi infantes jam inde ab utero actualem Dei scientiam haberent, quippe quod verbo Dei, testanti ipsos *non nosse discrimen inter dextram & sinistram suam*, Jon: IV: 11. & universali experientiæ, repugnat. Neque tamen tam tenuiter id interpretandum est, quod Deus solummodo facultatem se cognoscendi hominibus dederit, modo illius rei argumenta ipsis clare proponantur ac demonstrentur, vel modo quis facultate ista bene utatur ad argumenta illa investiganda: quasi tam laboriosæ operæ foret ad illam Dei cognitionem pervenire. Sed hoc volumus, Deum sui ipsius vestigia tam alte penitis mentibus impressisse, ut homo postquam ad rationis usum pervenit, non possit non sæpe de Deo cogitare, neque aliter cogitationes illas nisi vi sibi facta expectorare.

Cognitio Deitatis quo sensu homini ingenita sit.

VII. Pulcherrime *Maximus Tyrius*, Philosophus Platonicus, *Dissert:* I. cujus inscriptio est, *Quid sit Deus secundum Platonem*: Εἰ δὲ ἐξεγένοντο ἐν τῷ ξύμπαντι αἰῶνι δύο πȣ καὶ τρεῖς, ἄθεοι καὶ ταπεινὸν καὶ ἀναισθὲς γένος, καὶ πεπλανημένοι μὲν τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἐξηπατημένοι δὲ τὰς ἀκοάς, ἐκτεθλιμμένοι δὲ τὴν ψυχὴν, ἄλογον καὶ ἄγονον καὶ ἄκαρπον, ὡς Βȣ̃ς ἀκέρως, ὡς ὄρνις ἄπτερος, καὶ παρὰ τȣ́τȣ ὅμως τȣ̃ γένȣς πεύσῃ τὸ Θεῖον. ἴσασι γὰρ οὐχ ἑκόντες καὶ λέγουσιν ἄκοντες. Hoc est ex versione Heinsiana: *Quod si ab omni ævo duo aut tres exiſtiterunt, tam abjecti homines, ut sine ullo sensu oberrarent; quorum neque lucem certam oculi, neque certum sonitum aures admitterent, anima vero ac præstantiore sui parte mutili essent, irrationale, sterile, atque inutile hominum genus, ut si leonem sine stomacho, bovem sine cornibus, avem sine alis dicas: ex his nihilominus hominibus aliquid de Divina natura intelliges: nam & inviti hoc sciunt, & inviti dicunt.*

Pulcra Maximi Tyrii sententia.

Neque minus præclare, impius quantumvis, *Julianus*: Πάντες ἀδιδάκτως εἶναι θεῖόν τι πεπείσμεθα, καὶ πρὸς τῦτο ἀφορᾶν, ἐπ' αὐτῷ τε σπεύδειν, ὕτω διατιθέμενοι τὰς ψυχὰς πρὸς αὐτὸ, ὥσπερ ὄμμαι πρὸς τὸ φῶς τὰ βλέποντα: *omnes ante doctrinam numen aliquod esse persuasi sumus; eò respiciendum, ad id properandum. Credoque sic animos nostros habere ad Deum, ut visu prædita ad lucem.*

Quod & conscientia hominis evincit multifariam.

VIII. Huc pertinet *conscientia*, non uno modo hominem de existentia Dei convincens. I. Quum Dei in pectore humano vicaria, & legum ejus depositaria sit; Dei nomine quæ facienda, quæ fugienda sint, inculcat: idque tanta cum auctoritate, ut etiamsi rerum Domini timendique Tyranni millena edicta ex adverso sanciant, illa tamen occulto ingeminet susurro, sibi magis, &, cujus nomine loquitur numini, parendum esse, quam quibuscunque hominibus. Brevibus, & ut legislatorem decet, πάντα, inquit, ἐμοὶ καὶ τῷ θεῷ. *Omnia mihi, & Deo. Arri: Epictetus Lib:* IV. *Cap:* VIII, Id est quod David canit Ps: XXVII: 8. לך אמר לבי, *tibi* i. e. pro te, tuam vicem, tuo loco, *dicit cor meum.* II. Quum intimorum hominis secretorum gnara sit, nullaque vel minima cogitatio, nulla quantumlibet exilis animi motio clam illam esse queat, simul testatur alium adhuc præter se esse, qui una secum factorum, dictorum, cogitatorum omnium scientissimus est: cujus rei gratia etiam συνείδησις, *conscientia* dicitur, quasi una *cum* alio, (& quo nisi Deo?) secretorum hominis scia. Et hoc quoque respectu συνείδησις θεῦ, *conscientia Dei* nuncupari potest. 1 Pet: II: 19. III. Quando de hominis statu & actionibus judicat, facit id sub Deo, & in ordine ad Deum. Benefacta etiam occulta, etiam male ab aliis habita, laudans, docet, probi viri *laudem, non ex hominibus, sed ex Deo esse*: Rom: II: 29. & quando illa placidissima tranquillitate remuneratur, etiam, & præcipue quidem, in articulo mortis, ostendit Deum esse μισθαποδότην iis qui ipsi serviunt. Heb: XI: 6. Quando ob malefacta hominem increpat, accusat, condemnat plectit, sævoque flagello lancinat, licet intima homini, & pars illius sit, tamen à partibus Dei stat, neque pensi habet quantumvis suo illo testimonio homo gravetur; & vel millies tacere jussa, & vim passa, & exsecta prope, & cauterio usta, tamen exsurgit iterum, & instat acriter, nequicquam obnitente reo. IV. In omnibus hisce ad tribunal Dei citat hominem, innuitque cuncta ibi revidenda esse, atque exactius judicatum iri de singulis: & pro ut hic illa sententiam pronunciavit, ita vel confidenter ad Deum accedere, vel ad ejus cogitationem contremiscere facit: idque tam valide, ut nulla se vi creata in hisce operationibus suis impediri patiatur. *Si cor nostrum nos condemnet, Deus major est corde nostro, & novit omnia. Dilecti, si cor nostrum nos non condemnet, confidentiam habemus apud Deum*, I Joh: III: 20: 21. Pleraque horum brevibus complexus est Paulus Rom: II: 15 Neque sunt hæc infirmarum mentium terriculamenta, quæ fortiores facile eludant. Nam etiam audacissimos sæpe constrictos

tenet

tenet conscientia, & profligatissimus quisque, etiamsi spem vultu simulet, premit altum corde dolorem. Sardonius feroculorum istorum risus est, intus urgente stimulo.

IX. Conscientia hæc, quum tam valide homini commonstret Deum, ejus nomine omnia agat, ad ipsum cuncta referat, Dei denique in anima vices gerat, Deus gentilibus dicta fuit. Hinc *Menander* apud *Plutar: In Platon: Quæst.* I. ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός. *Mens enim nostra Deus est. Euripides* similiter citatus *Gatakero* in notis ad *Marcum Antoninum. p:* 432. ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεός *Mortalium cuique sua mens est Deus.* Quo nihil aliud, opinor, innuebant, quam quod senarius ille dilucidius exprimit: Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός. *In hominibus conscientia Dei instar habet.* Sed nihil præclarius est illo *Epicteti* apud *Arrianum Lib:* II. *Cap:* VIII. Οὐκ οἶδας ὅτι θεὸν τρέφεις, θεὸν γυμνάζεις; θεὸν περιφέρεις τάλας, καὶ ἀγνοεῖς; δοκεῖς με λέγειν ἀργυροῦν τινα ἢ χρυσοῦν ἔξωθεν. ἐν σαυτῷ φέρεις αὐτόν . . . . . αὐτοῦ δὲ θεοῦ παρόντος ἔσωθεν, καὶ ἐφορῶντος καὶ ἐπακούοντος, οὐκ αἰσχύνῃ ταῦτα ἐνθυμούμενος καὶ ποιῶν, ἀναίσθητε τῆς σαυτοῦ φύσεως, καὶ θεοχόλωτε. *Nescisne te Deum nutrire? Deum exercere? Deum circumfers, miser, & ingnoras? Fortasse de externo aliquo, argenteo, vel aureo, loqui me opinaris. In te ipso eum fers ..... Ipso autem Deo intrinsecus præsente, & omnia tum intuente tum audiente, non verecundaris ea cogitare & facere, ignare naturæ tuæ, & invise Deo?* Ob eandem rationem *Plato*, in *Philebo*, ἀθέους κέκληκε μυστικῶς, τοὺς τὸν θεὸν τὸν ἔνοικον αὐτοῖς, τὸν λόγον, διαφθείροντας, *mystice Atheos vocavit, qui Deum in ipsis habitantem, rationem nempe corrumpunt.*

Hæc propter Officium & operationes suas Deus dicta Gentilibus.

X. Ipsa quoque mens, ad se ipsam attendens, ignorare non potest, se uti à Deo, ita & ad Deum, factam esse. Quum enim clarum illi & evidens sit, quod non ultro & deliberato consilio in hoc quod gestat corpus habitatum concesserit; neque id sibi ipsa fabricaverit; & subjecerit; neque etiam ipsa sciat, quomodo membra sibi subjecta moveantur ad voluntatem suam; neque antequam in corpore hospitaretur ullibi fuerit; neque parentum consilio & potestate hoc sit quod est; neque sibi ipsa dare possit quod deesse sibi videt; neque in semet ipsa existentiæ suæ caussam inveniat; fateri cogitur se factam esse, ideoque ejus esse qui ipsam fecit. Qui non potest alius esse à Deo. A quo quum facta sit, ad eum etiam factam esse necesse est. Oculus ad lucem est, auris ad sonos, lingua ad sermonem, sermo ad interpretationem mentis. Mens ipsa ad quid? Nempe ad id quod ipsam expleat. quo cognito sapiens, quo amato sancta, quo potita beata sit. Quod & se ipsa melius sit, & rebus omnibus creatis augustius, & quod appetitui suo in infinitum tendenti satiando abundantissime sufficiat, quod denique Deus sit. Id si non esset, neque se posse esse, & etiamsi ipsa esset, frustra se esse, & ad nullam convenientem finem esse, liquido, modo attendat, animadvertit. Exsecat

Ipsa quoque mens ignorare non potest se à Deo & ad Deum factam esse.

mentem suam qui non dicit, *ubi est Deus qui fecit me, qui dat cantica nocte.* Job: xxxv: 10.

Idem ex cæterarum creaturarum consideratione concluditur.

XI. Sed præter *ingenitam* illam cognitionem, cujus argumenta in se ipso homo invenit: est & alia quæ ex cæterarum creaturarum consideratione hauritur Hæ quum sibi ipsis dare non possint ut in existentia sua perseverent, neque à se ipsis factæ sunt. Et si per singulas eamus, quantum cogitatione pertingere valemus, deveniendum tandem erit ad caussam primam, cui eæ, quæ primæ concipiuntur, existentiæ suæ initium debent, & in cujus æternitate, quum necessario à se ipsa & sine initio existat, cogitationes nostræ, velut in immensa abysso, absorbeantur. Infinities Sacræ literæ, inculcant, ex Creaturarum contemplatione supremi Numinis existentiam indubitatis argumentis colligi.

Quod Jobus docet Cap: xii: 7. 8. 9.

XII. Ἐμφαλικώτατον testimonium exstat Jobi xii: 7. 8. 9. *Enimvero roga, age, pecudes & docebunt te, & alites cœli, & indicabunt tibi &c: Quis non novit per omnia hæc, quod manus Dei fecerit hoc?* Ablegamur ad colloquium cum creaturis, ut edoceant nos de Creatore. Colloquium illud non potest aliud notare, quam attentam creaturarum considerationem, in ortu, in essentia, in facultatibus, in operationibus suis, in ordine ad se invicem, in lege cui subsunt, & quæ ad conservationem universi inviolabiliter observatur. Responsum quod dant, doctrina quam promunt, est demonstratio Deitatis. Nam quum se ipsas producere non potuerint, neque adhucdum se conservare possint, multo minus se tam sapienter gubernare, ut quæque suo ordine & habeat quod ad existentiæ suæ continuationem facit, & ad alias juvandas comparata sit, & toti universo famuletur, uti in familia ac civitate prudentissime constituta; etiam silentes cuivis animum advertenti inclamant, se potentissimi simul & Sapientissimi numinis manu, uti factas olim esse, ita etiamnum regi. Et notandum collectionem hanc non traditioni alicui πατροπαραδότῳ, sed ipsi creaturarum institutioni, omni etiam humana traditione seposita, adscribi.

Et David Ps: xix: 2. 3. 4. 5.

XIII. Non minus validum est illud Ps: xix: 2. 3, 4. 5. quod brevi paraphrasi explicabo. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Nam quum Thronus ipsius sint, affabre ab ipso factus, testantur de ejus Potentia, Majestate, & Opulentia. *Et opus manuum ejus indicat expansum.* Clamans se non nisi verbo ipsius coaptatum esse, ut inferiora superioribus commode uniantur, & terrestria, influxu cœlestium, per expansum se iis communicante, subsistant. *Dies ad diem eructat dictum, & nox ad noctem ostendit scientiam* Hæ tenebrarum lucisque vicissitudines tam exacto, tam constanti ordine, sibi invicem respondentes, illa solis siderumque vertigo, nec tardius reptans quam olim, nec præcipiti magis motu rotata, sed conservans adhuc modum cursus primogenium, curatarum vicissitudinum harum caussa,

sapien-

sapientissimum Rectorem arguunt. Nullaque dies est, nulla nox, quin & pro se aliquid de Deo dicat, & attestetur alteri, præcedentis veluti discipulus, & sequentis magister. *Non est dictum, & non sunt sermones, non auditur vox eorum.* Non docent *verbis*; quia si dicto docerent, cum dicto desineret institutio. Non erudiunt *sermonibus*, qui in concatenatorum subtiliter argumentorum nexu consistunt; quibus fieri vix potest quin aliqua insit obscuritas. Non auditur *vox* eorum, cujus sonus obtunderet nos nimio fragore. Sed cœlum, & *semper*, & *clare*, & *suaviter* docet: quasi in speculo videndas exhibens Creatoris sui virtutes. Nisi ita interpretari verba velis; (quod neque nobis displicet) *Non est sermo, & non sunt verba, ubi non auditur vox eorum.* Quantumvis inter se populi linguis differant, & Græcus Barbaros non intelligat: tamen ad omnes pariter erudiendos communis cœli sermo est. Nec quicquam præter socordiam obstat, quo minus alienissimi quique ex unius veluti Doctoris ore proficiant, בכל הארץ יצא קום, *in totam terram exivit linea eorum.* Talis est cœlorum institutio, ut præceptorum, qui pueros docent literas; figuras nimirum elementorum iis delineando. Ita cœli radiis suis lineas ducunt, & quasi elementa, ex quibus, inter se combinatis, varieque junctis, integer sapientiæ liber componitur. Id notat קו. ut Jes: XXVIII. 13. קו לקו *Linea ad lineam.* A quo non multum abludit Græcorum φθόγγος, quo utitur Apostolus Rom: x: 18. quod non tantummodo *sonum*, sed & *literam* apud *Plutarchum* in *Fabio* notat: quemadmodum in Lexico suo observavit *Scapula.* Et hæc quidem linea *in totam terram* exivit, *& in extremum orbis habitabilis vocabula eorum.* Omnes homines, sive in habitabili, sive desertissima terra sint, hoc Magistro erudiuntur. Nullus est orbis angulus, ubi figuræ cœli, quæ totidem Divinarum perfectionum argumenta sunt, non cernuntur.

XIV. Hæc quum simplex, & verbis consona, & Deo digna explicatio sit, pessime Socinus, hic pro confesso sumi, non ex cœlorum intuitu probari, contendit, quod creati à Deo sint: negatque eos Dei gloriam narrare nisi iis qui aliunde de Dei existentia & mundi creatione persuasi sunt. Et quæ de tota terra ad quam exivit linea ipsorum canuntur, ad solam restringit Judæam: adductis in eum sensum Ps: XLV: 17. CV: 7. & II: 8. Quæ audax scripturarum perversio est. I. Etenim Psalmum inspicienti clarum est, vatem duas Deum agnoscendi vias monstrare, quarum altera *naturæ* est, quam delineat ab initio ad versum 8: altera *revelationis*, quam, ut multo perfectiorem, exornat deinceps. Neque hanc illi, sed illam huic præstruit. II. Neque ita verba Psalmi interpretanda sunt, uti Socinus facit; *Firmamentum indicat quale sit opus*, seu *celebrat opus.* Sed, *firmamentum indicat opus manuum ejus.* i. e. annunciat se opus Divinæ omnipotentiæ esse.

Quem locum pessime Socinus pervertit

Quo

Quo sensu & coeli, & Sol, & Luna, & quotquot sunt rutilantia sidera; Deum celebrare dicuntur: quia, quum ipso præcipiente condita sint, homini ad Dei laudes decantandas uberrimam suppeditant materiam. Ps: CXLVIII: 1: 3: 5. III. Neque id Judæis duntaxat, sed ea lingua quæ & Israelitis, & Græcis, & Barbaris, ex æquo intelligibilis est. Non enim se gentibus quoque olim ἀναμαρτύρητον reliquit. Act: XIV: 17. IV. Idque per totam terram, usque ad extremum orbis habitabilis: quæ sane angusto Judææ ambitu neutiquam continentur. Nisi quis intra Judæam quoque arctare velit quod de Evangelio, *cuivis creaturæ* prædicato, Mar: XVI: 15. iisdem verbis exponit Apostolus Rom: x: 18. V. Nec potis est hæreticus ullum scripturæ locum assignare, ubi *tota terra*, & *extremum orbis habitabilis*, ita junctis vocabulis, solum Judææ tractum notet. Nam quæ profert testimonia, ea aliena sunt. Ps. XLV: 17. est prophetia de vocatione gentium, ut patet ex vers: 18. Ps: CV: 7. *Judicia ipsius sunt in omni terra*, nulla specie ad Judæam restringitur: quum in toto orbe judicia exerceat, & ea quæ exercuit in populo suo publicata sint gentibus, Perperam confundit hæreticus judicia *operum* Dei cum judiciis *legis*, quæ quondam solis patefecerat Israelitis. Ps: CXLVII: 20. Et etiamsi daremus Judæam quandoque omnem terram dici, nunquam tamen fines orbis habitabilis tam exiguo terræ angulo terminantur. Ps: II: 8. sermo est de Regno non Davidis, sed Christi, *cui data est omnis potestas in cœlo & in terra*: Mat: XXVIII: 18. *ut dominetur a mari ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum*. Ps: LXXII: 8. VI. Quamvis ea phrasis alibi id significaret, tamen hic id significare non potest: quum de omni ea terra hic agatur, ubi solis conspicitur linea, & lucida tela diei, & maturans omnia sentitur calor.

Gentilibus ipsis hac in parte coeciot.

XV. Et profecto nisi frontem de rebus periisse dudum compertum foret, pessimos hos scripturarum depravatores in ruborem dari oportuisset à prudentioribus Gentilium: quorum bene multi, ex sola cœli siderumque, atque ordinis qui in universo conspicitur, consideratione, ad numinis agnitionem excitatos se convictosque fatentur. Notum est *Platonis* illud: οὐρανὸς οὐδέποτε παύεται διδάσκων ἀνθρώπους. *Nunquam cœlum homines docere cessat.* Cui consonum est *Lucilii* illud apud *Ciceronem, de Natura Deorum Lib:* II. *Quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, quum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?* Et pauculis interjectis: *Quod qui dubitat, haut sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius?* Adde & alterum illud ejusdem *Ciceronis* ex *Orat: de Haruspic. Respo: Quis est tam vecors, qui, quum in cœlum suspexerit, Deos esse non sentiat, & ea, quæ tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet?* Sed quid

quid singulos moror? Universos cives suos, ex cæli animadversione, ad agnitionem Divinitatis lege lata obstrinxit Locrensium Legislator *Zaleucus*. Is enim, teste *Diodoro Siculo*, *Lib:* XII. Καταβαλλόμενος ἐξ ἀρχῆς καινὴν νομοθεσίαν, ἤρξατο περὶ τῶν ἐπουρανίων θεῶν. Εὐθὺς γὰρ ἐν τῷ προοιμίῳ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἔφη δεῖν τοὺς κατοικοῦντας ἐν τῇ πόλει πάντων πρῶτον ὑπολαβεῖν καὶ πεπεῖσθαι θεοὺς εἶναι, καὶ ταῖς διανοίαις ἐπισκοπεῖν τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν διακόσμησιν καὶ τάξιν, κρίνειν, οὐ τύχης, οὐδ' ἀνθρώπων εἶναι ταῦτα τὰ κατασκευάσματα. *Ad leges componendas à populo delectus, novasque sanctiones agressus, statim à Diis cœlestibus initium fecit. In ipso enim novi operis exordio hæc præfatur: Ab incolis suæ urbis requiri, ut ante omnia certo persuasum habeant, credantque esse Deos, & mente cœlum intuentes, & mirificum ejus ornatum atque ordinem, non casus fortuiti, nec hominum illud opificium esse, judicent.*

XVI. Quid porro ad sententiam nostram evidentius est, famoso illo Pauli dicto? Rom: 1. 20. *Invisibilia ipsius à creatione mundi rebus factis animadversa conspiciuntur, ejus tum æterna potentia, tum Divinitas.* Ubi nota I. Quid de Deo cognitum esse dicat Apostolus. II. Quo modo. III. Ex quo tempore. IV. Unde. Rom. 1:20. explicatur.

XVII. *Quid* de Deo notum est? Id *primo* generatim exponit Apostolus. τὰ ἀόρατα αὐτοῦ. *invisibilia ejus*: (mentem enim esse Deum, ab omni corporis mole secretam, nullisque oculis spectabilem, inter primas notiones est) *tum* specialius. I. *Potentia* ejus, quæ solo suo nutu, sine adminiculatione ulla, sine ulla præexistentis materiæ oportunitate, eo solum quod vult, omnia facit existere; & donec vult, in existentia sua permanere. II. *Æternitas*, quæ nec initium, nec finem dierum, nec cum fluxu temporis commune quicquam habet. Nisi enim ab æterno fuisset Deus, non esset. Nam quod non fuit ab æterno, neque produci potest, illud non est. Produci autem Deum, à ratione omni alienissimum est. Et quod initium non habuit, id neque finem habere potest. Nam caussam necessariæ existentiæ in propriis perfectionibus suis possidet. Subtiliter alicubi Aristoteles, τὸ ἐξ ἀνάγκης, καὶ ἀεὶ, ἅμα. *Necessario, & semper, simul sunt.* Et nisi æternus esset Deus, non posset esse formator temporum. Eleganter *Synesius Hymno* III. προούσιε νῦ Κόσμου ῥίζα. *Quæ ante substantiam es mens, Mundi Radix* III. Θειότης, *Divinitas.* Quæ hic significat virtutes & decentias Dei, inprimis quod sibi ipse sufficiens sit, & *nullius rei indigus.* Act: XVII: 25. tum etiam σχέσιν illam quam habet ad creaturas, utpote omnium Dominus, & idcirco ab omnibus amandus colendusque.

XVIII. *Quomodo* hæc cognoscuntur? Νοούμενα καθορᾶται. *Mente perspiciuntur.* I. Etiamsi corporis oculis aspectabilia non sint, sunt tamen *menti* ac animo aspectabilia. Sed animo, νοοῦντι, *attendenti*, ac consideranti; non torpenti, neque se ipsum impie excæcanti. II. Tali menti *conspiciuntur.* Tam enim promta est hæc cognitio, qualis est eorum

quæ sunt oculis subjecta fidelibus, veluti solis qui orbem illustrat, lunæve, aut siderum: ita ut homo jure exigere non possit ampliorem & evidentiorem eorum demonstrationem.

XIX. *Ex quo tempore* hæc ita conspiciuntur? ἀπὸ κτίσεως κόσμου. *à conditu mundi.* Nonnulli hoc construunt cum *antecedentibus*, hoc sensu, *quæ invisibilia fuerunt jam inde à condito mundo*: sed quum ea quæ ad Deum pertinent in se & semper invisibilia sint, melius est ut ad *sequentia* id referatur, *Conspiciuntur à Creatione mundi.* Id rursus duplicem potest habere sensum: *primo*, ut *argumentum cognitionis* notet, quasi dixisset, ex consideratione creationis mundi, ut Mat: VII: 16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*: *secundo*, ut *tempus* significet: innuente Apostolo, quam diu mundus fuit, & in eo homines, tam diu virtutes hasce Dei affulsisse hominibus.

XX. At *unde* earum cognitionem possunt haurire? τοῖς ποιήμασι. Etenim quæ extra Deum oculis se nostris ingerunt, testantur se esse ποιήματα, *res factas*; h. e. se habere caussam, fabrum, architectum, atque ita ad ποιητὴν τῶν ὅλων hominem manuducunt, qui uti ab imperfectionibus rerum creatarum est immunis, ita omnes earundem perfectiones eminenter possidet.

Mira Socini torsio

XXI. Mirum est quomodo hæc torqueat Socinus. Per *invisibilia* Dei intelligit *mysteria Evangelii*, quæ *abscondita* dicuntur *à constitutione mundi.* Mat: XIII: 35. *Æternam Dei divinitatem*, dictat esse *id quod nos Deus perpetuo facere vult.* (quo sensu Divinitatem enuntiari ait Col: II: 9.) & *æternam potentiam*, vult esse *promissiones quæ nunquam intercident*, (quo sensu Paulus superius dixerat Evangelium esse *potentiam Dei* vers: 16.) & ποιήματα refert ad *miracula* à Deo, Christo, & Apostolis edita.

Quæ refutatur.

XXII. Ad quæ hæc observamus. I. Pervertit hæreticus *scopum* Apostoli, qui est, *Gentiles*, scripto Dei verbo carentes, convincere peccati, & meritæ maledictionis, uti ejusdem rei convincit *Judæos* qui verbum Dei scriptum habuerant, cap: II: 17. &c: ut exinde concludat, utrosque sola Dei gratia, per fidem in Christum debere justificari. Cap: III: 9: 23: 24. Unde claret, Apostolum hic considerare gentiles, in statu naturæ, ante omnem quæ ipsis facta sit Evangelii prædicationem.

XXIII. II. Pervertit item *verba* Apostoli. Nam I. Aliud sunt ἀόρατα τοῦ Θεοῦ, aliud mysteria Evangelii, quæ unqnam illo vocabulo exprimi, nequidem conatur probare. Apostolus hic oculos corporis opponit oculis mentis, & quæ illis visibilia esse negat, his visibilia esse asserit, quomodo & Deum ἀόρατον dicit I Tim: I: 17. Quod attinet Mat: XIII: 25. ibi & phrasis alia est, & res diversissima: sic ut hic Pauli locus cum illo Christi dicto inepte contendatur, II. Toto cœlo distant æterna Divinitas, & id quod Deus nos perpetuo vult facere. Quæ pro iisdem venditare

est

est hominis κεκαυτηριασμένην ἔχοντος συνείδησιν qui candida vertit atris. Qua auctoritate, quo exemplo, non dicam ex sacris literis, sed ex quolibet Scriptore, probabit, Divinitatem esse id quod Deus nos vult facere? Nam quod eo fine Col: I: 9. profert, non nisi furentis animi rabies est. Non exstat ibi θειότης, ut hic; sed θεότης. Neque illa vox notat ibi quod à nobis fieri vult Deus: (quomodo id habitat in Christo, & quidem corporaliter?) sed significat ipsam Divinam naturam, quæ in Christo, non typice & umbratice, ut olim in templo, sed vere & realiter residet. III. Nusquam æterna Dei potentia promissiones ejus notat. Evangelium dicitur potentia Dei, quia est efficax ad salutem: voce potentiæ in nativo suo significatu sumta. Neque enim vult dicere Apostolus, Evangelium esse promissionem Dei, sed in convertendis electis suis per prædicationem Evangelii, concomitante Spiritu Sancto, exercere Deum *supereminentem magnitudinem potentiæ ipsius, pro efficacitate roboris virium ipsius.* Eph: I: 19. IV. Non solent etiam miracula ποιήματα vocari, sed δυνάμεις, σημεῖα, τέρατα. Ποίημα rem à Deo *conditam* notat. Αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, κτισθέντες. *Ipsius enim factura sumus, creati* &c. Eph: II: 10. ποίημα & κτίσμα æquipollent. Uti etiam scelesta olim Ariani Christum ποίημα καὶ κτίσμα esse blasphemabant.

XXIV. Turpe est tam luculenta Scripturæ testimonia alio torqueri ab iis qui Christianos se dici postulant: quum Gentiles ex mundi consideratione ad Conditorem ipsius Deum adscenderint. Aristoteles, sive quisquis Auctor est Libri de mundo Cap: XI. Ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν. οὐδεμία δὲ φύσις αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης, ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας. *Vetus igitur sermo est, omnibusque patrius hominibus, universa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse & coagmentata.* Neque id antiqua solum traditione nititur; sed ex imperfectione omnium creaturarum valide concluditur. *Nam nulla natura sibi ipsa sufficit, destituta illa quæ ex ipso procedit salute:* Quæ quidem proba illatio est, ex imperfectione creaturarum & insufficientia, ad perfectissimum & sufficientem Creatorem adscendens. Omne enim quod imperfectum esse dicitur, id diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur. Etenim perfectione sublata, unde illud quod imperfectum perhibetur exstiterit, ne fingi quidem potest: uti argumentatur Boëthius Lib: III. Prosa X. Adde ex *Cicerone Lib:* II. *de Divinatione. Esse præstantem aliquam, æternamque naturam, & eam suspiciendam adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cœlestium cogit confiteri.*

Ipsi Gentiles ex mundi consideratione ad Deum adscenderunt.

XXV. Confirmant eandem veritatem, admiranda portentorum, futurorum vaticinia, fatales Monarchiarum periodi; atque id genus plura, quæ copiose ab aliis exposita hic nobis verbo duntaxat repetenda fuerunt. Vide Dan: III: 26. &c: IV: 34: VI: 27.

Pluribus hæc veritas argumentis firmari potest.

De qua nullo prætextu licet dubitare.

XXVI. Veritati huic de existentia Dei, tot se ac tam claris tamque fortibus argumentis ingerenti, firmiter cuivis assentiendum est. Nullo unquam tempore, prætextu nullo, ea de re dubitandum. Ne quidem eo fine ut dubitando ad certiorem cognitionem pervenias. Tam evidens est hæc veritas, ut nemo, attendens serio, de ea dubitare serio possit. Nam qui Athei dicti sunt antiquitus, ii & pauci oppido fuerunt, & profligati plerumque nebulones, quibus expediebat non esse Numen: & contradicēdi magis studio quam ex intimo animi sensu ita fuerunt locuti, uti is qui nivem atram esse pugnabat: & ita aliquando nuncupati sunt, quia falsos gentilium Deos rejiciebant: uti demonstravit *Vossius de Idololatria Lib:* 1. *Cap:* 1. Ideoque pium nunquam est, quacunque demum intentione, huic se dubitationi immergere. Nunquam justum est dicere: forte non est Deus: forte Spiritus aliquis malignus, & summe potens nos in omnibus his quas de Deo habemus cogitationibus decipit. Non tamen oscitanter hæc veritas prætermittenda, aut temere nobis rei tam nobilis sufficiens cognitio arroganda, ne forte non satis amemus, aut adoremus quod nescimus. Qua in re caute procedere, non est de Deo dubitare, sed de nobis, an diligenter satis hac in parte nostro defuncti simus officio.

Fides Naturam sibi substruit.

XXVII. Cuncta quæ hactenus diximus, *Natura* & *ratio* de *Existentia Dei* docere hominem, etiam peccatorem, possunt. Illa substruit sibi *Fides* Christiana, non evertens Naturam, sed, per illam, supra illam adscendens. Nimirum ut scite *Tertullianus* ait, *Libro de resurrectione Carnis: Præmisit Deus naturam Magistram, submissurus & Prophetiam, quo facilius credas Prophetiæ, discipulus Naturæ.* Cui succinit *Clemens Alexandrinus, Strom: Lib:* VII. *p:* 710. Editionis Parisiensis Ao. 1641. φιλοσοφία δὲ ἡ Ἑλληνικὴ οἷον προκαθαίρει καὶ προεθίζει τὴν ψυχὴν εἰς παραδοχὴν πίστεως, ἐφ᾽ ἧ τὴν γνῶσιν ἐποικοδομεῖ ἡ ἀλήθεια. *Philosophia autem Græca veluti præpurgat & præparat animum ad fidem accipiendam, super quam veritas ædificat cognitionem.* Quo sensu excusari potest, quod *Lib:* VI. *p:* 648. Philosophiam Naturalem appellet ὑποχέθρας τῆς κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίας, *imas Christianæ Philosophiæ scalas.* Videamus ergo quid *Christiana Fides* circa Dei existentiam huic *persuasioni naturali* superaddat.

Fides dat animadversionem.

XXVIII. 1. Facit ut quis attento animo observet illa Deitatis argumenta, quæ, tam Macrocosmus, quam Microcosmus, suppeditat. Πίστει νοοῦμεν, *Fide animadvertimus.* Heb: XI: 3. Multa quæ ad τὸ γνωστὸν Dei pertinent, & in evidentissima luce posita sunt, occaecatis oculis à plurimis prætereuntur. Friget, languet, torpet hac in re maxima pars hominum: unde fit, ut vel in nuda Divinitatis opinione subsistant, vel, si qui penitius in contemplationem numinis descendant, contenti sint tenuibus veritatis elementis, quæ plurimo errore fœdant, sic ut dum sapere videntur, & cogitationibus indulgent suis, revera infatuentur. Illi imprimis qui mali animi

animi œstro perciti malunt non esse Deum, (quem criminum vindicem esse ignorare non possunt) omnes de Numine cogitationes suffocare nituntur, quæ non nisi invitis obversantur pectoribus. De talibus scribit Apostolus: Rom: I: 28. οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, *non tanti judicaverunt Deum in cognitione habere.* Hoc est, ut *Theophylactus* explicat, ἀπεδοκίμασαν εἰδέναι Θεόν, *improbarunt Deum nosse.* Fuit in ipsis peccatum οὐκ ἀγνοίας, ἀλλὰ μελέτης, *non ignorantiæ, sed studii*, ut *Chrysostomus* observat. Quale eorum est, qui Deo dicunt: *recede à nobis: nam cognitione viarum tuarum non delectamur.* Job: XXI: 14. Fides autem Christiana facit ut quis veritatem hanc de Deo amet, & propterea ad argumenta dilectam sibi veritatem probantia cum cura attendat, & in illorum se contemplatione oblectet: occinens Deo, *suavis erit de te meditatio mea, ego lætabor in Jehova.* Ps: CIV: 34. Simulque omnem δοξισοφίαν, ac vanam scientiæ opinionem, procul esse jubens, efficit ut homo humilis Dei discipulus fiat, & ab illius unius ore pendens, in cæteris quæ ad Deitatem pertinent, ab ipso erudiri cupiat; dicens, *Quis est Doctor sicut ille?* Job: XXXVI: 22.

XXIX. II. Non contenta est Divinitatem iis argumentis nosse quæ natura suggerit, sed nititur insuper Dei de se ipso, tam externe per Verbum Scripturarum, quam interne per secretam Spiritus vocem testificantis, Testimonio. CREDIT enim Deum esse, quia audit verbum ejus, quod tam Sapiens, tam Sanctum, tam Suave, tam Efficax, tantaque Majestate plenum esse comperit, ut non nisi Dei verbum esse queat. Et quemadmodum quis Patrem suum adesse credit, quia notam ejus vocem audit, ita & Fides Deum in mundo esse credit, quia auribus suis illam Numinis vocem haurit, quæ incredibili suavitatis pollentia in intima cordis se insinuans, ab omnibus deceptorum spirituum illusionibus plurimum distat. Et uti sponsa suetos dilectissimi Sponsi sonos audiens, mox exclamat; *Hæc est vox dilecti mei, Ecce illum.* Cant: II: 8. ita Fidelis Dei vocem in mundo audiens, novit & discernit eam Joh: X: 4. clamatque; *Domine mi, & Deus mi.* — *Nititur testimonio Dei.*

XXX. III. Natura *confuse* duntaxat & *generatim* Deum aliquem esse docet, sed QUIS sit ille Deus determinata non enucleat. *Maximus Tyrius*, antea quoque nobis laudatus, postquam *dissertatione prima* in genere nonnulla de Numine dixisset, ita porro infit, Τοῦτον μὲν δὴ ὁ ἐξ Ἀκαδημίας ἡμῖν ἄγγελος δίδωσι πατέρα καὶ γεννητὴν τοῦ ξύμπαντος. τούτου ὄνομα μὲν οὐ λέγει· οὐ γὰρ οἶδεν. *Talem Academicus ille Vates* (Platonem intelligit) *Patrem & Auctorem Universi nobis dat. Illius tamen nomen non edit: non enim novit.* Haut immerito *Clemens Alexandrinus*, *in Admonitione ad Gentes, pag.* 14. Atheismi reos peragit Gentiles; atque ejus quidem gemini: primo quod τὸν μὲν ὄντως ὄντα Θεὸν ἠγνοήκασι, *eum qui est vere Deus ignora-* — *Non docet modo quod sit, sed & quis sit Deus.*

ignoraverint; dein, quod τοὺς οὐκ ὄντας ὡς ὄντας ἐνόμιζον, θεοὺς τούτους ὀνομάζοντες τοὺς οὐκ ὄντας ὄντας, *eos pui non sunt esse existimaverint, eos Deos nominantes qui revera non sunt.* Eleganter admodum *Vossius de Idololatria Lib:* I. *Cap:* IV. *Idem illis contigit, ut caeco illi apud B. Johannem Cap:* IX. *Hic enim quum videret Filium Dei à quo visum acceperat; rogavit nihilominus quis esset Filius Dei. Nempe quia, quem videret, nesciret eum esse quem videret: ut si Regem cernas, & Regem esse nescias. Similiter Gentiles prope omnes eum, qui videri nequit, in opere elucentem viderunt, & clamoso silentio audiere dicentem, esse se opificem & Rectorem universi, colique à nobis velle ac debere: sed ad conspectum oculos clausere, ad vocem obturarunt aures, ac quasi alto pressi sopore, talem imaginati sunt, qualia forent quæ oculis se quotidie subjicerent; somnioque suo nimium creduli, opificium amplexati sunt pro opifice, divinitatem non tribuendo Deo, sed non-Deo. Quod vere erat veritatem in mendacio detinere.* Neque minus præclare *Hist. Pel. Lib:* III. *Part:* III. *Thesi* VI. Quæ verba, licet prolixiuscula, quia rem nitidissime exponunt, non pigebit appingere. Ita ergo ibi: *Quamquam vero aliqua de Deo norimus naturâ, verum tamen Deum non novimus nisi per revelationem Divinam ... Nec adversus illud quod dicebamus, gentes non novisse verum Deum, objici illud debet, quod de iis Apostolus ipse dicat Rom:* I: 21. γνόντες τὸν θεόν. *Nam quemadmodum Oedipus, quum se, ut Poëta ajunt, patrem habere sciret, eum tamen Lajum esse ignorabat: itidem gentes eò naturæ lumine pertingere potuerunt, ut unum esse Deum cognoscerent, eumque omnis boni fontem; nec tamen quis Deus ille foret, novissent: unde & hunc* ἄγνωστον θεὸν *annuntiari iis opus fuit, teste Apostolo in Actis* XVII: 23. *Duplex igitur Dei cognitio est: prior simplex, qua scitur esse Deum, eumque sapientem, bonum, potentem, justi remuneratorem, injustitiæ vindicem: altera vero applicata ad certum subjectum, puta Deum Israëlis. Generalem illam notitiam gentibus concedimus: posteriorem non item, quia præclaras illas de Deo notitias in mendacio & impietate detinuerunt, tribuentes illas, non vero, sed falso numini: unde non novisse Deum plurimis scripturarum locis dicuntur.*

XXXI. Verum Fides Christiana novit *Nomen Dei*, cujus scientiam ex doctrina Christi Domini hausit. Joh: XVII: 6. editque nomen illud, dicendo: *Tu solus nomine tuo es JEHOVA, Altissimus super universam terram.* Ps: LXXXIII: 19. Fides Divinitatem in ipso Deo agnoscit, & ea quæ Dei sunt non adscribit non-Deo. Non dicit: לא יהוה פעל כל זאת, *Non-Jehova operatus est hoc omne.* Quod esset נכר, *alienare*, Divinitatem & opera Dei à Deo. Deut: XXXII: 27. Fides *distincte* eum solum Deum esse scit, qui se protoplastis in Paradiso, dein Patriarchis & Prophetis πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως manifestum fecit, & denique visendum præbuit in Filio, humana carne vestito. Ille uti verbo suo proclamat, *Ego, Ego sum Jehova, & non est præter me qui sospitet.* Jes: XLIII: 11.
Ita

Ita fides illi dicto assentiens regerit, *Tu solus ille Jehova es, Tu fecisti cælum &c.*. Neh: IX: 6. Fidelium Christianorum est ita in veritate loqui, ut vane Tryphon ille apud *Lucianum*, vel quicunque Auctor est Dialogi qui inscribitur *Philo-patris*: ἡμεῖς γὰρ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσομεν. *Nos autem qui Ignotum Athenis Deum invenimus, adorantes, manibus in Cælum expansis, huic gratias agemus.*

EXERCITATIO V.

In qua exponitur,

Quid sit,

CREDERE IN DEUM.

BREVIARIUM.

1. *Credere in Deum plurima complectitur.* 2. *Natura quidem aliquo modo docet beatitudinem in communione Dei consistere.* 3. *Sed illa cognitio in Gentilibus evanuit.* 4. *Fides id longè distinctius & efficacius docet.* 5. *Heb.* XI: 6. *exponitur.* 6. *Cognitio ista Dei excitat vehemens desiderium communionis cum ipso.* 7. *Communionem Dei sibi oblatam alacriter fides apprehendit.* 8. *Accedit diligens sui scrutinium.* 9. 10. 11. 12. *Gnorismata ex quibus quis novit Deum suum factum esse.* 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Magnum est animæ in Deo ut suo exsultantis gaudium.* 19. *Persuasio Naturalis de Numine idonea quidem est ingenerando studio probitatis.* 20. *Sed in paucis id præstitit.* 21. 22. 23. 24. *Fides autem in Deum veræ pietatis mater est.* 25. *Ea quæ prædicta sunt, non æque efficacia sunt in omnibus fidelibus.*

HÆc sunt quæ *Fides Christiana de Dei existentia Credit*: Sed nullo pacto existimandum est, augusta illa Confessionis nostræ verba, CREDO IN DEUM, nihil aliud in se complecti. Imo vero continent universam piæ animæ in Deum, tanquam Salutare suum, recumbentis operositatem. Cujus ratio enucleatius nunc discipulis nostris præformanda & exponenda est. Comprehendit ergo Fides in Deum, quando in omni sua latitudine sumitur. I. Cognitionem & Agnitionem illarum Dei perfectionum per quas Salus & Beatitudo peccatoris fieri potest. II. Quæstionem unionis & communionis cum Beato & Beatifico illo Numine. III. Dei se ipsum ad salutem offerentis alacrem acceptationem. IV. Sedulum animæ scrutinium, num inhabitantis in se Dei gnorismata deprehendat. V. Gaudium inenarrabile

Credere in Deum plurima complectitur.

narrabile ex eorum conſcientia ortum. VI. Sanctam animi ſollicitudinem digne Deo ambulandi. De ſingulis ordine agemus.

Natura quidem aliquo modo docet, Beatitudinem in communione Dei conſiſtere.

II. Quicunque ſe in contemplatione Dei ſedulo exercet, etiam Natura duce animadvertere poterit, Deum optimum, Beatiſſimum, Sufficientiſſimum eſſe: unde infallibili ſequela concluditur, ſummum bonum in illius ſimilitudine ac communione conſiſtere. Scite id Philoſophicis rationibus *Boëthius* demonſtravit, *de Conſolatione Philoſophiæ, Lib.* III. *Proſ.* X. *Deum omnium principem, Bonum eſſe, communis humanorum conceptio probat animorum. Nam quum nihil Deo melius excogitari queat, id, quo melius nihil eſt, bonum eſſe quis dubitet? Ita vero Bonum eſſe Deum ratio demonſtrat, ut Perfectum quoque bonum in eo eſſe convincat. Nam ni tale ſit, rerum omnium princeps eſſe non poterit: erit enim eo præſtantius aliquid, perfectum poſſidens bonum, quod hoc prius atque antiquius eſſe videatur. Omnia namque perfecta minus integris priora eſſe claruerunt. Quare ne in infinitum ratio prodeat, confitendum eſt, ſummum Deum ſummi perfectique boni eſſe pleniſſimum. Sed perfectum bonum, veram eſſe beatitudinem conſtituimus. Veram ergo beatitudinem in Summo Deo ſitam eſſe neceſſe eſt.* Unde hoc infert veluti corollarium: *Quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo vero eſt ipſa Divinitas, Divinitatis adeptione fieri beatos manifeſtum eſt. Sed uti juſtitiæ adeptione juſti, ſapientiæ ſapientes fiunt, ita Divinitatis adeptione, Deos fieri ſimili ratione neceſſe eſt. Omnis igitur Beatus, Deus; ſed natura quidem Unus, participatione tamen nihil prohibet eſſe quam plurimos.* Hactenus Boëthius, cum cujus extremis verbis conferri velim Petri phraſin 2 Epiſt. cap. I. verſ. 4. Ut DIVINÆ NATURÆ CONSORTES *evadatis.*

Sed illa cognitio in Gentilibus evanuit.

III. Verum utut evidens & certa hæc illatio ſit: nihilque, nec re ipſa verius, nec ratiocinatione firmius, nec Deo dignius concludi poſſit: attamen pauciſſimi oppido eorum qui ſolam naturam magiſtram habuere, de veritate hac ſerio cogitarunt. Et dubitari merito poſſet, an ipſe unquam Boëthius in has meditationes incidiſſet, ni philoſophia ipſius ſpiritualiori luce fuiſſet illuſtrata. Quando *Plato* definiverat beatitudinis finem eſſe ὁμοίωσιν θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, *aſſimilationem Deo, quoad ejus fieri poteſt.*; Clemens Alexandrinus id referens, non injuria ambigit, an magnitudini genii ipſius adſcribendum ſit, quod in veritatem ſacris Chriſtianiſmi dogmatibus tam conſentaneam inciderit: an vero id hauſerit ab aliquibus quæ tunc erant Divinis eloquiis. *Strom. lib.* II. *p.* 403. Sed præterquam quod lucidiſſima iſta veritas obſcure admodum Gentilium menti obverſata ſit; qua via communio Dei obtineri queat juxta cum ignorantiſſimis ignoraverunt. Hinc fit, ut cogitationes hominis naturalis à meditatione hujus veritatis facile abſtrahantur; & voluntas ad appetitionem maximi illius boni non ita ut par eſt feratur: & mens affectuum mole preſſa in ratiocinationum

num suarum sublimitate ac subtilitate tandem evanescat, & ad corporalia, terrena, caduca bona, turpiter subsidat, *Dei oblita.* Ps: IX: 18.

IV. At Fides Christiana uberiori luce animam perfundit, facitque ut distincte de Deo cognoscat: A. Eum esse τὸν μακάριον καὶ μόνον δυνάστην, 1 Tim: VI: 15, qui in possessione, cognitione, ac fruitione infinitarum perfectionum suarum, absolutissimam, Deoque dignam, beatitudinem invenit. B. Eum non sibi duntaxat, sed & creaturis suis rationalibus, quibuscum se communicare dignatur, ad omnem beatitatem sufficientissimum esse, utpote אל שדי Gen: XVII: 1. quique est *omnia in omnibus*: 1 Cor: XV: 28. in *cujus facie est satietas gaudii*, Ps: XVI: 11. ita animam implentis, ut præter eum nihil desiderabile sciat, nihil scire desideret. Psal: LXXIII. 25. C. Tantas esse in Deo omnisufficientiæ divitias, ut, quod incredibile propemodum videtur, non obstante Majestate, Sanctitate, Justitia, Veritate, cæterisque virtutibus suis, Deus ac salus hominis, per peccata perditi, esse queat, neque queat tantum, sed & velit: ita ut pecccatori liceat canere: *Ecce Deus noster hic est; exspectavimus eum, & servabit nos: hic est Jehova quem exspectavimus, exsultabimus, & lætabimur de salute ejus.* Jes: XXV: 9. D. Eum salutem, jam per Filium partam, & per Spiritum applicandam, omnibus eam desiderantibus in Evangelio gratis offerre, & ad illius participationem quoscuuque comiter ac blande invitare: dum alta voce clamat, *An non ego Jehova? Nullus amplius Deus præter me est; Deus fortis, justus & servator. Nullus est præterquam ego. Respicite ad me, & servemini omnes fines terræ: nam ego sum Deus fortis, & nullus præterea.* Jes. XLV. 21. 22. E. Tantam salutem non esse negligendam, sed, omnibus rebus posthabitis, operam dandam esse, ut participes ejus evadamus, Deum gratiose se nobis offerentem magna desiderantis animi alacritate acceptantes, eique nos rursus prono affectu dedentes. Heb. 11. 1. 2. 3.

Fides id longe distinctius & efficacius docet.

V. Hæc omnia iis continentur verbis quæ Apostolus scripsit Heb. XI. 6. *Credere oportet eum qui accedat ad Deum, quod sit, & quod quærentibus eum remunerator fiat.* Quo sermone augustius aliquid exhibetur iis, quæ peccatorem natura docere potest. Nam 1. CREDERE *quod Deus sit*, est fidem adhibere testimonio illi, quo Deus nomen suum, & virtutes, & divitias omnisufficientiæ suæ, patefecit. Nam fides est cognitio, Dei testimonio nixa. Et quum Deus, qualem se in verbo suo revelavit, talis sit ac tantus ut salus peccatoris fieri possit; non vere credit DEUM ESSE, qui non credit Evangelio hanc laudem Deo danti quod justificare possit impium. Hoc enim in notione Dei, qualem se verbo patefecit, includitur. 11. Posset tamen Deus Deus esse, etiam si *nollet* fieri id, quod propter sufficientiam *potest* fieri, scilicet Deus & salus peccatoris. Hinc ulterius fides Christiana pergit: creditque Deum reapse FIERI

Heb: XI: 6. exponitur.

REMUNERATOREM eorum qui ipsum quærunt: juxta illud Dei testimonium, *non dixi semini Jacobi, quærite me frustra.* Jes: XLV: 19. III. Dictat Fides, bonum illud impenso studio QUÆRENDUM, & ad illud ACCEDENDUM esse. Quod supponit, exstare testimonium aliquod Dei, quo exponatur, quomodo quæri & adiri à peccatoribus velit. Omnino enim statuendum est, peccatorem non posse quærere Deum, nisi & quærat justitiam Dei, quam in salute peccatoris demonstrari necesse est. Rom: III: 26. Neque decere ut accedat ad Deum sine sacerdote: Heb: VII: 16. absque quo accedendi confidentiam habere non potest. Jer: XXX: 21. Quibus verbis doctrina de Christo, & de satisfactione Divinæ justitiæ per eum, continetur. Unde patet, dilute nimis eos hanc Apostoli sententiam interpretari, qui nihil ea contineri volunt, præter id quod Theologia naturalis de Deo docet. Nam præterquam quod illa qualiscunque scientia proprie dicta fides non sit; fides illa, si ita vocare libeat, naturalis, nunquam suffecit ad salutem, nunquam effecit ut quis Deo placeret.

Cognitio ista Dei excitat vehemens desiderium communionis cum ipso.

VI. Distincta istarum veritatum cognitio, quam Fides Christiana de Deo in se complectitur, excitat in animo tam vehemens Dei & communionis cum ipso, *desiderium*, ut non modo volatico aliquo appetitu in ipsum ad breve tempus feratur; sed & omni quiete ac tranquillitate careat, donec summi istius boni, summopere appetiti, ipso actu consors fiat. Conscientia fide informata, sive, ut Psaltes loquitur, *cor* hominis fidelis, gnari quantam perfectionum omnium pulchritudinem in Dei facie cernere sit, dicit Dei vice ac loco, *Quærite faciem meam.* Cui invitationi mox respondere facit fides, *Quæro faciem tuam, Jehova.* Ps: XXVII: 8. *O Deus, Deus fortis meus es, tempestive requiro te, sitiens est tui anima mea, arescit ad te spectans caro mea.* Ps: LXIII: 2. Hinc sanctum votum illud, confusis mundanorum hominum votis oppositum, *Multi dicunt, quis nobis dabit videre bonum! Ego autem dico, Attolle tu super nos lucem faciei tuæ, Jehova.* Ps: IV: 7. Hinc illæ æstuantis continuo animæ querelæ, quamdiu communionis suæ cum Deo necdum certa est: identidem ingeminantis, quid prodest mihi DEUS nisi MEUS? Hinc firmum illud fixumque propositum non desistendi à quæstione Dei, donec inventus fuerit, ut Deus lætissimæ exsultationis. Cant: III: 1: 2: 3. Jes: VIII: 17.

Communionem Dei sibi oblatam alacriter fides apprehendit.

VII. Quando in hac animi Deum quærentis sollicitudine ipsum sese numen benevole offert, dicens *Ecce me, Ecce me,* non pigratur fides passis eum ulnis *amplecti. Apprehendit arcem fortitudinis ejus.* Jes: XXVII: 5. Et uti qui in procelloso mari, submersioni proximus, naufragæ puppis partem aliquam reperit, in eam toto corporis nisu se conjicit; ita anima salutem suam quærens in offerentem sese Deum reclinat, ac universo impetu

impetu suo in illius brachia gremiumque prolabitur. *Quis me desiderat, & salutem in me?* proclamat in Evangelio Deus. *Ego*, inquit fidelis. *Sicut cervus glocitat adspirans ad alveos aquarum, sic anima mea glocitat adspirans ad te, Deus.* Ps: XLII: 2. *En ergo me*, respondet in Spiritu Deus, *ad sitis tuæ expletionem.* Nec mora, *accipio*, regerit fidelis: *sis ergo meus, sim ego tuus, nec quisquam nos imposterum separet.* Hoc est, credere in Deum, ita ipsum *acceptare.*

VIII. Sed quo præstantius est id de quo agitur bonum, quo ardentius est illius desiderium, eo sollicitior est fidelis anima, ne falso ac temere id sibi arroget. Vera in Deum fides, uti mater est bene fundatæ παῤῥησίας, ita omnis temeritatis ac arrogantiæ inimica est & expultrix. Non docet levibus argumentis audacter Deo dicere, *Tu meus est.* Sed paulatim eo ducit, omnibusque probe exploratis hanc demum conclusionem format, quæ omnis consolationis fundamentum est. Gnorismata autem quibus persuadetur fidelis Deum, in quem credit suum factum esse, hæc sunt præcipua. **Accedit diligens sui scrutinium.**

IX. I. Sincerum illud Dei, & arctissimæ cum ipso unionis, desiderium, nuspiam reperitur, ubi non se Deus ad salutem cum anima communicare occœperit. nisi enim ad eam jam accessisset, rutilantibus blandæ faciei suæ radiis eam illuminando, & funibus prævenientis amoris sui eam ad se trahendo; neque cognosceret ipsum, neque desideraret, quæreretve. Animæ ad Dei communionem anhelantis desiderium, non sine communione Dei in anima est. Hinc illa Davidi juncta, *O Deus*, DEUS MEUS *es*, &, *Tempestivè quæro Te.* Ps LXIII: 2. Quia ita ad Deum quærendum festinat, ut reliqua omnia, cum ipso comparata, non nisi pro stercoribus ducat, is jam a Deo apprehensus est. Phil: III: 8. 12. Non currit, nisi tractus. Cant: I: 4. Non amat, nisi amatus, I Joh: IV: 10: 19. **Gnorismata ex quibus quis novit Deum suum factum esse.**

X. II. Deus se cum anima communicans, eam non felicem modo, sed & sanctam facit. communicat enim se talem qualis est. Est autem Sanctus ille, Jes: VI: 3, & is qui Israëlem sanctificat, Ezech: XX: 12. Indit legem suam mentibus, & inscribit eam cordibus eorum, quorum Deus est, Jer: XXXI: 33. & dat ipsis cor unum, & viam unam ad reverendum ipsum omnibus diebus. Jer: XXXII: 38. 39. Vult quidem esse portio suorum: Jer: X: 16. ita tamen ut ipse eorum Dominus maneat, cujus Majestatem eo reverentius colant, cujus Sanctitatem eo studiosius imitentur, cujus bonitatem eo humilius prædicent, cujus amicitiam eo sollicitius conservent, quo propius se iis fruendum dare dignatus est Imo sicut olim Spiritus Dei aquis incubando eas plurimæ vitæ fœtas reddebat, ita & Deus animam inhabitans vitam ei suam communicat, facitque ut antiqua illa & naturalis vita animæ per præstantiorem Dei

vitam paulatim absorbeatur, & non tam ipse homo vivat, quam in homine Deus. Gal: II: 20. Atque hæc communicatio Sanctitatis tam indivulse cum communione Dei nexa est, ut nemo de hac vere gloriari & sincere in ea exsultare queat, nisi illam quoque in sese fulgentem habeat. Et quotiescunqne Sanctitas fidelium deliquium patitur, toties etiam πληροφορία communionis ipsorum cum Deo imminuitur. Ps: LI: 12: 14.

XI. III. Ii quorum Deus factus est Jehova, æquo animo absentiam illius ferre non possunt. Ipso faciem suam abscondente, ad tranquillam animi serenitatem, & totius spiritualis vitæ alacritatem non influente ita perturbantur, ut animo quasi defatiscant, Cant: V: 6. amore ægri sint, Cant: II: 5. consolationes omnes, nisi illo redeunte, respuant. Ps: LXXVII: 3. Qui dolor, si non ex gustu sensuve pristinæ fruitionis, certe ex ingenti æstimatione Divinæ familiaritatis, oritur: cui nemo verum suum pretium ponit, nisi qui ad eam est admissus. De peccatis quomodocunque dolere etiam hi possunt, qui Dei sunt exsortes. Sed ob Sponsi absentiam nulli lugent, nisi Filii nuptiarum, Mat: IX: 15.

XII. IV. Quibus se dedit Deus, ii etiam frequenter sanctis animi ad Deum euntis emotionibus de Deo cogitant. Ubi Thesaurus, ibi cor. Mat: VI: 21. Hinc illi qui de Deo ut suo facto gloriabantur, protestati simul sunt, se de nulla re libentius quam de ipso cogitare. Cantabat sponsa, dilectum suum esse. Cant: VI: 3. sed & addebat, *Est amicus meus mihi ut fasciculus Myrrhinus inter ubera mea pernoctans.* Cant: I: 13. Psallebat David, *Jehova portio prædii mei & poculi mei* Ps: XVI: 5. sed & addebat, *proponq mihi Jehovam jugiter.* vers 8. Confer Ps: LXIII: 2: 7. Pie *Augustinus* in *præfatione Manualis sui. Mens mea devota tibi, tui amore succensa, tibi spirans, tibi inhians, te solum videre desiderans: nihil habet dulce nisi de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, tuam gloriam frequenter sub corde revolvere: ut tui suavis memoria, sit inter hos turbines aliqua repausatio mea. Te ergo invoco, desideratissime, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Et quum te invoco, utique in me ipso invoco. Quoniam omnino non essem, nisi tu esses in me. In me es, quoniam in memoria mea manes: ex ea cognovi te, & in ea invenio te, quum reminiscor tui, & delector in te, de te.* Ex his similibusque indiciis certior esse fidelis potest, Deum jam suum Deum factum esse.

Magnum est animæ in Deo ut suo exultantis gaudium.

XIII. Quod quando anima certo novit, præsertim si ex ipsius id Dei, intus per Spiritum eam alloquentis, ore audiat, & gustu Divinæ dulcedinis reapse experiatur; incredibile est, quanto demulceatur *gaudio.* De quo Petrus I Epi: Cap. I: 8. *In quem credentes exultatis gaudio ineffabili & glorioso.* Hinc illud animæ in Deo suo beatæ suavissimum canticum: *Jehova portio prædii mei & poculi mei tu sustentas sortem meam.*

Funiculi acciderunt mihi in locis amœnis, etiam possessio est elegantissima, quæ obtigit mihi. Idcirco lætatur animus meus, & exsultat gloria mea. Ps: XVI: 5. 6. 9. Alibi quoque hæc duo eodem quasi citharæ pulsu junguntur, *Auctor lætissimæ exsultationis meæ, & O Deus, Deus mi.* Ps: XLIII: 4.

XIV. Neque vero id mirum est. Nam quando quis Deum suum esse novit, invenit in eo fortissimam *protectionem contra omne malum: In Jah Jehova rupes seculorum* est. Jes: XXVI: 4. *Dico in Jehova est receptus meus & propugnaculum meum, DEUS MEUS est, cui confido:* Ps. XCI. 2. & inexhaustum omnis desiderabilis *boni fontem:* non modo quicquid cogitare & desiderare potest, sed & supra id quod cogitare & desiderare potest, in infinitum. *Quam pretiosa est benignitas tua, Deus, quum filii hominum ad umbram alarum tuarum sese recipiunt! Uberrime explentur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis. Quandoquidem penes te est fons vitæ, in luce tua fruimur luce.* Ps. XXXVI. 8. 9. 10. Utrumque Deus brevibus, sed efficacibus, verbis junxit Gen. XV. 1. *Ego* CLYPEUS *sum tibi, &* MERCES *tua ampla valde.* Et Psaltes, Ps. LXXXIV. 12. *Quia* SOL *&* SCUTUM *est Jehova Deus.*

XV. Tanti boni repræsentatio & fruitio, non potest non summe delectabilis esse, Si enim singula bona delectabilia sint, quam delectabile illud bonum est, quod continet jucunditatem omnium bonorum? & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt à Creatura Creator. Omnis pulchritudo, & omnis gloria, & omne gaudium mundi visibilis, nil nisi radii sunt & splendores vibrati & emissi à Rege pulchritudinis, gloriæ, & lætitiæ. Quæcunque facta sunt ab eo facta sunt, ideoque quodcunque bonitatis inest in eis quæ facta sunt, non potuit nisi ab eo desumi, à quo omnia facta sunt. Ac proinde commodato quasi accepta bonitas merito confunditur & erubescit ex collatione sui cum illa bonitate quæ illius fons est & origo. Et certe Deus ille est, in cujus una luce lucida omnia, in cujus una gloria omnia gloriosa, in cujus una pulchritudine omnia pulchra, in cujus una lætitia omnia læta continentur. Quando in creaturas contulit lucem & gloriam, pulchritudinem & lætitiam, sibi servavit radicem lucis, gloriæ, pulchritudinis, & lætitiæ: sic plus semper in se tamquam in fonte reliquit, quam ex se in creaturas derivavit. Et tam immensi boni possessio, non immensum propemodo gaudium crearet?

XVI. Accedit, quod tanta sit Dei se ipsum gratiose communicantis dulcedo, ut omnes amarissimas etiam amaritudines dulcorare queat. Minima suavitatis ipsius guttula, ori ad ipsum anhelanti instillata, maximas ægritudines facile dispellit. Hæc lapides torrentis dulces fecit Stephano, crucem Andreæ, violentam pellis detractionem Bartholomæo, craticulam Beato Laurentio, virgas, equuleos, rotas, flammas, ut

de carceribus & exilio taceam, tot myriadibus ſanctorum Chriſti martyrum, qui dulcedine hac Dei guſtata, ad immaniſſima tormenta, læti cantanteſque, tanquam ad lautiſſimas epulas, deducebantur. Incredibilia quidem iſta mundo videntur. Verum ita comparatum cum hac Dei noſtri ſuavitate eſt, ut nemo eam niſi guſtando diſcat. Mannæ illius dulcedinem nemo credit, niſi qui edit.

XVII. Et quidquid hujus homini in hac vita datur, nil niſi primitiæ & arrha majoris æternique boni eſt. Unde exoritur gaudii hujus conſtantia & inamiſſibilitas, ſi non quoad effectum, & actus quos vocant ſecundos, ſaltem quoad fundamentum & actum primum. *Gaudium æternum ſuper caput eorum erit.* Jeſ: XXXV: 10. *Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Joh: XVI: 22. Nam etiamſi Deus in hac vita, pro immenſa ſua ſapientia, dulcedinis ſuæ communicationem plurimâ ſæpe, ſed ſemper ſalubri, amaritudinis mixtura temperet: manet tamen illud in fidelibus, quod ſubinde rurſus ebullientis gaudii, & poſtmodum in omne ævum perennaturæ lætitiæ, uberrima ſcaturigo eſt.

XVIII. Neque metuendum cuiquam eſt, ne in exceſſu hujus gaudii peccet: quum ipſe Deus non ad hilaritatem tantum, ſed ad ſanctam quandam myſticamque *ebrietatem* invitet. Cant: V: 1. Quo quis de Spirituali hoc nectare uberius hauſit, licet aliis iſtarum deliciarum ignaris inſanire videretur, eo eſt felicior ſimul & ſapientior. In vino corporeo ſpiritus ſunt qui corporeos ſpiritus exhilarant, ſed ubi copioſe nimis bibitur turbat cerebrum, & inſanos facit ſapientes. At vinum Spirituale quod totum eſt Spiritus, & Spiritus in apice atque exceſſu Spiritualitatis, & recenter à primo & ſummo Spiritu extractus & exſuctus, quanta vi & quali ecſtaſi animam invadit & abripit? Neque tamen turbat, niſi ſalutariter, & ſapienter, & ſancte, ut ſui impos, ſed Dei ſui plena, cœloque proxima, ſupra hominem ſapiat & loquatur. Quod cum ſtupore non ſemel me in ſimplicibus cæteroquin animabus obſervaſſe recordor. Hæc eſt Chriſtianæ fidei, in Deo ut ſuo exſultantis, ſpiritualis ac myſtica lætitia.

Perſuaſio Naturalis de Numine idonea quidem eſt ingenerando ſtudio probitatis.

XIX. Eadem illa Fides Dei Veræ *Sanctitatis* Mater eſt. Negari non poteſt, quin & ea de numine perſuaſio quam ex Natura Gentiles habuere idonea fuerit ingenerando ſtudio alicui probitatis & reſipiſcentiæ. Prope ſupra Gentiliſmum meditationibus ſuis hac in parte *Epictetus* aſcendit, qui apud *Arrianum Lib.* II. *Cap.* XIV. ita loquitur: *Μαθεῖν δεῖ πρῶτον τοῦτο ὅτι ἔστι θεὸς, καὶ προνοεῖ τῶν ὅλων. καὶ οὐκ ἔστι λαθεῖν αὐτὸν, οὐ μόνον ποιοῦντα, ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενον, ἢ ἐνθυμούμενον. εἶτα ποῖοί τινες εἰσιν; οἷοι γὰρ ἂν ἐκεῖνοι εὑρεθῶσι, τὸν ἐκείνοις ἀρέσοντα καὶ πειθησόμενον ἀνάγκη πειρᾶσθαι κατὰ δύναμιν ἐξομοιοῦσθαι ἐκείνοις. εἰ πιστόν ἐστι τὸ θεῖον, καὶ τοῦτον εἶναι πιστόν· εἰ ἐλεύθερον, καὶ τοῦτον ἐλεύθερον. εἰ εὐεργετικὸν, καὶ τοῦτον εὐεργετικόν. εἰ μεγαλόφρον, καὶ τοῦτον μεγαλόφρονα. ὡς θεοῦ τοίνυν ζηλωτὴν, τὰ ἑξῆς πάντα καὶ ποιεῖν καὶ λέγειν.*

Primum

Primum illud est discendum, ESSE DEUM, & providere rebus universis: ac non modo facta, sed ne cogitationes quidem & motus animorum eum latere posse. Deinde cujusmodi sint Dii? Nam qualis illi reperiuntur, talis ut sit etiam is, qui illis placere ac parere volet, opera necessario danda erit, ut quam proxime ad eorum similitudinem accedat. Si numen fidele est: illum quoque fidelem esse oportet. Si liberum: illum quoque liberum. Si beneficum: illum quoque beneficum. Si magnanimum: illum quoque magnaminum esse oportebit. Denique ut imitatorem Dei, reliqua omnia & facere & dicere. Ita persuasio de Divinitate mater Probitatis est.

XX. Optime quidem & verissime hæc ita dicuntur. Sed veritas ista à paucissimis est cognita, & in iis qui eam aliquatenus cognoverunt, pravarum cupiditatum compedibus constricta, in pietatis actus minime assurrexit. Unde hoc eos quasi fulmine prosternit Apostolus: *Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias ei egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Rom: 1:21: Illucebat iis Deus radiis quibusdam, unde cognovisse Deum dicuntur, sed non admisere eos in adyta cordis, quod idcirco obscuratum dicitur. *In Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum.* Fabrica mundi testabatur Dei potentiam, sapientiam, bonitatem: ac propterea exigebat ab homine ut fideliter serviret Deo, tum ob summam ejus Majestatem, tum propter tot benefacta: pariter etiam quod cultores ejus præmium maneret vitæ beatæ. Sed maluit mundus otiose opera Dei contemplari, frigideque de iis disserere, nullum interea conditori honorem exhibendo. Illi quoque qui acutius cæteris videbant, non ad verum ivere Deum, quo itum oportebat; sed ad creaturam, qua ibat vulgus, quod tamen, ubi commodum erat, hac quoque in parte insanire præclari isti sapientiæ magistri clamitabant.

Sed in paucis id præstitit.

XXI. Verum Christiana de Deo fides hominem veræ pietatis sanctitatisque vacuum esse non sinit. Quod plurimis modis demonstrari potest. 1. Dum attollit mentem ad contemplationem sacratissimi numinis, & in ista sibi jucunda meditatione fixam tenet, animus insensibiliter ad imaginem Divinæ sanctitatis transformatur. 2 Cor: III: 18. Postquam Moses, ad familiare Dei commercium in sacro monte admissus, quadraginta ibi dies exegisset, cutis faciei ejus tam illustri fulgore radiabat, ut ferre eum Israëlitarum oculi nequiverint. Exod: XXXIV: 29: 30. Idem iis spirituali modo contingit, qui Deum in luce fidei frequenter & sedulo contemplantur. Cœlestis Spiritus radii copiose à Parte luminum emanantes, ac fide recepti, penitas animæ partes permeant, novumque iis cœlestis sanctitatis jubar addunt. Quo sæpius eum fidelis in spiritu intuetur, eo clarius perfectiones ejus, quarum ornamentum est sanctitas, cognoscit. Quo clarius eas cognoscit, eo ardentius illas

Fides autem in Deum veræ pietatis mater est.

illas diligit. Quo ardentius eas diligit, eo similior iis evadere cupit. Nam amor tendit ad similitudinem cum amato. Porro quo ardentius Deum diligit, eo & sæpius, & lubentius, & attentius eum intuetur; atque ita illum intuendi ac diligendi orbem, continuo in se redeuntem, sæpe percurrens, quavis illius repetitione novum gloriosissimæ hujus imaginis lineamentum nanciscitur.

XXII. II. Quando Fides castissimam Dei puritatem considerat, facile inde concludit, sibi quoque accuratæ sanctitati operam dandam esse, si communionem Dei consequi, servare & ad lætitiam suam efficacem retinere, velit. Rationi hoc suggerenti assentitur. Scripturæ disertius docenti, סוד יהוה ליראיו *Familiare Jehovæ commercium non esse nisi timentibus eum:* Ps: xxv: 14. ipsique Domino, inclamanti, *separamini, & impurum ne tangite, tum ego excipiam vos*, 2 Cor: IV: 17. lubenter credit. Experientiâ etiam Magistra condocefit, quam primum in pietatis studio flaccescit, mox illam Divinæ communionis dulcedinem imminui. Quam quum Fides supra omnia quærat, fieri aliter non potest, quin ad eximiam aliquam vitæ sanctimoniam potenter exstimulet; quippe sine qua neque obtineri, neque conservari posse, eam quam tantopere expetit Dei communionem, certissima est.

XXIII. III. Stupenda illa Dei charitas qua se ipsum animæ ad salutem dat, quando Fide apprehenditur, & uti par est credenti repræsentatur, mirabiles flammas mutuæ redamationis accendit. Ausimque dicere, neminem vere credere Deum factum esse suum Deum, quin, dum id credit, in voragine ista Divini amoris stupens absorbeatur, exoptetque sibi longe capaciorem animam, ut tota charitate, tam diligentis, quam dilecti Dei, repleatur. Non nescio in ipsis aliquando fidelibus languere amorem illum, quo supra modum mensuramque omnem Deum suum diligere tenentur: sed & tum fides illa, de Deo ut suo, non admodum præsens, neque vivida, aut excitata erit. At quando omnino talis est; dictat homini canticum amoris, non absimile ei quo *Augustinus* Deum deveneratus est: *Soliloq: Cap:* XIX. *Amo te Deus meus, magisque semper amare cupio; quia tu es revera omni melle dulcior, omni lacte nutribilior, & omni luce clarior. Idcirco super omne aurum & argentum & lapidem pretiosum es mihi charior. O amor, qui semper ferves & nunquam tepescis, accende me. Accendar (inquam) totus à te, ut totus diligam te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Diligam te, Domine, quoniam tu prior dilexisti me.*

XXIV. IV. Qui vere credit se jam Dei factum esse participem, is sui ipsius uti non potest esse, ita nec potest velle ut sit; sed si quid semetipso præstantius haberet, id Deo suo redderet: indignaturque se meliorem non esse, digalioremque qui Deo reddatur; tantum abest ut quicquam

quam sibi reservare velit, quod Dei ministerio non impendat. Non possum mihi temperare, quin *Bernardi* verba ex tractatu *de diligendo Deo* hic adscribam: quibus in hac materia nihil elegantius, neque efficacius fingi potest. Sic ergo ille: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus sum, quam factus. Nam qui me semel, & tantum dicendo, fecit in reficiendo profecto, & dixit multa, & pertulit dura; neque tantum dura, sed & indigna. In primo opere ME mihi dedit. In secundo, SE. Et ubi SE DEDIT, ME mihi REDDIDIT, DATUS ergo, & REDDITUS, ME pro ME debeo, & BIS debeo. Quid Deo retribuam pro SE? Nam etiamsi ME millies rependere possem, quid sum ego ad DEUM?* Ita ratiocinari, ita se ipsum excitare, Christiana in Deum Fides docet.

XXV. Non tamen ita hæc intelligenda sunt, quasi nemo sincere queat dicere, CREDO IN DEUM, in quo non omnia ea quæ nunc diximus, & eo quem delineavimus gradu, inveniuntur. Nos enim illud τὸ credere in Deum nunc descripsimus, non prout locum habet in infirmis & ὀλιγοπίστοις, sed prout est in idea, & visum quandoque fuit in iis quos uberiori Spiritus sui mensura dignatus est Dominus. Atque utile est, ita Fidem in Deum nobis proponere: non, ut quædam in nobis non cernentes animum despondeamus; sed ut, pulchritudine illius ac præstantia capti, tenuia quæ habemus initia omni studio excolamus, quo paullatim ad illam Fidei πληροφορίαν perveniamus, quæ tam præstantium fructuum ferax est. Credimus, Domine: succurre incredulitati nostræ.

Ea quæ prædicta sunt, non æque efficacia sunt in omnibus fidelibus.

EXERCITATIO VI.

DE FIDE

IN

DEUM TRIUNUM.

BREVIARIUM.

1. *Symboli distributio.* 2. 3. *Quo sensu singulis personis suæ distinctæ actiones attribuantur.* 4. *Simplex mysterii S. S. Trinitatis explicatio.* 5. *Trinitatis doctrina est Mysterium, quod natura non docet.* 6. *Sed plurimis utriusque Instrumenti Testimoniis confirmatur.* 7. *Credere in Deum Triunum quid sit.* 8. *Cognitio S. S. Trinitatis ad salutem est necessaria.* 9. 10. 11. 12. 13. *Argumenta id probantia.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Trinitatis Mysterium Adamo in statu innocentiæ ignotum non fuit.* 20. *Agnitio quoque Trinitatis necessaria est ad salutem.* 21. *Et qui*

eam negant pro christianis & Fratribus non sunt habendi. 22. 23. *Sed præcipue requiritur pia animi in Triunum Deum reclinatio.* 24. 25. 26. 27. *Praxis hujus Articuli.*

Symboli Distributio.

VUlgata Symboli in *tres* partes distributio est; quarum *primâ* agatur de DEO PATRE, & CREATIONE; *secundâ*, de DEO FILIO, & REDEMPTIONE; *tertiâ*, de DEO SPIRITU SANCTO, & SANCTIFICATIONE. Nam quum vetustissima formula nuda Trinitatis professione absoluta fuerit, hinc factum est, ut Symbolum nostrum, quod ex ea, variorum articulorum accessione, tractu temporis est concinnatum, ita adhuc dum constitutum sit, ut ad Tres Divinitatis personas cætera omnia referi queant. Hoc enim Fundamentum Fundamentorum remansit, cui reliqua inædificata sunt.

Quo sensu singulis personis suæ distinctæ actiones attribuantur.

II. Cæterum quum singulis personis suæ distinctæ actiones adscribuntur, non ita id intelligendum est, quasi vel virtus, vel operatio ipsarum divisa sit, vel una immeditate magis quam alia effectum suum attingat. Etenim quum Deus unus sit, una omnium & individua virtus est, ac operatio, & unaquæque persona totius operis immeditata & perfecta caussa est. Eadem virtute, eodemque actu, Filius & Spiritus Sanctus mundum crearunt, quo Pater. Attamen paullo diversa ratio est eorum operum, quæ ad redemptionem nostram pertinent. Nam quum ad ea requiratur humanæ naturæ societas, eam autem solus sibi Filius personaliter univerit; opera ista Theandrica soli etiam Filio propria sunt. Ita tamen, ut quæ Deitas contulit, totius Trinitatis sint: quemadmodum Patri, æque & Spiritui Sancto, ac Filio attribuuntur. Patri, Joh: XIV: 10. *Non credis, quod ego sum in Patre, & Pater in me sit? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater vero, qui in me manet, ipse facit opera.* Spiritui Sancto, Mat: XII: 28. *In Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Ipsa incarnatio, & similia, licet terminative solius Filii sint, effective tamen totius sunt Trinitatis. Heb: X: 5. Luc: I: 35.

III. Sed hæc Divinorum operum distinctio respicit, I. *Ordinem Personarum*, qui ut in subsistendo, ita & in agendo, observari debet. Quia ergo Pater prima Deitatis persona est, & creatio primum Divinitatis externum opus, quippe inchoatio rerum omnium quæ exrra Deum sunt, merito illa, speciali œconomia, Patri vindicatur, qui propterea *Dominus cœli & terræ* dicitur. Mat: XI: 25. ita tamen ut neque Filio ea abrogetur Heb: I: 10. neque Spiritui Sancto Gen: I: 2. II. attendendum quoque est ad *terminationem actionis in certa* quadam *persona.* Ob hanc rationem Redemtio secundæ personæ attribuitur, cui soli humana natura adaptata est, in qua, & per quam, plurima ad salutem nostram pertinentia Divinitas est executa. Mat: I: 21. Quanquam & PATER

mundum

mundum sibi reconciliasse dicatur; 2 Cor: V: 19. *Pace facta per sanguinem crucis Christi.* Col: I: 20. & *abluti*, *sanctificati*, *justificati sumus* SPIRITU *Dei nostri.* 1 Cor: VI: 11. Uti & de Deo vivo, οὐσιωδῶς considerato, scribit Paulus, quod sit *conservator omnium hominum*, *maxime vero fidelium.* 1 Tim: IV: 10. III. Addunt nonnulli, ob *proximum, immediatumque agendi principium:* quo pacto Sanctificatio adscriberetur Spiritui Sancto. 2 Thess: II: 13. Verum dubitare liceat, an id sit solidum. Nam una persona Divina non agit per aliam ut per caussam mediam: quum una eademque singularum virtus sit, eâdem immediatâ tendentiâ singulæ attingunt effectum. Deus Sanctus, οὐσιωδῶς consideratus, est sanctificator Israëlis. Ezech: XX: 12. Non minus immediate Pater id facit, & Filius, quam Spiritus. Quia eadem omnium & virtus & operatio est. Si ordo agendi in personis spectetur, Pater quidem agit per Filium & Sp: S. Sed eo sensu omnia opera Dei, immediata Spititus S. opera ἀντονομαστικῶς dici deberent: quod alienum est. Nam per Filium agit Pater nòn minus immediate, quam agit ipse Filius. Item, Pater & Filius agunt per Spiritum S. non minus immediate quam agit ipse Sp: S. Ra tio. quia distinctio caussæ remotæ & proximæ, mediatæ & immediatæ, non habet locum nisi ubi & essentiarum & operationum est diversitas. Vide *Forbes: instruct. Histo: Theol: Lib:* 1. *cap:* X. Cur ergo tam constanter Sanctificatio tertiæ personæ attribuitur? Nulla mihi nunc ratio occu rrit convenientior eâ quam dicturus sum. Sanctificatio peccatoris sequitur gratiam & meritum Christi: Spiritus S. autem in ordine hypostatico subsistendi & operandi sequitur Filium, quam ob rem & *Spiritus Filii* vocatur. Gal. IV: 6. Ideoque nulli potius applicatio meritorum Filii attribuenda videtur, quam illi qui & Filio proximus est, & ab ipso mittitur, & ex iis quæ Filii sunt omnia sumit quæ dat. Joh: XVI: 14.

IV. Operæ pretium est ut distinctius hoc mysterium expendamus. Non explicabo nunc eas voces quibus ecclesia in hoc negotio usa est, de quibus accurate, pro more suo, *Gomarus in Thesibus*, fusius *Johannes Gerhardi in Locis communibus*, *Loc:* III. *Cap:* II. egere: neque scholastice definiam quid essentia, existentia, suppositum, persona sint. Peti ea possunt ex Systematibus quæ omnium manu teruntur. Simpliciter tantummodo, & ad captum simplicium, exponam quid de tremendo hoc mysterio sciendum credendumque sit. Verus Deus, qui est creator cœli & terræ, & salus electi populi, simplicissima Unitate unus & unicus est. 1 Cor: VIII: 6. 1 Tim: II: 5. Attamen non obstante illa unitate tres sunt à se invicem distinctæ ὑποστάσεις sive personæ, quarum singulæ ille unus verus Deus sunt, communem habentes eandem μορφὴν, φύσιν, sive quod idem est οὐσίαν, *essentiam* (nam οὐσία, καὶ φύσις, καὶ μορφὴ, κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας ταυτόν ἐστι, *Essentia*, & *Natura*, & *Forma*,

Simplex mysterii SS. Trinitatis explicatio.

Forma, juxta Sanctos Patres unum idemque est. monente *Damasceno Isago: cap:* I.) Et hæ tres, sunt PATER, & VERBUM sive FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS. Qui non sunt tres Dii, neque tria duntaxat nomina, vel attributa sive virtutes Dei, sed tres distinctæ in una individua Deitate personæ. Hæc scire ad salutem sufficit, etiamsi quis scholarum subtilitates ignoret, quæ audaces sæpe, atque oppido temerariæ sunt.

Trinitatis doctrina est Mysterium, quod natura non docet.

V. Veritas hæc inter ea fidei nostræ mysteria est, quæ natura sola, hominem, imprimis corruptum, non docet: & de quibus pulchre *Justinus Martyr, in confut: Græcar: quæst: p.* 304. ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν κτιστῆς φύσεως τὰ ἡμέτερα, ὅταν δὲ καί σοι τὰ τοιαῦτα ζητοῦντι ἀπορία τις ἐπίῃ, πρόφερε τοῖς ζητουμένοις ἑτοίμην λύσιν, τὴν πίστιν. *Omnem intellectum, sermonem omnem, omnem denique naturæ creatæ comprehensionem nostra superant. Idcirco si & tibi in his inquirendis occupato dubitatio aliqua suboriatur, affer paratam quæsitorum solutionem, nempe fidem.* Et sane de hoc mysterio Christus dixit: Mat. XI. 27. *Patrem nemo novit nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere.* Ex sola igitur Filii revelatione discitur σχέσις illa quæ inter ipsum Patremque est. Quam ob rem non assurgimus iis Theologorum nostrorum qui mysterium hoc rationibus è natura petitis probare, confirmare, ac polixis similitudinibus illustrare, aggressi sunt, quod post alios subtiliter ac fuse conatus est *Bisterfeldius* in Synopsi præfixa eruditissimo operi adversus Crellium. Tutius intra Scripturam solam consistitur; ne in non necessarias difficultates nos induamus. Quæ ex Orpheo, Zoroastre, Trismegisto, Sibyllis, similibusque Scriptoribus producuntur testimonia, ὑποβολιμαῖα, *supposititia* sunt, & quo clariora, eo magis suspecta. Nam verbo Dei contrarium videtur, existimare, tam profunda mysteria Gentilibus fuisse clarius proposita, quam illi populo quem Deus Opt: Max: ut peculiariter suum dilexit, & suamet ipsius, & fidelium suorum servorum, voce erudiit: uti bene argumentatur *Casaubonus Exercit: I. ad Apparatum Annalium, Num.* XVIII. *p.* 53. Videatur imprimis *Amyraldus Dissert: de Myster. Trinit. p.* 112. 117. *& seq.* Quæ ex Platone ejusque discipulis proferuntur, verbis quidem aliquo modo consentiunt, sensu dissentiunt, & ex sacris quæ tunc exstabant scriptis, vel traditione aliqua hausta, censeri possunt: quod non improbabile esse, *Clemens. Alexandr. Strom. Lib.* II. *p.* 103. disserit. Vide *Joh. Gerhardi, Loc. Comm. p.* 329. & *Lipsium* in *Manuductione ad Philosophiam Stoicam. Lib.* II. *Dissert.* XIX. Sed omnium prolixissime atque ex professo hanc rem egit *Christianus Schotanus, in Triumpho Biblico Lib.* III. *Cap.* VII.

Sed plurimis utriusque Instrumenti testi-

VI. In Scriptura, tam Veteri, quam Nova, plurima & luculenta de hoc mysterio testimonia exstant. Ex quibus patet I. *Plures* una Divinas personas esse. II. Specialius, eas esse *tres* numero. III. Specialissime, eas

eas esse *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum Sanctum*. *Primum* probatur I. Ex iis Scripturæ locis, ubi Deus ad se ipsum; vel de se ipso in plurali loquitur. ut Gen. I. 26. & III. 22. & XI. 7. Jes. VI. 8. II, Ubi Dominus de Domino loquitur, aut a Domino distinguitur. Gen. XIX. 24. Ps. XLV. 8. coll: cum Heb. I. 8. Ps. CX. 2. coll. cum Mat. XXII. 43. 44. Dan. IX. 17. Hos. I. 7. Prov. XXX. 4. *Secundum* ex iis locis evincitur, ubi tres distinctæ personæ recensentur: ut Ps. XXXIII. 6. Jes. LXI. I. coll: cum ver. 8. unde patet Jehovam esse qui ibi loquitur. Jes. LXIII. 2. 10. Hag. II. 5. 6. Mat. III. 16 17. *Tertium* confirmatur ex Mat. XXVIII. 19. Rom. I. 4. 2 Cor. XIII. 13. I Joh. V. 7. Quæ testimonia omnia explicare, ac vindicare, prolixum nimis, & ab instituto nostro alienum est. moniis confirmatur.

VII. Explicandum nobis sumsimus, quid sit in *Deum Triunum credere*. Id tria præcipue notat. I. *Cognitionem* hujus mysterii. II. *Agnitionem* ejusdem, sive assensum. III. *Animi in Deum ut Triunum* placidam sanctamque *reclinationem*. Credere in Deum Triunum quid sit.

VIII. Quod *cognitionem* hujus mysterii attinet, eam tam necessariam esse statuimus, ut sine ea nemini adulto salutem polliceri audeamus. Fatemur, distinguendum esse mensuram cognitionis, magis minusve claræ ac distinctæ: distinguenda etiam esse tempora; nam proportioni revelationis cognitionem respondere conveniens est: distinguenda esse hominum ingenia; quorum alterum altero institutionis longe est capacius: distinguendam item cognitionem mentalem ab illius explicatione orali: considerandam denique esse diversitatem ministerii, sub quo quisque vivit. Non definimus etiam gradum modumve hujus cognitionis: hoc monemus duntaxat, non videri nobis eum in via salutis esse, qui hujus mysterii plane est ignarus. Huc faciunt sequentia argumenta. Cognitio SS. Trinitatis ad salutem est necessaria.

IX. I. Quum ipse Dominus vitam æternam collocet in cognitione Patris & Filii ab ipso missi; Joh. XVII. 3. quis dixerit eam cognitionem ad vitam æternam necessariam non esse? Quod æque absurdum foret, ac si quis diceret, ad salutem necessarium non esse id in quo ipsa salus consistit. Porro, nemo cognoscit Patrem, qui ignorat, eum Filium suum ab æterno genuisse. Neque quisquam novit Filium, qui nescit, eum eundem cum Patre Deum esse. Joh. XIV. 9. 10. *Dicit ei Jesus, Tantum temporis vobiscum sum, & non nostis me? Philippe, qui vidit me vidit Patrem... Non credis me in Patre, & Patrem in me esse?* Quæ trinitatem, saltem pluralitatem personarum, in una Deitate important. Argumenta id probantia.

X. II. In confesso est, sine notitia veri Dei nullam salutis spem esse. Verus autem Deus ille demum est, qui, Unicus essentia, in tribus consistit personis. Quicunque aliter, vel non ita, Deum sibi repræsentat, non verum Deum sibi repræsentat, sed cerebri sui figmentum ac idolum. *Augustinus*

nus Quæst. XXIX. *in Josuam: Quisque talem Deum cogitat, qualis non est Deus; alterum Deum utique & falsum in cogitatione portat.* Atque hæc est ratio, cur Gentiles, qui in genere non ignorabant esse aliquod infinitum numen, quia tamen Trinitatem ignorabant, quæ fundamentum est fœderis Dei cum electis peccatoribus, ἄθεοι ἐν κόσμῳ fuisse dicantur. Eph: II: 12. Verus Deus, quem Paulus prædicabat, erat iis ἄγνωστος. Act: XVII: 23. *Gentes non noverunt Deum.* 1 Thess: IV: 5. Quia scil: non agnoverunt Deum ut Triunum. Sciverunt quidem esse aliquod summum numen; & eatenus idem Paulus testatur, *eos Deum novisse,* Rom: 1. 21. sed quis ille Deus esset, id vero ignoraverunt: uti si quis norit Regem aliquem in regno esse, personam tamen Regis incognitam habeat.

XI. III. Ignorata Trinitate, præcipua fidei ac consolationis nostræ fundamenta ignorari necesse est. Nam *in mysterio Dei & Patris & Christi omnes thesauri sapientiæ ac notitiæ absconditi sunt.* Col: II: 2. 3. Scire non possum quomodo Deus digne peccatoris misereatur, nisi sciam eum Filium habere, quem mittere possit ut pro peccatis satisfaciat, & Spiritum, qui merita Filii mihi applicet. Si Patrem Deum esse nesciam; ignorabo Filium Dei esse, quod felicitatis nostræ summa est. Si ignorem filium Deum esse; non rite æstimabo amorem Patris, qui eum mihi dedit, neque charitatem Filii in tanta Majestate se ipsum tantopere pro me humiliantis; neque de satisfactione illius securus esse potero, ad quam infiniti valoris pretium requiritur; neque potentia illius tuto nitar, nisi constet eam immensam esse; breviter pro servatore eum & summo bono meo habere non potero, quia præter verum Israëlis Deum, nemo illius גואל ac Redemptor est. Jes: LIV: 5. Si denique Spiritum Sanctum, cui me ducendum regendumque dare debeo, Deum esse exploratum non habeam; non potero subjectionem sub illo pro verâ libertate habere, non potero in illius custodia, et testimonio de salute mea, tanquam sufficientissimo arrhabone, sancte securus esse. Nam tam delicata res est Christiana Fides, ut in nulla re nisi in summo Deo secure acquiescat. Illud autem, unde tot rerum necessariarum cognitio pendet, imprimis à nobis cognoscendum esse necesse est. Firmat hoc argumentum nostrum experientia. Ii enim qui Trinitatem negant, iidem satisfactionem quoque Christi, & immensam Spiritus in nostri regeneratione ac conservatione potentiam, & salutis certitudinem, ac inconcussam fidei πληροφορίαν, negant. Quemadmodum in Socinianis videre est. Adeo mysterium nostræ per Christum salutis cum Trinitatis mysterio junctum est, ut hoc ignorato, vel negato, illud cognosci, vel agnosci nequeat.

XII. IV. Constat utique salvari non posse eum qui Deum Patrem non honorat. Ita enim ipse: 1 Sam: II: 30. *Honorantes me honorabo: sed qui me contemnunt vilipendentur.* Nemo autem Patrem rite honorat, qui

qui non & Filium Joh: v: 23. *Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui misit eum.* Porro Filium nemo honorare potest, qui eum non novit, & quidem pro eo qui est, Unigenitum, Patri ὁμοούσιον, & idcirco eodem, id est Divino, honore cum Patre dignum. Quid enim honor est, nisi venerabunda agnitio præstantiæ in eo quem honoramus? Ergo sine cognitione Christi, ut unius cum Patre Dei, nulla salus est.

XIII. v. Cujus baptizandi omnes ex instituto Christi professionem edere debuerunt, illius cognitio ad salutem est necessaria. Nemo enim profiteri potest quod nescit. At Trinitatis illius, in cujus nomen baptizantur, professionem edere fideles ab omni ævo debuerunt. Nam in alicujus nomen baptizari, est ei se dedere in obsequium quale Deo debetur. Quod confessionem Deitatis involvit, vel supponit. Non quidem diserte in Scriptura memoratur, illam confessionem istis terminis exactam fuisse: verum nec id legitur, Apostolos in nomine Patris, Filii ac Sp: S. baptizasse, quos tamen institutionis Dominicæ retinentissimos fuisse indubium est. Quando etiam Apostoli baptizarunt *in nomine Christi*, quod Lucas in ipsorum actis testatur, Act: II: 38. & VIII: 16. & XIX: 5. eo nomine (ut acute *Ambrosius* observavit *Lib.* I: *de Sp: S. Cap:* III.) tota Trinitas intelligitur. Intelligitur enim, quum Christum dicis, & Pater, à quo unctus est; & ipse, qui unctus est, & Sp: S. quo unctus est. Qua in re Ambrosius secutus est Basilium, cujus ista verba sunt: *De Spi: San:* ἡ τοῦ χριστοῦ προσηγορία τοῦ παντὸς ἐστιν ὁμολογία. δηλοῖ γὰρ τόν τε χρίοντα Θεὸν, καὶ χρισθέντα υἱὸν, καὶ τὸ χρῖσμα τὸ πνεῦμα. *Appellatio Christi est confessio totius. Notat enim & Ungentem, Deum; & Unctum, Filium; & Unctionem, Spiritum.* vide *Vossium de Baptismo p.* 51. Et quando Dominus dicit Mar: XVI: 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur: qui autem non crediderit, condemnabitur:* quid magis rationi consentaneum est. quam pro objecto fidei ab ipso statui eam doctrinam quæ una cum baptismo traditur? Hinc veteres fere ad unum omnes una cum baptismo Trinitatis meminerunt. *Ambros: Lib:* II: *de Sacramentis, Cap:* VII. *Interrogatus es, Credis in Deum Patrem Omnipotentem? Dixisti, Credo: & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum nostrum Jesum Christum? Dixisti, Credo: & mersisti. Ideo & Christo es consepultus ..... Tertio interrogatus es, Credis in Spiritum S.? Dixisti, Credo. Tertio mersisti &c.* Basilius: Δεῖ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δ' ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δ' ὡς πεπιστεύκαμεν, πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα. *Baptizari debemus sicut accepimus, credere autem sicut baptizati sumus; & sentire sicut credimus, de Deo Patre & Filio & Sp: S.* Alia Patrum testimonia vide apud *Forbesium*, *Instruct: Histo: Theol: Lib:* I. *cap:* XVII. Quibus nunc addo id quod *Nazianzenus* habet *Orat:* XXXII. quam recitavit in Concilio Constantinopolitano, Oecumenico sexto, Ao. 381.

πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, ὁμοούσιά τε καὶ ὁμόδοξα, ἐν οἷς καὶ τὸ βάπτισμα τὴν τελείωσιν ἔχει, ἐν τε τοῖς ὀνόμασι καὶ πράγμασιν (οἶδας ὁ μυηθεὶς) ἄρνησις οὖσα ἀθεΐας, καὶ ὁμολογία θεότητος. *Credimus in Patrem & Filium & Sp: S. ejusdem essentiæ, ejusdemque gloriæ: in quibus & baptisma perfectionem habet; quod tum in nominibus, tum in rebus* (NOSTI QUI INITIATUS ES) *abnegatio est Atheismi, & confessio Deitatis.* Adeo tum demum quem ab Atheismo ad verum Deum transire, quando confessionem Trinitatis in Baptismo edebat, pii Veteres crediderunt.

Trinitatis Mysterium Adamo in statu innocentiæ ignotum non fuit.

XIV. Non intempestivum erit hic inquirere, *an Trinitatis mysterium Adamo in statu integritatis cognitum fuerit?* Celeberrimus Theologus, *Moses Amyraldus* in animum induxit, ut id negaret, *Dissert: de Mysterio Trinitatis* p. 121. & prolixius *p.* 158. *& seq.* Ubi contendit, Oeconomiam, quæ intercedit inter tres personas Deitatis; ita potissimum versari in procuratione salutis generis humani, ut NON POSSIT EJUS NOTITIA PERTINERE AD STATUM INNOCENTIÆ, IN QUO NULLUS SALUTI VEL REDEMPTIONI LOCUS. Nobis secus videtur: & sententiam nostram sequentibus thesibus exponimus, ac probamus.

XV. Fatemur quidem, Trinitatis doctrinam Mysterium esse, quod homo, quantumvis sapiens ac industrius, ex solo sui ipsius, ac creaturarum consideratione, haurire non possit; sed & pro certo habemus, Deum Adamo in statu integritatis nonnulla revelasse, quæ natura sola ipsum docere non poterat. Quippe quum magni Dei socius ac amicus & quasi vicarius in terris esset, ad felicitatem ejus pertinebat commercio Dei sui frui, & ea subinde ex ipsius ore discere, quibus ad laudes Creatoris sui redderetur instructior. Et sane unde præceptum de Arbore Scientiæ, unde significationem Arboris Vitæ habebat, nisi ex Divino alloquio? Unde sciebat conjugis suæ talem creationem, se dormiente factam, ut carnem eam ex carne sua, & os ex ossibus esse prædicaret, nisi ex revelatione Numinis? *Zanchius, de Creatione Hominis Lib.* I. *Cap.* I. §. XII. non dubitare se dicit, quin Deus per Filium suum, specie humani corporis vestitum, externe & visibiliter Adamum aliquoties affatus sit. Nam quam gratiam plurimis postea Deus præstitit, hanc denegatam fuisse primo homini, summo Dei amico, ad imaginem Dei perfectissimam creato, nullo modo credibile esse opinatur. Et sic sentire testatur Patres, *Justinum, Irenæum, Tertullianum, Eusebium, Ambrosium, Augustinum,* & alios. Ego, uti de modo revelationis extra Scripturam nihil determinare audeo, ita revelationes aliquas revera Adamo factas esse, ex iis quæ adduximus, dubitandum non esse existimo.

XVI. Inter ea quæ revelavit Deus, mysterium quoque Trinitatis esse, hinc evinco. Intellectum Adami præstantissima sapientia ornatum fuisse, in

in confesso est. Princeps autem sapientiæ pars est, Deum nosse. Non ita generatim & confuse, ut quis sciat esse aliquod Infinitum Numen, a quo reliqua omnia sint. Ea enim cognitio remansit in Gentilibus, quos cæcos, & fatuos, & imagine Dei destitutos esse, omnes novimus. Sed ad veram θεοσοφίαν pertinet, ut distincte noveris, QUIS ille Deus sit. Si generales, quos habes, de Deitate conceptus, alteri alicui applices, quam illi, qui ita unus est essentia, ut trinus personis sit, non tam verum Deum nosse, quam idolum ac cerebri tui figmentum loco veri Dei substituere, censendus es. Quod quum de Adamo integro cogitare contradictorium, ac ferme blasphemum sit, relinquitur ut eum aliquam Triunius Dei, qui solus verus Deus est, cognitionem habuisse statuamus. Eodem argumento *Epiphanius* pugnat, quum in *Panario* p: 8. ita de Adamo scribit: Οὐκ εἰδωλολάτρης δὲ ἦν, καὶ ᾔδει πατέρα Θεὸν, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα. Προφήτης γὰρ ἦν. καὶ ᾔδει ὅτι ὁ πατὴρ εἶπε τῷ υἱῷ ποιήσωμεν ἄνθρωπον. *Non erat autem idoli cultor. Noverat enim & Patrem Deum, & Filium, & Spiritum sanctum. Etenim Propheta erat, & sciebat, Patrem dixisse Filio, Faciamus hominem.* Ubi primo docet, obtigisse Adamo revelationes Propheticis similes, dein inter revelata mysterium Trinitatis fuisse; quod eo argumento probat, quia non erat idololatra; supponens, id eum fuisse futurum, si aliam quam Triunius Dei ideam habuisset.

XVII. Sed & alteram rationem subinnuit, quam nos fusius exsequemur. Quum Deus in Creationis opere Trinum se monstraverit, Pater per Filium secula condiderit, Heb. 1. 2. Spiritus Sanctus aquas incubando foverit, & Universa adeo Trinitas ad hominis creationem mutuo hortatu se accinxerit; credibile non est, Trinitatem protoplasto prorsus incognitam fuisse, nisi eum Creatorem suum ignoravisse credamus. Nam quum & Filius & Spiritus Sanctus Creator ipsius fuerint; si eos ignoraverit, Creatorem suum ignoravit, eique gratias agere, & ut par erat, colere non potuit. Sane emphasi sua non caret, quod Scriptura sæpiuscule, quum de Creatore hominis loquitur, plurali utatur numero. ut Jes. LIV: 5. בעליך עשיך, quod ad verbum est, *Mariti tui, factores tui.* Ps. CXLIX. 2. ישמח ישראל בעשיו, *Lætetur Israël in factoribus suis.* Ad id attendere jubet hominem, & id menti insculpere, etiam in tenera juventute: Eccl: XII: 1. זכר את בוראיך *Memento Creatorum tuorum.* Crimen est, quum homo id non facit, neque dicit, Job. XXXV. 9. איה אלוה עשי. *Ubi est Deus, factores mei?* Quæ phrases; nisi ad Trinitatem referantur, periculosæ videri possent. Absurdum porro est, Adamum de Deo CREATORE (Creatore, inquam, nam id hic urgemus) ignoravisse, quod nunc Adami posteros ignorare Deus non patitur. Idque eo magis, quia Deus eum in finem hominem condidit, ut sui virtutumque suarum in novo orbe præconem

eum haberet. Indubie autem ad gloriam Dei facit, ut non modo virtutes Dei, sed & quomodo se illæ in distinctis Deitatis personis, earumque operandi modo ac ordine, exseruerint, singulatim celebraverit.

XVIII. Hinc patet, Oeconomiam Trinitatis non ita ad procurationem salutis generis humani restringendam esse, ut non in prima mundi, hominisque Creatione observanda sit. Ipsum Evangelium, dum explicat admirabilem Oeconomiam, quatenus versatur in procuranda generis humani salute, simul cogitationes nostras extollit ad eandem Oeconomiam, quatenus se in primo mundi conditu manifestavit. Ostendit enim in veteri creatione typum quendam & instar fuisse novæ. 2 Cor. IV. 6. & Filium Dei, Servatorem nostrum, esse ἀρχὴν τῆς κτίσεως Θεοῦ, *Principium* (activum scilicet) *creationis Dei*, Ap. III. 14. Per quem conditi sunt Throni & dominationes, visibilia & invisibilia, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, *ut primas teneat in omnibus*, Col. I. 16. 18. in operibus tam naturæ quam gratiæ princeps. Male itaque ex hac hypothesi quod Oeconomia Trinitatis potissimum versetur in procuranda salute peccatoris, Adamo Trinitatis cognitio denegatur. Quum procuratio hæc salutis, quæ nova creatio est, adumbrata sit per primam, in qua non minus se manifestavit Trinitas.

XIX. Tum etiam periculose dicitur, *in statu innocentiæ nullum saluti vel redemptioni locum fuisse*. De redemptione, verum est; de salute, falsum. Eadem enim salus, eadem vita æterna, quam per Christum obtinemus, promissa Adamo erat, si perstaret in sanctitate: uti alibi fuse demonstramus. Huc faciebat *Arbor Vitæ* quæ jam tum symbolum erat, non mediatoris quidem qua talis, sed tamen Filii Dei. *In ipso* enim *vita erat.* Joh. I. 4. Quod symbolum frustra fuisset, si illius significatio Adamo fuisset incognita.

Agnitio quoque Trinitatis necessaria est ad salutem.

XX. Hactenus de cognitione hujus mysterii. Non minus necessaria est illius *Agnitio* & *Assensus*, postquam alicui ex verbo Dei est expositum. Manifestum quippe est, deteriorem longe illius conditionem esse, qui veritatem fundamentalem, sibi cognitam, inficiatur & oppugnat, quam qui eam simpliciter ignorat. Neque dubito confidenter declarare, exsortes eos æternæ salutis esse, qui Trinitatis se doctrinæ opponunt: Johanne edicente, 1 Epist. cap. II. 23. *Quisquis negat Filium, nec Patrem habet.* Negat autem Filium, qui Deitatem ipsius negat, & qui negat Spiritum Filii, Filio ὁμοούσιον, & sine quo nemo Jesum Dominum dicere potest. 1 Cor. XII. 3.

Et qui eam negant pro Christianis & Fratribus non sunt habendi.

XXI. Unde pro Christianis ac Fratribus eos agnoscere, ullamve Ecclesiasticam pacem iis offerre, vel ab iis oblatam admittere, non possumus, qui Trinitatis doctrinam negant, oppugnant, blasphemant: quales hodierni Sociniani sunt. Quos, quantumlibet se speciosa pietatis larva

larva venditent, Christianismi eversores, & θεομάχους, crassosque idololatras esse, pleno ore pronunciamus: quibuscum nullam Ecclesiis nostris societatem esse volumus, & quibus ex Apostoli præscripto nec *Ave* velimus dicere. 2 Joh. vers. 10. Laudamus Christophori Krainscii zelum, qui, quando Smalcius Socinianorum Antesignanus cum suis Orthodoxos primum in Synodo Lublinensi Ao. 1612. dein in Synodo Belzicii, iniqua unionis postulatione turbabat, ingenue respondit: *Domini facessite hinc, ne turbetis nos: citius enim cælum cum orco concordare poterit; quam nos Evangelici vobiscum. Qui Deum timet, e templo exeat*, e vestigioque ipse exibat. De quo facto & dicto Krainscii quum quererentur adversarii, quasi indignos eos conversatione censuisset, subsumsit Leszczinius Comes, *Ego quoque Deum timeo, & propterea abibo.* Simulque cum dicto abivit, & conscenso carpento discessit. Sic unio denegata. *Lætus in compendio Hist. univers. cap.* XXXV. *p. mihi* 508. Qui plura desiderat, adeat Venerandi Voëtii eruditissimas *Theses, de Necessitate & utilitate Dogmatis de SS. Trinitate.*

XXII. Verum quid prodesset nuda & mere speculativa hujus mysterii *Cognitio*, & *Agnitio*, nisi accederet pia animi *in Triunum Deum reclinatio?* Quam primum fidelis anima veritatem hanc a Deo edocta est, in ea deliciatur, gaudens ea se nunc de Deo suo scire & credere, quæ omnem sensum, omnem sermonem, intellectum omnem superant, quæ incomprehensibili infinitate ejus digna sunt, & quibus denique ab omnibus gentium idolis, & quos quisque sibi perversis conceptibus suis formavit falsis Diis, distinguitur. Inveni Te, inquit Fides, inveni & agnosco Te, mi Deus, rupes salutis meæ, quem reliquus mundus ignorat, quem, sapientissimi mortalium, Athenienses Ἀγνώστῳ sibi fatebantur. אתה־הוא. Tu ille ipse es: in simplicissima Unitate Trinus: in inconfusa Trinitate Unus, Pater, Filius, & Spiritus S. Tu es ille ὁ ἀληθινὸς Θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Sed præcipue requiritur pia animi in Triunum Deum reclinatio.

XXIII. Neque hic subsistit Fides. Sed Patrem Deum agnoscens, Omnipotenti virtuti, Imperscrutabili Sapientiæ, Immensæ Bonitati, & inexhaustis Sufficientiæ ipsius Divitiis fidenter se committit. Filium Deum agnoscens, in ipsius satisfactionem ut plenissimam, & propter Deitatis eminentiam infiniti valoris, secure recumbit. *Certe, inquit, in Jehova* isto *plena justitia & robur est; ad eum quisque veniet; in Jehova justificabuntur & gloriabuntur totum semen Israelis.* Jes. XLV. 24. 25. Spiritum Sanctum Deum agnoscens, ejus ductui Sapienti ac Sancto se tuto credit, ejus testimonio ut infallibili & αὐτοπίστῳ sine metu fidit. Et hos tres unum esse sciens, non distrahitur in operationibus suis, sed omni nisu in Triunum illum incumbit, certa de singularum personarum, propter unitatem tam voluntatis quam essentiæ, in promovenda salute sua consensu

Praxis hujus articuli.

XXIV. Nihil falsius est ea Remonstrantium calumnia, qua articulum de SS. Trinitate ullum ad praxin usum habere inficiantur. Omnis doctrina *veritatis, secundum pietatem est.* Tit. 1. 1. Et hæc tam notabilis, tam fundamentalis, non esset? Imo totius fidei, totius veræ religionis, scaturigo est. Non potest habere Fidem Christianam, qui non credit e Deitate potuisse nobis dari, & datum fuisse revera, efficacem apud Deum Mediatorem. Hoc autem fieri non potuisset, si Deitas in una duntaxat consisteret persona. Nulla etiam religio est, nisi quis verum Deum colat. Non colit verum Deum, sed cerebri sui figmentum, qui non adorat in æquali Divinitatis Majestate Patrem, Filium, & Spiritum S. I nunc & doctrinam eam ad praxin inutilem esse clama, sine qua nulla fidei aut pietatis Christianæ praxis esse potest. Injurii in Deum Remonstrantes sunt, quando palpum obtrusuri, quos plus justo amant, Socinianis, eos describunt quasi *qui vitam suam ex Evangelii præscripto sic instituunt, ut Patrem in Filio ejus colant, & ab utroque Spiritus Sancti gratiam sanctis piisque precibus ambire studeant. Apol. Fol.* 53. Quid audiemus tandem? Illine vitam ex Evangelii præscripto instituunt, qui, satisfactionem Christi negantes, Evangelium evertunt? Illine Patrem in Filio colunt, qui æternum Dei Filium ψιλὸν ἄνθρωπον esse calumniantur; quem uti talem adorantes convertunt in idolum? Illine piis precibus Spiritus S. gratiam ab utroque ambiunt, qui Spiritum, Dei accidens, & creaturam, vel saltem medium quid inter Deum & creaturam esse, blasphemant? Quanto rectius *Ignatius in Epistola ad Antiochenos:* Πᾶς οὖν ὅστις ἕνα καὶ μόνον καταγγέλλει θεὸν, ἐπ' ἀναιρέσει τῆς τοῦ Χριστοῦ θεότητος, ἐστὶ διάβολος, καὶ ἐχθρὸς πάσης δικαιοσύνης. *Omnis qui annunciat unum solum Deum, & tollit Christi Divinitatem, is est Diabolus, & hostis omnis justitiæ.*

XXV. Speciales nunc usus assignemus. Primo utilis est doctrina SS. Trinitatis ad *Institutionem*, idque dupliciter. I. Informatur intellectus noster quomodo in meditatione sua circa Deum versari debeat, non hærendo in sola contemplatione Unicæ essentiæ & attributorum ejusdem, sed & adscendendo ad admirabilem illam Trinitatem. Magna certe pietatis pars est, Deum recte cognoscere. Jer. IX. 24. Non potest mens nostra præstantius suæ meditationis objectum habere, quam tremendum hoc mysterium, cujus intuitiva & perfecta cognitio in lumine gloriæ omnem felicitatem suam absolvet. II, Docemur hoc incomprehensibili mysterio, quod omnem sensum rationemque superat, ut in Divinis rebus propriæ sapientiæ nostræ renunciemus, omnemque cogitationem in captivitatem redigamus ad obedientiam fidei. Nemo enim de hoc mysterio recte cogitare idoneus est, qui non, sensuum humanæque ratiocinationis humilitate superata, in sublimiorem fidei sphæram evolaverit, ubi solius Dei de se ipso testimonio nixus, id credit,

credit, quod neque oculis cernere, neque mente comprehendere valet, ibi subsistens, ubi Deus nihil amplius revelat. *Gregor. Nazianz. Orat.* XXIX. Ἀκούεις γέννησιν, τὸ πῶς μὴ περιεργάζου. ἀκούεις τὸ πνεῦμα προϊὸν ἐκ τοῦ πατρὸς, τὸ ὅπως μὴ πολυπραγμόνει. *Audis generationem; de modo ne sis curiosus. Audis Spiritum ex Patre procedere; quomodo id fiat ne curiose indages.*

XXVI. Secundo ad *Consolationem.* I. O quam dulce est in arctissima illa trium personarum unione, imo unitate, exemplar & ideam nostræ unionis cum Christo, & per Christum cum Deo, cernere! Juxta Orationem Domini, *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint: ut sint unum, sicut & nos unum sumus, Ego in eis, & tu in me.* Joh. XVII. 21. 22. 23. II. O quam suave est, quum Patrem, qui me in Filium adoptavit, Deum esse credo, qui, ut ipse Dominus omnium est, ita me hæredem omnium facere potest: quum Filium, cui desponsata est anima, itidem Deum, ac Regem gloriæ esse cogito: quum Spiritum S. quo obsignatus sum ad diem plenæ salutis, similiter Deum, & consequenter αὐτοαλήθειαν esse certus sum! III. O quam jucundum est SS. Trinitatis mysterium meditanti, in facie æterni Patris, immensi erga me amoris pietatem cernere; in facie coæterni Filii, Sanctissimæ φιλαδελφίας comitatem; in lumine Spiritus S. vincula meæ cum Deo unionis!

XXVII. Tertio ad *Admonitionem.* I. Ut nos Christiani, quos *imitatores Dei* esse par est, *uti dilectos filios,* Eph. V. 1. in concordi vivamus pace, *unanimes & sententiis uni:* Phil. II. 2. *studentes servare unitatem Spiritus ad connexum pacis.* Eph. IV. 3. II. Ut Divinam Patris nostri Majestatem reverenter habeamus: ut Filio, Regi gloriæ, cordis nostri portas alacres pandamus: Ut Spiritum S. in eadem Majestate cum Patre & Filio Deum, non *contristemus.* Eph. IV. 30, neque eum *dolore afficiamus.* Jes. LXIII. 10. neque *extinguamus.* 1 Thes. V. 19. sed ei nos totos in sancta templa consecremus. 1 Cor. III. 16. & VI. 19. Solicite nobis ab illo in ipsum peccato caventes, quod neque in hoc neque in futuro seculo remittetur. Mat. XII. 32. Concludo verbis Synesii ex hymno tertio:

Ὑμνῶ σε μονάς, Ὑμνῶ σε τριάς.
Μονὰς εἶ τριὰς ὤν. Τριὰς εἶ μονὰς ὤν.

EXERCITATIO VII.

DE FIDE IN DEUM PATREM.

BREVIARIUM.

1. *Patris vocabulum non uno sensu de Deo dicitur.* 2. *Nobis nunc primam personam notat.* 3. *Quæ prima dicitur: non ætate.* 4. *Neque natura vel caussalitate.* 5. *Nec dignitate.* 6. *Sed ordine subsistendi.* 7. *Et operandi.* 8. *A se ipso est, non solum, quoad essentiam, sed & quoad modum habendi essentiam.* 9. 10. *Generavit Filium ab æterno, per communicationem ejusdem essentiæ suæ.* 11. 12. *Socinianorum strophæ deteguntur.* 13. 14. 15. 16. 17. *Pater cum Filio S. S. spirat.* 18. 19. 20. *Episcopii sententia de subordinatione Divinarum personarum refutatur.* 21. 22. 23. *Ad objectiones respondetur.* 24. 25. *Fides Patrem Christi ut NOSTRUM quoque Patrem considerat.* 26. *Præstantissima est conditio Filiorum Dei.* 27. 28. 29. *Ratio divini Testamenti exponitur.* 30. 31. 32. 33. *Bona Testamenti.* 34. 35. *Stipulationes Testamenti.* 36. 37. 38. 39. 40. *Gnorismata Filiorum Dei.*

Patris vocabulum non uno sensu de Deo dicitur.

PATRIS vocabulum, quando de Deo usurpatur, quandoque οὐσιωδῶς sumi, quandoque ὑποστατικῶς, receptissima Theologorum observatio est. Οὐσιωδῶς sumtum, toti individuæ Trinitati commune est: atque ita usurpatur imprimis cum respectu ad creaturas. Id enim propter quod Deus hominum cæterarumque creaturarum Pater vocatur, non uni alicui personæ singulare est, sed singulis æqualiter competit. *Pater omnium* dicitur, quia omnes *creavit*. Mal. II. 10. *Pater Spiritum* Heb. XII. 9. quia eos *format in medio hominis*. Zach. XII. 1. Confer Jer. XXXVIII. 16. Itemque, quia sollicitam hominum curam gerit, prospiciendo singulis. *Fecit ex uno sanguine totam gentem hominum. Nec longe abest ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur & sumus. Sicut & quidam Poëtarum dixerunt:* Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Act. XVII. 26. 27. 28. Hæc autem ita ad primam Deitatis personam referenda sunt, ut non minus secundæ ac tertiæ accepta ferantur.

Nobis nunc Primam personam notat.

II. Nobis vero Patris nomen nunc ὑποστατικῶς venit, uti designat Primam Deitatis Personam, quæ à se ipsa est, & sola quidem Filium ineffabili modo generavit, una autem cum Filio Spiritum Sanctum modo non minus ineffabili spirat. Qua descriptione ea omnia continentur, quæ ut proprietates characteristicas Patris Scriptura proponit.

Quæ prima dicitur: non ætate.

III. Harum *Prima* est Patris *Personalis Primitas*. Quum Patrem primam personam dicimus, non intelligimus id de ordine *Durationis*, quasi Ætate ac Tempore reliquis sit anterior. Nam & Filii *egressus sunt* מקדם מימי עולם, *jam inde ab initio, à diebus seculi Mich.* V. I. Et *Jehova possidebat*, hypostaticam illam sapientiam, *principio viæ suæ: ante opera sua, ante ullum tempus. Prov.* VIII. 22. Unde pie in *Expositione Fidei* dixit *Athanasius*, υἱὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς ἀνάρχως καὶ ἀϊδίως γεγεννημένον, *Filium ex Patre sine initio, & ab æterno genitum.* Et Spiritus iste, per quem factum est ut Christus uti inculpata hostia Deo offerretur (quod de tertia persona intelligere nihil vetat, imo vero admodum consentaneum est,) *æternus* nuncupatur Heb. IX 14. Et sane æternitas adeo essentialis Dei proprietas est, ut quod æternum non est neque pro Numine agnoscendum sit. Pertinet ad τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod natura ipsa suggerit, *Æterna Potentia* Rom. I. 23. Porro quod æernum est, nihil quod se vel momento prius sit habere potest. Optime in *Symbolo* suo *Athanasius, Patris, & Filii & Spiritus Sancti una est Deitas*, καὶ συνδιαιωνίζουσα (alii legunt συναΐδιος) ἡ μεγαλειότης, *coæterna magnificentia.*

Neque Natura, vel Caussalitate.

IV. Neque primum dicimus patrem ordine *Naturæ* vel *Caussalitatis*. Nusquam enim Scriptura id testatur: extra quam in tam tremendo mysterio loqui periculosum est. Caussa proprie definitur, quæ influit esse in aliud. Id autem in personis Divinis, ubi essentiæ ταυτότης est, non obtinet. Et ubi natura una est, uti hic, ibi naturæ prioritas vel posterioritas perperam concipitur. Non nescio Veteres Græcos τὸ αἴτιον καὶ τὸ αἰτιατὸν, *caussam & caussatum* in Divinis quoque admisisse; (vide *Forbes. Lib.* I. *Cap.* XX.) sensu Orthodoxo, sed phrasi non admodum probanda. Omnem tamen naturæ prioritatem & inæqualitatem disertis verbis removerunt. Videamus quomodo se *Damascenus* explicet: *Lib.* I. *de Orthodoxa Fide. Cap.* IX. Εἰ δὲ λέγομεν τὸν πατέρα ἀρχὴν εἶναι τοῦ υἱοῦ, καὶ μείζονα, οὐ προτερεύοντα τοῦ υἱοῦ χρόνῳ ἢ φύσει ὑποφαίνομεν. δι' αὐτοῦ γὰρ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, οὐδὲ ἑτέρῳ δὲ, εἰ μὴ κατὰ τὸ αἰτιατὸν, τοῦτ' ἔστιν, ὅτι ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἐγεννήθη, καὶ οὐχ ὁ Πατὴρ ἐκ τοῦ υἱοῦ. *Quum autem dicimus Patrem esse principium, aut majorem Filio, neutiquam hoc affirmamus, eum* VEL TEMPORE VEL NATURA PRIOREM *esse atque potiorem Filio; quippe per quem secula ipsa fecerit. neque aliud quippiam aut aliter, quam quatenus Pater caussa Filii est: sive quia Filius à Patre genitus est, non autem Pater à Filio.* Sunt in hoc discursu quæ displicent ut minus accurata. Nam dura est, catachrestica, & ἀνέμφατος locutio, *Patrem esse caussam Filii.* Neque verum est, Patrem eo respectu Filio majorem esse: quum *rapinam non ducat Filius* τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ Phil. II. 7. Attamen Orthodoxiæ cautum est, quum non alio sensu Pater caussa Filii dicatur, nisi quatenus Filius ex eo genitus est, & omnis naturæ temporisque prioritas excluditur.

Nec Dignitate.

V, Denique primum etiam non agnoscimus Patrem *Dignitate* vel *Præ-*

stantia.

stantia. Etenim infinita ac suprema præstantia essentiale Deitatis attributum est. Et si datur persona aliqua Filio vel Spiritu Sancto præstantior & dignior, neuter erit Deus optimus Maximus: *Hi tres unum sunt*, 1 Joh. v. 7. essentia, omnibusque attributis essentialibus; ἰσότιμοι, καὶ ἰσόδοξοι.

Sed Ordine subsistendi.

VI. Sed primitas hæc, est 1. *Ordinis in subsistendo*. Patri enim ὑπόστασις adscribitur. Filius dicitur illius ὑποστάσεως, χαρακτήρ. Heb. 1. 3. Pater ergo est ἀρχέτυπος; Filius ἐκτύπωμα. Ἀρχέτυπος autem prior est τοῦ ἐκτυπωθέντι. Qua similitudine & alibi utitur Apostolus, quum Filium vocat *imaginem Dei invisibilis* Col. 1. 15. Prioritas ista, uti nullam præstantiam Filio demit, ita nullam Patri addit. Imo vero utriusque æqualitas metaphora ista eleganter significatur. Pulcherrime *Theophylactus*: Οὔτε γὰρ ὑπερέχει τῆς ὑποστάσεως ὁ χαρακτήρ, ἵνα μὴ ἀνυπόστατος ᾖ κατὰ ὃ ὑπερέχει, οὔτε ἡ ὑπόστασις πλεῖόν ἐστι τοῦ χαρακτῆρος, ἢ γὰρ ἂν ἀχαρακτήριστον ἔχοι ἐκεῖνο τὸ μέρος. *Non enim character hypostasin, sive, expressa forma exprimentem excedit, ne in eo quod excedit, sine hypostasi, sine exprimente, sit. Neque hypostasis amplius aliquid continet charactere, hoc est, expriment forma expressa major non est; cæteroquin in ea saltem parte expressa non esset.*

Et Operandi.

VII. II. *Ordinis* in *operando*. Quum enim per Filium operetur Pater, Heb. 1. 2. necesse est, ut ipse relate ad aliam personam operetur ἀνάρχως, & principium operationis, non essentiale modo, sed & personale, in se ipso habeat. Pertinet huc quod Christus asserit, Joh. v. 19. *Non potest Filius a semet ipso operari, nisi quod viderit Patrem operantem; quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.* Quod de Filio, tam Theologice, quam Oeconomice considerato, verum est. Nam sicut Filius, quoad humanam suam naturam, nihil facit nisi Patris instinctu, jussu & exemplo, adeo ut in omnibus actionibus illius sit exsecutio voluntatis, & demonstratio sanctitatis, quæ in Patre est: ita etiam, qua Filius Dei, nihil potest facere, ἀφ' ἑαυτοῦ, quod Hebræi dicerent לבדו, seorsum a Patre, quum una eademque utriusque essentia, potentia, & voluntas sit; ita tamen ut Pater in ordine operandi primas teneat, & Filius eum operantem videat, id est, molitiones & decreta Patris, quæ & sua sunt, intime cognoscat, approbet, & exactissime exsequatur. Unde clarum est, ordinem operandi a patre incipere. Neque hæc rursus ordinis prærogativa quidquam supremæ dignitati Filii derogat: nisi quis hoc accipiat absurdissime pro imbecillitatis argumento, quod quum Patris & Filii unica sint potentia & voluntas, Filius nihil possit & velit nisi in & cum Patre. Ipseque Filius suæ isti dignitati sufficienter cavit, quando testatur se *quæcunque Pater facit*, *ea* ὁμοίως *pariter facere*, non alia ad eorum exemplar, uti Grotius hoc torquet, sed eadem, & ea ὁμοίως. Quod, *Nazianzeno* monente, intelligendum est,

ὐ κατὰ τὴν γινομένων ὁμοίωσιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῆς ἐξουσίας ὁμοτιμίαν, *non secundum similitudinem eorum quæ fiunt, sed secundum æqualem potestatis dignitatem.* Arguitque τὴν ἐν τοῖς ἔργοις ἀπαράλλακτον ταυτότητα, *absolutissimam operum identitatem:* ut *Cyrillus Alexandrinus* ad hunc textum ait. Quo modo si verba exponantur, continebunt invictum argumentum, non solum nihil mali fecisse Dominum in sanatione istius ægri; sed nequidem fieri posse ut male agat, quia potentia & voluntas qua miracula facit eadem est cum potentia & voluntate Patris, servata duntaxat personalis ordinis distinctione in operando. Huc autem sermo Domini directus est.

VIII. *Altera* Patris proprietas Characteristica est, quod *a se ipso sit.* Quod non est accipiendum de essentia, sed de modo habendi essentiam. Nam si essentia consideretur, & Filius & Spiritus Sanctus sunt ille Deus qui a se est. Id quippe adeo in Deitatis notione includitur, A se esse, id est, propter infinitatem perfectionum suarum a nemine in existendo dependere, sed ipsi sibi omnia sua debere; ut, qui quoad essentiam suam ab alio est, eo ipso Deus non sit. Propterea recte Veteres Christum αὐτόθεον, *A-se-& per-se-Deum*, dixere: inter alios *Eusebius* in Oratione Panegyrica ad Paulinum Tyriorum Episcopum. *Histor. Lib. x. cap.* IV. ubi Christum nuncupat τοῦ καθόλου θεοῦ παῖδα γνήσιον καὶ αὐτόθεον. quia eam essentiam Divinam habet quæ a se ipsa est, quippe verus Deus, licet illam qua Filius habeat a Patre. Pater ergo a se est quoad personalitatem, id est, essentiam Divinam habet a nulla alia persona sibi communicatam. Nusquam enim Scriptura Patrem ab alio vel genitum, vel spiratum esse, vel quovis modo exivisse, memorat. Bene idcirco *Athanasius* in *Expositione Fidei:* πιστεύομεν εἰς ἕνα ἀγέννητον θεὸν, πατέρα παντοκράτορα τὸν ἔχοντα ἀφ' ἑαυτοῦ τὸ εἶναι. *Credimus in unum ingenitum Deum, Patrem Omnipotentem, qui ex se habet quod est.*

A se ipse est non solum quoad essentiam sed & quoad modum habendi essentiam.

IX. *Tertia* proprietas characteristica est, quod *solus* ab æterno *generaverit Filium:* quemadmodum dicit Ps. II. 7. *Filius meus es, hodie genui Te.* Quod ita Christo dictum esse, ut præter eum nemini, Apostolus fidem facit. Heb. I. 5. Qua autem in re generatio ista consistat, id nobis homullis & intellectu & explicatu impossibile est. Modeste, quem modo laudavi, *Athanasius:* Ἐγεννήθη δὲ ἀνεκφράστως καὶ ἀπερινοήτως. *Genitus est ineffabiliter & incomprehensibiliter.* Attamen in omni conceptu generationis proprie dictæ, qua quis constituitur alicujus filius, includitur communicatio ejusdem essentiæ: quæ in personis creatis non nisi specie eadem est, in Deo autem, propter simplicissimam illius unitatem, eadem est numero. Hinc per generationem Filii intelligimus eam Dei actionem, qua eandem numero essentiam quam ipse habet communicavit Filio, ut Filius eam pariter habeat.

Generavit Filium ab æterno, per communicationem ejusdem essentiæ suæ.

X. Neque circa Scripturam hæc dicuntur. Præit ipse Filius Joh. V. 26.

Sicut Pater habet vitam in se ipso, ita & Filio dedit vitam habere in se ipso. Vitam habere in se ipso, est non modo sibi ipsi sufficere ad consummatissimam beatitudinem, qualis vita sola Deo digna est, sed etiam vitæ fontem esse, ad eam dandam iis qui non erant, & reddendam iis qui mortui erant. Quæ essentiales Dei perfectiones sunt. Hoc modo Pater vitam habet in se ipso. Ut Filius eodem modo eandem vitam in se ipso habeat, dedit ei Pater; quod ejusdem essentiæ, quæ per se vivit & omnis veræ vitæ fons est, communicationem necessario importat. Non nescio esse ex nostris, etiam magni nominis, Theologos, qui hæc de Christo non κατὰ θεολογίαν, sed κατ᾽ οἰκονομίαν directe dicta esse pugnent. Cæterum etiamsi id iis daremus (quod tamen ut demus nihil est necesse) non potuisset Christo dari ut qua Mediator fontem vitæ in se haberet, nisi ipse essentiam haberet per se viventem, quæque adeo esset αὐτοζωή. Hæc enim Dei gloria est, ut occinatur ipsi, *penes te est fons vitæ.* Psl. XXXVI. 10. Eam autem gloriam non dat non-Deo. Jes. XLII. 8.

Socinianorum strophæ deteguntur. XI. Verum non tam faciles adversariis largimur, per *Generationem* Christi Psl. II. memoratam, intelligi illius *resuscitationem ex mortuis*, & per *hodie* diem illum quo Deus eum a mortuis suscitatum Regem populi sui constituit. Nam I. Nusquam gignere in sacris literis significat e morte eripere. Neqne licet nobis novas vocum significationes cudere. II. Etiamsi fortean aliquando metaphorica ista significatione usurparetur, quod tamen nondum probatum est; hoc loco extra proprium sensum exponi non potest. Quia hic adducitur ut ratio propter quam Christus Filius Dei vocetur. Filius autem Dei est non metaphorice, sed proprie. Nam & Pater vocatur *proprius ipsius Pater.* Joh. 5. 18. & ipse *proprius Patris Filius.* Rom. VIII. 32. quo nomine a Filiis metaphoricis distinguitur. III. Christo dicta sunt verba hæc ea emphasi, qua ne Angelorum quidem ulli, nedum hominum, dici potuere Heb. I. 5. Si autem nihil significarent præter suscitationem ex mortuis, nihil Christo attribuerent quod non cum pluribus commune habeat, qui similiter virtute Dei ad gloriam & regnum æternum suscitati sunt. IV. Christus se ipsum quoque sua virtute e morte suscitavit. Joh. II. 19. X. 18. Unde juxta hanc explicationem sequeretur, quod se ipsum genuerit, & sui ipsius Filius sit. V. Denique falsum est, Christum eo demum die a Patre genitum, vel Filium dictum esse, quo e mortuis suscitatus est, quum etiamnum vivus frequenter se Filium Dei professus, & pro tali agnitus sit: uti ex Evangelica Historia notissimum est. VI. *Hodie,* quando de humanis rebus agitur, adverbium temporis est: sed Divinis applicatum, θεοπρεπῶς debet intelligi. Et si vocabulo a nostro tempore translato exprimenda sit æternitas, quæ interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio est, quid illi absque successione durationi convenientius est vocabulo, *Hodie?*

XII. Neque

XII. Neque ullum caussæ suæ præsidium adversarii habent in Pauli verbis. Act. XIII. 32. 33. *Quoniam hanc* (promissionem Patribus factam) *Deus adimplevit nobis filiis ipsorum*, ἀναστήσας Ἰησοῦν, *suscitato Jesu*; *Ut etiam in Psalmo secundo scriptum est*, *Filius meus es tu*, *ego genui te*. Nam I. Non probat ibi Paulus resuscitationem Christi ex hoc Psalmi secundi dicto; quod quidem describit resuscitatum, non probat resuscitationem, sed ex Jes. LV. 3. & Ps. XVI. 10. dum vers. 34. ita infit, *quod autem suscitaverit eum ex mortuis &c. ita dixit*, *&c.* II. Imo ne illa quidem verba, ἀναστήσας Ἰησοῦν, de resuscitatione ex mortuis agunt, sed de exhibitione Jesu in Salvatorem, nam hæc suscitatio diserte discernitur a resuscitatione ex mortuis, de qua demum agitur vers. 34. Sensus est, Deum promissionem patribus factam implevisse, quando Christum hominibus in carne exhibuit. Quænam autem illa promissio est? Patet ex Ps. II. Ubi Deus Ecclesiæ pollicetur, fore ut talem super eam Regem ungat, qui Filius suus esset, hodie (id est ab æterno, in æternum: nam apud Deum perpetuum est hodie) ex se genitus. Hoc exhibitionis sensu eadem voce ἀναστήσας usum esse Lucam cap. II. 30. & III. 26. *Grotius*, non exosum adversariis nomen, annotavit. Addimus nos act. VII. 37. προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει κύριος. III. Si admittamus; verba Psalmi ad resurrectionem Christi applicari, quod *Calvino*, *Cameroni*, nostrorumque aliis visum est, id tantum significabitur, resuscitatione ista declaratum ac comprobatum esse, quod Christus Filius sit ab æterno a Patre genitus. Scilicet blasphemiæ eum damnaverat Judaicum Synedrium, quia se Filium Dei dixerat. Deus ergo eum a morte suscitans, quæ ipsi ut blasphemo inflicta fuerat, absolvit ipsum ab isto crimine, & publice pro unigenito Filio agnovit. Atque ita ὁρισθη υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει, hoc est, definite, solitarie, cum exclusione omnium aliorum, *designatus*, *demonstratus*, *determinatus* est *Filius Dei in potentia*. Rom. I. 4. Verbum Apostoli efficacissimum est, & uti erudite notavit *Ludovicus de Dieu*, significat Christum intra tales terminos constitutum, iisque ab aliis ita diremtum ac disterminatum esse, ut judicari aliter nec debeat, nec possit, quam quod sit Filius Dei. Illud ἐν δυνάμει jungi potest cum *demonstratus*, & tum significabit, eum valido argumento comprobatum esse Filium Dei: vel cum *Filius Dei*, & tum notabit, eum id esse in plenissima emphasi, quam vocabulum illud habere potest, ut illud nomen, ipsi tributum, sit διαφορώτερον ὄνομα Heb. I. 4.

XIII. Quarta ἰδιότης ὑποστατική Patris est, quod *una cum Filio Spiritum Sanctum spiret*, qui propterea dicitur רוח פיו *Spiritus oris ejus*, Ps. XXXIII. 6. & רוח אל ונשמרת שדי *Spiritus Dei*, *&* *Halitus Omnipotentis*. Job. XXXIII. 4. Hæc scimus. Quis autem spirationis modus sit, & qua ratione communicatio essentiæ quæ tertiæ personæ facta est per *Spirationem* — Pater cum Filio S. S. spirat.

nem discriminetur a communicatione ejusdem essentiæ quæ secundæ personæ facta est per *Generationem*, illius rei cognitionem cœlesti Academiæ reservare supremo Magistro visum est. Non placet nobis Scholasticorum audacia, qui Generationem ad intellectum pertinere dictarunt, quasi Pater se ipsum contemplando sui imaginem personalem genuerit quæ dicatur Filius: Spirationem vero ad voluntatem referunt, ut Pater, una cum Filio, se ipsum volendo & amando Spiritum Sanctum produxerit. Non modo religio nobis est tam altum sapere, sed & aversamur tam inanes ingenii in divinis rebus temere ludentis sophisticationes. Potior nobis est *Nazianzeni* modestia: *Orat*: XXXIX. πνεῦμα ἅγιον ἀληθῶς τὸ πνεῦμα, προϊὸν μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς οὐχ υἱικῶς δὲ, οὐδὲ γὰρ γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπορευτῶς. *Spiritus Sanctus vere Spiritus est, procedens quidem ex Patre, non tamen Filiationis modo, ut nec generationis; verum processionis.*

XIV. Hoc unum tuto dicere possumus, quod Generatio soli Patri competat, Spiratio autem Patri & Filio. Colligi id potest ex Joh. xv. 26. *Quum autem venerit Paracletus ille quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis qui à Patre procedit*, ἐκπορεύεται. Non minus à Filio mittitur Spiritus, quam à Patre procedit. Fateor & missionem & ἐκπόρευσιν istam non esse φυσικὴν sive ὑποστατικὴν, sed οἰκονομικὴν, agique ibi directe de Spiritus Sancti datione, ejusque egressione ad homines: sed quæ mysterium æternum præsupponat. Omnino enim consentaneum est, genuinam subsistendi rationem in temporaria manifestatione relucere.

XV. Non dissimulo tamen, opponi observationi huic posse, quod Christus, qui tamen quoad hypostasin a Spiritu Sancto uon est, a Spiritu Sancto missus dicatur. Ita enim vulgo ista vertuntur Jes. XLVIII. 16. *Et nunc misit me Dominus Jehova, & Spiritus ejus.* At respondeo I. non usquequaque certum esse, an Christus ille sit qui ibi loquitur. Magni Theologi, *Hieronymus*, *Vatablus*, *Calvinus*, *Junius*, *nostrates Belgæ*, aliique quos citat *Cornelius à Lapide*, volunt hæc esse verba Jesaiæ quibus dictis suis fidem adstruit. II. Si ad Christum referenda sint, ut plurimi tam ex antiquis quam recentioribus sentiunt, quibus ego refragari non ausim, dici potest, Christum a Spiritu Sancto missum esse qua homo erat, & ad hominum redemtionem. Nam Sp: S. adscribitur fabrica humanæ naturæ Christi Luc. I. 35. Ita ex *Anselmo* respondet *à Lapide*. III. Textus Hebræus habet אדני יהוה שלחני ורוחו, quod commode verti potest, *Dominus Jehova misit me & Spiritum suum.* Sic ut missio Spiritus cum missione Filii jungatur, quemadmodum eventu quoque comprobatum est. Quocunque sensu interpreteris, nihil facit locus allegatus adversus hypothesin.

XVI. Cur etiam *Spiritus Filii*, Gal. IV. 6. & *a Filio suo accipere* diceretur, Joh. XVI. 14. nisi a Filio procederet? Nam, ut sæpius jam monitum, οἰκονομία sequitur τὴν θεολογίαν.

XVII. Hinc patet, quid judicandum sit de Græcorum cum Latinis super hoc capite pertinaci contentione. Non dubito quin peccatum sit utrimque. Quum Symbolum Constantinopolitanum, A. C. 381, editum, haberet τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. male Latini Symbolo isti addiderunt, FILIOQUE. De quo additamento differentem vide *Vossium, De Tribus Symbolis, Disser.* III. *Thesi* XV. & *sequentibus* : & *Heideggerum Dissert : Sel : Tom :* II: *p:* 728. Male, inquam, hoc fecerunt. Nam etiamsi verum esset quod addebant, verba tamen Symboli verba Scripturæ erant : additamentum illud αὐτολεξεὶ in Scriptura non exstat. Præterea qui Symbolo antiquo aliquid addit, is se falsum testem facit; vult enim credi, antiquitus à Patribus auctoribus istius Symboli aliquid determinatum esse, quod determinatum non est. Male etiam Græci super hoc negotio tam pertinaciter contenderunt. Quum dogma Latinorum veritati consentaneum sit, & a priscis Ecclesiæ suæ Doctoribus eodem modo traditum, uti ex *Athanasio, Epiphanio, Cyrillo Alexandrino, Gregorio Nysseno,* aliisque pridem demonstratum est. Imo, si quod rei est velimus dicere, vix ulla realis controversia restat. Sive enim dicamus Sp. S. procedere a Patre & Filio, sive ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' υἱοῦ, uti Cyrillus Constantinopolitanus in sua confessione, conscripta A. C. 1631. loquitur, parum admodum interest. Quum neutra phrasis in sacris literis reperiatur : neutra etiam incommoda & veritati dissentanea sit. Sed de his hactenus.

XVIII. Notanda hic est EPISCOPII sententia de reliquarum Personarum sub Patre subordinatione : qui Patrem *sic esse Primum* contendit, *ut etiam SUMMUS sit, tum* ORDINE, *tum* DIGNITATE, *tum* POTESTATE. ORDINE, *quia Filius & Sp : S. ab illo ut sint necesse est.* DIGNITATE, *quia principium & caussa ut sint ipsis Pater est : dignius autem est esse a nullo, quam esse ab alio ; & generare, quam generari ; spirare, quam spirari.* POTESTATE, *id est, jure sive dominio; quia Patri est jus mittendi, dandi Filium ; effundendi Spiritum Sanctum : neutri vero jus est in Patrem. Hinc Pater nunquam missus aut datus ; sed semper mittens sive dans legitur.* Hæc ille, *Insti: Theol: Lib:* IV. *Cap:* XXXII. Similia habet *Curcellæus. Dissert : de Vocibus Trinitatis &c. Parag.* LX. Episcopii sententia de subordinatione Divinarum personarum refutatur.

XIX. Ad quæ in genere observamus. 1 Recedere eos hac in parte a Catholicæ Ecclesiæ Fide, quæ *secundum Apostolicam Disciplinam, Evangelicamque Doctrinam, Patris & Filii & Spiritus Sancti unam Deitatem sub pari Majestate & sub pia Trinitate credit :* uti Imperator loquitur Lege 1. Codi: de Sum: Trin: & Fide Catholica. Et *Athanasius, Libro de Communi Essentia &c :* Capite, *Quod non tres Dii sint :* ὅπου δὲ ἀμέριστος ἡ ἀξία, μία βασιλεία, μία δύναμις καὶ βουλὴ καὶ ἐνέργεια, ἰδιάζουσα τὴν τριάδα ἀπὸ τῆς κτίσεως, ἕνα λέγω Θεόν. *Ubi vero indivisa dignitas, unum regnum,*

ἄλλως ἐμῶ, κατὰ φύσιν; ἄλλως ὑμῶν, κατὰ θέσιν: *Aliter meum, per Naturam; aliter Vestrum, per Adoptionem.*

XXV. Qua autem ratione Deus fidelium Pater sit, alibi fusius explicuimus. Ne quid tamen Exercitationi huic desit, breviter notamus, Deum Patrem nostrum dici I. Propter hyperphysicam ex Spiritu ipsius *Regenerationem*, qua novæ ac cœlestis vitæ initium nobis inditur, nosque *Divinæ* adeo *naturæ*, nostro modo atque ordine, *consortes reddimur.* 2 Pet. I. 4. De hac Johannes loquitur Cap. I. 12. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* II. Propter *connubium cum D. Jesu*, cujus quando sponsa facta est anima nostra, transit in familiam Patris ipsius, & Pater eam dulcissimo *Filiæ* nomine compellat. Ps. XLV. II. Et Jesus ipse eodem halitu eam & *sponsam* & *sororem suam* indigitat. Cant. V. I. 2. III. Propter *Adoptionem*, qua jus & privilegia filiorum nanciscimur, & æterna Hæreditas immutabili testamento nobis addicitur. *destinavit nos quos adoptaret in Filios.* Eph. I. 5. *Si filii, ergo hæredes.* Rom. VIII. 17.

Præstantissima est conditio filiorum Dei.

XXVI. Præstantissima sane conditio filiorum Dei est. Si tanti faciebat David generum Regis appellari, qualis Saul erat, I. Sam: XVIII. 23. quanti nobis faciendum est, quod Filii Dei vivi dicamur? I. *Quam* eximia est ista *nobilitas*, generis nostri originem non a *Principe* aliquo vel Monarcha terreno, sed a Rege cœlorum arcessere? II. *Quid pulchrius* esse potest *Divina illa natura*, quam nova generatione nacti sumus? I Pet. I. 4. Ipse Deus in filiis suis, ut peculio suo, gloriatur, imo eos *proventus sui primitias* vocat. Jer. II. 3. qui *ipsi in laudem & nomen & gloriam sint.* Deut. XXVI. 19. Ferme uti parentes, qui pulchritudine liberorum suorum insignes eos aliis quoque ostentant. III. *Quid* etiam optabilius *conjugio* illo cum primo genito Filio Dei? quo nihil pulchrius, ditius, gloriosius denique, ipsa cogitatione fingi potest: qui & *candidus est, & rubicundus, & vexillarius e myriade.* Cant. V. 10. IV. *Denique* nihil præstantius esse potest *hæreditate* ista, quam adoptionis jure filii Dei consequuntur, quæ irrevocabili ipsis Testamento addicta est.

Ratio Divini testamenti exponitur.

XXVII. Non inutile erit huic meditationi aliquantisper immorari, apertoque Patris nostri TESTAMENTO inquirere, QUÆ ac QUANTA BONA, & sub quibus STIPULATIONIBUS nobis legaverit. Per TESTAMENTUM intelligimus: *Ultimam & immutabilem Dei voluntatem, sacrarum literarum scriptura consignatam, & morte ac sanguine Jesu confirmatam, qua electos fideles suos ex asse hæredes declaravit.*

XXVIII. Dico Testamentum esse *Voluntatem* Dei, sive illud *voluntatis suæ consilium*, Eph. I. II. quo hæreditatem & hæredes designavit: & de quo Dominus loquebatur: Luc. XII. 32. εὐδόκησεν ὁ πατὴρ. *libuit Patri dare vobis regnum.* Addo, esse *ultimam & irrevocabilem* Patris volunta-

voluntatem. nam uti hoc ad validum Testamentum in humanis rebus requiritur, Gal. III. 15. ita nec huic Testamento deest. *Qua in re Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii sui, fide jussit jure jurando: ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut mentitus sit Deus, validam consolationem haberemus.* Heb. VI. 17. 18. Hac voluntate sua designaverit, & *Hæreditatem*, tam *Gratiæ*, quam *Gloriæ*, de qua mox; & *Hæredes*, non indefinite, quosvis credentes, sed nominatim has & illas personas: *quarum nomina scripta sunt in cœlis*, Luc. X. 20. & *cælata in manibus Dei.* Jes. XLIX. 16. Eam voluntatem suam sacris *utriusque instrumenti scriptis* expressit, quæ propterea quoque *Testamentum* dicuntur. 2 Cor. III. 14. Denique, ne quid deesset, cuncta confirmata & *designata* sunt *sanguine* ac *morte D. Jesu*, Heb. IX. 16. 17.

XXIX. Quod ut intelligatur, notandum est, Deum Patrem testamento eum honorem Filio suo Jesu legavisse, ut caput electorum esset in gloria, & jus haberet omnia sua iis impertiendi. Ps. II. 8. Jesus iterum ex potestate sibi facta a Patre, testamento de bonis suis cum electis communicandis disponit. *Ego διατίθεμαι testamento addico vobis, sicut διέθετο testamento addixit mihi Pater meus, regnum.* Luc. XXII. 29. Ita ut hæc testamenti factio originaliter quidem a Patre, proxime tamen a Christo Mediatore fit; qui mortuus est, non ut morte sua vacuam faceret hæreditatem: (*vivit* enim *in æternum* Apoc. I. 18.) sed ut obsignaret promissa, & jus ad hæreditatem suis acquireret. Hinc sanguis ab ipso fusus, *sanguis Testamenti* dicitur. Zach. IX. 11. Mat. XXVI. 28.

XXX. BONA Testamento legata eximia sunt. Ea nunc ad tria summa capita referimus. *Primum* est *totius mundi possessio.* Hoc enim promissum est Abrahamo & semini ipsius, fore eos *hæredes mundi.* Rom. IV. 13. In quem locum audire lubet commentarium *Ludovici de Dieu. Sicut peccatum, eo ipso quod nos a Deo separavit, ejusque maledictioni subjecit, extorres nos & exhæredes fecit, adeo ut non vel in minimam creaturam spirituale ac filiis Dei dignum jus dominiumve haberemus: sic contra eo ipso quod Deus fit Deus noster, nosque ipsius benedicti, restituimur tanquam filii in jus & dominium omnium paternorum bonorum; cumque præter Deum & mundum nihil sit, hæredes mundi simus, terrestris, cœlestis, præsentis, futuri. Unde* 1 Cor. III. 22. *Omnia vestra sunt: & inter ea omnia nominatur* vers. 22. *mundus, & quicquid in eo est, præsentia & futura.* Bona Testamenti.

XXXI. Hæc autem possessio mundi consistit in hisce sequentibus rebus. 1. Ut quisque filiorum Dei tantum de bonis hujus mundi possideat, quantum Patris cœlestis sapientia ita ad sustentationem vitæ animalis sufficere scit, ne quid spiritualis illa capiat detrimenti: & eo quidem modo possideat, ut in illius usu fructu gustet charitatem Patris, id sibi in melioris boni arrham donantis, & Primogeniti Fratris, qui pauper

ipse factus est ad ditandos suos. 2 Cor. VIII. 9. Quæ Dei Patris Christique charitas quando ad minimam panis micam, vel frigidæ guttam accedit, facit ut illæ omnibus divitum hujus seculi cupediis immensum præferendæ sint. *Pauculum illud quod justus habet plus est copia multorum improborum.* Ps. XXXVII. 16. II. Ut creaturæ omnes pro scalis ipsis inservire debeant, quibus ad Creatorem enitantur. In omnibus enim adorandas virtutes ipsius tanquam in lucido speculo contemplantur. Ps. CIV. 24. & in ea meditatione exsultant. Ps. XCII. 5. 6. Imprimis in iis Dei erga se amorem cernunt. Quum solem, quum lunam, quum sidera intuentur, tot sibi faces a Patre suo accensas gaudent, ad quas quæ filiis Dei digna sunt operentur: neque minus id admirantur, quam si singulis suus sol, suave luna luceret. Ps. VIII. 4. 5. Nihilque præter decorum faciunt, quando sui caussa mundum adhuc in statu suo manere, sibique istius rei gratiam ab improbis deberi, opinantur. Nam *semen sanctum statumen* mundi est. Jes. VI. 13. III. Ut omnes creaturæ, ac universa Dei circa eas gubernatio, *adjumento iis ad bonum sint.* Rom. VIII. 23. Quod tam late se extendit, ut & cœlestes & infernales Angeli ministerio huic vacare necesse habeant. Cœlestes, nonne sunt *πνεύματα λειτουργικὰ, ministerii munere fungentes spiritus, qui ministerii caussa mittuntur propter hæredes salutis futuros?* Heb. I. 14. Ps. XXXIV. 8. & XCI. 11. Et infernalis ille, arrogantiæ doctor, nonne colaphis suis Paulum ad humilitatem erudire, invitus, & aliud longe agens, cogebatur? 2 Cor. XII. 7. IV. Si hic mundus, qui vanitati propter peccatum subjectus est, iis non sufficiat; ex cineribus hujus intereuntis alium conditurus est Deus, *novum cælum novamque terram* fabricaturus, *in quibus justitia habitet.* 2 Pet. III. 13. Nihil horum est, quod non includi possit generali illo promisso de hæreditate mundi.

XXXII. *Alterum* hujus Testamenti bonum, est Spirituale REGNUM. *Paciscor vobis regnum.* Luc. XXII. 29. Ad quod etiam abjectissimi cæteroquin filiorum Dei, etiam pauperes, etiam servi ancillæve, vocantur. *Nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, ut fierent divites fide, & hæredes regni, quod promisit iis qui ipsum diligunt?* Jacob. II. 5. Huc pertinet A. Excellentia filiorum Dei, qua cæteris omnibus mortalibus præstant. Prov. XII. 26. B. Victoria de peccato & insanis cupiditatibus carnis, quibus ipsi Reges timendique Tyranni subsunt ac serviunt. Rom. VI. 14. 18. C. Conculcatio Diaboli sub pedibus. Rom. XVI. 20. D. Triumphus de superato universo mundo, quo ringente æternum salvabuntur. 1 Joh. V. 4. E. Inæstimabiles divitiæ spiritualium donorum. Ps. XLV. 10. etiam in media paupertate. Apoc. II. 9. F. Sancta animi pax & gaudium per Spiritum Sanctum. Rom, XIV. 17. Quæ omnia hic inchoantur in gratia, consummanda in gloria.

XXXIII.

XXXIII. *Tertium* Bonum est ipse DEUS. Rom. VIII. 17. *Hæredes Dei.* Mutua hic est hæreditas. Fideles sunt portio Dei, & Deus est portio ipsorum, quemadmodum hæc reciprocantur, Jer. x. 16. *Formator omnium est Jacobi portio; vicissim Israël est tribus possessionis ipsius.* In ista Dei possessione inveniunt filii ipsius א Protectionem contra omne malum. Ps. XCI. 2. *Dico, in Jehova est receptus meus & propugnaculum meum.* Quare? *DEUS MEUS est, cui confido. vid.* Ps. XXVII. 1. 2. Jes. XLIII. 2. 3. ב. Communicationem omnis boni. Ps. XXXVI. 8. Nam α. Tota illa infinitas perfectionum quæ in ipso Deo sunt, gloriosa & admirabilis apparebit in filiis Dei; iisque ad consummatam beatitudinem se fruendam dabit. Et quid anima præter infinitum illud desideret? Ps. LXXIII. 25. β. Quid non dabit Deus iis, quibus se ipsum dat; 1 Cor. III. 22. 23.

XXXIV. STIPULATIONES in hoc Testamento, si illud integrum, una cum omnibus promissionibus suis spectetur, proprie dictæ nullæ sunt; constat enim absolutis & meris promissis, a nulla conditione, quæ ex nostris viribus præstanda sit, suspensis. Ita tamen Divina providentia singula disposuit, ut certum ac sapientem inter sese ordinem habeant, ac priorum bonorum, quæ promissa sunt, legitimus usus, viam sternat ad possessionem ulteriorum bonorum. Qua de re alibi ex professo agimus. Stipulationes Testamenti.

XXXV. Iisdem ergo libris, quibus comprehensum est Testamentum, jussit Deus, ut quisquis se promissa hæreditate consolari vult, 1. Scripta Testamentum exhibentia amet, scrutetur, meditetur, servetque in corde suo, ut non contemnendam hæreditatis suæ partem. Deut. XXXIII. 4. imo *supra penum suam.* Job. XXIII. 12. Deut. VI. 6 2. Promissam hæreditatem magni uti meretur, faciat. α. Illam esuriat, sitiatque, nulla re nisi hac contentus. Mat. v. 6. β. Cætera omnia præ ea pro damno & stercoribus ducat. Phil. III. 8. sua omnia lubenti animo venditurus, ut eum inæstimabilis pretii unionem nanciscatur. Mat. XIII. 46. γ. Deum in ista benignitate glorificet, Ps. XXXI. 20. δ. Id quod modo accepit diligenti cura custodiat. Apoc. II. 25. & III. 11. 3. Ita ambulet uti dignum est conditione sua, & exspectatione tantæ hæreditatis. 1 Thes. II. 12. 1 Joh. III, 3. 4. Facilis sit ad impertiendum fratribus suis ea quæ a Patre accepit, tam in corporalibus. quam in spiritualibus. Rom. XII. 13. 1 Thes. II. 8. Id operam dans, ut & alii secum ad eandem hæreditatem cernendam adducantur. Act. XXVI. 26. Nihil enim cuiquam per multitudinem cohæredum decedit. imo accedit potius, gaudio ex abundantia amoris plurimum multiplicato.

XXXVI. Cæterum ne in tanti momenti negotio blandis imaginationibus nobismet ipsis imponamus, necesse est ut ad ea quæ Scriptura sup- Gnorismata filiorum Dei.

peditat filiorum Dei gnorismata curate nos examinemus. Eorum præcipua hæc sunt. I. Impressio & expressio Divinæ imaginis, & sancta cum Patre nostro conformitas. Quid enim magis naturale est, quam ut filius patrem suum referat? Sicut ergo naturalis Dei Filius est *effulgentia gloriæ Patris*, ita & nos nostro ordine ac modo id esse par est. Uti Adamus corruptus *filium genuit ad imaginem suam, ad similitudinem suam*, Gen. v. 3. Ita & Deus filios gignens, format eos ad suum instar, *ad justitiam & sanctimoniam veram*. Eph. IV. 24. Atque hæc quidem similitudo Dei, familiari cum ipso consortio paulatim perficitur: donec eam adoptionem nacti de qua Apostolus, Rom. VIII. 23. perfecte similes ei futuri sumus. I. Joh. III. 2.

XXXVII. II. Nova vita quæ Deo digna sit, & effectum Spiritus Adoptionis, qui *Spiritus vitæ* est. Rom. VIII. 2. Qualis creaturarum est spiritus, talis quoque earum est vita. Homo naturalis non habet nobiliorem spiritum, neque præstantius vitæ principium sua anima: unde & vita ipsius non nisi animalis est. Filii autem Dei quum præditi sint *Spiritu illo ingenuitatis* Ps. LI. 14. qui idem *Spiritus Christi* est, Gal. IV. 6. talem suo modo vitam vivunt, qualem vixit olim Christus: ejus exemplum & exemplar pro viribus æmulantes. Eph. V. 1. *Estote imitatores Dei, ut filii dilecti*.

XXXVIII. III. Verus ac sincerus Dei amor. Hoc ipsa natura docet. Quis enim genuinus filius patrem suum non amet? Est hæc non scripta, sed nata lex. Oritur autem iste amor, partim ex consideratione amabilissimarum Dei virtutum; ad quarum familiarem contemplationem *filii* ejus admittuntur, *Regem in pulchritudine sua videntes*, Jes. XXXIII. 17. Ps. LXIII. 3. partim ex effluentibus continuo Divinæ erga eos charitatis radiis, quibus fieri non potest quin inflammentur. I Joh. IV. 19. Charitatem hanc quotiescunque attenta mente pensitant, angustiorem universam animæ suæ capedinem esse opinantur, quam ut debitæ redamationi sufficiat.

XXXIX. IV. Reverentia & obedientia filialis. Mal. I. 6. I Pet. I. 17. Sequitur ea ex eo de quo mox locuti sumus amore. Amor iste vetat quicquam facere quod ingratum fit Deo, cujus si honorem ab alio quopiam imminui cernat, vix patitur animum sui compotem esse: Ps. XLII. 4. II. ex adverso ad omnia pietatis officia promtum paratumque sistit. Joh. XIV. 21. Non sinit hominem quietum esse, si forte maleconsulto facto Deum irritaverit, ac faciem ejus non uti olim comem blandamque videat: impellit eum denique ut ad pedes Patris sui cœlestis venerabundus procidens, cum dolore ac lacrymis delictorum suorum veniam petat, & accuratiorem imposterum observantiam polliceatur. Luc. VII. 31.

XL.

XL. v. φιλαδελφία minime fucata, qua omnes eos prosequitur in quibus Dei imaginem, & ejusdem secum gratiæ participationem animadvertit. Dum cætera sæpe gnorismata in occulto latent, fraterna ista charitas hæsitanti animæ status sui indicium exhibet. 1 Joh. III. 14. Neque fieri potest ut amor fratrum ab amore Dei sejungatur. Qui amat prototypum, amabit etiam ectypum. Qui amat Deum, eum quoque amabit qui Dei est, & in quo virtutes Dei cernit, & quem à Deo amari credit. 1 Joh. IV. 20. Beatus ille cujus spiritus una cum Spiritu Dei testatur hæc in ipso gnorismata reperiri.

EXERCITATIO VIII.

DE

CREATIONE.

BREVIARIUM.

1. 2. 3. 4. ברא, *Non præcise significat productionem rei alicujus ex nihilo.* 5. 6. *Uti nec Græcorum* κτίζω. 7. *Neque Latinum CREO.* 8. *Theologi tamen in pressa ista significatione voces has usurpare solent.* 9. *Creationis Definitio.* 10. 11. *Ante Creationem præter Deum nihil fuit.* 12. 13. 14. 15. 16. *Omnia ex nihilo condita esse ratio suadet, fides persuadet.* Hebr. XI. 3. 17. 18. *Cui impie obluctantur Sociniani.* 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Terra informis ipsa quoque creata est; tantum abest ut materia sit creationi præexistens.* 28. 29. 2. *Mach.* VII. 28. *exponitur.* 30. 31. *Cui non videtur repugnare Sap.* XI. 18. 32. 33. 34. 35. *Philonis sententia.* 36. *Et veterum Hebræorum.* 37. *Distinctio creationis mediatæ & immediatæ.* 38. 39. *Solo Dei nutu peracta creatio est.* 40. 41. 42. *Audax novæ Philosophiæ dictatum.* 43. 44. 45. 46. 47. *Creatio solius Dei opus est.* 48. 49. *Et incommunicabilis omni creaturæ.* 50. *Ex creatione recte concluditur Filii & Spiritus S. una cum Patre Deitas.* 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. *Mundus infinitus non est.* 58. 59. *Mundus habet initium.* 60. 61. *Neque ab æterno creari potuit.* 62. *Natalis mundi non liquet.* 63. *Ejus tamen principium ad æquinoctium autumnale referendum esse videtur.* 64. *Mundus non uno momento, sed sex dierum spatio conditus est.* 65. 66. *Quæstio, an singulorum dierum opera momento facta sint, an aliquo temporis tractu, non est magni momenti.* 67. 68. *Neque validis utrinque argumentis disputata.* 69. 70. 71. 72. 73. *Et denique sine distinctionibus quibusdam expediri non potest.* 74. *Mundus unus est.* 75. 76. *Plures tamen a Deo condi potuisse nihil prohibet.* 77. 78. 79. 80 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. *Ridiculos se faciunt qui probabilius esse statuunt Lunam hominibus habitari*

 quam

quam non. 88. 89. 90. 91. *Ordinis quem Deus in creando tenuit summa est sapientia.* 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. *Articuli hujus praxis.*

ברא, Non præcise significat productionem rei alicujus ex nihilo.

I. OPus quod PATRI in Symbolo attribuitur, est CREATIO: de qua nobis Exercitatione hac compendiose agendum est. A voce ordiamur. Quod Latini *Creare* dicunt, id Hebræi vocant ברא. Quæ vox significat rem aliquam novam solo nutu & imperio producere: vel, mirabili virtute magnifice aliquid efficere, ac patrare. Ita Moses ait Num: XVI: 30. בריאה יברא *Creationem creabit Dominus*, i. e. rem insolitam jussu suo edet, faciens ut ima terra dehiscat. Itemque Jeremias, Cap. XXXI. 22. ברא יהוה חדשה בארץ, *Creavit Dominus rem novam in terra*; hoc est, jubebit id existere, cui nihil par aut geminum unquam fuit.

II. Non tamen existimandum est, quod verbum ברא semper, & vi quadam sibi propria, notet *productionem rei ex nihilo*: nam & de iis usurpatur quæ primo hexaëmero disertim ex præexistente materia facta esse narrantur. Gen. I. 21. 27. & singulorum hominum, qui naturali generatione ex parentibus suis nascuntur, בורא, *Creator*, Deus nuncupatur. Eccl. XII. I. non quoad animam solum, quam utique ex nihilo creat, sed quoad integram personam, quæ nutui ipsius debet quod existat, & qui נוראות נפלא, *terribilem in modum mirabiliter factus est*. Ps. CXXXIX. 14. Similiter Ps. CII. 19. עם נברא יהלל יה, *populus qui creabitur laudabit Dominum*. Adde Ezech. XXI. 30. *in loco quo* נבראת, *creata es*.

III. Neque puto cuiquam dubium esse, quin novi isti cœli, novaque terra, quam juxta summi Numinis promissum præstolamur, ex ruderibus ac cinere ejus qui nunc est mundi construenda sint: de iis tamen Deus dicit, הנני בורא: *Ecce ego creo cœlos novos* &c: Jes. LXV: 17.

IV. Imo est ubi res, quæ jam actu existunt, quando novus iis vigor inditur, creari dicantur. Ps. CIV. 30. תשלח רוחך יבראון, *Si mittas Spiritum tuum, creantur, & renovas faciem terræ.* Ex quibus testimoniis liquet, Verbum ברא de iis quoque rebus prædicari, quæ nequaquam ex nihilo factæ sunt: ita tamen ut quatenus creantur, nutu atque imperio Dei מאין ליש, uti *Kimchi* loquitur, e statu non existentiæ talis in statum talis existentiæ transeant.

Uti nec Græcorum Κτίζω.

V. Respondet Græcorum verbum Κτίζω, unde Κτίσις *Creatio.* 2 Pet: III. 4. Marc. X. 6. id est, talis actio per quam creatura existit. Sed & hoc vocabulum generale est, & quamlibet rei productionem notat. Κτίσαι, inquit *Hesychius*, est ἱδρῦσαι, οἰκῆσαι, ἄρξασθαι. Κτίσμα, ποίημα, οἰκοδόμημα. Et Petrus Magistratum a Deo ad res humanas constitutum, ἀνθρωπίνῃ κτίσει vocat 1 Pet. II: 13.

VI.

VI. LXX. Interpretes non dubitarunt ea voce uti de summa Sapientia, & quemadmodum nostri id explicare solent, de generatione τοῦ λόγου. Prov. VIII. 21. Uti & Chaldæus Paraphrastes ibi vocabulum ברא usurpat. Et sunt qui nomen בר, *Filius*, & latinum *parere*, & Belgicum *Baren*, inde deducant. Attamen quum vocabula ista in Theologorum scholis aliud nunc significent, phrasin istam imitari, Ubi de Unigenito Dei Filio sermo est, ut is quoque נברא, κτισθεὶς *Creatus* dicatur, quocunque id fiat, sensu, in tanta hæreticorum pravitate, neque prudens factum, neque tutum homini Theologo esse arbitror.

VII. Sed nec Latinum *Creare* præcise id significat, quod nos nunc ea voce designare solemus: imo dubitari potest, an unquam prisci illi Romuli nepotes hanc significationem agnoverint. *Creare* apud ipsos est *gignere* (ut apud Virgilium, *Sulmone creatos*; & Horatium, *Fortes creantur fortibus*) & quoquo modo *facere*, uti Ennius ait, *Dicitur Vesta hanc urbem creavisse*: vel etiam *in dignitate aliqua constituere*; quo sensu Consules, Duces, Magistratus, *creari* dicuntur.

Neque Latinum CREO.

VIII. Licet ergo hæ voces, in usu tam sacro quam seculari, laxæ admodum significationis sint, quia tamen præstantissimus & mirabilissimus creationis modus est, quo aliquid ex nihilo producitur, obtinuit in Theologorum disputationibus, ut istiusmodi actio presse *Creatio* nuncupetur, & à *Generatione* aliisque producendi modis distinguatur.

Theologi tamen in pressa ista significatione voces has usurpare solent.

IX. *Creatio* ergo, ut ab ὀνοματολογίᾳ ad πραγματολογίαν transeamus, *est illa Dei actio qua totum hoc universum, omnipotenti voluntatis suæ jussu, sex dierum spatio, e nihilo, fecit & perfecit.*

Creationis Definitio.

X. Ante Creationem præter Deum omnino nihil fuit: non mundus aliquis, qualis nunc, quem coæternum Deo perperam nonnulli statuerunt: non materia aliqua informis, ex qua per motum, à nescio qua Mente, cætera fabricata sint: quemadmodum apud Laërtium Anaxagoras, Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ. εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε, *Omnia simul erant, deinde accessit mens, eaque composuit*: non denique spiritus aliqui à Deo distincti, quod æternæ Deitatis Christi hostes invita Scriptura contendunt: sed ἁπλῶς Nihil.

Ante Creationem præter Deum nihil fuit.

XI. Deus se ipso suisque infinitis perfectionibus, earumque plenissima cognitione, dilectione, ac fruitione contentus, in se ipso consummatissimam, seque dignam beatitatem inveniebat, cujus nomine ὁ μακάριος Paulo dicitur. 1 Tim. VI. 15. Placuit tamen illi ostendere virtutes suas in operibus aliquibus extra se, quorum formam ac imaginem in mente sua ab æterno sapientissime delineaverat. Et quum nullius rei auxilio indigeret, uti citra ipsum nihil est, neque adeo esse potest, solo voluntatis suæ imperio omnia quæ exstant ex nihilo procedere jussit. *Fecit terram virtute sua, stabilit orbem habitabilem sapientia sua; & prudentia sua extendit cœlos.* Jer. X. 12.

XII. Hæc

Omnia ex Nihilo condita esse Ratio suadet. Fides persuadet. Heb. XI. 3.

XII. Hæc quum obscurius paullo dictet ratio, præsertim uti nunc peccato vitiata obstrepera Deo est, Fides, Dei testimonio nixa, sine hæsitatione amplectitur. Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Heb. XI. 3.

XIII. Per τοὺς αἰῶνας idem intelligit Apostolus quod Hebræorum magistri per עולמים, *secula*, sive *mundos*. Plurali autem numero utitur, quia illi tres mundos distinxerunt, *imum*, qui est plantarum, animalium, hominum; *medium*, in quo sunt stellæ; & *summum*, qui Angelorum & beatarum mentium receptaculum est.

XIV. In istis αἰῶσι, sive *mundis*, est καταρτισμὸς, *concinnatio*, sapiens partium collocatio, rerumque omnium, ad fines, sibi ac universo convenientes, destinatio. Hæc utcunque animadvertit humana *ratio*; ut tamen accuratius attendat, & distinctius cernat, per *fidem* excitatur. Sed & plura docet *fides*: sive spectes καταρτισμὸν & ordinem creationis, quem ex solo Mose discimus, sive eum ordinem qui adhuc se in mundo conspiciendum exhibet, in quo carnalis nostra ratio, pro sua temeraria δοξισοφίᾳ, multa reprehendere sustineret, nisi compesceretur fide.

XV. Hic καταρτισμὸς, ita per fidem observatus, ad Deum nos ducit, cujus *verbo*, id est, jussu, secula condita sunt: atque eo quidem modo ut τὰ βλεπόμενα, id est ea quæ exstant, (Hebræi, quos imitatur Apostolus, dicunt, הנמצאות, τὰ εὑρισκόμενα, *quæ inveniuntur*) μὴ ἐκ φαινομένων, per anastrophen, Hellenistis imprimis usitatam, pro ἐκ μὴ φαινομένων, *ex non apparentibus facta sint*: hoc est, ut judiciose Chrysostomus, τὰ ὄντα ἐξ οὐκ ὄντων, *existentia ex non existentibus*.

XVI. Nam φαίνεσθαι aliquando significat *in lucem edi*: & exinde, simpliciter existere. Ut Mat. IX. 33. οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως ἐν τῷ Ἰσραήλ. Quibus verbis nequaquam hoc dictum volebat turba, similia quidem acta fuisse in Israël, at non apparuisse: verum simpliciter, nihil simile unquam contigisse. Φαινόμενα, sunt actu existentia, quæ vocatione Divina non indigent ut veniant & appareant. Μὴ φαινόμενα, sunt nihil, τὰ μὴ ὄντα, quæ à Deo vocari necesse habent, antequam compareant. Rom. IV. 17.

Cui impie obluctantur Sociniani.

XVII. *Schlichtingius*, malæ scævæ interpres, more suo, sensum Apostoli pervertens, dictat, τὰ μὴ φαινόμενα illa rerum elementa esse, quæ initio mundi confusa erant: colligitque ex his Apostoli verbis, quod etiam ex historia creationis mundi à Mose descripta apparere contendit, Deum, quum hunc mundum conderet, seu creationem initio Geneseos descriptam ordiretur, non plane ex nihilo eam tum perfecisse, sed ex rudi illa, & tenebris obsita mole. Quomodo & Sapiens dixit, ἐξ ἀμόρφου ὕλης. Sap. XI. 18. ubi Latinus, *ex materia invisa*. De hujus vero materiæ creatione, nullam in sacris literis mentionem esse

esse dicit. Eandem insaniam prolixe insanit *Volkelius, de Vera Relig. Lib.* II. *cap.* IV. Ubi hanc observationem addit, in Græca V. T. versione, quam N. T. Scriptores sequi solent, loco ejus quod in Hebræo *terra* dicitur *desolata*, exstare vocem *ἀόρατος*, *invisibilis*.

XVIII. Quæ eo comparata sunt, ut præter Deum aliquid ante mundum conditum exstitisse credatur, & enervetur illud nostrorum argumentum, quod pro Christi vera Deitate ex ejus ante mundum existentia, quæ juxta scripturæ phrasin æternitatem notat, petere solent.

XIX. At frustra sunt Hæretici. Etenim Historia Mosaica diserte testatur, Deum fecisse eam terram quæ erat תהו ובהו & spissa caligine obsita. Ita enim verba sonant. *In principio creavit Deus Cælum & terram. Terra autem erat res informis & inanis.* Terra scilicet illa quam Deus creavit, הארץ, cum ה demonstrativo, tum quum primum crearetur, erat res informis &c: Non itaque illa ex re informi creata est. Unde ergo? Quid restat præter nihil?

Terra informis ipsa quoque creata est: tantum abest ut materia sit creationi præexistens.

XX. Si instent, primum versum totius operis comprehensionem continere; in sequentibus autem exponi, unde cætera omnia creata sint: Respondemus, dato priore hujus asserti membro, nequaquam hanc Mosis mentem esse, ut id, quod primo versu cœlum ac terram dicit, ex ista materia quam secundo versu terram informem &c. vocat, formatum esse velit. Sed postquam cœli ac terræ nomine omnia complexus esset, de supremo cœlo, in quo Dei thronus est, postea silens, quomodo terra se haberet, quum primum à Deo prodiisset, & quo pacto ex ea cætera omnia formata sint, in sequentibus exponit. Ita *Vatablus*, ad quem Volkelius in hac caussa provocat. *Dilucide sic vertas: Initio quum creavit Deus cœlum & terram, tum terra &c: Per cœlum intelligit corpora cœlestia, per terram autem, terrestria. Proponit initio rem totam ut Auctor ejus cognoscatur, & quod mundus non fuit ab æterno, — deinde ex nihilo Deum aliquid creasse.* An qui ita loquuntur cum hæreticis sentiunt?

XXI. Deinde necesse non est, ut demus primum versum summatim ea omnia comprehendere, quæ postea sigillatim facta narrantur. Mihi enim probabilis admodum Davidis Kimchii sententia videtur, cui adstipulantur plurimi Theologorum, qua veterum, qua recentiorum, ordinem creationis à Mose describi: Ita scilicet ut primum omnium crearit Deus cœlum, supremum nimirum cum Angelis, tum terram, cujus prima facies & conditio versu 2. edisseritur, unde postea concinnata sunt reliqua. Dicitur autem informis & inanis, opposite ad cœlum, quod mox ad perfectionem suam perductum, & incolis instructum fuit.

XXII. Eam quidem primitus aquis obtectam, spississque tenebris involutam fuisse, Moses memorat: eandemque Græci interpretes, vim Hebrææ vocis non satis bene assecuti, *ἀόρατον* dixere. Non tamen ex

qualicunque phrasium similitudine, satis etiam dissimili, Apostolum huc spectasse probari potest. Et sane aliud sunt τὰ μὴ φαινόμενα Paulo, aliud γῆ ἀόρατος Græcis. Etenim τὰ μὴ φαινόμενα Paulo considerantur, ut creationis terminus a quo. Terra autem invisibilis non notat molem creationi præexistentem; sed alteram universi partem, una cum cœlo primo die creatam. Vim manifestam inferunt, tam Mosaicæ Historiæ, quam universo Scripturarum tenori, qui hæc alio torquent. De priori jam diximus. Deo altero videamus.

XXIII. Si illa, quam fingunt, conditi mundi materia antea exstiterit, quæro, an antea a Deo ex nihilo facta sit, an vero a se ipsa sit, & Deo συναΐδιος? Alterutrum enim esse necesse est. Atqui utrumque Sacris literis repugnat.

XXIV. Non ante creationem Mosi memoratam condita est ista materia. Creatio enim Mosaica בראשית, *in initio* facta est, ante quod universale initium, alterius rei initium sine contradictione statui non potest. Adde quod Scriptura in eo Summi Numinis præ cæteris omnibus rebus excellentiam collocet, quod *ante montes editos, ante formatam terram orbemque habitabilem fuerit.* Ps. XC. 2. Et Deus ipse id urgeat tanquam Deitatis suæ argumentum, Jes. XLIII. 19. *Etiam antequam dies essent, ego ille sum.* Breviter quod *ante principium* fuit, *ante primordia terræ*, hoc fuit *ante ullum tempus*, hoc æternum est ex Scripturæ phrasi, hoc *ante opera Dei* est, Prov: VIII. 22. 23. hoc factum esse non potest.

XXV. Porro qui factam esse materiam hanc negat, ei religio non est viginti quatuor cœlestibus Senioribus obloqui, qui Deo occinunt, TU CREASTI OMNIA. Apoc. IV. 11. & Johanni ac Paulo idem asserentibus. Joh. I. 3. Col. I. 16. Quæ, invita veritate, ad novam rerum creationem per Evangelium, ab hæreticis trahuntur. Hæc si certa sunt, uti sunt, certum quoque est, aut merum figmentum, adeoque plane nihil esse primam hanc mundi materiam, aut illam a Deo esse conditam.

XXVI. Præterea, si & ab æterno fuerit ista materia, & a se ipsa exstiterit, nihilque sui Deo debuerit, quid juris in illam Deus habuit, ut eam pro arbitrio suo fingeret? *Basilius in Hexaëm. Hom.* II. Εἰ μὲν γὰρ αὐτὴ ἀγέννητος, ὁμότιμος τῷ Θεῷ αὐτῶν πρεσβείων ἀξιουμένη. Omne enim jus Dei in creaturas, vel ex Dei in eas beneficio, vel ex earum contra Deum maleficio oriri, alias adversarii cotendunt. Prius hic locum non habet, ex hypothesi. Posterius locum habere non potest in materia bruta. Adde quod concipi vix queat, quomodo illam occupaverit, quæ non æqualis tantum Deo, sed & aliquo modo superior videri posset. Certe talis qua Deus eguerit, quæque copiam sui subministraverit operandi, atque Deo præstiterit quo egebat. Ipsa autem Deo non eguit, saltem usa non fuit. Atqui nemo non subjicitur ei cujus eget, ut possit uti. Quin & nemo de

de alienis utendo non minor eſt eo de cujus utitur. Grande profecto beneficium Deo materia contulerit, ut haberet hodie per quam cognoſceretur, & omnipotens vocaretur. Uti acute obſervavit facundiſſimus *Vogelſangius in Diſput: Phyſica de Mundo* §. VIII. Vide de hac controverſia pulchre diſſerentem *Dionyſium* apud *Euſeb: de Præp: Evan: Lib:* VII. *Cap. penultimo* : περὶ τοῦ μὴ ἀγέννητον εἶναι τὴν ὕλην. Et *Origenem* ibidem, qui ex profeſſo eam explicationem refutat quam Socinianis adoptare placuit.

XXVII. Neque ficta quadam modeſtia argumenti hujus robur eludent hæretici; dum ſimulant ſe, quia Scriptura de materiæ iſtius creatione tacet, nihil etiam definire. Etiamſi enim definire non auſint, alterutrum tamen verum eſt: vel creata eſt iſta materia ante principium Moſaicum, vel non. Tertium non datur. At utrumque falſum eſſe oſtendimus.

XXVIII. Paulinus locus, quem præ manibus habemus, conferri non debet cum Sapient. XI. 18. ſed potius cum 2 Mac. VII. 28. ubi pia illa mater filium ſuum ad martyrium animans, jubet eum, cœlum terramque, & omnia quæ in iis ſunt, intuentem, γνῶναι ὅτι οὐκ ἐξ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ ὁ Θεὸς; *agnoſcere, Deum ea ex non exſiſtentibus feciſſe.* Quod & Grotius obſervavit quem Schlichtingius (teſte *Lubieniecio* in præfatione Schlichtingii commentariis poſthumis præfixa) ſummo loco poſuit, & de quo dicere ſolitus fuit, *Orbem Chriſtianum per* XV. *amplius poſt Apòſtolos ſecula talem exſpectaſſe virum.* 2 Mach. VII. 28. exponitur.

XXIX. Neque ullius momenti eſt Volkelii exceptio, in loco Machabæorum intelligi *nihil privativum*, ſive materiam ea forma carentem quæ introducenda eſt: quia nimirum tum de cæteris omnibus rebus, tum nominatim de homine iſthic aſſeritur, eum ex nihilo eſſe factum: quum tamen tum de aliis nonnullis rebus, tum imprimis de homine conſtet, eum ex terra formatum eſſe. Quando enim pia illa fœmina ex Catholicæ Eccleſiæ mente, omnia, & in iis genus humanum, ex nihilo creata eſſe dicit, ad primam atque univerſalem rerum originem aſſurgit, cujus terminus a quo nihil fuit, non privativum, ſed negativum: licet, ſi ſingula ſpeciatim ſpectes, alia immediate, alia mediate, omnia tamen ex ninihilo denique ſint.

XXX. Ad id quod ex Sap. XI. 18. profertur, brevi reſponſione defungi poſſemus, dicendo, Auctorem illum neque nobis, neque adverſariis eſſe authenticum: qui ſi errorem iſtum ex Gentilium Philoſophorum lacunis hauſiſſet, ex indubitatæ fidei ſcriptoribus arguendus, non pro Moſis vel Pauli genuino interprete obtrudendus erat. Cui non videtur repugnare Sap. XI. 18.

XXXI. Verum tamen vix animum induco ut credam, hanc ei mentem fuiſſe, quam affingunt hæretici. Nam quum omnipotentem Dei manum mundum ex informi materia creaviſſe ait, non de πρωτοπρώτῳ rerum omnium exordio agere videtur, ſed de creatione rerum terreſtrium

ex materia ista quam Moses Gen. 1. 2. a Deo conditam esse memorat. Terra enim cum iis quæ in ea sunt, in ἀντιδιαστολῇ Cœli, vulgato hominum sermone mundus dici solet. Eam autem ex informi, id est, confusa ista materia concinnatam esse, constat. Illam porro materiam a Deo factam esse nequaquam auctor iste negat. Ex adverso Deum τὰ πάντα, *omnia sermone suo fecisse* testatur. Cap. IX. 1. & hoc ipso Cap. vers. 26. innuit, nihil exstare posse τὸ μὴ κληθὲν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, *quod a Deo vocatum non sit.* Quod etiam de ista, qualiscunque sit, ἀμόρφου ὕλης verum esse debet.

Philonis sententia.

XXXII. Cæterum si certum foret, quod, Hieronymo teste, nonnulli scriptorum veterum affirmant, ementitum hunc Salomonem Philonem Judæum esse, qui Moses Atticissans dictus fuit; non aliunde securius quam ex Philone commatis hujus mentem colligeremus. Is autem in libro de Opificio mundi, ab hæreticorum Hypothesibus longissime recedit.

XXXIII. Verba ejus non procul ab initio hæc sunt. Ἀλλ' ὅγε μέγας Μωσῆς ἀλλοτριώτατον τοῦ ὁρατοῦ νομίσας εἶναι τὸ ἀγέννητον. πᾶν γὰρ τὸ αἰσθητὸν ἐν γενέσει καὶ μεταβολαῖς, οὐδέποτε κατὰ τὰ αὐτὰ ὄν. τῷ μὲν ἀοράτῳ καὶ νοητῷ προσένειμεν ὡς ἀδελφὸν καὶ συγγενὲς ἀϊδιότητα. τῷ δὲ αἰσθητῷ γένεσιν τὸ οἰκεῖον ὄνομα ἐπεφήμισεν. *At magnus ille Moses longissimo intervallo distare existimans rem visibilem ab infecta (quandoquidem quicquid sensui subjectum est, generationi mutationique obnoxium, nunquam eodem statu manet) invisibili & mente sola comprehensibili naturæ æternitatem tamquam germanam cognatamque attribuit: de sensibili autem generationem tamquam proprium vocabulum prædicat.*

XXXIV. In quibus verbis notandum I. Quod soli invisibili naturæ, quæ non sensu aliquo, sed nuda mente percipitur, id est, Deo, juxta doctrinam Mosis, æternitatem vindicet. Ergo non materiæ alicui primæ, quam νοητὸν, non αἰσθητὸν esse, nemo sanus dixerit. II. Quod nihil earum rerum quæ mutationi ac alterationi obnoxiæ sunt, infectum esse posse testetur. Talis autem sine dubio est informis ista materia. III. Quod Genesis apud Philonem, uti etiam apud Mosen, Gen. II. 4. idem illud significet, quod nos creationis vocabulo solemus exprimere: ne quis in voce cavillum quærat.

XXXV. Quando ergo paulo ante dixerat, ὅτι ἀναγκαιότατόν ἐστιν ἐν τοῖς οὖσιν, τὸ μὲν εἶναι δραστήριον αἴτιον, τὸ δὲ παθητὸν, *duo esse in rebus necessaria: alterum caussam agentem, alterum quod ab agente afficitur:* per τὸ παθητὸν non intelligit materiam creationi præexistentem, sed a creante Deo formatam. Quod ex sequentibus verbis patet: Πρὸς δὲ τὸ μὴ γεγονὸς οἰκείωσις μηδεμία τῷ μὴ πεποιηκότι. *Nihil commercii habet cum eo quod non factum est, is qui id non fecit.*

Et veterum Hebræorum.

XXXVI. In eadem plane sententia prisca Judæorum natio fuit Quemadmodum magnus ille *R. Eliezer* dixit, קודם שברא, הקב״ה

הקב״ה את העולם היה הוא ושמו בלבד *antequam D. O. M. mundum crearet ipse solus exstitit & nomen ejus.* Vide sodes *Menasse Ben Israël, de Creatione. Probl.* III. ubi opinionem hanc ab omnibus antiquis sapientibus receptam atque approbatam esse ostendit. Nam quæ alii Doctores de mundo alio ante hunc condito, multisve rebus ante mundum creatis nugantur, illa Kabbalistica, μυστηριώδη. & allegorica sunt: uti etiam illa Rabbi Eliezeris verba, quibus cœlum e luce vestimenti Dei, & terram e nive quæ sub solio gloriæ est, facta esse docet. Quæ tam aliena ac mirabilia esse testatur *Maimonides, More Nev. Part. II. Cap.* XXVII. ut similia apud nullum eorum qui legem Judaicam sequuntur vidisse meminerit.

XXXVII. Tenenda interim distinctio est, quam supra quoque attigimus: si primam rerum originem spectemus e nihilo creata esse omnia: alia tamen immediate, uti prima opera primi diei, omnesque substantiæ spirituales; alia mediate, ut insequentium dierum opera; quæ ex materia quidem facta sunt, sed inhabili, & ex qua nulla virtute naturali tale quid produci potuisset, quæque propterea ad res inde productas nihili instar habet.

Distinctio creationis mediatæ & immediatæ.

XXXVIII. Hæc rerum productio solo Divinæ voluntatis jussu, παντοκρατορικῷ βουλήματι inquiebat *Alexandrinus Clemens*, sive, quod idem est, verbo, vel nutu facta est. *Dixit Deus, fit lux, & exstitit lux.* Gen. I. 3. *Ipse dixit, & exstitit, ipse præcepit & stetit.* Pf. XXXIII. 9. *Tu condidisti omnia, & PER VOLUNTATEM TUAM sunt, & creata sunt.* Ap. IV. 11. Eo solo quia Deus voluit existere creaturas, sine ulteriori molimine, sine operosa actione, exstiterunt. Μόνον αὐτῷ τὸ βούλημα κοσμοποιΐα. *Sola illius voluntas est mundi creatio*: ait idem *Clemens* in *Protreptico ad Gentes*. Cui consentit *Philo de mundi opificio*: Ἅμα γὰρ δρᾶν εἰκὸς Θεὸν, οὐ προστάττοντα μόνον, ἀλλὰ καὶ διανοούμενον. *Deum non jussu solum, sed & cogitatu operari merito creditur.*

Solo Dei nutu peracta creatio est.

XXXIX. Illud mirabilius, quod *Maximus Tyrius*, e pago Philosophus, & arcanarum literarum rudis, eandem veritatem facundissima oratione docuerit. *Dissert. xxv.* Ὁμοῦ δὲ τῷ Διὸς νεύματι γῆ ξυνίστη καὶ ὅσα γῆς θρέμματα, καὶ θάλαττα ξυνίστη καὶ ὅσα θαλάττης γεννήματα, καὶ ἀὴρ ξυνίστη καὶ ὅσα ἀέρος φορήματα, καὶ οὐρανὸς ξυνίστη καὶ ὅσα ἐν οὐρανῷ κινήματα. ταῦτα ἔργα τῶν Διὸς νευμάτων. *Una cum nutu Jovis terra constitit, & quicquid terra educat: mare constitit, & quicquid mare producit, aër constitit, & quicquid aër fert: cœlum constitit, & quicquid cœlo movetur. Omnia hæc Jovis nutus perfecit.* Paulo ante dixerat, hæc omnia ejus esse opera, *cujus mens solida & incorrupta nusquam dividitur, sed incredibili velocitate, unico oculi intuitu, quodcunque tangit ornat atque illustrat.* Christiane & sancte, si pro Jove Jehovam dixisset.

Audax novæ Philosophiæ dictatum.

XL. Quæ quum ita sint, tota mente detestamur audax illud novæ Philosophiæ dictatum, quo asseritur, *etiamsi Deus nullam mundo aliam formam quam chaos ab initio dedisset, dummodo post naturæ leges constitutas ipsi concursum suum ad agendum, ut solet, commodaret, sine ulla in creationis miraculum injuria credi posse, eo solo res omnes pure materiales cum tempore, quales nunc esse videmus, effici potuisse.* Quæ eo tendunt, ut persuadeatur musteæ sapientiæ mystis, per generationem naturalem, juxta regulas motus, ex chao omnes res naturales paulatim ita produci, constitui, ordinari potuisse: imo est qui dicat, posito ordinario Dei concursu prodire *debuisse*, uti nunc per creationem illam supernaturalem productæ, constitutæ, ordinatæ sunt: & consequenter opus non fuisse opere isto miraculoso, quod Creatio appellatur.

XLI. Hæc sunt πονηροῦ κόμματος. Non enim sine superbæ temeritatis nota abire debet, quod misellus homuncio eam se rationem invenisse glorietur, qua ex indigesta mole, solo motu aurigante, cujus nimirum regulas omnes in comperto habeat, miranda illa opera sua sponte prodire potuissent, imo debuissent; quæ nunc potenti Dei jussu condita, juxta cum sanctis Dei vatibus, omnes Angelorum chori obstupescunt. Jobum olim Deus e turbine alloquebatur: *Accinge nunc ut vir lumbos tuos; & quod interrogabo te notum fac mihi. Ubinam eras quum fundarem terram? indica si novisti intelligentiam. Quis disposuit mensuras ejus, quandoquidem scitus es? aut quis extendit in ea regulam?* &c Job. XXXVIII. 3. 4. 5. Sed haberent audaculi hi quod ex suis hypothesibus responsarent Deo: nihil scilicet in omnibus istis operibus tam mirandum esse, quod non juxta suas motus regulas sponte ex chao fuisset proditurum. Verum tamen non dubito, quin eadem increpatione qua Jobus a Deo objurgandi sint: *Quis est, qui obtenebrat consilium sermonibus inscite?* Ibid: vers. 2.

XLII. Injuriosa etiam hujusmodi dictata sunt, quicquid contra prætendatur, in creationis miraculum. Cujus præcipua admirabilitas in eo consistit, quod vel ex nihilo, vel ex materia prorsus inhabili, nullamque ad rem inde conficiendam proportionem habente, solo numinis jussu omnia exstiterint. Quæ admirabilitas magnam partem, si non prorsus, tollitur, quando, posito ordinario Dei concursu, sua sponte, αὐτομάτῳ συντυχίᾳ, ut *Gregorius Nyssenus* loquitur, juxta regulas motus, omnia eodem modo ex chao previtura fuisse asseritur: modo libuisset Deo, qui nunc opus deproperabat, motui & chao temporis alicuius moram indulgere. Quid enim tum creatio miraculosi habet, nisi quod aliqua velocitate & acceleratione ordinariam rerum naturalium generationem superet? Hæc eo paulatim ducunt, ut mundi vera creatio tandem albis dentibus irrideatur. Quod & facere non erubuit aliquis ex isto nido pullus, in eo libro in quo novitiam hanc Philosophiam Scripturæ interpretem constituit.

XLIII.

XLIII. Quum itaque ex antedictis palam sit, Creationem esse productionem rerum ex nihilo, idque solo jussu nutuque, consequens est ut eam Divinæ plane omnipotentiæ opus dicamus. Hinc & sibi soli eam adscribit Deus, cum remotione omnis caussæ, sive sociæ, sive instrumentalis. *Attollite in sublime oculos vestros, & videte quis creaverit ista, producens numero suo exercitum ipsorum: quis ista vocet de nomine, præ amplitudine virium, prout fortis est robore, adeo ut quicquam ne desit. An non novisti? Annon audivisti, Deum æternum, Jehovam, Creatorem extremitatum terræ, non defatisci, neque defatigari?* Jes. XL. 26. 28. adde vers. 12. 13. 14. Jes. XXXVII. 16. XLII: 5. & XLIV: 24. *Ego Jehova facio omnia, extendo cœlos SOLUS, expando terram PER ME IPSUM.* Cui geminum est, Job. IX. 8. *Qui extendit cœlos SOLUS: & calcat celsa maris.* Creatio solius Dei opus est.

XLIV. Perfide Socinus, tam evidentibus testimoniis pressus, excepit: *non probari iis, Deum in mundo condendo & componendo nullius prorsus operæ usum esse: sed tantum nullius qui ab ipso totus non penderet, vimque istam, circa mundi creationem aliquid operandi, ab ipso non habuerit.* Hoc est Prophetis, ipsique Deo in os contradicere. Nam quum Deum *solum* cœlos extendere clamant, omnem, qualiscunque illa sit, caussam removent. Quum additur, Deum terram *per se ipsum* expandere, docetur, actionem illam esse ἄμεσον; in qua nulla caussa, ne quidem instrumentalis, & aliena virtute operans, locum habeat. Rabbini dicunt, בלא אמצעי ובלא השתלשלות הסבות, *immediate & sine concatenatione caussarum.*

XLV. Atque hoc quidem opere discriminat se Deus Israëlis ab omnibus fictitiis Diis Gentilium, Majestatemque suam contra illos asserit. Ps. XCVI: 5. *Omnes Dii populorum sunt idola. Jehova vero cœlos fecit.* & Jer. X. 11. *Sic dicitote illis, dii isti qui cœlos & terram non fecerunt, perituri sunt e terra & regionibus sub cœlo ipsi.* Non abs re est quod, quum omnia sua vaticinia Hebraico sermone complexus Jeremias sit: hoc unicum comma Chaldaico idiomate exstet. Quia nimirum ita muniendi fideles erant adversus tentationes Babyloniorum, ut in tempore addiscerent, quod idololatris istis sua lingua responsarent.

XLVI. Non multum ab hoc Dei dicto abludunt *Sophoclis* verba: Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐςὶ Θεός, ὃς ὐρανὸν τέτευχε καὶ γαῖαν μακράν, *Unus vere, Unus Deus est, qui cœlum condidit amplamque terram.* Propius accedunt sive *Pythagoræ* sive *Orphei* versus *Justino* citati, *in Libro de Monarchia;*

Εἴ τις ἐρεῖ, Θεός εἰμι πάρεξ ἑνὸς, ὗτος ὀφείλει
Κόσμον ἴσον τούτῳ ςήσας εἰπεῖν, ἐμὸς ὗτος.

Quæ Vir doctissimus ita Latine reddidit:

Qui, Deus affectat dici, producere mundum
Huic similem tentato, suum quem dicere possit.

XLVII. Apostolus quoque invisibilia Dei, ἐν τοῖς ποιήμασι, jam inde a condito mundo mente perpensa pervideri docet, & speciatim æternam Dei tum potentiam tum Divinitatem. Rom. 1. 20. Quem locum a perversis hæreticorum interpretamentis alibi vindicavimus. Hoc unum hic monentes, non processuram Apostoli argumentationem, si alius mundi creator aut esset aut esse posset, præter Unicum illud Æternum & Omnipotens numen.

Et incommunicabilis omni creaturæ.

XLVIII. Porro adeo Deo propriam esse creandi actionem, ut cum nulla creatura communicabilis sit, hoc pacto demonstratur. Creatio est productio rei per merum creantis imperium. Si itaque fingamus, Deum hoc dare creaturæ alicui ut ad ejus imperium res alia existat; vel existeret illa res nihil ad illius existentiam cooperante, sive volente ac jubente Deo, sed ita ut totam existentiam suam nutui imperantis creaturæ deberet: vel existeret, Deo simul cum creatura quæ creare fingitur rei illius existentiam volente ac jubente. Atqui utrumque indignissimum Deo est, & manifestam contradictionem implicat. Si prius dicatur; fingitur, Deum velle, ut creatura aliqua sit, quæ in operationibus suis ab ipso non dependeat, & ut per merum absolutumque creaturæ istius imperium res aliqua etiam ipso non volente existat. Quo nihil cogitari potest absurdius. Sin posterius eligatur: non tam creatura illa, quæ creare fingitur, crearet (quippe cujus imperium ad existentiam rei non est sufficiens) sed Deus crearet ad imperium illius creaturæ, qua volente rem aliquam existere, Deus idem vellet ac juberet. Atqui hoc non modo contra hypothesin est; sed & Deum facit in operationibus suis ab imperio alicujus creaturæ dependentem. Quæ quum a supremi numinis dignitate alienissima sint; consequens est, ut creandi actionem ac facultatem incommunicabilem esse creaturæ concludamus.

XLIX. Imo ne quidem instrumentum aliquod creationis stricte dictæ cogitari potest. Non ob eam modo rationem quia omne instrumentum materiam & subjectum aliquod requirat, in quod uti aptitudini suæ conveniens est operetur, creatio autem stricte dicta omnem præexistentem materiam removeat: sed præcipue, quia creatio solo creantis imperio ac voluntate peragitur, quæ omnem aliam concaussam, cujuscunque tandem illa generis sit, excludit: juxta id quod modo produximus: *Expando terram per me ipsum.* Jes. XLIX. 24.

Ex Creatione recte concluditur Filii & Spiritus S. una cum Patre Deitas.

L. Ex demonstratis invicte colligitur Filii ac Spiritus Sancti eadem cum Patre Deitas. Licet enim Patri, propter rationes alibi a nobis assignatas, in Symbolo, creatio attribuatur, eandem tamen Filio quoque & Spiritui Sancto Sacræ Literæ adscribunt. Utrumque eorum frequenter Deum dici constat. Si autem, quum Deus vocentur, Cœlum & terram non fecerint, illis eos Diis accenseri necesse est

qui

qui perituri sunt e terra & regionibus sub cœlo. Jer. x. 11. Quod blasphemum foret.

LI. Mundum a Deo conditum, amplissimum virtutum Divinarum theatrum esse, cujus justa mensura mortalibus explorata non sit, nemo pius negaverit. *Quis mensus est pugillo suo aquas, & cœlos spithama expandit, aut complexus est trientali pulverem terræ? & ponderavit statera montes, & colles lancibus?* Jes. xl. 12. Adde Jerem. xxxi. 37. *Si mensurabuntur cœli superne, & pervestigabuntur fundamenta terræ infra, &c:* Eundem tamen mundum infinitum esse, sive, quod idem est, nullos extensionis limites habere, nemo sanus dixerit. Quam enim aquarum cœlorumque dimensionem hominibus Deus abrogat, eandem sibi attribuit. Non posset autem mensurari universum, ne ab ipso quidem Deo, nisi quantitatis suæ terminos limitesque haberet. Mundus infinitus non est.

LII. Admitti in hoc negotio posset *Infiniti* & *Indefiniti* distinctio, modo sincere & commode explicetur. Ut indefinitus mundus esse statuatur respectu nostri, quatenus terminos ac mensuram universi præcise assignare non valemus, licet in genere sciamus, mundum terminos ac limites habere, ideoque infinitum non esse.

LIII. Verum postquam dixeris, *nos nullos in mundo terminos intellectu posse concipere, idque non provenire ex mentis humanæ imbecillitate, sed ex positiva mundi idea in qua nullos terminos imaginari nobis possumus: quæ mundi idea quum non sit orta ex præjudiciis, nec aliunde hausta, necesse est ut a Deo nobis indita, & per consequens vera sit, & naturam mundi repræsentans:* imo postquam dixeris, *Cognoscimus hunc mundum, sive substantiæ corporeæ universitatem, nullos extensionis suæ fines habere:* postquam, inquam, deliberato animo hæc omnia asserueris, ad tam immanis sententiæ invidiam declinandam subjungere, te *mundum indefinitum potius quam infinitum velle dicere, ut Infiniti nomen soli Deo reservetur,* id est, contra omnes candoris leges, offucias facere lectori. Si enim idea mundi, ut nullos terminos imaginabiles habentis, vera, nobisque a Deo indita sit; si cognoscamus eum nullos extensionis suæ fines habere: quid subterfugimus? quid tergiversamur? cur non scapham scapham, ficum ficum vocamus? cur non id quod terminos finesque non habet, infinitum, uti credimus, ita dicimus? Quid in *indefiniti* vocabulo ignobiles timidasque latebras quærimus? Rotunde loquamur. Τὰ δ' ἄλλα κόμπος, καὶ λόγων εὐμορφίαι.

LIV. Ἄπειρον μὲν οὖν τοῦτ' ἔστιν, οὗ κατὰ τὸ ποσὸν λαμβάνουσιν, ἀεί τι λαβεῖν ἔξω ἐστίν. *Infinitum igitur hoc est, cujus quantitate aliqua accepta, semper aliquid extra sumere licet:* inquit *Aristoteles, Natur: Auscul: Lib:* iii. *Cap:* ix. Jam autem prorsus ita nobis mundum novi Philosophiæ instauratores describunt, ut hæc infiniti definitio ipsi ex amussi competat. Asserunt enim se quocunque mundi fine posito semper ultra tendere,

Symb. Apost.

atque ulteriorem extensionem concipere. Quid ergo, quum rem intrepide asserant, de Infiniti vocabulo pueriliter, ac contra quam viros decet, cavillantur?

LV. Rem ipsam videamus. Et ne forte argumenta nostra, quia nostra, superciliose contemnantur; hanc nobis gratiam faciant, Viri æquissimi, ut ad horam Celeberrimi *COCCEJI*, armis (non invisum neque leve iis nomen allegamus) illiscum experiamur. Is *in Gen.* I. §. 16. in hunc modum commentatur.

LVI. *Melissus Samius, Parmenidis Discipulus, quem refutat Aristoteles, dixit,* ἄπειρον εἶναι τὸ πᾶν. *Repugnat Scriptura. Cœlum enim & terra non sunt* ἄπειρον. *Nam terra habet* πέρατα, *& cœlum aëreum, & sidereum, & cœlum tertium, qua nos spectat, non est* ἄπειρον, *sed* πεπερασμένον. *A quo finitum tollitur, id totum finitum est. Nos quidem metiri non possumus, & est aliquid majus cogitatione nostra. Sed Deus cœlum spithama metitur, & moderatur.* Jes. XL. 12. *Extensionem habent omnes hæ partes. Quæ extenduntur, & initium extensionis habent & finem. Si non, idem simul habebit spatiorum partiumque numerum, & non habebit. Non habebit: quia* ἄπειρον. *Habebit: quia partes habet extra partes. Numerum actu infinitum mens humana non admittit. Quippe nullus numerus est cui non possit aliquid supperaddi. &c.*

LVII. Respondeant nunc illi, qui argumenta contra corpus actu infinitum mera sophismata esse contendunt. Vel si hæc obscuriora videantur, quod tamen viris eruditis videri non debet, audire gestio, quid huic uni demonstrationi, quæ plana & facilis est, oppositituri sint. Omne corpus est quantum. Omne quantum habet partes extra partes. Quod infinitum est partes extra partes habere non potest: ideoque nec quantum, nec corpus esse. Non posse autem id quod infinitum est partes extra partes habere, sic conficitur. Illæ partes singulæ vel finitæ essent, vel infinitæ. Si infinitæ, singulæ partes erunt æquales toti: quod est contradictorium. Si finitæ, non possunt constituere totum actu infinitum. Finitæ enim partes, quantumcumque multiplicentur, semper finitæ manent. Porro evidentis veritatis est, totum non esse majus omnibus suis partibus simul sumtis. Si itaque finitæ partes, etiam omnes simul sumtæ, finitæ semper maneant; totum quoque quod ex iis resultat finitum esse necesse est.

Mundus habet initium.

LVIII. Uti mundus *Extensione* finitus est, ita etiam *Duratione.* Initium existentiæ ejus passim Scriptura inculcat. *In principio creavit Deus.* Gen. I. 1. Quo innuitur, una cum rebus creatis cepisse temporis, quo rerum creatarum duratio circumscribitur, initium, Ita etiam קדמי ארץ *primordia terræ* memorantur, *quum nondum essent abyssi.* Prov. VIII. 23. 24. Et cogitationes nostræ ad eam Dei æternitatem attolluntur, quæ τὴν τοῦ κόσμου καταβολὴν antecessit. Eph. I. 4. Joh. XVII. 5.

LIX.

LIX. Impudentissime sophisticantur illi Socini assectæ, ab *Episcopio* notati *Conci:* VI. *in Joh.* XVII. qui montes collesque ab æterno fuisse colligunt, eo quod *æterni colles* dicantur. Gen. XLIX. 26 Quibus merito opponit Ps. XC. 2. *Antequam montes erant, & antequam terra formata est, tu es Deus a seculo usque in seculum* ... גבעות, *colles seculi* Patriarchæ sunt, qui ab initio fuerunt, & una cœperunt cum τῷ αἰῶνι: propterea etiam הרי קדם *montes antiqui*, à Mose nuncupati. Deut. XXXIII. 11.

LX. Cæterum supposita mundi in tempore creatione, ex Scripturis jam evicta, quæritur, an mundus ab æterno creari saltem potuerit? Ad quam quæstionem acute mihi respondisse videtur *Athanasius*, contra *Arianos Orat.* II. *Quod tametsi Deo possibile fuerit ab æterno opera facere, non tamen potuerint ea quæ facta sunt ab æterno fuisse: si quidem ex non entibus emerserunt, nec erant priusquam fierent. Quæ autem non erant antequam fierent, quomodo ea coexistere potuerunt cum Deo semper existente?* Neque ab æterno creari potuit.

LXI. Cujus demonstrationis hæc esto ἐξήγησις. Quin omnes Dei perfectiones ab æterno ei insint, nemo dubitat. Ideoque ab æterno eam habuit potentiam, ut quandocunque vellet, solo voluntatis suæ jussu omnia producere potuerit. Attamen a parte rerum producendarum repugnat ut existant ab æterno. Quia quod ab æterno est, id necessario est, id semper fuit actu, id nunquam fuit potentia. Contradictionem autem implicat, ut id quod libere extra se effecit Deus, ita ut illud potuerit non efficere, id nunquam fuerit potentia, & nunquam in fieri, adeoque nunquam non fuerit actu. Quæ quum satis evidentia sint, nollem a viro Docto dictum esse, *difficulter eos refelli posse qui possibilem mundi æternitatem statuunt.* Vide sodes subtiliter ac solide de hac materia disputantem *Coccejum in Gen.* I. §. 39. *& sequentibus.* Itemque *Disputat: Select.* XXVII. §. 29. *&c.*

LXII. Quot annis nunc a mundi natali absimus, Chronologi certant, & adhuc sub judice lis est. Eam nos pro desperata habentes nostram nunc non facimus. Sufficiat ἐν πλάτει scire, mundum necdum sex mille annorum ætatem attigisse. Natalis mundi non liquet.

LXIII. Facilius paullo deciditur quæstio de anni tempore quo conditus est mundus. Fortissimis enim argumentis ii pugnare videntur, qui principium mundi ad æquinoctium autumnale referunt. I. Certum est annum civilem Abramidarum ab autumno cœpisse, cujus mensis primus antiquo Chaldæorum vocabulo vocatur תשרי *Tisri*, *Initium*, à radice שרה *incipere.* Videatur de hujus civilis anni usu Exod. XXIII. 16. XXXIV. 22. Abrahamum autem suis tradidisse, & in Ægyptum intulisse eam anni rationem quam ab Henocho acceperat, apud *Eusebium de præparatione Evangelica Lib.* IX. *cap.* IV. *Alexander Polyhistor* auctor est. II. Idem confirmant anni Sabbatici, qui ab æquinoctio autumnali ex mandato Dei inchoabantur. Lev. XXV. 9. Quid enim convenientius fuit quam eorum initium Ejus tamen principium ad æquinoctium autumnale referendum esse videtur.

initium idem esse cum initio mundi? ne semestre spatium superesset quod ad annos Sabbaticos non pertineret. III. Accedit quod illa omne genus frugum ad usum hominis maturitas autumnum potius quam quamvis aliam anni tempestatem arguat.

Mundus non uno momento, sed sex dierum spatio conditus est.

LXIV. Porro quum facile Deo f[illegible]t ἐν ἑνὶ καιρῷ ῥοπῇ μιᾷ τε ὁρμῇ καὶ κινήσει omnia perfecta creare: placuit tamen sexiduum huic operi impendere: quod historia Mosaica, temerariis allegoriis neutiquam stupranda, diserte memorat. Eo docemur, neque nobis in meditatione operum Dei leviter festinandum esse; sed curate potius & anquisite singula perpendenda: eique rei totum vitæ nostræ sexiduum impendendum esse, donec, in beatissimæ tranquillitatis Sabbato, omnia consummata, ac consummate, videamus.

Quæstio, an singula singulorum dierum opera momento facta sint, an aliquo temporis tractu; non est magni momenti.

LXV. Quæ nuper de processu operum Dei singulis diebus disputari cœpta sunt, an scilicet singula diei alicujus opera unico momento perfecta sint, an tractu aliquo temporis, ea neque magni oppido momenti sunt, neque validis utrinque ex Scriptura rationibus, vel adstructa, vel destructa, hactenus videntur.

LXVI. Momentum quæstionis quod attinet, ego eam inter problematicas colloco, de quibus salva fide & charitate inter Reformatos disputari potest: modo id firmiter ac bona fide teneatur immane, discrimen esse inter primam rerum *creationem*, quæ jussu Dei, plane extra ordinem deinceps observandum, peracta est, & inter *Generationem naturalem*, ex materia habili, juxta regulas motus, paullatim procedentem. Nam ut per negationem creationis, momentaneæ procedatur ad assertionem absurdissimæ illius hypotheseos, de omnibus per solum motum, supposito ordinario Dei concursu, sua sponte orituris, id quidem ego toto animo detestor. In ipsa autem quæstionis solutione cavenda est ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς. De qua re mox dicemus.

Neque validis utrimque argumentis disputata.

LXVII. Qui existimant ad singula opera singulorum dierum singulos etiam dies adhibitos fuisse, hoc potissimum argumento pugnant. Quia dicendum fuisset alias, quod Deus singulis diebus quievisset toto die, excepto solo illo momento; quum tamen Scriptura tantum quietis Dei mentionem faciat die septimo. Verum ea ratio non est nauci. Etenim si per *quiescere* intelligas cessare a productione alicujus operis, antequam novum opus inchoetur, dubium non est quin Deus singulis diebus quieverit. Non enim opera Dei ita concatenata fuerunt, ut nullum eorum fuerit interstitium. Quod ex eo patet, quia cujusque diei opere absoluto, Deum id primum comprobasse narratur, antequam ad alia opera transiret: & ad singula opera singula distincta sua verba sive jussa memorantur. Et sane inter creationem cæterarum animantium ac hominis, inter creationem Adami ac Evæ, notabile interstitium est. Quo quievisse Deum omnino

ninó est dicendum. Quies autem septimi diei longe alterius generis est: quippe quæ partim in eo consistit quod Deus a novarum specierum creatione cessaverit, partim quod in opere Universi nunc absoluto sibi ipsi complacuerit. Porro quod de unico momento singulis diebus creationis operi dato additur, id ad invidiam contrariæ sententiæ conciliandam pertinet. Quum enim singulis diebus plura ac diversa opera adscribantur, non puto quenquam esse, qui omnia simul unico istius diei momento facta esse velit. Quod certe historiæ de operibus primi & sexti diei diserte repugnat.

LXVIII. Qui contra tendunt singula opera singulis momentis esse facta, hac præcipue ratione utuntur. Quia vocatione & jussu Dei peracta creatio dicitur. Deo autem rem apparere jubenti nihil resistere potest, atque ad illius imperium cuncta sine mora adesse debent. Cæterum neque id firmiter concludere videtur. Quod enim Deus omnipotenti voluntatis suæ jussu præsto esse jubet, id quidem non potest non præsto esse vocanti, non tamen necesse est ut in momento cum omni sua perfectione præsto sit. Potest Deus jubere ut tractu aliquo temporis proveniat. Jussum Dei caussa existentiæ rerum est. Existendi modus a jubentis arbitrio pendet. Qui si res momento existere jubeat, exstabunt momento: si cum tempore aliquo ad perfectionem tendere, cum tempore id fiet. Itaque ex nudò Dei jussu de existentia creaturarum, nihil pro speciali isthoc existendi modo concludi potest. Nam & quædam quæ Deo jubente fiunt, tractu temporis peraguntur. Verbi gratia, accessus animalium ad Adamum, ut ab ipso velut Domino nomina sua acciperent, sine dubio jubente Deo, attamen non sine successione, factus est. Neque excipias, impetum accedendi momento animalibus istis inditum esse. Non enim solus iste impetus, sed & ipsa accessio Divinæ jussionis est effectum.

LXIX. Mea sic est sententia: Non sine distinctione quæstionem hanc expediri posse. Nimirum nonnulla e nihilo producta sunt, uti cœlum supremum, & terræ chaos, & angeli, mentesque humanæ, hæc non potuerunt aliter nisi in momento creari. Quum inter existere & non existere nullum detur medium, transitus ab οὐδενὸς ad τὸ τὶ moram successionemve non admittit.

Et denique sine distinctionibus quibusdam expediri non potest.

LXX. Alia per motum facta sunt ex materia prexistente. *Οἶμαι ὅτι κινήσεως καὶ στάσεως ἔχγονα τὰ ἐν τῇ κτίσει φαινόμενα πάντα, τὰ κατὰ τὸ Θεῖον βούλημα παραχθέντα εἰς γένεσιν. Existimo res universas quæ inter creata cernuntur, deque volantate ac sententia Dei exortæ sunt, à motu & quiete profectas esse:* inquiebat *Gregorius Nyssenus, De hominis opificio.* Cap, 1. Nobis non libet nunc tam liberaliter loqui. Sed certe nonnulla opera motu peracta sunt. Uti exsiccatio terræ, & confluxus aquarum in unum locum, qua de re in hunc modum Psaltes canit: Ps. CIV. 6. 7. 8. *Supra montes stabant aquæ. Ex increpatione tua diffugerunt, a voce tonitru tui accelerarunt fugam,*

conscenderunt montes, descenderunt valles: in locum quem fundaveras ipsis. Idem credibile est de astrorum divisione, quæ, e lucis primigeniæ globo frustratim discerpta, in tam longe dissitis cœli partibus sine motu locari non potuerunt. Motum autem in momento quod vocant Mathematico, exclusa omni successione, fieri non posse, sic demonstratur: quia tum corpus in pluribus locis simul esset, simul in termino a quo, termino ad quem, & intermedio. Imo alicubi simul esset & non esset. Quod enim movetur, eo ipso quod movetur, desinit esse in termino a quo, unde recedit: & nondum est in termino ad quem, quo tendit.

LXXI. Tenendum tamen motum hunc plane extraordinarium longeque celerrimum fuisse, nequaquam exigendum ad communes motus quæ nunc observantur regulas; sed Divino, & speciali quidem, mandato, initium suum, processum ac modificationem omnem debuisse.

LXXII. Herbarum arborumque ex tellure, piscium reptiliumque ex aquis, animantium denique omnium ex terra generatio, non est concipienda tanto successionis paratu facta esse, ut partibus majoribus, particulisque minimis, sensim compositis atque dispositis, labente tandem die, vix perfectionem suam opera ista consecuta sint. Sed jussu Dei herbæ in sua integritate, arbores una cum fructibus, pisces, volucres, cæteræque animantes ὁλόκληροι repente prodierunt: singula temporre brevissimo, quod ad eam qua nunc nascuntur & crescunt mensium annorumque successionem momenti rationem habet. Πάντα ἐν μιᾷ καιροῦ ῥοπῇ ἀνεφύη ἐκ τῆς γῆς, οὐκ ὄντα πρότερον, κατὰ τὰς οἰκείας ἕκαστον ἰδιότητας. *Uno temporis puncto quæ prius minime erant, e terra nata sunt, suis quæque proprietatibus distincta*: inquit *Eustathius in Hexaëm.* Quæ totidem ferme verbis reperiuntur apud *Basilium Homil,* IV. Sicuti immutatio gloriosa corporum nostrorum, imaginem quandam primæ creationis exhibens, fiet *momento, & jactu oculi.* 1 Cor. XV. 52.

LXXIII. Quum singulis diebus multa & magnifica admodum opera a Deo patrata sint, & quidem alia post alia, licet pleraque brevissimo tempore peracta sint, ita tamen ut momenta operum singulis diebus inchoatorum & finitorum horis suis assignari a nobis non possint, merito Theologi cum scriptura dicunt, *sex dies*, non *sex momenta*, creationi rerum impensos esse. Non enim existimandum est, Deum velut operarium, penso temporive suo alligatum, a mane ad vesperam in opere desudasse.

Mundus Unus est. LXXIV. Mundus duntaxat *Uni* est; hic ipse de cujus creatione nunc agimus, qui per Christum conditus est, in quem Christus venit, & qui suo ambitu omnia ea complectitur quæ facta sunt. Joh. 1. 3. 10. Plures fingere, qui sive simul, sive alter post alterum existant, deliria sunt eorum qui non verentur ἐμβατεύειν ἃ μὴ ἑωράκασιν, εἰκῆ φυσιούμενοι ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτῶν. Col. II. 18.

LXXV.

LXXV. Plures tamen, ab hoc distinctos dissitosque, a Deo, si ita visum fuisset, condi potuisse, eos omnes credere par est, qui immensam atque inexhaustam Numinis potentiam sancte agnoscunt. Nam quod nonnulli objectant, mundum hunc τὸ πᾶν esse, præter quod circa contradictionem nihil creatum, esse potest, puerilis est cavillatiuncula. Nunc τὸ πᾶν vocatur, quia revera omnia quæ creata sunt ejus ambitu continentur. Si alius mundus crearetur, hic τὸ πᾶν esse desineret. *Plures tamen a Deo condi potuisse nihil prohibet.*

LXXVI. Neque pluris est alia ratiuncula: vel aliquid intermedium fore, vel nihil. Si nihil, ne quidem discretos fore. Si aliquid, hoc vero ipso fore continuos. Non enim verum est, ea dissita non esse inter quæ nullum corpus est medium. Ad distantiam sufficit ut non adstent, & se invicem non tangant. Nec refert an interjectum sit aliud corpus, an interjici possit, neutro extremorum statione sua remoto.

LXXVII. Cæterum mirari subit, eos qui nequidem per Divinam omnipotentiam plures mundos huic universo similes confieri posse disputant, plures particulares mundos, sive corpora terræ, quam nos incolimus, similia, in quibus aut homines aut aliæ creaturæ viventes degant, non difficulter admittere. Et etiamsi, pro sua modestia, nihil hac in parte temere vel affirmandum vel negandum pronuncient; non possunt tamen a se impetrare, quin acriter objurgent eos, qui præjudiciis tantum laborantes, & proprio amore veluti mente capti, nos homines solos Dei delicias esse putant, & nostram terram totius mundi angulum amœnissimum: quod non sine reliquorum operum Dei contemtu fieri arbitrantur. Adduntque *nos revera quidem nescire, an in luna sint homines aliæve creaturæ: sed si omnino judicare velimus, verisimile fore statuere ibi homines esse: quam negare esse.* *Ridiculos se faciunt qui probabilius esse statuunt lunam hominibus habitari quam non.*

LXXVIII. Hæc an ex Luciani commentariis, vel ex illius Viri ἀξιοπίστου ac fide dignissimi relatu, qui non ita pridem anserinis pennis in sublime evolans superas eas regiones accurate lustravit, incognitas hactenus cæteris mortalibus, qui ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι viri oppido doctissimi habeant, equidem nescio. Mihi sane hac occasione in mentem venit ejus rei quam pridem in Luciano legisse memineram; quamque in Auditorum meorum gratiam paucis hic referre constitui. Sic ergo ille in *Primo verarum historiarum libro* commentatur: se postquam cum sociis septem dies totidemque noctes ingenti turbine per aëra vectus fuisset, octava die navigio suo appulisse ad terram quandam magnam in medio aëris, insulam quæ globi formam habens, plurima luce micabat. Eam autem & habitatam invenisse & cultam. Verum ne ignari hominumque locorumque oberrarent, nescii quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris jactarentur: commodum accidit ut ab ἱππογύπων, vel, si Latine mavis, equivulturibus quibusdam, (hi homines erant, equorum loco vulturibus

bus insidentes, Regi a principibus ministeriis) ad Regiam novi advenæ deducerentur. Rex ex forma atque habitu Grajos homines esse animadverso, comiter narrat sibi quidem Endymionis esse nomen, cæterum terram illam in quam, tam vasta aëris spatia emensi, delati erant, Græcis ΣΕΛΗ'ΝΗΝ, (Latini LUNAM dicunt) vocitari. Porro sibi cum Solis Rege (illam enim regionem non minus quam lunarem frequentibus incolis scatere) grave ac difficile bellum esse; & plura ejus generis, quæ nunc non est narrandi locus. Nisi forsan Viri Docti sua *Keplero*, insigni Astronomo, debere malint: qui in *Selenographia* sua narrat, se per tubum opticum in lunæ maculoso vultu vidisse celsissimos montes, ingentes valles, fossas vastissimas & numerosissimas, silvas etiam vægrandes, maria quoque, multaque alia, terræ quam nos incolimus simillima. Incolas etiam iis adscribit, brevis vitæ, stupendæ interim magnitudinis, quindecies nostris hominibus majores, æquales balænis, oppida exstruentes adversus ardores solis. Et ne fides dubia sit, conjicit *Keplerus*, se laborantes vidisse operarios.

LXXIX. Verum, ut quod sentio candide eloquar: non sine dedecore sacratissimæ religionis nostræ hæc a Viris Theologis ita disputari, profanisque hominibus atque Ecclesiæ Reformatæ hostibus uberem sarcasmorum materiam illiusmodi μετεωρολογίαις suppeditari, plane apud animum meum existimo. Demus enim ex Hevelii observationibus constare, in Luna esse loca alta & depressa, similia nostris montibus & vallibus: quæ quæso probabilis ratio suadet, ut homines ibi, & civitates, ac respublicas statuamus? Quænam istarum rerum vel levissima indicia, aut in natura, aut in Scriptura, reperiuntur?

LXXX. Imo vero non pauca in Scriptura sunt quæ lunaticæ isti imaginationi adversentur. Moses tam distincte consilium Dei de condendo homine edisserens, satis ostendit, nullum ei simile animal in universo tunc fuisse. Quorsum enim Deus introduceretur dicens, *Faciamus hominem secundum imaginem nostram &c.* ac si operum suorum colophonem moliretur, si fortasse ante biduum lunam solemve vel cætera etiam astra hominibus instruxisset? Quorsum, quasi comperto non bene fore homini si solitarius maneat; de uxore demum illi formanda cogitasse narratur? Ἀνθρωποπαθῶς quidem hæc dicuntur, sed omni venustate carerent, neque sensum θεοπρεπῆ funderent, si alibi jam aliquot hominum paria exstitissent.

LXXXI. Accedit quod Jesaias terræ speciatim id adscribat, quod *non ad inanitatem creata, sed ad inhabitandum formata sit.* Jes. XLV. 18. Paulus etiam dum *totam gentem hominum ex uno sanguine factam* prædicat, *ut habitaret super universa superficie terræ* Act. XVII. 26. aliam gentem hominum, aliunde ortam, atque in superficie lunæ habitantem non agnoscit.

LXXXII.

LXXXII. Suffragatur quoque ratio. Si enim in Luna aliisve stellis homines exstarent, eos vel in primæva integritate sua remansisse, uti Angeli boni, vel in peccatum lapsos esse, uti nos, necesse est. Neutrum autem horum in Scripturis reticeri debuisse videtur, præsertim quum tot illius rei memorandæ occasiones suppeterent. Sive enim exaggerandum peccatum nostrum erat, sive prædicanda Divinæ erga nos clementiæ immensitas, sive exponenda beati illius consortii amplitudo quo gavisuri in cœlis sumus, operæ pretium erat tot ex alio orbe myriadum sanctorum vel verbulo meminisse: imprimis quum in hoc argumento frequens angelorum mentio fiat, qui tamen non minus quam isti homines alterius orbis incolæ sunt, & quorum negotia minus nos tangere videntur, quam aliorum qui ejusdem nobiscum sunt speciei.

LXXXIII. Sin Lunaticos istos homines, vel Solares quoque, Mercurialesve, eadem nobiscum peccati calamitas invaserit, vel omnes æternum miseros manere, vel quosdam eorum, uti nos, per Christum redemptos esse, vel aliam iis salutis viam patefactam esse, dicendum est. At nihil horum verisimilitudinem ullam habet.

LXXXIV. *Non primum.* Nam frustra Deum eos omnes filios hominum creasse, si per nullum eorum in agnitione virtutum suarum celebrandus sit, ex Ps. LXXXIX. 48. colligitur. Tum etiam locum huic rei inculcandæ apprime idoneum Paulus habuisset, Hebr. II. 16. ubi monet Christum non Angelos assumsisse, sed semen Abrahami. Nam certe ita charitatem Christi erga nos maxime commendasset, si libuisset illi addere, non Angelos modo qui peccaverunt, sed & integros ejusdem nobiscum naturæ hominum mundos, præteritos esse, ut hujus solius telluris, quæ fortasse omnium minima est, hominibus tanti beneficii gratia fieret.

LXXXV. *Non secundum.* Quum enim Christus non ex uno iiscum sanguine humanam naturam assumserit, eorum neque Frater neque *Goël* est. Quum in eorum orbe neque vixerit, neque passus sit, neque docuerit; denique nec humilem se, nec gloriosum ostenderit, vel ad universi consummationem usque ostensurus sit: Act. III. 21. non est credibile eam iis salutem partam esse sine Christi ad eos adventu, quam non nisi sua apud nos ἐπιφανεία nobis peperit. Ut taceam nunc de prædicatione Evangelii, cujus *sonum in omnem terram*, cujusque *verba ad ultima orbis terrarum exivisse* Apostolus quidem testatur: Rom. X. 18. sed ad lunæ aliorumve siderum incolas pervenisse, asseverare non sustinuit. Nihilne etiam de iis dicendum fuisset, iis in locis quibus gloriosum illud judicium describitur novissimo die incredibili solemnitate celebrandum? Quum utique ad gloriam Domini nostri Jesu vehementer faciat, si non hujus tantum mundi hominum, sed & aliorum, non minus quam Angelorum, futurus sit judex.

LXXXVI. *Non tertium.* Non enim est in alio quoquam salus. Act. IV. 12. Neque dignum est Sanctissimo Numine, homines peccatores ad communionem sui admittere, sine satisfactione justitiae suae. Ea porro fieri non potest nisi per personam Θεάνθρωπον. Quae, alibi a nobis probata, hic fusius exsequi nihil attinet. Et sane in gratiam lunaticorum istorum hominum novae Theologiae hypotheses, a nostris diversissimae, fingendae essent; uti etiam in gratiam suorum Praeadamitarum bona fide fecit is qui nuper primus eos detexit.

LXXXVII. Quae quum ita sint, mirum profecto est, viros sapientes & sobrios ab animo suo impetrare potuisse, ut in tanta eruditionis luce publice scriberent, verisimilius eos arbitrari, qui unam hominibus incoli existimant, quam qui incultam esse malunt credere. Quorum ego ληρολογήματα omni seria refutatione indigna esse judicassem, nisi tam portentosarum opinionum opprobrium ab Ecclesiis nostris removendum foret.

Ordinis quem Deus in creando tenuit summa est sapientia.

LXXXVIII. De singulis singulorum dierum operibus ut differamus non fert instituti nostri ratio. Ordinem modo breviter lustremus, quem in creando Deus tenuit. Et primo quidem Coelum, Majestatis suae Thronum, condidit: una cum Angelis satellitibus suis, & reliquorum operum testibus atque inspectoribus: uti colligere est ex Job. XXXVIII. 7. Deinde inferiora haec in usum vitae animalis concinnavit. Ut doceremur rebus Divinis atque coelestibus supremum semper principemque locum in aestimatione nostra attribuere.

LXXXIX. Coelum gloriae suae uno eodemque tempore & inchoavit, & consummavit, & gloriosis incolis instruxit. Caetera autem a rudibus initiis orsa paullatim perfecit: potentiam bonitatemque suam primum in imperfectione atque infirmitate creaturae demonstrans, deinde in consummatione. Eo facit productio rerum sine luce, ut lux ex tenebris prodiret. Unde dulci meditatione ascenditur ad processum Dei in adornando novo mundo gratiae. 2. Cor. IV. 6. Ubi etiam a tenuibus initiis incipiens sensim opus suum perficit: donec beatissimo illo aeterni Sabbati die, omnimoda approbatione, placide in opere consummato acquiescat.

XC. Post alia omnia hominem condidit. Post hominem nihil. Qua re docemur, caetera quidem propter hominem condita esse, non coelo ipso summo cum suis Angelis excepto; hominem autem ad Deum solum illiusque cultum esse factum; quum nihil post hominem factum sit, cui ut majori inservire debeat.

XCI. Sed neque haec observatio omittenda est, in nullo suorum operum, utut amplissimorum, acquievisse Deum, donec hominem fecisset. Eo autem condito mox וינפש, *respiravit* ac recreatus est. Exod. XXXI. 17.

Eleganter

Eleganter *Macarius Homilia* XV. Μεγάλου ἀξιώματός ἐστιν ὁ ἄνθρωπος. ἴδε πόσος ἐστὶν ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη, καὶ οὐκ εὐδόκησεν ἐν αὐτοῖς ὁ κύριος, εἰ μὴ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ μόνῳ ἐπαναπαύεσθαι. τιμιώτερος οὖν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ὑπὲρ πάντα τὰ δημιουργήματα. *Summæ dignitatis est homo. Intuere quantum sit cœlum, quanta sit terra, sol & luna: non tamen placuit Domino in illis requiescere, sed in homine solo. Antecellit igitur homo cunctis creaturis.* Monet hoc exemplum acquiescentiæ Dei in homine, magis Deum eo delectari, quod hominem habeat se sanctificantem, & glorificantem, quam quod cœlum & terram, plurimasque, mirabiles cæteroquin, creaturas, fecerit, quæ ipsum cognoscere, & in ipso deliciari non possunt.

XCII. Atque ita paullatim ad PRAXIN hujus articuli deducimur. Quæ in hisce tribus potissimum consistit. I. Ut attente meditemur opera Dei. II. Per ea, velut scalam, ad Deum ascendamus. III. Denique descendamus ad nos ipsos. Omnia hæc brevibus complexus est Psaltes, Ps. VIII. 4. 5. *Quum respicio cœlos tuos* (ecce animam ad opera Dei attendentem) *opus digitorum tuorum, lunam & stellas quas statuisti* (ecce mentem ad Deum ascendentem) *Quid est mortalis quod memor sis ejus?* &c. Ecce hominem in se ipsum descendentem. **Articuli hujus Praxis.**

XCIII. Hoc certe primo loco fides jubet, ut opera Dei νοῶμεν, *menteque perpendamus.* Heb. XI. 3. Bestiarum, vel, qui bestiis pejores sunt, ebriosorum est, *non intueri opus Jehovæ, & factum manuum ejus non considerare.* Jes. V. 12. Ipsi gentilium Philosophi nihil sibi in vita jucundius accidere posse contemplatione mirandorum naturæ operum sæpe protestati sunt. Qua de re *Seneca* videri potest in *præfatione Quæstionum Naturalium.* Neque tamen ea in iis cernere poterant quæ fides facit ut nos animadvertamus, virtutes nimirum Dei, non Creatoris modo omnipotentis, sed & Patris nostri gratiosissimi. Et sane eum in finem hominem creavit Deus, ut esset ἐπόπτης τῆς ὁρατῆς κτίσεως, μύστης τῆς νοουμένης, quemadmodum *Gregorius* eum *Nazianzenus* nuncupat.

XCIV. Ei autem rei operam dare debet. I. Cum cura & attentione Jes. XL 26. *Attollite in sublime oculos vestros, & videte quis creaverit ista.* Colloquium quasi cum creaturis instituendum est: interrogandæque sunt singulæ de suis admirandis. Job. XII. 7. 8. *Interroga, quæso, jumenta, & confabulare cum terra.* II. Cum admiratione Ps. CXXXIX. 14. *Mirabilia sunt opera tua.* Ps. CIV. 24. *Quam ampla sunt opera tua, Jehova, quam ea sapienter fecisti! quam plena est terra possessione tua!* Adde Ps. XCII. 6. 7. Job. XXVI. 14. III. Cum gaudio & exsultatione. Ps. XCII. 5. *Lætitia afficis me, Jehova, opere tuo: de factis manuum tuarum cantabo.* Id fecerunt jam ab initio Angeli: *quum lapis angularis terræ jaceretur, cecinerunt simul stellæ matutinæ, & jubilarunt omnes filii Dei.* Job. XXXVIII. 6. 7.

XCV. Porro per creaturas, uti erectam ſcalam, ad Creatorem Deum aſcendendum eſt: qui ſe in iis non videndum modo, ſed & *palpandum* exhibet: Act. XVII. 27. cujus *gloriam cœli enarrant.* Pſ. XIX. 2. cui bruta telluris animantia, mutique piſces teſtimonium perhibent, ſe e manu ejus prodiiſſe. Job. XII. 9.

XCVI. Neque id in genere modo agnoſcendum eſt: ſed ſpeciatim obſervandæ illæ Dei virtutes, quas in creationis opere luculenter exſeruit: Immenſa iſta *Potentia,* ad cujus nutum omnia prodierunt. Jer. XXVII. 4. Infinita illa *Bonitas,* cui ſoli Creaturæ omnes quicquid ſibi ineſt boni, in ſolidum acceptum ferre debent. Pſ. CXLV. 9. Imperſcrutabilis illa *Sapientia* quæ tam concinno cuncta ordine diſpoſuit, & tam admirabilem ſe præſtitit in magnis operibus, ut non ſit minor in minimis. Pſ. CXLVII. 5. Ingens etiam iſta φιλανθρωπία, qua hominem proſecutus eſt, non modo corpus ipſius tam accurata partium omnium συμμετρίᾳ, quæ Hippocratem alioſque anatomicos in ſtuporem dedit, exornans: ſed in anima imaginem ſui ipſius, characteremque ſanctitatis ſuæ quaſi aureo tholo ſuſpendens: & denique dominium ipſi in cæteras creaturas concedens.

XCVII. Καὶ γὰρ (uti facunde *Philo De opificio mundi* p. 12. diſſerit): τῆς αὐτοῦ συγγενείας μεταδοὺς ὁ Θεὸς ἀνθρώπῳ τῆς λογικῆς, ἥτις ἀρίστη δωρεῶν ἦν, οὐδὲ τῶν ἄλλων ἐφθόνησεν. ἀλλ' ὡς οἰκειοτάτῳ καὶ φιλτάτῳ ζώῳ, τὰ ἐν κόσμῳ πάντα προητοιμάσατο, βουληθεὶς γενόμενον αὐτὸν μηδενὸς ἀπορῆσαι τῶν πρός τε τὸ ζῆν καὶ τὸ εὖ ζῆν. ὧν τὸ μὲν παρασκευάζουσιν αἱ χορηγίαι καὶ ἀφθονίαι τῶν πρὸς ἀπόλαυσιν. τὸ δὲ ἡ θεωρία τῶν κατ' οὐρανὸν, ἀφ' ἧς πληχθεὶς ὁ νοῦς, ἔρωτα καὶ πόθον ἔσχε τῆς τούτων ἐπιστήμης. *Poſtquam enim Deus hominem in ſuam cognationem admiſit, ratione donatum, dono longe optimo, nec cætera quidem ei invidit; ſed ut animali familiariſſimo amiciſſimoque omnia quæ mundo continentur præparavit, volens ut recens creatus nulla re careret, quæ ad vitam, atque adeo bene vivendum conferat: quorum alterum præſtat copia ubertasque rerum ad fruendum paratarum: alterum contemplatio cœleſtium, qua quidem perculſa mens, amorem ac deſiderium ſcientiæ rerum hujuſmodi concipit.*

XCVIII. Imo etiam ex creaturarum magnitudine, pulchritudine ac præſtantia, per *viam* quam vocant *Eminentiæ,* ad conſiderationem Divinæ magnitudinis pulchritudiniſque meditationibus noſtris enitendum eſt. Quod non poſſum melius exponere quam *Baſilii* vere *Magni* verbis, quæ exſtant *Homil.* I. *in Hexaëm. circa finem.* Τὸν ἀριστοτέχνην τῶν σοφῶς καὶ ἐντέχνως γενομένων δοξάζωμεν: καὶ ἐκ τοῦ κάλλους τῶν ὁρωμένων τὸ ὑπέρκαλλον ἐννοώμεθα. καὶ ἐκ τοῦ μεγέθους τῶν αἰσθητῶν τούτων καὶ περιγραπτῶν ζωμάτων ἀναλογιζώμεθα τὸν ἄπειρον, καὶ ὑπερμεγέθη καὶ πᾶσαν διάνοιαν ἐν τῷ πλήθει τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως ὑπερβαίνοντα. Quæ ſic utcunque reddidit *Johannes Argyropilus. Optimum illum ſummumque Architectum, qui ſapienter, exactiſſimaque cum arte res omnes inſtruxit atque creavit, admiratione gloriaque perinde*

uti decet afficiamus. Denique a rerum illarum pulchritudine quæ conspiciuntur, illum pulcherrimum opificem animadvertamus. Tum a sensibilium horum definitorumque corporum magnitudine immensum illum ac infinitum, omnemque mentem in copia illius concipienda virium exsuperantem excogitemus. Unde consequitur, officii nostri esse, ut Creatorem supra creaturas æstimemus: in creaturis ipsis, circumscriptæ quippe ac finitæ bonitatis, & idcirco ad plenam animo satietatem præstandam non sufficientibus, nequaquam acquiescamus: imo ne creaturis quidem gaudeamus, nisi quatenus virtutes Creatoris in iis expressas animadvertimus: adeo ut non tam creaturæ nos delectent, quam in iis, & per eas, Creator Deus. Ps. LXXIII. 25.

XCIX. Denique laudibus nostris & gratiarum actionibus tantus Universi artifex continuo prosequendus est. Qua in re quum tot ac tam præstantibus hymnis satisfacere sibi non posset jucundissimus Israelis Psaltes, omnium creaturarum in officii istius persolutione opem solicitat. Ps. CXLVIII. Mirabilis certe est illa Epicteti ad Deum Creatorem celebrandum parænesis: quam hic quoque apponerem, nisi alibi me eam dedisse meminissem. Exstat ea apud *Arrianum Dissert: lib.* I. *cap.* XVI.

C. Sed & ad nos ipsos descendendum est. I. Ut discamus Magnum illum Creatorem timere ac venerari. *An me non reverebimini, dictum Jehovæ? an a facie mea non cotremiscetis, qui disposui arenam in terminum mari?* Jer. V. 22. Ps. XXXIII. 6. 7. 8. Nam & omnes creaturæ in ipsius manu sunt, ut iis vel pro nobis, vel contra nos, pro arbitratu suo uti possit: & nos ipsi non nisi *in eo vivimus, movemur, & sumus.* Act. XVII. 28.

CI. II. Ut ei cultum ac ministerium debitum deferamus, cui paret omne genus terraque marique animantum. Quando enim creaturas omnes juxta naturæ leges ei dicto audientes esse cernimus, Ps. CXLVIII. 8. profecto pudore suffundi debemus, si nos, tot beneficiis præ cæteris aucti atque mactati, solique cum Angelis ratione donati, rebelles in eum comperiamur, sine quo uti nihil possumus, ita contra eum nihil aut velle aut cogitare nobis fas est. Hinc est, quod per irrationales creaturas Deus rationales sæpe & convincat & pudefaciat. Jes. I. 2. 3. Jer. VIII. 7.

CII. III. Ut quotcunque his pietatis officiis sincere defungimur, multifariam nosmetipsos fide in Deum Creatorem consolemur. 1. Si Deus ille, omnipotens Creator, noster sit, utique de omnibus necessariis nobis providebit. Nam *Jehovæ est terra, & quod implet eam; orbis habitabilis, & habitantes in eo.* Ps. XXIV. 1. Quum *jumentis cibum suum det, & pullis corvorum qui crocitant*, Ps. CXLVII. 9: quanto minus hominibus, qui tantum cæteris creaturis antecellunt, ipsumque ut Patrem invocant, necessaria deesse patietur? Ps. XXXVI. 7. Mat. VI. 26--31.

CIII. Memorabile exemplum est in quod hodie incidi, dum *Monodiam Gregorii Nazianzeni in Basilium Magnum* lego. Refert is, Basilii majores,

 vigente

vigente immanissima Maximiani persecutione, in quandam montis specum, cum paucis ministris, aufugisse. Ubi annos supra septem commorati, sub dioque agitantes, solo pane victitarunt, neque ullam propterea lamentationis vocem, sicut in deserto Israelitæ, emiserunt. At Deus, qui in eremo Judæos manna & coturnicibus pavit, opsonia impræparata atque improvisa adesse iis jussit; cervos nimirum pingues, ad eos, nemine persequente, venientes: e quibus quod erat opus pro tempore interficiebant, reliquos dimittebant, ac quodammodo voluntarios, in promtuario usui futuro conservabant. Adeo verum est Psaltis illud: *Juvenes leones pauperantur atque esuriunt: quærentes autem Jehovam non indigent ullo bono.* Ps. XXXIV. 11

CIV. 2. Si omnipotens ille Creator, noster sit, nihil tam admirandum est quod pro nobis non queat velitve effectum dare. Ita Jeremias argumentatur Cap. XXXII. 17. *Eheu Domine Jehovi ecce tu fecisti cælos & terram virtute tua maxima, & brachio tuo extento.* לאֹ נפלא ממך כל דבר, hoc est, ut bene Belgæ nostri transtulerunt, *nulla res mirabilis tibi erit*, quam non in tuorum gratiam facile præstes. omnes etiam creaturas ita moderabitur, ut nullæ earum nocere suis queant. Jes. XLIII. 2. Dan. III. 17. 27. 28. 29. & VI. 23. 28. Sed contra saluti ipsorum promovendæ inserviant. Rom. VIII. 28.

CV. 3. Denique quanta est hæc piorum felicitas, quod non creaturis duntaxat, Rom. IV. 13. 1. Cor. III. 21. 22. sed & ipso Creatore potiri iis datum sit. Nam *Formator omnium est portio Jacobi* Jer. X. 16. *Opifex noster est conjux noster.* Jes. LIV. 5. cui non modo per totam vitam fas est confidere; Ps. XXXVII. 5. sed cui morientes etiam ut *Fideli Creatori animas nostras committere* possimus. 1. Pet. IV. 19.

EXERCITATIO IX.

DE NOMINE JESU

BREVIARIUM.

1. *Quatuor tituli secundæ Trinitatis personæ attribuuntur.* 2. *Cur Filius Dei prænomen Hebræum, agnomen Græcum habeat.* 3. *Nomen Jesus non est Græcæ originis.* 4. *Sed a* ישוע *vel* יהושע *derivatur.* 5. *Observatio R. Hakkados.* 6. *Jesus certe Salvatorem notat.* 7. 8. 9. *An præterea notionem nominis Jehovæ includat, disquiritur.* 10. *Nomen Jesu a Deo Patre datum est.* 11. *Solemniterque nuncupatum in circumcisione Christi.* 12. *In*

12. In emphasi sua soli Filio Dei proprium. 13. Non tamen superstitiose venerandum. 14. Omnis hujus nominis vis in Filio est. 15. 16. 17. 18. *Quam neque Sociniani, neque Remonstrantes, neque pontificii, ex vero, & plene explicant.* 19. 20. 21. *Vis nominis in eo sita est, quod plenissimæ salutis unicus existat auctor.* 22. 23. *In peccato omnis miseriæ compendium est* 24. 25. *Ejus sublatio pars una est beatitudinis.* 26. *Altera beatitudinis pars consistit in participatione maximorum bonorum.* 27. 28. 29 30. 31. 32. 33. 34. 35. *Salutis illius auctor nobis Christus est, sufficienti impetratione, & potenti applicatione.* 36. 37. 38. 39. 40. *Signa ex quibus dignosci potest, an quis vere credat, Filium Dei esse JESUM.* 41. *Bernhardi suave Canticum.*

Quatuor tituli secundæ Trinitatis personæ attribuuntur.

I. POstquam ea quæ de PRIMA Adorandæ Trinitatis PERSONA credenda sunt non perfunctorie expendimus, ad SECUNDAM nunc transeamus. Cui quatuor in Symbolo tituli attribuuntur, JESUS, CHRISTUS, FILIUS Dei Patris UNIGENITUS, DOMINUS NOSTER. Horum titulorum *priores duo*, *Officii* nomina sunt. *Tertius Naturam* indicat. *Quartus Dignitatis* est, monstratque relationem illam quam ad nos habet.

Cur Filius Dei prænomen Hebræum, agnomen Græcum habeat.

II. De Officiorum nominibus non inscite a nonnullis observatum est, alterum eorum Hebræum, alterum Græcum esse. Quia tam Hebræis quam Græcis, Gentilibus æque ac Judæis, Filius Dei in Sospitatorem datus est. *Lumen detegendum Gentibus, & gloria populi Israëlis.* Luc. 11. 32. Addunt alii, prænomen Hebræum, agnomen Græcum esse: quia salus ex Judæis, iisque primum annunciata & oblata est. *Judæo imprimis tum & Græco.* Rom. 11. 10. Quæ observatio an solida sit, non anxie nunc inquiram: res certe ipsa vera est, gloriosa Jesu, jucunda nobis.

Nomen Jesus non est Græcæ originis.

III. Errant sine dubio, qui cum *Moschopulo* nomen Ἰησοῦς ab ἰῶ deducunt, cujus futurum est ἰάσω, inde Ἰασοῦς, & mutato α in η, Ἰησοῦς. Quasi dicas, *eum qui sanat.* Et ridiculos sese tali originatione Hebrææ linguæ peritis facerent, si non admittamus *Grotii* observationem, eos per quendam ingenii lusum quæsivisse vocem Græcam, quæ Hebrææ ישע, non sola significatione, sed sono insuper cohæreret. *Philonis* more, qui ita ad Græcas voces amat alludere, ut ab Hebræa notatione quam minimum recedat. Certum autem est, Hebræorum ישע, & Græcorum ἴασις, & sono & significatione admodum affinia esse. Unde factum videtur, ut Judæi quidam, inter Græcos versantes, quum hoc ipso nomine Hebræo vocarentur, Græce sibi nomen *Jasonis* fecerint.

Sed a ישוע vel יהושע derivatur.

IV. Sed verissime *Theophylactus*, *in Mat: Cap:* 1. Τὸ Ἰησοῦς ὄνομα οὐκ Ἑλληνικόν ἐστιν, ἀλλ᾽ Ἑβραϊκόν. Et tenenda nobis originatio est, quam ἀπὸ τοῦ

σώζειν

σώζειν Angelos assignat Mat. I. 21. Ea nos quasi manu ducit ad Hebræam vocem יֵשׁוּעַ, Quæ occurrit Ezr. II. 2. & III: 2. & 2 Paral. XXXI. 15. Plene autem scribitur יְהוֹשֻׁעַ, Hanc Græci, facilitatem pronunciationis impense amantes, in Ἰησοῦς transformarunt. Quod invicte ex eo concluditur, quia Josua, Filius Nun, eodem Jesu nomine apud eos designatur. Heb. IV. 8.

Observatio R. Hakkados.

V. Memorabile est quod *Rabbi Hakkados* in libro *Gale Razaia* dixisse narratur: *Quia Messias homines salvabit, vocabitur* ישוע, Jeschua, *Gentes autem alterius nationis quæ fidem ejus sectabuntur, vocabunt eum* Jesus: & *propterea invenies hoc nomen* Jesu *designatum. Gen.* XLIX. 10. יבא שילה ולו. *Si enim acceperis primas literas harum dictionum, nomen* ישו Jesu *eædem literæ conficient.*

Jesus certe Salvatorem notat.

VI. Planum ergo est, bene dixisse *Damascenum, de Orthodoxa Fid. lib.* I. *Cap.* XII. Τὸ Ἰησοῦς ὄνομα Σωτὴρ ἑρμηνεύεται. *Nomen Jesus est, si interpreteris,* Σωτήρ. Qua voce tantum ait significari *Cicero, Act.* IV. *in Verrem,* ut id Latino uno verbo exprimi non possit. Nam *Servatoris* nomen Græci vocabuli vim omnem non exhaurit. *Grotius* existimat vocem *Sospitatoris*, quæ antiquior est, sed in sacris magis quam usu populari recepta, ejusdem cum Græca originis atque efficaciæ esse. Obtinuit tamen in Ecclesia, licet fortasse minus Latinum, *Salvatoris* nomen. Cui nos facile acquiescimus.

An præterea notionem nominis Jehovæ includat, disquiritur.

VII. Id itaque ἐπωνύμιον sit, Ἰησοῦς esse a *Jehoschua*, & Jehoschua *Salvatorem* notare. Sed an non & amplius aliquid significet, disquirunt eruditi. *Eusebius* in *Demonstrationibus Evangel. lib.* IV. *cap. ulti*: ita commentatur: Σωτήριον Θεοῦ εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν τὸ τοῦ Ἰησοῦ μεταληφθὲν ὄνομα σημαίνει. *Jesu nomen, in aliam translatum linguam, Salutare Dei significat.* Et mox. Ἰώσουε δὲ ἐστιν Ἰάω σωτηρία, τοῦτ᾽ ἐστιν Θεοῦ σωτήριον. *Josue autem est, Jao,* sive Jehovæ) *Salus, id est, Salutare Dei.* Videtur credidisse illud יהו in hac voce, ut & in Jehonathan, Jehotzedec, similibusque, ex יהוה *esse.*

VIII. Neque præter omnem rationem. Nam etiamsi linguæ genius facile ferat ut ab הושיע formetur nomen verbale יהושע, non tamen sine magna quadam caussa factum est, quod Moses ministri sui nomen, qui antea הושע dicebatur, non in יֵשׁוּעַ modo, sicut scribitur Neh. VIII. 18. sed in יְהוֹשֻׁעַ commutaverit, ut omnes literas nominis tetragrammati haberet. Num. XIII. 17. Inest illiusmodi prophetiæ nominum mutationi ingens quædam emphasis: importans augmentum honoris & dignitatis. *Hosea* autem, voce nominaliter sumta indubie *servatorem* notat. Si Jehosua plane idem significet, nihilque omnino superaddat, cur illa nominis mutatio a Mose facta? Cur Spiritui Sancto digna visa, quæ ad seræ posteritatis memoriam æternum victuris chartis commendaretur? Scilicet is qui ante, privato parentum consilio, pioque voto, *Hosea*,

Hosea, sive *Salvator*, dictus est: nunc a Mose, Prophetico instinctu, *Jehoschua* sive *Salvator Domini*, vocatur: a Domino quippe destinatus & missus, ut magnæ alicujus salutis auctor populo suo existat, atque in ea re eximius typus illius, qui nomen Jehoschua in omni sua emphasi portaturus erat: ita quidem ut & Salvator Jehovæ, & Salvator Jehova simul esset. Vide *Gomarum in Mat.* I. 12.

IX. Lubet hic appingere *Johannis Gerhardi* commentationem, in *Locis Communibus*, *Loc.* IV. *Cap.* I. Ubi in hæc verba fatur: *Josua Salvatoris nostri typus, dictus fuit primo* Hosee, *sed Moses id nomen mutavit in* Jehoschua, *præfixa litera jod.* I. *Ut certiorem ipsi Josuæ, & populo per ipsum, salutem, & victoriam de Cananæis promitteret, quam hac exploratione inchoabat.* Hosee *enim formatur ex imperativo, & significat* salva. Jehoschua, *vero ex futuro*, Salvabit. II. *Ut innueret multa ei bona largiturum Deum, cui primam literam nominis sui tetragrammati addidisset.* III. *Quia Moses Spiritu Prophetico providebat, Josue typum gesturum Jesu Christi, tum nomine, tum reipsa; deductione scilicet populi in terram Canaan. Quemadmodum enim Deus Abrahamo & Saræ addidit literam* ה *ex nomine tetragrammato, ut significaret se ex illis nasciturum hominem; sic nomini Josuæ addidit literam* י Jod (sic enim puto legendum esse) *ut sic* Jehoschua *contineat omnes literas nominis tetragrammati; ac significetur, Jesum, cujus typus erat Josue, fore Jehovam, id est, verum Deum.*

X. Non privata auctoritate, neque solo piæ matris consilio nomen illud Christo inditum est. Sed diserto Dei Patris mandato, quod per Angelum annunciari curavit. Mat. I. 21. Luc. I. 31. Etenim par erat ut omnia quæ circa Christum peragebantur ex numinis præscripto fierent. Decebatque cœlestem Patrem id sibi officii deposcere, ut ipse Unigenito suo Filio nomen daret. Quis enim cæteroquin posset? *Quod est nomen Filii ipsius, si noveris?* Prov. XXX. 4. Et denique nostri summopere intererat, ut certi essemus humanum omne consilium ab illius nominis datione abesse, cujus meditatio omnis nostræ consolationis fundamentum est.

Nomen Jesu a Deo Patre datum est.

XI. Actu Christo inditum solemniterque nuncupatum hoc nomen est, in & cum circumcisione. Luc. II. 21. Ita enim antiquitus pii facere solebant. Luc. I. 57. Neque caret id suo mysterio. Nam ab ipsa circumcisione, imo & in ea, incipiebat Christus ea facere quæ ad salutem nostram facienda erant. Protestabatur hoc symbolo sui sub lege subjectionem. Gal. V. 3. Ostendebat se esse semen Abrahami κατ' ἐξοχήν. Libabat jam primitias pretiosissimi illius sanguinis, quo conscientiæ nostræ mundantur. Obligabat se ad susceptionem eorum omnium, quæ & facienda & patienda erant, ut bona fœderis Abrahamici ad hæredes promissionum pervenirent. Denique præscissione particulæ illius a suo corpore præfigurabat futuram sui excisionem e terra viventium,

Solemniterque nuncupatum in circumcisione Christi.

Jes. LIII. 8. ad salutem corporis sui mystici. Eph. v. 23. Et quid convenientius erat quam Filio Dei, *Jesu*, sive *Salvatoris*, nomen, eo in actu dari, in quo tot procurandæ per ipsum salutis signacula exstabant?

In emphasi sua soli Filio Dei proprium.

XII. Maximum citra controversiam hoc nomen est: designans opus, & includens gloriam, quæ soli Deo propria sunt, & cum non-Deo communicari non possunt. Ideoque in emphasi sua sumtum creaturarum omnium & dignitatem & valorem longissime exsuperat. *Ego, ego Jehova*, ואין מבלעדי מושיע, *& non est Salvator præter me*, proclamat ipse. Jes. XLIII. 11. Qui præter Dominum nostrum id nominis gestarunt, in iis vel nudum superbumque nomen sine re fuit, humano consilio impositum, ambitioseque assumtum: vel Divina dignatione iis indultum, quos propter leviorem, corporalem, atque temporariam salutem, hac quoque in parte Filii sui typos esse voluit. In quibus consequenter tanto humiliorem significationem habuit, quanto umbra vilior est corpore. In plenitudine significationis suæ, non solum ἐξοχικῶς, sed & μονοτρόπως, Filio Dei competit.

Non tamen superstitiose venerandum.

XIII. Oppido tamen illi falluntur, qui nomen Jesu, prout vel literis pingitur, vel lingua profertur, tantæ præ cæteris aliis Dei Christive nominibus dignitatis esse existimant, ut vel genuflexione, vel alio quovis honoris signo, venerandum sit. Docet quidem Apostolus, *in nomine Jesu flectendum esse omne genu*: Phil. II. 10. Verum nomen ibi non vocabulum illud significat, sed personam ipsam, & dignitatem illi collatam, quæ vocabulo isto exprimuntur. Uti passim in sacris literis; & nominatim Act. IV. 12. Conferendusque hic locus est cum illo Jes. XLV. 23. ad quem manifeste Apostolus alludit, *Mihi flectetur omne genu*.

Omnis hujus nominis vis in Filio Dei est.

XIV. Neque fas est eum cujus est תושיה Prov. VIII. 14. nomen sine re gerere. Quicquid ergo *Salvatoris* vocabulo designari potest, id reapse in Jesu nostro invenitur. Angelo hanc nomenclaturæ rationem addente: *Ipse enim servabit populum suum a peccatis suis*.

Quam neque Sociniani, neque Remonstrantes, neque Pontificii, ex vero, & plene explicant.

XV. Porro *Servare* nos dicitur, non quia doctrinam Evangelii salutis clarissimis verbis exposuit eandemque, & sanctissimæ vitæ exemplo, & miraculis supra fidem, & patientia malorum pene incredibili, & atrocissimæ dirissimæque mortis martyrio, confirmavit: viamque ad salutem resurrectione sua palam fecit, & potestatem a Deo adeptus est vitam nobis æternam conferendi. Quæ Socini semi-Turcica blasphemia est. Si enim nulla alia in re salvatio Christi consistat, quantulum tandem illud est, in quo cæteris quibusdam Prophetis, & suismet imprimis Apostolis, antestet?

XVI. Neque propterea Salvatoris nomen gerit, quia in eum nos restituit statum, in quo Deus, non obstante amplius justitia sua vindicatrice, secundum misericordiæ suæ affectum, de novo benificia sua communicare

nicare & potest & vult, ea lege & modo qui ipsi videtur: ita tamen ut hæc salutis per Christum impetratio, quod ad naturam rei attinet (etiamsi aliter futurum esse certo Deus noverit) possit sarta tecta manere, suisque numeris perfecta constare, etiamsi nulli essent quibus applicaretur, & qui perciperent ejus fructum. Quomodo in Synodalibus Scriptis suis Remonstrantes augustum hunc Domini nostri titulum extenuant p. 283. 285.

XVII. Hæc si vera sunt, non hominibus impetraverit actualem quorundam restitutionem in gratiam, imo nihil iis impetraverit quo salvi fiant: sed Deo impetraverit potestatem gratiose cum hominibus agendi, sublato justitiæ vindicatricis impedimento. Imo ne hanc quidem Deo impetraverit, quippe quam, ipsis arbitris, ante & citra ullum Christi opus, a se ipso Deus habeat. Ita enim in *Apologia* scribunt, *p. 46. b. Statuere justitiam Dei vindicatricem sic esse Deo essentialem, ut Deus ejus vi obligetur, & necessitetur ad puniendum peccata, ineptissimum & Deo indignissimum* est. *Corvinus* similiter, in *Censura Anato: Molin: p. 436. Potuisset nos Deus salvare, citra satisfactionem Christi: sed noluit id facere.* Hæc eo non obscure tendunt, ut totum salutis per Christum partæ negotium audacibus commentis evacuetur.

XVIII. Non denique eo nomine Salvator dicitur, quia morte passionibusque suis, pro peccatis quæ vocant mortalibus, & pœnis æternis, satisfecit: relinquens fidelibus, ut ipsi pro peccatis venialibus & pœna temporali satisfaciant, partim quidem operibus pœnalibus in hac vita, partim tormentis purgatorii in vita futura. Vel etiam, quia sua perfectissima sanctitate meritus est, ut quæ nos debemus, imperfecta licet, modo ex fide profecta, sanctitatis opera, salutem ipsam mererentur; quæ ultra debitum præstamus, salutis etiam eximium quendam gradum. Quemadmodum illud salutis nostræ opus Christum inter atque homines inique admodum Pontificiæ sectæ Doctores partiuntur: absurda absurdis densissime, ne perpluant, cumulantes tegentesque.

XIX. Quibus errorum portentis opponimus sacratissimum hoc Petri veriverbium Act. IV. 12. *Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cælo quod datum est inter homines, per quod oporteat nos servari.* Servat autem nos Christus, quia VERAM, Spiritualem, Æternamque SALUTEM nobis IMPETRAT & APPLICAT.

Vis nominis in eo sita, est quod plenissimæ Salutis Unicus existat Author.

XX. Ad cujus rei distinctam perceptionem, necesse est, ut primo *Salutem* eam consideremus, cujus auctor nobis Christus est: deinde *Actiones Christi* circa istam salutem.

XXI. *Salus* duo complectitur: *Immunitatem ab omni malo*, & *Communionem omnis boni.*

XXII. Id quod malorum omnium maximum, & cæterorum fons ac origo est, quodque hominem unice miserrimum facit, est PECCATUM: cujus etiam solius mentionem facit Angelus, dum rationem nominis

In Peccato omnis miseriæ compendium est.

Jesu explicat. In peccato autem miseriæ omnis compendium esse, hoc pacto demonstratur: in similitudine cum Deo summam hominis beatitudinem sitam esse, non Johannes modo dictat; 1. Joh. III. sed & natura, Gentilium Philosophorum aliquos condocefecit. Imo tam evidentis illud veritatis est, ut in sua cum Protoplastis disputatione, id, tanquam inconcussæ certitudinis, Diabolus supposuerit. Unde colligitur, in statu longe omnium miserrimo eum versari, qui beatissimo numini dissimillimus est. Porro perfectionum omnium Divinarum decus, purissima ipsius sanctitas est. Hinc dicitur נאדר בקודש, *gloriosus in sanctitate.* Exod: XV. 11. Sanctitati isti quam maxime adversatur peccatum. Restat ergo ut in peccato, quod hominem in conditione constituit quæ beatitudini Divinæ dissimillima, imo adversa plane sit, maximam hominis miseriam consistere concludamus.

XXIII. Quod penetrantius se conscientiæ ingeret; si expendamus tria hæc peccato inesse. 1. *Maculosam spurcitiem*, qua penitam animam inficit. Jac. 1. 21. quæque candidissimæ pulchritudini imaginis Dei directe adversatur. II. *Tyrannice Dominandi vim*, qua ablata omni libertate ac generositate quæ filiis Dei digna est, horribili jugo serva colla premit. 2 Pet. II. 19. nullum usquam laborum terminum, metam nullam ponens, sed cum hirudinis filia illud suum, *Præbe, Præbe,* continuo ingeminans. Prov. XXX. 15. III. *Reatum*, quæ peccatorem omne genus pœnarum, in corpore atque anima, æternum ferendarum, damnatem facit. Adeo quidem, ut, nisi aliunde Divinæ satisfiat justitiæ, ei qui vel semel adversus eam deliquit, omni restitutionis spe decollante, nihil superfit præter horrendam quandam exspectationem judicii, & fervorem ignis, qui devoraturus est adversarios. Heb. X. 27. Vid. Rom. 1. 32. & II. 9. Atque ita omnia mala tristia ad peccatum referri possunt: quia in peccato obligatio ad ea perferenda est.

Ejus sublatio pars una est beatitudinis.

XXIV. Peccato autem sublato nihil mali potest remanere. Cur enim Deus male mulctaret artificiosum manuum suarum opus, in quo nihil reperit quod adversum sibi fiet, vel oculos sanctitatis suæ offendat? Huc pertinet μακαρισμὸς ille Davidis. Ps. XXXII. 1. אשרי נשוי פשע. *Beatus levatus a defectione.*

XXV. Quod tamen non ita est intelligendum, quasi absentia hujus mali, sive immunitas a miseria, universam beatitudinem absolveret. Est etenim beatitudo, status bonorum omnium possessione perfectus. Sed uti tenebræ non pelluntur nisi per lucem, neque nuditas tollitur nisi per vestes, neque paupertas nisi per opes: ita etiam peccatum auferri non potest, quoad *Reatum*, nisi per justitiam ejusmodi quæ simul caussa juris ad vitam est: quoad *Dominium* & *Maculam*, nisi per sanctificationem Spiritus: quoad *Maledictionem* quam importat, nisi per communicationem

nicationem Divini favoris. Quæ quia sejungi non possunt, hinc est quod in peccati ablatione salus nostra constituatur.

Altera Beatitudinis pars consistit in participatione maximorum bonorum.

XXVI. Cæterum quam maxime ad salutem pertinet I. Istiusmodi justitiæ participatio in qua sit δικαίωμα εἰς δικαίωσιν ζωῆς. Rom. v. 18. II. Ὁσιότης τῆς ἀληθείας, in qua resplendeat Divinæ pulchritudo imaginis. Eph. iv. 24. quæ sit *Ornamentum domus Dei.* Ps. xciii. 5. & *Decor* omnis *filiæ Regis.* Ps. xlv. 14. III. Communio cum Deo in gratia. Ita ut dicere nobis liceat, *Jehova est portio prædii & poculi mei, tu sustentas sortem meam.* Ps. xvi. 5. Quæ communio Dei non solum complectitur potestatem familiariter ad eum accedendi, ut retectis oculis in devotarum precum meditationumque Sanctuario conspiciatur: Ps. lxiii. 3. sed & παῤῥησίαν illam qua omnes pressi animi dolores in sinum ejus effundamus, & balbutientia vota uberiorem gratiæ mensuram poscentia confidenter exponamus; Heb. iv. 16. & descensum illum Divinæ gratiæ, quo animam sibi dilectam, se diligentem, benigne *invisit,* Joh. xiv. 23. & blandissimis verbis *ad cor ejus loquitur.* Hos. ii. 14. & denique ipsam *Dei fruitionem:* quæ in eo sita est, quod anima ei ut thesauro suo suavissima assiduitate incubet, Ps. lxxiii. 28. ejus opulentia ditetur, ejus ubertate pascatur, ejus potentia custodiatur, ejus sapientia dirigatur, ejus bonitate refocilletur, ejus sufficientia repleatur: sic ut præter ejus perfectam fruitionem, cujus nunc nil nisi primitias habet, nihil desiderabile cognoscat. IV. Quæ hinc sequitur, pax conscientiæ, & *opulentia plene certiorata intelligentiæ,* Col. ii. 2. & firmissima certitudo consummatæ felicitatis suo tempore potiundæ: atque hinc resultans *gaudium ineffabile & gloriosum,* quo *nondum videntes, tamen exsultare* Petrus testatur. 1 Pet. i. 8. V. Denique perfecta Dei fruitio in gloria, primum in anima, postquam ex animalis hujus corporis ergastulo discesserit. 2 Cor. v. 1. Phil. i. 23. tum in corpore & anima simul, sed corpore jam glorioso & cœlesti facto, post beatam resurrectionem. Ps. xvii. vers. ult. Phil. iii. 21.

Salutis illius Author nobis Christus est, sufficienti Impetratione, & potenti Applicatione.

XXVII. Hæc demum illa *Salus* est, cujus ratione Filius Dei JESUS nuncupatur. Circa quam duæ imprimis illius *Actiones* expendendæ sunt. I. IMPETRATIO. II. APPLICATIO. Quarum *illa jus* Salutis: hæc ipsam Salutis *possessionem* ac fruitionem nobis confert. *Illam* consummavit Jesus in *Statu Exinanitionis: hæc* occupatum eum tenet in *Statu Exaltationis* usque ad συντέλειαν τοῦ αἰῶνος.

XXVIII. Impetravit autem Jesus Salutem hoc modo. 1. Suscipiendo reatum peccatorum nostrorum, pœnasque iis debitas in corpore & anima luendo (quum Θεάνθρωπος esset, & consequenter infinitæ dignitatis persona) Justitiæ Dei vindicatrici plenissime satisfecit; nobisque immunitatem ab omni malo, in quo maledictio est, acquisivit.

Redemit nos ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio. Gal. III. 13. II. Omnem Legis obedientiam, tam naturæ, quam actionum suarum exactissima sanctitate, pro nobis adimplens, acquisivit nobis jus consummatæ illius beatitudinis, cujus potiundæ, ex Veritate, Sanctitate, & Justitia Dei, unica conditio est, constans perfectæ sanctimoniæ praxis. Juxta illud legis, *qui fecerit ea homo, vivet in iis.* Rom. X. 5. Cui δικαιώματι legis satisfieri per Christum debuit. Rom. VIII. 4. Atque ita in Christo est δικαίωμα redundans *in omnes homines ad justificationem vitæ, & per unius illius obedientiam justi constituuntur multi*; & *gratia regnat per justitiam ad vitam æternam.* Rom. V. 18. 19. 21.

XXIX. Itaque effectus hujus impetrationis, non est nuda *possibilitas remissionis* peccatorum, & reconciliationis nostri cum Deo, uti Remonstrantes pugnant: sed *remissio peccatorum, & reconciliatio actualis,* eatenus ut salva veritate & justitia sua, salvo fœdere quod cum Filio pepigit, non possit Deus quemquam electorum mancipare condemnationi, aut excludere a communione salutis: imo ex adverso declaraverit, præstita jam a Filio, & acceptata a sese satisfactione, nihil se electis vel patiendum vel faciendum imponere posse, quo sibi immunitatem a pœna, jus ad vitam acquirant: sed id unicum superesse, ut, suo singuli ordine ac tempore, parto sibi per Christum jure, & possessione ex jure, gaudeant. Atque illud est quod Apostolus dicit: 2 Cor. V. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis offensas eorum.*

XXX. Porro salutem *Impetratam* potenter Jesus *Applicat*, & quidem iis omnibus, ac solis, quibus eam impetravit, id est, quorum peccata in se suscepit, quorumque personas, qua sponsor, sustinuit. *Pro quibus* enim Christus *mortuus* est, illis animose licet dicere, *Quis intentabit* adversus nos *crimina? Deus is est qui justificat. Quis est qui condemnat?* Rom. VIII. 33. 34. Quos Christus *redemit ab exsecratione legis,* illi sub exsecratione non manent; sed ad illos *devenit benedictio Abrahami.* Gal. III. 13. 14. pro quibus Christus *se ipsum dedit,* eos *redemit ab omni iniquitate, & purificavit sibi in populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.* Tit. II. 14. Breviter æque late se extendit Impetrationis atque Applicationis objectum: & unum plane idemque est.

XXXI. *Applicatur* autem electis salus: *Inchoate,* in *hac Vita*: *Consummate,* in *Futura.* Nam in hac quoque Vita, *Primitiæ Spiritus,* Rom. VIII. 23. qui *Spiritus gloriæ* est, 1 Petr. IV: 14. filiis Dei conceduntur. *Qui credit in Filium,* non modo post hac habebit, sed jam *habet vitam æternam.* Joh. III. 36. & *Spe salvus factus est.* Rom. VIII. 24. Ea a Christo nactus quibus non solum se in adversis hujus mundi soletur; sed ex quibus etiam colligat, quantum illud bonum sit quod asservatur sibi in cœlis.

XXXII. Applicatio Salutis quæ *hujus vitæ* est, hisce actionibus peragitur.

gitur. I. Electos ac Redemtos suos, foris per Verbum Evangelii, intus per Spiritum Gratiæ, ad partæ salutis participationem efficaciter *Vocat*, Invitat, Pellicit. Jes. XLV. 22. II. Eodem verbo & Spiritu eos, indito novæ vitæ principio, *Regenerat, ut sint primitiæ quædam eorum quæ fecit.* Jac. I. 18. III. Fide donatos *justificat.* Rom. VIII. 30. IV. Justificatos ad *Pacis* atque *Amicitiæ* jucundissimum commercium admittit. Rom. V. I. Jac. II. 23. V. Per gratiosam *Adoptionem* in jura Filiorum eos recipit: *Spiritu Adoptionis* donat, & immutabili Testamento cœlestem hæreditatem addicit. Rom. VIII. 15. 16. 17. VI. Pulcherrimis *sanctitatis* habitibus magis magisque exornat. I Thes. V. 23. VII. Spiritu Sancto, qui futuræ hæreditatis arrha est, *obsignat*, & *consolatur.* Eph. I. 13. 14. VIII. Virtutis suæ præsidio *custodit*, per Fidem, ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo. I Pet. I. 5. IX. Denique dilectis suis, in confinio præsertim mortis, tam claram aliquando rerum cœlestium visionem, tam uberem earundem gustum largiri solet, ut eas oculis coram cernere videantur, neque aliter iis affecti sint, quam si rebus ipsis præsentes interessent.

XXXIII. Futura vita considerari potest, vel respectu *animæ separatæ*, ante diem judicii: vel respectu *totius hominis*, post consummationem seculi.

XXXIV. Animam, mox postquam animalis hujus vitæ laboribus defuncta est, in Cœlestia & gaudia & habitacula suscipit: non ejus solum conditione & statu, sed & commorationis loco, gloriose commutato, Luc. XXIII. 43. Ap. XIV. 13. Heb. XII. 23.

XXXV. Consummatis autem omnibus iis quæ ad Ecclesiæ in hac terra plenitudinem spectant, ipse in nubibus cœli, ad universale judicium, incredibili Divinæ magnificentiæ pompa apparens, corpora suorum, e pulvere mortis suscitata, cœlestibusque qualitatibus decora, beatæ animæ, nulla iterum morte sejungenda, uniet; secumque in domum Patris sui assumet; ubi, omnibus ad luculentissimam gloriæ Dei demonstrationem compositis, universa electorum panegyris, iis bonis satiabitur, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, neque in mentem hominis venerunt.* I Cor. II. 9. Joh. XIV. 3. I Thes. IV. 14. & seq. I Cor. XV. 22. & seq. Qui tantæ nobis salutis tantus auctor est, quis eum omni jure JESU nomen gerere inficias iverit?

XXXVI. Restat nunc, ut quisque semet ipsum exploret, an revera credat Filium Dei JESUM, id est, perfectum unicumque salvatorem esse. Quia enim ab ineunte id ætate audivimus, quia isthoc nomine Filium Dei compellare sueti sumus, quia contrarii professio, uti Christianismi totius abnegatio, horrendum merito in omnium auribus sonaret: hinc quisque se in Filium Dei, ut Jesum, & servatorem suum, credere, etiam re

Signa ex quibus dignosci potest, an quis vere credat, Filium Dei esse JESUM.

re nunquam rite perpensa, temere sibi persuadet. Quum tamen plurimi id se non credere, toto vitæ suæ instituto testatum faciant.

XXXVII. Qui revera credit Christum esse JESUM, sive omnem salutem suam unice in ipso repositam esse, is I. Reliqua omnia præ Christo parvi faciet, & quantumvis præclara atque luculenta videri queant, si cum Christo componantur, vel eidem opponantur, pro *damno* tamen *& stercoribus reputabit.* Phil. III. 7. 8. Splendor ille sufficientiæ Christi, oculis fidei perspectus, cætera cuncta obscurabit, ut stellas omnes præstinguit æthereus sol. Postquam id animo semel fixum sedit, solum Jesum esse omnia, quid, inquit, mihi reliqua erunt, si Jesu caream? Quid opes, quid honores, quid voluptates, quid cætera universa, quæ vel fortunæ, vel corporis: vel animi bona invidioso nomine dicuntur? Quum salutem in solo Jesu reperiri persuasissimum habeam, in iis salus esse non potest. Neque si adsint, salutem conferunt: neque si absint, auferunt. Nihil sunt, citra Jesum: quia Jesus est omnia. Si quid sint quando in Jesu possidentur, totum illud a Jesu habent, e cujus tunc charitate profluunt, quique iis, tenuem quidem illum, sed gustum tamen suavitatis suæ indidit. Ideoque si quo in pretio esse debeant, non aliunde id est, nisi quia a Jesu veniunt, & ad Jesum ducunt.

XXXVIII. II. Idem Jesum supra omnia desiderabit. *Ἀγαθὸν ἐστιν ὃ πάντα ἐφίεται. Bonum est id quod ab omnibus appetitur,* finitore Aristotele. Qui ergo non bonum saltem, sed & summum bonum, & id quidem unice in Christo Iesu situm esse credit, fieri non potest, quin impense Iesum istum amet, esuriat, sitiat, Ps. XLII. 2. quærat omni & prece & pretio, paratus omnia vendere, ut unionem illum, vere unionem, acquirat. Mat. XIII. 46. Sæpe ille privatim & in publico, domi & foris, in otio & in negotio, solus & in consortio, apud animum suum suspiriis inenarrabilibus dicet: Utinam ego D. Iesu tuus, utinam tu meus esses!

XXXIX. III. Non poterit etiam acquiescere nisi in possessione Iesu, neque antea quam possessionis illius certus ac sancte securus sit. Si quis, mercaturam exercens, norit omnes res opesque suas in uno sitas esse navigio, quam solicitos dies noctesque exigit, & ad quamvis coeuntium nubium atritatem, ad quemvis sævientis procellæ impetum, quam trepidus pavet? nunquam securus donec illud quod exspectat navigium in in portu videat. Ita etiam qui firmiter credit in solo Iesu omnem salutem suam esse reconditam, is in continua versabitur inquietudine, donec ipse Iesus animæ suæ dicat, *Salus tua ego sum.* Ps. XXXV. 3. Non audebit in tanti momenti negotio levibus quibusdam ratiunculis, aut male blandi cordis adulationibus niti. Gravius est illud excellenter excellentis gloriæ æternum pondus, quam ut ab arachneo temerariæ imaginationis filo suspendatur.

XL. IV. Is denique communionis suæ cum Iesu certus A. Exsultabit gaudio ineffabili cujus naturam & proprietates alibi descripsimus. B. Iesum illum suum omni ope operaque solicite custodiet, ne quid fortasse intercedat quod jucundissimam Salvatoris sui & salutis in eo fruitionem turbet. Cant. III. 4. C. Liquescet in amore Iesu, & sancte amens non patietur se ab illius amplexibus avelli. Cant. VIII. 6. 7.

XLI. Hos similesque credentis amantisque animæ adversus Iesum affectus eleganti cantico prosecutus est Bernardus, digno certe quod memoriter discatur, & frequenter D. IESU in Spiritu & Veritate occinatur. Quod propterea in eorum gratiam, qui Bernardi Opera non habent, hic dabo. Bernardi suave Canticum.

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lachrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Jesu mi bone, sentiam,
Amoris tui copiam,
Da mihi per præsentiam,
Tuam videre gloriam.
Quem tuus amor ebriat,
Novit quid Jesus sapiat.
Quam felix est quem satiat!
Non est ultra quod cupiat.
Jesu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Desidero te millies
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?
Jam quod quæsivi video,
Quod concupivi teneo.
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.
O beatum incendium,
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Deum Filium!
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio.
Tu mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio.
Tu verum cœli gaudium,
Jesu cordis tripudium,
Tollens omne fastidium,
Mel, nectar, melos, suavium.
Jesu corona Martyrum,
Et flos perennis virginum:
Tu casti cordis lilium,
Tu decertantis præmium.
Exaudi preces supplicum
Nil extra te quærentium.

EXERCITATIO X.
DE
NOMINE CHRISTI.

BREVIARIUM.

1. *Cognomen ſalvatoris Chriſtus eſt.* 2. 3. *Quod Gentiles quidam, vel ignoranter, vel contumelioſe, Chreſtum pronunciarunt.* 4. *Partitio eorum, quæ exponenda ſunt.* 5. *Unctio Chriſti notat Deſignationem illius ad munus Mediatorium, & Collationem Spiritus.* 6. *Sub deſignatione varia continentur.* 7. *Collatio Spiritus tres præcipue gradus habet.* 8. *Quibus trina Davidis unctio quodammodo reſpondet.* 9. 10. 11. *Unctione olim conſecrati ſunt Prophetæ, Sacerdotes, Reges; ſed non omnes, neque ſemper.* 12. *Trino huic Unctorum ordini tripartita muneris Chriſti functio analoga eſt.* 13. *Propheta fuit Chriſtus.* 14. *Prophetarum eſt, Docere, Prædicere, ea quæ dicunt rite Confirmare.* 15. *Omnes has numeris Prophetici partes Chriſtus abſolvit.* 16. *Atque ita quidem ut in ſingulis Divina ejus eminentia eluceat.* 17. *Prophetam egit ab initio, agitque etiamnum.* 18. 19. 20. *Sanctimonia Chriſti, & Miracula, & Mors ad alia etiam officia pertinent.* 21. *Chriſti Sacerdotium Aaronico præſtantius eſt.* 22. *Sacerdotis eſt Offerre, Intercedere, Benedicere.* 23. *Singula accurate præſtitit, præſtat, præſtabit Chriſtus.* 24. *In oblatione Chriſtus eſt Sacerdos, Victima, & Altare.* 25. *Oblationis tres ſunt articuli.* 26. *Illius effectus eſt deletio peccati.* 27. *Interceſſio Chriſti plena Auctoritatis eſt.* 28. *Multaque habet reſpondentia precibus Pontificis Hebræorum.* 29. *Nec quiſquam eo modo alteri benedicere poteſt, quo Chriſtus Sacerdos.* 30. *Quando & qua ratione, Benedicens eo cui benedicitur major ſit.* 31. *Etiam in V. T. Chriſtus quoſdam Sacerdotii actus exercuit.* 32. *Regnum Chriſti vel Divinum eſt, vel Oeconomicum.* 33. *Oeconomicum iterum eſt, vel Poteſtatis Univerſalis, vel Gratiæ, vel Gloriæ.* 34. *Regum eſt Leges ferre, Populum Regere ac Tueri.* 35. *Nihil horum non facit Rex Chriſtus.* 36. *Alio modo verbo ſuo & Spiritu utitur Chriſtus in adminiſtratione Regni, atque in exercitio muneris Prophetici.* 37. *Chriſtus Rex quoque fuit ſub T. V.* 38. *Et in diebus carnis ſuæ.* 39. *Sed maxime poſt aſcenſionem in cœlos.* 40. 41. *Regnum C. eſt æternum.* 42. 43. 44. *Attamen certo reſpectu finem habebit, & tradetur Patri.* 45. 46. 47. 48. 49. *Dici non poteſt quantopere meditatio nominis CHRISTI ad conſolationem eorum omnium faciat, qui ipſum qualis quantuſque eſt, fide recipiunt.*

I. SOspitatoris nostri JESU cognomen CHRISTUS est, Hebraice, משיח, juxta pronunciationem Hellenistarum, *Messias*, Joh. I. 42. Latine, *Unctus*. Qui titulus licet aliis quoque principibus viris, tam e populo Dei, 1 Sam. XXIV. 7. quam e Gentibus Jes. XLV. 1. attributus sit; in Jesu tamen nostro est διαφορώτερον ὄνομα. Heb. I. 4. Quippe qui est משיח נגיד, *Christus Antecessor*, Dan. IX. 25. ἔξοχος ita nuncupatus, *excelsus supra Reges terræ*. Ps. LXXXIX. 28. *qui primas tenet inter omnes*. Col. I. 18.

Cognomen Salvatoris Christus est.

II. Vel ignorantia fuit, vel malitia in plebe Gentili, & quibusdam de seculo scriptoribus, quod Venerandum hoc Domini nostri nomen unius literæ mutatione in *CHRESTUM* transformaverint. Lucianus in *Philopatri*: Εἰ τόχοιγε ΧΡΗΣΤΟΣ καὶ ἐν ἔθνεσι: *Si quidem & CHRESTUS inter gentes fuerit*. Ignorantiam dixerunt *Tertullianus* & *Lactantius*. Quorum ille *Apologet. Cap.* III. in hunc modum scribit: *Quum & perperam Chrestianus pronunciatur a vobis (nam nec nominis est notitia penes vos) de suavitate & benignitate compositum est. Oditur itaque in hominibus innocuis, etiam nomen innocuum: & nunc secta oditur in nomine istius sui Auctoris*. Hic *de Vera Sapient. Lib.* IV, *Cap.* VII. ita infit. *Exponenda hujus nominis ratio est, propter ignorantiam eorum qui eum immutata litera Chrestum solent dicere*. Fortassis ortus est error ex confusione pronunciationis vocalium η. & ι. Æoles enim has sæpe inter se permutare Grammatici tradunt. Ex eadem prava Jotacismi consuetudine factum est, ut Veteres aliquando scripserint χρεῖστος cum dipthongo. Videatur *Huet: Dem: Evang. Propos:* III. *Paragr:* XX. Sed nec malitia abfuisse videtur: tam enim vulgatum in omnium ore genuinum Domini nomen erat, ut, a plurimis saltem, ignorari minime potuerit. Et licet χρηστοῦ vocabulum suavitatem ac benignitatem signet, uti pulchre retorsit Tertullianus, & Christus re vera χρηστὸς fuerit (confer Mat. XI. 30.) subfuit tamen nomenclationi illi convitium ac contumelia. Ita enim eum qui ipsa est benignitas vocabant κατ' ἀντίφρασιν. Quemadmodum & de Pertinace tradit Capitolinus, *Chrestologum* vocatum fuisse, quod bene loqueretur, maleque faceret; blandusque esset verbis, re non item.

Quod Gentiles quidam, vel ignoranter, vel contumeliose, Chrestum pronunciarunt.

III. Huc quoque retulerim *Suetonii* illud in *Claudio*, *Cap.* XXV. *Judæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit*. Etiamsi enim Christus ipse Romæ nunquam fuerit, tamen doctrina Christi ibidem per ejus discipulos disseminata, magnarum litium caussa, certe occasio; esse potuit, nonnullis ex Judæis qui Romæ commorabantur magno eam animo recipientibus, aliis vesano studio ac præfracta contumacia eidem obnitentibus. Ex quibus contentionibus istud Claudii edictum natum est. Neque enim apud scriptores Chrestum ullum insignem virum memorari, præter Chrestum Sophistam Bizantinum;

qui Adriani Imperatoris tempore Romæ Herodis Attici auditor fuit, erudite observatum est a *Marcello Donato* in hunc Tranquilli locum. Cæterum hæc *ἐν παρόδῳ*. Nunc ad Christum nostrum redeamus.

Partitio eorum quæ exponenda sunt.

IV. Ad emphasin hujus nominis rite intelligendam, tria distincte enucleanda sunt. I. Quid unctio, unde Christo nomen est, significet. II. Ad quot ac quæ munera unctus sit. III. Qua ratione fideles omnes ad Unctionis illius, uti & nominis, participationem admittantur. Nam *uti oleum effusum est nomen ejus.* Cant. I. 3. quod non sibi tantum retinet, sed & cum *consortibus suis* Ps. XLV. 8. gratiose communicat.

Unctio Christi notat Designationem illius ad munus mediatorium, & Collationem Spiritus.

V. Unctio Christi duo notat. I. *Designationem* ipsius ad munus Mediatorium. *Neque enim ipse sibi hunc honorem tribuit ut fieret Pontifex.* Heb. V. 4. sed Deus eum *ὥρισε*, *definiit*, Act. XVII. 31. II. *Collationem donorum* Spiritus Sancti, qui *non ad mensuram* ipsi concessus est. Joh. III. 34. Jes. LXI. 1. Act. X. 38. Utraque sua distinctim momenta ac periodos vel gradus quosdam habet.

Sub Designatione varia continentur.

VI. Sub Designatione continentur. I. Præcognitio, Præordinatio, sive Prædestinatio Filii Dei in Mediatorem, quæ ab æterno facta est. I. Pet. I. 20. Et sane si nos *in Christo electi* simus *ante jacta mundi fundamenta.* Eph. I. 4. uti servandi per Christum; necesse est Christum una nobiscum electum esse, uti servatorem nostrum. Conf. Jes. XLII. 1. II. Promissio Christi in Prophetiis, illiusque tam accurata delineatio, ut quam primum in mundum venit, mox pro eo qui erat, ab iis qui consolationem Israëlis exspectabant, & ad ipsum attendebant, agnosci potuerit. *Hunc enim Pater, Deus, obsignavit.* Joh. VI. 27. Id est, hunc ita delineavit per certa gnorismata, talesque ei notas ac *cælaturas* impressit, Zach. III. 9. ut iis *definitus fuerit υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει.* Rom. I. 4. III. Introductio Christi ad munus mediatorium, per missionem in mundum, Ioh. X. 36. IV. Testificatio Patris de Filio, per vocem e cœlo delatam. Cujus tria exempla habemus. I. In Baptismo ad Iordanem. Mat. III. 17. Ioh. I. 32—34. II. In monte Sancto, Mat. XVII. 5. III. Quum passionis suæ horam præsentisceret. Ioh. XII. 28. Omnia hæc generali Unctionis notione comprehenduntur. Certe æterna Præordinatio, cujus executio duntaxat & declaratio reliqua sunt, disertim *unctio* nuncupatur. Prov. VIII. 23. *Ante seculum inuncta fui, ante principium, ante primordia terræ.*

Collatio Spiritus tres præcipue gradus habet.

VII. Ad alteram Unctionis partem refero. I. Plenitudinem illam Spiritus qua humana Christi natura a prima nativitate ipsisque incunabulis impertita est, per *σκήνωσιν*, sive inhabitationem Divinitatis in assumta carne. Col. I. 19. & II. 9. Cujus stupenda quædam indicia in Puero duodecenni emicuere, & cum ætate luculentiora facta quosvis admirabilitate sua perculerunt. Luc. II. 47 52. II. Collationem indulgentissimam

tissimam eorum donorum Spiritus, quibus in publica muneris sui functione probaturus erat se promissum Messiam esse, cæterisque salutis, vel actoribus quadantenus, vel præconibus, qui ante ipsum fuerant, immensum quantum antecellere. Huc facit descendentis in ipsum Spiritus, sub columbæ specie, emblema, quum per Baptismum Johannis, Patrisque testimonium, publice muneri suo inaugurarettur. Mat. III. 16. III. Summum illud gloriæ ac lætitiæ fastigium, ad quod, in præmium laborum suorum, evectus est, post resurrectionem e mortuis, & adscensionem in coelos. Eo nos ducunt verba Ps. XLV. 8. *Dilexisti justitiam, & odisti improbitatem*, omnes commissi tibi muneris partes consummate implesti, על כן, *propterea* in præmium meritorum tuorum, *unxit te, o Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, ornavit te eximia gloria & glorioso gaudio, *præ consortibus tuis:*

VIII. Tribus hisce unctionis gradibus respondere quodammodo videtur trina Davidis Unctio. I Bethlehemi per Samuelem, vivente adhuc & regnante Saule. I Sam. XVI. 13. A quo tempore aliquamdiu privatus vixit. II. Hebrone, quum inungeretur in Regem Iudæ, mortuo Saule. 2 Sam. II. 4. Quo tempore Regnum quidem actu capessebat, ita tamen ut plurima ei cum domo Saulis subeunda fuerint certamina. III. iterum Hebrone, quum universali Populi consensu totius Israëlis Rex declararetur, familia Saulis omni potestate exuta. 2 Sam. V. 3. qua unctione confirmatus arcem Sion occupavit. Ita etiam Dominus unctione Spiritus delibutus fuit: jam tum quum privatus ageret. Cæterum ampliore ejusdem mensura donatus est, quum actu ipsi adeunda Mediatorii muneris functio erat, qua defungi non poterat sine maximis certaminibus. At postquam resurrectione se sua hostium omnium Victorem ac Triumphatorem esse demonstravit, oleum gaudii sine mensura in caput ipsius effusum, & *Sceptrum robustum suum Sione emissum est*. Ps. CX. 2. Huc, nisi fallor, Petrus collimavit, quum diceret, Act. II. 36. *Certo sciat igitur tota domus Israëlis, quod Deus hunc fecerit Dominum & Christum, hunc ipsum, inquam Jesum, quem vos crucifixistis.*

Quibus trina Davidis unctio quodammodo respondeat.

IX. Munera, quibus unctione sua initiatus est Dominus, tria sunt, juxta trinum eorum ordinem, quibus, ex instituto Dei, antiquis temporibus unctio quandoque obtigit. Ii erant *Primo Prophetæ*, uti ex exemplo Elisæi colligi solet. I Reg. XIX. 16. *Elisæum, Filium Saphati, Abelmecholanum ungito in Prophetam loco tuo:* De qua tamen unctione Elisæi in Prophetam, ut & Hazaëlis in Regem Syriæ, & Iehu in Regem Israëlis, disquirunt eruditi, utrumne ea proprie, & ad literam; an figurate, ac καταχρηστικῶς, pro designatione, creatione, declaratione, interpretanda sit. Sunt quibus posterius placet. I. Quia nusquam legitur, vel Hazaëlem, vel Elisæum unctos ab Elia esse. Iehu quidem unctus

Unctione olim consecrati sunt Prophetæ, Sacerdotes, Reges; sed non omnes neque semper.

est, sed non ab Elia, imo ne ab Elisæo quidem, verum ab Elisæi Discipulo, idque cursim admodum ac perfunctorie. II Reg. IX. II. Quia Elias mandatum Dei erga Elisæum exsequens non dicitur eum unxisse, sed pallium suum ei injecisse. I Reg. XIX. 19. III. Quia unctionis Propheticæ proprie dictæ nullum alibi vel mandatum vel exemplum exstat. Ita post *Theodoretum*, *Abulensem*, *Salianum*, aliosque *Cornelio a Lapide* citatos, *Piscator* noster. Sed opponi potest. I. Non esse a proprio atque usitato vocis significatu recedendum, nisi urgente necessitate; quæ hic nulla est. II. Non idcirco non unctos ab Elia esse illos quos ungere jubetur, quia nuspiam id factum esse memoratur: quum ne id quidem memoretur, quod Hazaëlem ac Jehu Reges Syriæ & Israëlis renunciaverit: quod tamen supponitur. III. Duram admodum *κατάχρησιν* fore, si designatio Prophetæ unctio dicatur, & tamen in creatione Prophetæ unctio proprie dicta nunquam fuerit adhibita. Absurde enim quis Consules Romanos ad Consulatum unctos diceret. IV. Nihil obstare quo minus credamus plus una ceremonia Elisæum in Prophetam allectum fuisse. Nam uti hactenus non male Sanchez, *unctio* (inquit) *Elisæum fecit Prophetam*, *pallium*, *Eliæ contubernalem*: quanquam & alias hic Prophetarum habitus fuisse videatur. Zach. XIII. 4. Quod addit, *& Monachum*, ridiculum atque ineptum est. V. Interim unctionem Propheticam perpetuam atque universalem fuisse, non est quod temere asseramus. Sufficit nobis hoc mandatum; sive extra ordinem illud esse existimemus, sive suetum satis in simili occasione.

X. *Præterea* uncti quoque jussu Dei *sacerdotes* sunt. Exod. XXX. 30. *Aaronem quoque & filios ejus ungito; ita sanctificaveris eos ut sacerdotio fungantur mihi.* Quod præceptum ita intelligendum esse Judæorum Magistri sciscunt, ut in filiis Aaronis omnes eorum posteri, gregarii sacerdotes, uncti esse censeantur, sine repetita unctione singulorum qui defunctis in sacerdotio succedebant. Cæterum, Pontifex novus in initiatione muneris sui semper ungebatur, uti & ille Sacerdotum quem משוח מלחמה, *unctum belli caussa* (ex lege Deut: XX. 2.) vocitant. Hanc vero unctionem tantummodo ad templi primi ævum pertinere volunt. Fieri enim debuit eo unguento sacro quod ex præscripto numinis Exod. XXX: conficiebatur, cuique simile facere severo interdicto vetitum est. vers. 33. Ajunt autem Talmudici, adhibitum illud initiationi consecrationique fuisse, usque ad tempora Josiæ, qui illud in templo recondidit, sub humum, in loco abdito secretoque, quem diu ante summa cura Rex Salomo paraverat, quum ex vatum responsis didicisset, futurum olim uti templum ab Assyriis solo æquaretur, Vide sis *Cunæum*, *de Republ: Hebr. Lib.* I. *cap.* XIV. & *Outrannum de Sacrific. Lib.* I. *Cap.* V. §. VII. *Seldenum de success. in Pontif. Lib.* II. *Cap:* IX. Sed imprimis *Simeo-*

nis de Muis varia sacra, in quibus exhibet prolixum commentarium *Aberbenelis* in Exod.xxx. ubi de modo ungendi sacerdotes expresse disseritur.

XI. Denique Unctione consecrati sunt Reges: de qua fuse & docte disseruit *Guilielmus Schickardus, de jure Regio.* Non tamen omnes Reges unctos esse Thalmudici docent, sed eos tantum qui vel primi fuere in sua familia, vel competitores regni habebant. Ob priorem rationem uncti sunt Saul, David, &c: Alii propter adversam factionem: ita unctus est Salomo ob factionem Adoniæ, Joas ob Athaliæ, & Jehu ob Jorami. quamvis & hic regiam dignitatem primus in familiam suam intulisse videatur. Id interim a Sapientibus se accepisse recentiores Magistri tradunt, Reges Israëlis, qui, secessione a Judæis facta, sedem imperii Samariam tenebant, haut delibutos illo oleo fuisse quod ex edicto numinis confectum a Mose erat: quare Eliam non nisi balsamo vulgari usum esse, quum Josaphati filium Jehu ungeret.

XII. Juxta triplicem hunc unctorum ordinem, tripartita etiam muneris Christi functio fuit. De unctione *Prophetica* sermo est Jes. LXI. quod oraculum ipse sibi Christus vindicat. Luc. IV. 12. 16. De *Sacerdotali* unctione agitur, Ps. cx. 4. coll: cum Heb. v. 4. 5. 6. Dan. IX. 24. 26. ubi agitur de *ungendo Sancto Sanctorum,* id est, Christo, cujus unctio per unctionem sanctuarii & arcæ præfigurata fuit, de exscindendo Messia, & de fœdere per Messiæ excisionem firmando. De unctione *Regia* constat ex Ps. II. 6. De munerum horum ordine, & cujus mediatio præmittenda sit ut disputemus vix operæ pretium est. Nam singulorum exercitia ita sibi invicem innexa fuere, ut non tam tempore quam natura distinguenda sint.

Trino huic Unctorum ordini tripartita muneris Christi functio analoga est.

XIII. A *Prophetico* igitur munere pro more ordiamur. Prophetam, fuisse Christum, Mosi non partem modo, sed & majorem, qui *verba Dei locuturus erat,* quæ Deus sibi ipsi reservaverat ultimis temporibus dicenda, *quæ non liceat* nudo *homini loqui* 2 Cor, XII. 4. (confer Jo. III. 34.) colligitur ex Deut. XVIII. 18. col: cum Heb. III. 5. & Act: III. 23. Adde Jes. XLII. 1. Joel: II. 23. Joh. VI. 14. & Heb. III. 1. ubi Apostolus τῆς ὁμολογίας ἡμῶν nuncupatur: quem nos confitemur Doctorem a Deo missum esse qui ea docet quæ & corde credenda sunt ad justitiam, & ore confitenda ad salutem, & cui adstipulari debemus in omnibus; in illius verba jurantes, ei Amen dicentes dum facimus fœdus cum Deo. conf. 2 Cor. IX. 13.

Propheta fuit Christus.

XIV. Partes Prophetici muneris tres sunt I. *Docere* viam salutis. II. *Vaticinari,* sive futura, cœteroquin arcana, prædicere. III. Doctrinam ac vaticinia sua rite *confirmare,* eximia quadam vitæ sanctitate, &, si res ita ferat, miraculis, atque martyrio.

Prophetarum est, Docere, prædicere, ea quæ dicunt rite Confirmare.

XV. Nihil horum est quod non accuratissime a Christo præstitum sit.

Omnes has muneris

Prophetici Partes Christus absolvit.

sit. Nam I. Mysteria regni cœlorum, arcanumque Dei de salute nostra consilium, luculentissime edisseruit. Joh. XV. 15. XVII. 8. II. Novæ Ecclesiæ fata, ad extremum usque diem, prophetiis suis delineavit. Mat. XXIV. & XXV. Apoc. I. I. III. Universum ministerium suum confirmavit. A. Intaminatissimæ sanctimoniæ, tam in vita, quam in morte, exemplo, nec exemplo tantum, sed & exemplari. I Cor. XI. I. I Thess. I. 6. I Pet II. 21. B. Stupendis Miraculis, quibus par aut simile nemo unquam conspicatus est. Luc. VII. 14. 15. 16. Mat. XI. 3. 4. 5. C. Martyrio mortis suæ. quo respexit Apostolus I Tim. VI. 13. Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ μαρτυρήσαντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τὴν καλὴν ὁμολογίαν. Et hac Emphasi videtur dici Jesus Christus, Apoc I. 5. ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, *primogenitus ille ex mortuis. Gregorio Nazianzeno in Oratione* XVIII. Christus dicitur πρῶτος μάρτυς, *primus martyr.* Et ne honori Christi quicquam decedere videretur, Lugdunenses & Viennenses olim ὁμολόγους se quam martyras dici voluerunt. *Euseb. Histo. Eccl. Lib.* V. *Cap.* XV.

Atque ita quidem ut in singulis Divina ejus eminentia eluceat.

XVI. Non debet hic nobis indicta manere Christi in singulis Prophetici muneris partibus præ cæteris Prophetis eminentia. Nam *Doctrinam* si spectes, non modo *eructavit occulta inde a prisco tempore.* Ps. LXXVIII. 2. *revelavitque mysteria quæ a temporibus secularibus tacita fuerunt.* Rom. XVI. 25. & quæ ipse non aliunde didicerat, sed in sinu Patris viderat. Joh. I. II. & III. 32. VIII. 38. 40. Sed & per Spiritum intus docuit ac *mentem suorum aperuit ut intelligerent Scripturas.* Luc. XXIV. 45. *Prophetias* non ex alieno instinctu afflatuve proferebat, sed, ex Deitatis corporaliter in ipso habitantis plenitudine, futura omnia per se calluit, aliosque Prophetas per Spiritum suum condocefecit. I Pet. I. II. *Vitæ sanctimonia* nulla labe taminata fuit. 2 Cor. V. 21. *Miracula* suapte virtute patravit. Alii ipsius nomine ac potentia. Act. III. 6. 12. 16. Mortis corporalis *Martyrio* æternæ mortis dolores accesserunt. Mat. XXVI. 38. XXVII. 46. quod in aliis martyribus secus fuit, quibus in mediis tormentis cœlestium gaudiorum non parca plerumque prælibatio concedebatur.

Prophetam egit ab initio agitque etiamnum.

XVII. Porro non eo solum tempore Prophetam egit quo in terris versatus est, sed & ab initio: subinde ad præludium incarnationis in visibili specie familiares suos erudiens. Gen. XVIII. Olimque in Spiritu profectus antiqui etiam mundi incolis prædicavit. I Pet. III. 18. Hinc *a principio, non in occulto locutus* esse dicitur. Jes. XLVIII. 16. & etiamnunc per Spiritum, per Scripturas, per ordinarium Ecclesiæ ministerium, Ecclesiam instruit. 2 Cor. V. 20.

Sanctimonia Christi, & Miracula & Mors ad alia etiam officia pertinent.

XVIII. Sciendum autem, ea quæ de Sanctimonia vitæ Christi, & Miraculis, ac Morte diximus, ita ad Propheticum ipsius munus pertinere, ut alio respectu ad cætera etiam officia referantur. Nam Sanctimonia quidem

quidem Christo, uti Prophetæ, binas ob caussas necessaria fuit. I. Ut non verbis solum sed & factis doceret, se ipsum in exemplar proponens. Mat. XI. 29. II. Ut fidem faceret Doctrinæ quidem suæ in universum, sed illi imprimis parti, qua se Messiam, & Filium Dei, & mundi Sospitatorem esse profitebatur. Quod esse sane non poterat, nisi ab omni labe purus. Joh. VIII. 28. 29. 46. Sed & eadem Sanctimonia ad Sacerdotale officium binas itidem ob caussas requirebatur. I. Ut purus Sacerdos pura Deoque placens Victima esset. Heb. VII. 26. II. Ut omnem Legis justitiam qua Sponsor noster implens, nostræ justitiæ defectum suppleret, & jus nobis ad vitam æternam acquireret. Rom. V. 19. Denique & ad Regium Christi munus pertinet, quod sine sanctitate & justitia nequaquam administrari potest. Ps. XLV. 7. LXXXIX. 15. XCVI. 10.

XIX. Idem de *Miraculis* Christi est observandum. Nam præterquam quod in genere testarentur eum Messiam esse, olim Patribus promissum, nunc a Patre missum. Joh. V. 36. & X. 25. Quatenus iis Doctrinæ a Christo prædicatæ Veritas adstruebatur, ad Propheticum munus spectant: Luc. XXIV. 29. in quantum iis inerat ablatio temporalis miseriæ, & collatio corporalis boni, quæ typi erant spiritualis sanationis a peccato, Mat. VIII. 17. coll. Jes. LIII. 4. referenda sunt ad munus Sacerdotale. Denique in quantum verbo potentiæ suæ & ventis, & mari, & morbis, & morti, & ei qui mortis imperium habet, Dæmoni, imperitabat, indicia erant Potestatis Regiæ, cui quicquid est dicto audiens esse cogitur.

XX. Denique mors Christi, licet ad Propheticum munus referatur, quatenus Martyrium est: maxime tamen ad Sacerdotium pertinet, quippe in qua est oblatio Christi, & ablatio nostrorum peccatorum: uti mox docebimus.

XXI. Quia non sufficiebat salutem nobis annunciari, nisi & impetretur ac procuretur: hinc necesse fuit, Christum non PROPHETAM modo sed & SACERDOTEM esse. Uti Sacerdotium, quovis Aaronico longe præstantius, a Paulo ipsi vendicatur. Heb. VII. 20. 21. 22. VIII. 6.

Christi Sacerdotium Aaronico præstantius est.

XXII. Sacerdotis autem officium in genere est, in iis esse *quæ apud Deum agenda sint* in commodum populi. Heb. V. 1. Specialius tria complectitur. I. Dona & victimas *offerre* pro peccatis. Heb. V. 1. II. *Intercedere* pro populo. Joel. II. 17. Quod imprimis incumbebat Pontifici festo expiationis die, quando cum thuribulo & sanguine sacri hirci intrabat in Sanctum Sanctorum. Levit. XVI. 12. 15. III. *Benedicere* populo. Num. VI. 23. Deut. XXI. 5. I Chr. XXIII. 13. Si Hebræorum Doctoribus fas sit credere, fuit in iis precibus quas Expiationis die fundebat Pontifex notabile aliquid, quod hic non videtur prætereundum. Narrant tres distinctas precum formulas fuisse, quibus Pontifex in Sacro illo

Sacerdotis est, offerre, intercedere, benedicere.

anniversario utebatur. Primo *pro se* orabat, dein pro *suis*, atque universa familia Aaronica, denique pro *toto populo*. Prima oratio fiebat juxta juvencum piacularem, hac formula, *Obsecro Domine, peccavimus, deliquimus, rebellavimus in conspectu tuo, ego, & familia mea, & filii Aaronis, populus tuus sanctus. Obsecro, Domine, remitte nunc peccata, delicta, & rebelliones, quibus peccavimus, deliquimus, & rebellavimus in conspectu tuo, ego, & familia mea, & filii Aaronis, populus tuus sanctus. Sicut scriptum est in Lege Mosis servi tui, ubi dictum est, in hac die expiatio erat vestri, & mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini.* Cui Pontificis orationi Sacerdotes ita respondebant: ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד, *benedictum sit nomen gloriæ regni ipsius in seculum, & sempiternum.* Altera formula, quæ adhibebatur circa hircum in desertum abducendum, Pontifex pro toto orabat populo: consimili carmine. Quibus precibus populus una cum sacerdotibus respondebat, uti supra. Tertia oratio fiebat, quando Pontifex in adytum intrabat, ut suffitum faceret, adytumque densa nube impleret: tunc pededentim retrogradiens, ita populum Deo commendabat. *Placeat tibi, Domine Deus, ut si hic annus calidus fuerit, idem quoque sit pluvius: ut ne discedat sceptrum a familia Judæ; nec victu careat populus tuus Israëliticus, irritæque ut sint impiorum preces.* Non frustra hæc a nobis observata esse, sequentia docebunt.

Singula accurate præstitit, præstat, præstabit Christus.

XXIII. Nihil horum est quod non exacte Dominus præstiterit. Quippe *qui misericors & fidelis Pontifex est, in iis quæ apud Deum peragenda sunt, ad expiandum peccata populi* Heb. II. 17. Nam. I *Per Spiritum æternum se ipsum OBTULIT inculpatum Deo, ut sanguine suo emundaret conscientiam a mortuis operibus.* Heb. IX. 14. *Unicaque oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur,* Heb. X. 14. II. ORAVIT pro suis in terra. Joh. XVII. 10. Et etiam nunc pro iis orat in cœlis: Rom. VIII. 34. *comparens apud faciem Dei pro nobis,* non cum alieno sanguine, sed suo, intercessionem suam fundans in dignitate ac virtute oblationis suæ. Heb. IX. 24. 25. III. Plus quam Sacerdotalem BENEDICTIONEM suis impertit, non moriens solum in cruce; Gal. III. 13. vel jam adscensurus in cœlum; Luc. XXIV. 51. sed præcipue regnans in cœlesti solio. Eph. I. 3. plenissime tamen in extremo judicio. Mat. XXV. 34.

In oblatione Christus est Sacerdos, Victima, & Altare.

XXIV. In oblatione *Sacerdos* est Christus Θεάνθρωπος: maxime secundum Divinam naturam, & vim indissolubilis vitæ. Heb. VII. 16. *Victima*, idem Christus, maxime secundum humanam naturam. Heb. X. 10. Cui tamen Divinitas personaliter unita dignitatem ac valorem contulit. Quippe per quam factum est ut non nudi hominis, sed *Dei sanguis* libaretur. Act. XX. 28. *Altare* nonnulli Divinitatem Christi esse dicunt, alii crucem. Nobis utrumque verum esse videtur, pro duplici olim altaris usu: qui erat I. Sustinere Victimam Deo cremandam. II. Eam Sanctificare,

quod non per se faciebat, sed per ignem sacrum, qui coelitus delapsus Sacrosancti Spiritus typus ac figura erat. Priori respectu altare dici potest, imo debet, crux, in quam Christus sursum elatus fuit. 1 Pet. II. 24. Joh. XII. 32. 33. Posteriorem σχέσιν habuit ipsa Christi Divinitas, & Spiritus ejus æternus, per quem inculpatum se Patri stitit. Heb. IX. 14. Et hoc pacto conciliari possunt Annotatores Belgæ, modo crucem, modo Divinitatem Christi, sacrificii hujus altare fuisse, asserentes. Confer. *Notas ad* Ps. CX. *Num.* 19. *cum ad Heb.* XIII. *N.* 15.

XXV. Oblatio ipsa consistit in passionibus & morte Christi: quod invicte concluditur ex Apostoli argumentatione Heb. IX. 25. 28. Flammæ quibus crematus est sunt zelus Divinæ gloriæ, & immensa adversus fratres charitas. Ps. LXIX. 10. quibus accessit baptismus ignis accensi ab ira Dei adversus peccata nostra. Luc. XII. 50. Cæterum in hac oblatione Christi tres articuli distincte considerari possunt: sicuti & in reliquis sacrificiis. Illa enim *viva* primum offerebantur ad ostium tentorii conventus, Lev. I: 2. 3. deinde ad honorem Dei *mactabantur*, & imponebantur altari, vel in totum vel ex parte consumenda igne; denique *sanguis* quorundam deferebatur in *intimum adytum*. Ita etiam Christus seipsum obtulit I. *Vivus* etiamnum ac valens: quando sua sponte eo proficiscebatur, unde se ad judicium, mox ad crucem, uti victimam piacularem, ductum iri sciebat. Luc. XVIII. 31. atque ad mortem imminentem ultro se sistebat Deo. Hoc est quod dicit: Joh. XVII. 18. ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτόν. *pro iis ego me ut victimam Deo offero.* Nam קדש, sive ἁγιάζειν, *sanctificare*, idem quandoque quod προσφέρειν, sive *offerre*, valet. Lev. XXII. 2. 3. Deut. XV. 9. Nec aliam commodam significationem hoc in loco recipit. Optime *Chrysostomus* hæc verba, ἁγιάζω ἐμαυτὸν, exponit, προσφέρω σοὶ θυσίαν. II. *Patiens & moriens*, & sanguinem suum fundens, uti explicatum est modo, inque eum finem extra Hierosolymam eductus, uti extra castra & urbem cremandæ erant eæ victimæ, quibus maxime adumbratus fuit. Heb. XIII. 11. 12. III. Sanguinem suum, sive animam a corpore separatam, (sanguis enim pro anima est) in sanctuarium sine manibus factum, id est, cœlum ipsum inferens, ac Patri suo sistens. Heb. IX. 12. Christus enim non ut Pontifex solum in cœlis est, sed & ut *agnus mactatus.* Apoc. V. 6. Quem Christi in cœlestia adyta ingressum, ut sanguinem ibi suum, in signum mactatæ victimæ, sisteret, non video cur ad oblationem ejus pertinere negemus.

Oblationis tres sunt articuli.

XXVI. Finis atque effectus oblationis, est plena peccati nostri expiatio ac deletio. Heb. I. 3. 1 Joh. III. 2. Ita quidem ut neque imputari ad pœnam fidelibus queat, quod & olim habebant vi sponsionis Christi, & oblationis suo tempore consummandæ: neque chirographi exactio, aut reatus, ut nondum expiati, in repetitione victimarum confessio,

Illius effectus est deletio peccati.

locum post hæc inveniant; qui fructus consummatæ oblationis est. Col. II. 14. Heb. x. 2.

Intercessio Christi plena auctoritatis est.

XXVII. Intercessio Christi non est nuda pro nobis deprecatio, non absimilis ei quam fideles sibi invicem debent. Sed est gloriosa illius Christi voluntatis qua sanctificamur repræsentatio, nixa dignitate personæ, efficacia oblationis, virtute justitiæ pro nobis consummatæ, & sacro fœdere quo jus ipsi partum est non modo gratiam aliquam pro nobis orandi, sed & *poscendi gentes in hæreditatem suam* Ps. II. 8. poscendi, inquam, uti debitam *mercedem*, & *operæ pretium*. Jes. XLIX. 4. Unde cum auctoritate aliqua, quæ cæteris omnibus præter Filium Dei, & tam præstantis pacti sponsorem, indecora foret, dicit, Joh. XVII. 24. *Pater, quos dedisti mihi*, θέλω, *Volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum.* Estque adeo hæc intercessio tantæ dignitatis, auctoritatis, atque efficaciæ, ut non magis in alium transscribi queat, quam ipsa peccatorum nostrorum expiatio, cui innititur, & quacum individuo comitatu jungitur. I Joh. II. I. 2. Est enim opus θεανδρικόν, ad quod concurrit non solum voluntas humana Christi, per repræsentationem juris quæsiti, & orationem ex sympathia nostrarum infirmitatum: sed & voluntas Christi Divina, audientiam & exanditionem præstans.

Multaque habet respondentia precibus Pontificis Hebræorum.

XXVIII. Cæterum observanda hic est convenientia precum Christi cum illis, quas Hebræorum Pontificem, die Expiationis, fudisse memoravimus. Sicuti enim illi *trina* attribuitur oratio, ita etiam Christum in novissima parte functionis suæ sacerdotalis, *ter* præcipue orasse deprehendimus. Primo quando jam in procinctu erat ut se offerret. Joh. XVII. Dein in ipsis passionibus suis, quæ simul sumtæ oblationem ejus constituunt: repetitis aliquoties vicibus: sed quæ in unam formulam contrahuntur, Ps. XXII. Denique postquam intravit in sanctum sanctorum sine manibus factum. Ubi intercessione sua impetrat, ut Ecclesia in æstu persecutionum, rore ac pluvia spiritualium consolationum refocillata, *similis sit horto irriguo.* Jer. XXXI. 12. ut regnum suum spirituale perpetuum sit, *quamdiu erit Sol, & durante Luna in generationem æternam.* Ps. LXXI. 5. ut *anima sacerdotum irrigetur pinguedine, & populus suus bonitate sua saturetur.* Jer. XXXI. 14. Denique ut cassa successu sint omnia hostium vota atque conamina. Jes. LIV, 14—17. In illa quoque Oratione Christi quam Johannes memorat Cap. XVII. eum ordinem tenuisse Christum deprehendimus, ut primo *pro se* oraret, vers. I — 5. dein *pro Apostolis*, qui singulari modo *sui* erant, & quasi *familiam* ipsius constituebant. vers. I. & seq. denique *pro toto populo*, omnibusque credituris. vers. 20. & seq.

Nec quisquam eo modo alteri benedicere

XXIX. Similiter Benedictio Christi Sacerdotalis toto genere distat ab illa qua vel pii, sibi invicem, vel Antecessores, Ecclesiæ, fausta omnia apprecantur

precantur. Hæc enim nudis verbis, animique bona voventis sinceritate consistit, & obsecratio Dei est, ut hominibus benefaciat. Illa vero ipsis factis absolvitur, ac reali communicatione spiritualium bonorum, quæ non ab alio petit, sed ex iis quæ sua sunt sumit, ut impertiat nobis. Ezech. XLV. 18. מאחזתו ינחיל ארת בניו *ex iis quæ ipse possidet hæreditatem dabit filiis suis.* conf. Joh. XVI. 14. 15. potest quo Christus Sacerdos.

XXX. De illiusmodi Benedictione liquido verum est illud Apostoli Heb. VII. 5. *Sine ulla controversia, id quod minus est, ab eo quod majus est benedicitur.* Qui aphorismus, quum universalis non sit, restringi ad eam Benedictionem debet, qua Benedicens, Christum, is cui benedicitur, Ecclesiam vel membrum illius, repræsentat. Qualis erat typica illa Benedictio qua Sacerdotes ex mandato Dei benedicebant populo. Neque enim eo modo populus benedicebat Sacerdoti, vel Sacerdotes Pontifici. Quando, & qua ratione, Benedicens eo cui benedicitur major sit.

XXXI. Præludia quædam muneris Sacerdotalis etiam in Veteri Testamento Christus exhibuit, Nam I. Qua Sponsor peccata electorum in se suscepit expianda suo tempore. Ps. CXIX. 122. & *mactatus* est, in victimis, quæ oblationis suæ typi erant, *inde a jacto mundi fundamento.* Ap. XIII. 8. indeque consecuti justificationem cæteraque bono salutaria ejus temporis fideles sunt. Heb. XI. 7. 6. II. Virtute Sponsionis illius intercessit etiam pro fidelibus. Zach. I. 12. 13. III. Cunctarum Benedictionum, quæ in V. T. ecclesiam redundarunt, unicus fons est. Prov. VIII. 18. 21. Etiam in V. T. Christus quosdam Sacerdotii actus exercuit.

XXXII. Ad REGIAM nunc Christi dignitatem transeamus. Ubi omnino distinguendum est *Regnum* Christi *Divinum, Naturale & Essentiale,* quod qua Deus cum Patre & Spiritu Sancto commune habet, a *Regno Personali, Oeconomico, Mediatorio,* quod ipsi soli a Patre demandatum est: ita tamen ut non tam reipsa hæc regna differre statuamus quam certo quodam respectu & appropriatione. Nam illud regnum Christo qua Deo competit; hoc qua Θεανθρώπῳ: illud cunctas creaturas complectitur, quatenus a Deo ut universi Domino, tam in genere entis, quam moris, dependent; hoc specialem respectum habet ad Ecclesiam. Verumtamen tantæ dignitatis atque eminentiæ est regnum Christi Oeconomicum, ut non-Deo competere non possit, regnumque ejus Divinum supponat vel includat. Regnum Christi vel Divinum est, vel Oeconomicum.

XXXIII. Regnum Mediatorium, de quo hic nobis est agendum, considerari potest trifariam. I. Ut Regnum *Potestatis* in omnia, ne Angelis quidem exclusis, sive bonis, sive malis: attamen cum certo respectu ad Ecclesiam, quatenus creaturis omnibus in commodum Ecclesiæ utitur. Mat. XXVIII. 18. Eph. I. 20. 21. 22. Phil. II. 9. 10. 11. II. Ut regnum *Gratiæ*, quod exercetur in Ecclesia militante: Oeconomicum iterum est, vel Potestatis Universalis, vel Gratiæ, vel Gloriæ.

cujus cum *externa forma* spectanda est, consistens in congregatione visibilis coetus, per ministerium a Christo institutum, quo sensu illi quoque in regno Christi sunt, qui regi mentiuntur, & fraudulenter se ei subjiciunt. Mat. XIII. 47. & VIII. 12. tum *interna*, quæ est mystica ac spiritualis fidelium sub Christo ut Domino ac capite subordinatio, in justitia, & pace, & gaudio, per Spiritum Sanctum. Rom. XIV. 17. III. Ut regnum *Gloriæ*, quod exercetur circa Ecclesiam triumphantem in coelis: nunc quidem inchoate, quoad animas; Heb. XII. 23. postea consummate, quoad integras personas. 1 Cor. XV. 54. 55.

Regum est Leges ferre, Populum Regere, ac Tueri.

XXXIV. Regis officium tribus potissimum partibus absolvitur. I. Ut justas sanctasque *Leges* subjectis sibi populis *præscribat*. II. Ut juxta leges istas populum *regat*, gubernet, judicet. III. Ut suos adversus quoscunque hostes fortiter *tueatur*, ac defendat.

Nihil horum non facit Rex Christus.

XXXV. Neque hic vel sibi, vel suis, unctus Domini deest. Etenim I. Eo ipso quia rex est, Legislator etiam populi sui est. Luc. 41. 46. Joh. XIII. 34. & XV. 17. Non novam legem promulgando quæ Mosaica sanctior sit, cuique uti perfectiori promissio vitæ æternæ sit addita: (nam, & Mosaica lex ab eodem Rege Christo, uti mox ostendemus, promulgata est, & sanctitatem ad Divinæ instar compositam, id est, consummatissimam, poscit; & nos æternam vitam non exspectamus nisi virtute illiusdem legis, quatenus ei per Christum satisfactum est) sed eandem legem inculcando, in novæ vitæ & gratitudinis normam. Mat. XXII. 37. 38. 39. II. Secundum leges istas populum, Juste, Sancte, Sapienter, Clementer Regit: Ps. XLV. 7. totumque orbem habitabilem aliquando judicaturus est. Act. XVII. 31. III. Potenter suos Tuetur, ac, nequicquam adversantibus inferorum portis, de omnibus hostibus triumphare facit. Mich. V. 3. 4. Mat, XVI. 18. Joh. X. 28. 2 Thes. III. 3. Rom. VIII. 37.

Alio modo verbo suo & Spiritu utitur Christus in administratione regni, atque in exercitio muneris Prophetici.

XXXVI. In Regni administratione Verbi quoque & Spiritus sui opera Christus utitur; verum alio modo atque σχέσει quam in exercitio muneris Prophetici. Ibi enim verbo suo *docet*: ut המורה לצדקה, *Doctor ille ad justitiam.* Joel. II. 27. hic *jubet*: ut נגיד ומצוה לאמים, *Dux & qui præcepta dat nationibus.* Jes. LV. 4. Ibi spiritu suo *mentes illuminat ad intelligendam* veritatem: Luc. XXIV. 45. hic *corda flectit*, omnesque tam animi quam corporis facultates præsto esse facit ad obedientiam. Jer. XXXII. 39. 40.

Christus Rex quoque fuit sub V. T.

XXXVII. Negari sane non potest, quin multo illustrius sit regnum Christi sub Testamento Novo, quam sub Veteri. Id adeo verum est, ut Novi Testamenti conditio propterea ἀντονομαστικῶς *regnum cœlorum* passim in Evangelio dicatur, & Prophetæ, de eo tempore vaticinantes, *Jehovam* tunc *regnum capessere* narrent. Ps. XXII: 29. XCVII: 1. XCIX: 1.

Attamen

Attamen sub V. quoque T. Filius Dei Rex Israëlis fuit. Jud. VIII. 23. Regem se præstitit. I. Quum in amplissima populi panegyri e medio tonitruum ac fulgetrorum igneam legem tulit: Act. VII. 38. col, cum 35. Psl. LXVIII. 8. 9. col. cum Eph. IV. 8. Heb. XII. 26. II. Quum universam illam Hierarchiam Seniorum, Sacerdotum, Pontificum instituit, qui, in populo juxta præscriptum Regum regundo, & gubernando, nil nisi ministri ac mandatarii Filii Dei fuerunt: de quibus idcirco eximie verum est quod Sapientia dicit; Prov. VIII. 15. *Per me Reges regnant, Dominatores exercent justitiam* III. Quum populum ex malis suis tam frequenter eripuit, & adversus quoscunque hostes tam potenter tutatus est. Jes. LXII. 19. Hac ratione Filium Dei, uti Regem, Rex ipse David adorat. Psl. XLIV. 5. *Tu ipse es Rex meus, o Deus: præcipe omnimodam salutem Jacobi.*

XXXVIII. At quantumvis illustria hæc videri possint, non nisi tenues umbræ sunt melioris regni, quod Oeconomiæ Novi Testamenti reservavit Dominus. Cujus primordia quidem Christo adhuc vivente deprehensa sunt; sed præcipua gloria post ejus ex mortuis suscitationem demum demonstrata est. Non obstante forma servi, in diebus carnis suæ, Regiæ Majestatis radii emicuere. I. *In Nativitate,* quam exercitus cœlestes læti celebraverunt; prædicantes *natum esse Christum Dominum.* Luc. II. II. 13. & Magi e longinquo venerati sunt, ea offerentes, quæ Regi, aut ei qui plus quam Rex est, debentur. Mat. II. I. 2. II. *In Vitæ cursu.* Ea suæ dignitatis indicia, familiaribus præsertim, exhibens, quibus compellerentur dicere, ut Nathanaël: *Tu es ille Filius Dei: tu es ille Rex Israëlis.* Joh. I. 50. Ventis etiam, & procellis agitato mari, ea auctoritate imperans, ut qui videbant, in stuporem dati, exclamarent: *qualis est ille quod venti quoque, & mare, auscultent ei!* Mat. VIII. 27. Sed tunc maxime pro Rege se gessit, quando asinæ insidens Hierosolymam proficiscebatur, plurima turba comitante, & acclamante: *Hosanna Filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini:* ut ita fidem absolveret vaticinii, quod apud Zachariam exstat. Mat. XXI. 8. 9. III. *In maxima dirissimarum perpessionum humilitate,* quando Regem se esse professus est. Mat. XXVI. 64. Joh. XVIII. 36. 37. Et pro Rege agnitus, non a latrone modo, Luc. XXIII. 42. sed & a Pilato, quamvis aliud agente. Joh. XIX. 19. Et in diebus carnis suæ.

XXXIX. Sed luculentiora omnia fuere post Christi ex mortuis resurrectionem & ascensionem in cœlos. Act. II. 36. Ubi iterum occurrunt quatuor magnæ periodi. I. In collectione Ecclesiæ ex Judæis & Gentibus per præconium Evangelii Regni. Psl. CX. I. 2. Cui conjuncta fuit destructio Politiæ & Hierarchiæ Judaicæ, ad erectionem regni Libertatis. Huc refer Mat. XVI. 28. & XXVI. 64. Adventus in nube Sed maxime post ascensionem in cœlos.

symbolum

symbolum est potentis & repentini in terra judicii. Confer Jes. xix. 1. II. In subjectione Regnorum mundi per Constantinum Magnum. Tunc audita est vox ea magna in cœlis dicens: *Nunc facta est salus, & potentia, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus* &c: Ap. xii. 10. III. In destructione Regni Anti-Christi & Bestiæ, quæ inchoata per Reformationem, Ap. xiv. 7. & seq. consummabitur statuto tempore. Ap. xix. 1. IV. In gentis Judaicæ conversione, &, quæ eum comitabitur, totius Ecclesiæ gloria. Rom. xi 15. Jes. lix. 19. lx. 1. Quæ omnia finient in gloriosam Christi apparitionem ad universale Judicium. Mat: xxv: 31.

Regnum Christi æternum est.

XL. Regnum Christi, illiusque gloriam, æternam fore frequenter Scriptura asserit. Ps. xlv. 7. 1 Chr. xxii. 10. coll. cum Luc. 1. 32. 33. Dan. ii. 44. & vii. 14. Neque fieri petest ut sit aliter. Si enim Regnum aliquod finem habeat, vel ex eo id procedit, quia ipse Rex moritur vel quia hostes eum regno privant, vel quia subditi per rebellionem se ejus imperio subducunt, vel quia ipse se Regno abdicat. At nihil horum in Christo est.

XLI. Non *primum.* Nam semel mortuus ad gloriosi hujus Regni impetrationem, vivit in æternum ad illius non abrumpendam possessionem. Rom. vi. 9. 10. Ap. 1. 18. Non *alterum.* Nam omnes hostes jam morte ipsius victi triumphatique, volentes nolentes fera colla jugo subdere didicerunt. Joh. xvi. 33. Heb. ii. 14. Col. ii. 15. Et si quid fortasse hic restet, id omne Pater sibi sumsit, ipso interim secure ad dexteram illius quiescente. Ps. cx. 1. Non *tertium.* Nam subditi ipsius sunt *gens justa, conservans omnem fidem.* Jes. cxvi. 2. Ipse imperium in corda voluntatesque habet, eamque sui reverentiam animo indit, ut non recedant a se. Jer. xxxii. 40. Si qui desciscant, ii ex fidis subditis nunquam fuere. 1 Joh. ii. 19. & tamen vel invitis iis dominabitur, *regens eos virga ferrea & tamquam vasa fictilia conterens.* Ap. ii. 27. Non denique *quartum.* Nam neque decreto numinis, neque promissioni Patris, neque prædictioni Scripturarum, neque fructui meritorum suorum, propriæve dignitati, tam care acquisitæ, cui electorum gloria arctissimo nexu juncta est, detractum quicquam volet.

Attamen certo respectu finem habebit, & tradetur Patri.

XLII. Dissimulandum tamen non est, exstare nonnulla apud Paulum quæ eo nos ducere videntur, quasi aliquando abdicaturus se regno Christus sit: imprimis 1 Cor xv. 24.-28. Qui difficilis sane locus est: in quo illustrando, & cum antedictis conciliando, plurimorum insumta est opera. Nos quoque aliquid conemur: ea methodo, ut primo exponamus quid de æterna Regis Christi, & regni illius gloria ἀναμφισβήτητον sit, cui idcirco nequaquam hic Paulus obloquatur: dein, quo tamen sensu Paulus dicat, finem fore, & regnum Deo ac Patri tradendum esse, & Filium

Filium ipsum subjectum iri ei qui subjecit ipsi omnia, ut non tam Mediator, quam Deus ipse immediate, omnia sit in omnibus.

XLIII. Certum est. I. Regnum Christi Divinum, Essentiale, Naturale, æternum esse. Dan. IV. 34. II. Humanam Christi naturam semper personaliter unitam fore cum Divinitate, eoque nomine gavisuram esse gloria quæ creaturarum omnium gloriam longissimo intervallo superet. Nam & illa quoque pro sua parte consors est nominis illius supra omne nomen, quod, in præmium antecedaneæ humiliationis, Mediatori ἐχαρίσατο ὁ Θεός. Phil. II. 2. III. Christum semper fore caput, id est longe nobilissimum membrum Ecclesiæ, & ut tale ab Ecclesia agnoscendum, venerandum, celebrandum. Rom. VIII. 29. IV. Regnum ipsum Mediatorium æternum fore quod ad effectus suos gloriosos, tam in capite quam in membris. Quales sunt, in Christo, Divinæ Majestatis effulgentia in persona Θεανθρώπου luculentissime splendens, cui nihil unquam decedet; in electis, plena libertas, subjugatio omnium hostium, totalis abolitio peccati, quoad reatum, dominium, reliquias, omnemque molestam ejus sequelam, & gaudium ineffabile ex intima communione Dei resultans. Quæ in æternum agnoscentur & celebrabuntur, ut beneficia Regis Christi, & emanantia ex inhabitatione Spiritus illius qui nunquam non Christi Spiritus est. Gal. IV. 6. Atque eatenus æternum est Regnum Christi, tantumque abest ut iis rebus Paulus hic obloquatur, ut e contra ipse eas copiose docuerit.

XLIV. Attamen inficiandum non est, post novissimi judicii diem, aliam plane Regis Christi, ac Regni Mediatorii, rationem fore. Etenim I. Tunc cessabit Oeconomica Regni istius gubernatio, qualis nunc est, per ministerium Ecclesiasticum, & Auctoritatem Civilem tuendæ Ecclesiæ inservientem, quum *ut inane sustulerit omne imperium, & omnem auctoritatem & potestatem.* 1 Cor. XV, 24. II. Totius muneris sui Mediatorii, ut perfectissime consummati, non in iis modo quæ ad salutem impetrandam, sed & eandem universæ Ecclesiæ perfecte applicandam, pertinent, rationem Deo Patri, post novissimum judicium, Christus reddet, sistens ei Ecclesiam suam plane gloriosam, sine ruga aut macula ullove simili defectu. Quod indicio est, nulla se parte mandato muneri defuisse. Et huc referri potest quod dicitur, *Tradet Regnum*, id est Ecclesiam consummatam, *Deo ac Patri.* III. Ea ratione reddita, ipsa se Deitas, sine interventu Mediatoris, cujus, sublato plane peccato cum omnibus reliquiis & consequentiis, nullus amplius usus esse videtur, immediate cum beatis communicabit; eodem ferme modo quo se communicat cum Angelis: hoc solum discrimine, quod beati hanc immediatam Divinitatis communicationem Christi meritis æternum se debere grati profitebuntur. Et hoc

est quod dicitur, *ut Deus sit omnia in omnibus*. v. 28. IV. Tum etiam Christus quoad humanam naturam, sine ulla muneris Mediatorii functione, Deo subjectus erit, sicut unus ex fratribus, in omnimoda gloria, & quidem excellentissima, sine ulla illius gloriæ imminutione qua nunc fruitur. Sicuti Filius aliquis Regis, qui a Patre, cum summa potestate, ad rebelles domandos, civesque a tyrannica quorundam usurpatione vindicandos, missus, ad lubitum Patris omnibus feliciter peractis, laboriosoque imperio, cujus nullus nunc amplius usus est, defunctus, in honesto otio, aulæquæ Regiæ delitiis, secure vivit. Atque hoc iis verbis innui videtur: *Postquam vero subjecta ei fuerint omnia, tunc & ipse Filius subjicietur ei qui subjecit ipsi omnia.* V. Atque hactenus Regni Mediatorii, cujus functio imperfectionem aliquam in Ecclesia supponit, *finis erit*. v. 24. Qui finis adeo non cum dedecore Christi Regis conjunctus est, ut contra ad gloriam ipsius faciat. Juxta id quod dicitur: 1 Cor. XIII. 10. *Quum venerit perfectum, tunc quod ex parte est abolebitur,* Finis ejusmodi est τέλος τελειωτικὸν, τέλος οὐκ ἔχον.

Dici non potest quantopere meditatio nominis CHRISTI ad consolationem eorum omnium faciat, qui ipsum qualis quantusque est fide recipiunt.

XLV. Magna certe Dei & Potentia, & Sapientia, & Bonitas est, quod, tribus hisce Christi muneribus; omnibus defectibus illis qui miseros nos reddunt, succurrat. Nam ignorantiæ & cœcitati nostræ medetur, qua Propheta, reatum peccatorum nostrorum expiat, qua Sacerdos; Potentiam suam in infirmitate nostra consummat, qua Rex. Qua Propheta, viam salutis monstrat; qua Sacerdos, Salutis jus impetrat; qua Rex, Salutem ipsam donat. Qua Propheta, intellectum rerum Spiritualium Spirituali cognitione exornat; qua Sacerdos, ab omni eos immunditie Spiritus & carnis emaculat; qua Rex, voluntates ad sui obsequium flectit.

XLVI. Beatos ergo tanto DOCTORE sedulos Discipulos! qui maximas, admirabilissimas, salutiferas *veritates, in quas cupiunt Angeli introspicere* 1 Pet. I. 12. eos condocefecit: idque tanta *perspicuitate*, ut *sapientiam afferat imperito*, Ps. XIX. 1. 8. & *comitate* ac suavitate propemodum incredibili. Ps. XLV. 3. quam non sponsa solum merum amorem spirantibus verbis deprædicat: Cant. V. 16. sed & carnales homines, ipsique hostes, suo modo agnoscunt. Luc. IV. 22. Neque extrinsecus tantum auribus oculisque sublimia hæc mysteria proponit, sed & intus dat *Spiritum Sapientiæ & revelationis per agnitionem sui*, Eph. I. 17. novam cœlestemque mentem alumnis suis impertit, ita ut res Divinas cœlestesque in nativa ipsarum idea cernant, & veritatem cognoscant *sicuti est veritas in Jesu*, Eph. IV. 21. ipsique adeo *mentem Christi habeant*. 1 Cor. II. 16. Et quæ omnium suavissima atque efficacissima docendi ratio est, non videndas modo, sed & *gustandas* experiundasque veritates suas supremus hic Magister exhibet. Ps. XXXIV. 9. Non novit duntaxat,

non

non credit solum, sed & gustat ac sentit quandoque genuinus Christi discipulus, quid sit remissio peccatorum, & privilegium adoptionis, & familiare Dei commercium, & Spiritus pectori inhabitantis gratia, & amor Dei effusus in corde, & manna absconditum, & suavissima Jesu oscula, arrhabo denique & pignus consummatæ felicitatis. Introducit sectatores suos blandissimus hic Doctor in scholam, uti in locum convivii, & *comedite*, inquit, *amici, bibite & inebriamini, dilecti.* Cant. v. 1. atque ita flore non Liberi Patris, sed Liberatoris Jesu, liberaliter aspersi, multo clariores ad cœlestia contemplanda oculos aquirunt, quam Jonathan olim postquam de favo mellis gustaverat. 1 Sam. xiv. 30. Verissime ergo, uti omnia, id quoque Suprema Sapientia dixit: Prov. viii. 34. 35. 36. *Beatus homo, qui auscultat mihi &c.*

XLVII. Beatos etiam tanto PONTIFICE mœstos peccatores! qui & *misericors, & fidelis est in iis omnibus quæ apud Deum agenda sunt*: Heb. ii. 17. *unicaque oblatione in perpetuum consummavit eos qui sanctificantur.* Heb. x. 14. Ita quidem, ut reatú omni peccatorum nostrorum expiato, *nulla* in nobis *condemnatio* remanserit: Rom. viii. 1. adeoque *libertatem habeamus ingrediendi sacrarium per sanguinem Jesu, ea via quam dedicavit nobis recentem & vivam, per velum, hoc est, per carnem suam.* Heb. x. 19. 20. Accedit quod Pontifex iste maximus, *purificatione peccatorum nostrorum per se ipsum facta, sedeat ad dextram Majestatis* Dei *in locis excelsissimis*, Hebr. i. 3. ibique continuo pro nobis intercedat. Rom. viii. 34. Nostræ quidem preces tam frigidæ sæpe sunt ac languidæ, ut vix ipsi eas audiamus, nedum ut ad aures Domini exercituum pervenisse in animum inducere audeamus, nisi fortassis ad vindictam non satis reverenter habitæ Majestatis suæ. Quanto ergo solatio est, quod Pontificem habeamus, Deo proximum, qui jugiter pro nobis interpellat, & nunquam non a Patre exauditur. Joh. xi. 42. qui preces nostras aureo suo thuribulo indens, una eas cum suo suffitu, super altare aureum, quod ante thronum est, offert. Ap. viii. 3. ut in odorem bonæ fragrantiæ Domino sint. vid. Hebr. iv, 14. 15. 16. Id dum facit, fieri non potest quin simul nos amplissimis suavissimisque benedictionibus suis exhilaret ac locupletet: sic ut *venientes cantemus in excelso Sionis, & confluamus ad bonitatem Jehovæ, sitque anima nostra similis horto irriguo, &c*: Jer. xxxi. 12. 13. 14.

XLVIII. Beatos denique tanto REGE fideles subditos! Cujus & Leges omnes justæ, sanctæ, bonæ sunt, & exhilarantes animum. Psl. xix. 9. & tota Regiminis ratio plena justitiæ, Sapientiæ, Moderationis; & Tutela omnipotens, adeo ut nemini fas sit suorum quenquam *malo afficere, aut corrumpere in toto monte Sanctitatis suæ.* Jes. xi. 9.

XLIX. Cæterum quibus tantæ sub Christo beatitudinis consortibus esse lubet, eos oportet totum etiam Christum quantus est, in omnibus

officiis suis, fide recipere. Neque enim est ut in partes secari queat. 1 Cor. 1. 13. Aut totus possidetur, aut totus amittitur. Quibus volupe non est eum pro Propheta agnoscere, cujus se disciplinæ dedant, ac pro Rege, cujus obsequantur voluntati, frustra eos ac temere in ipso ut in Sacerdote gloriari certum est. Non expiat cujusquam peccata, qua Sacerdos, nisi quem simul instruit, qua Propheta, & ad nutum suum gubernat, qua Rex. Eosdem Discipulos, & Clientes, & Subditos habet.

EXERCITATIO XI.

DE

NOMINE CHRISTIANORUM.

BREVIARIUM.

1. 2. 3. 4. *A Christo Christiani dicuntur, qui antiquitus Discipuli.* 5. *Quod non nisi dedicatis Gentium primitiis factum est.* 6. *Et quidem primitus Antiochiæ, in civitate Gentili, atque inimica priscæ Ecclesiæ.* 7. *Male hoc nomine Antiochena Ecclesia cæteris se prætulit.* 8. *Pessimeque ad Petri, tanquam Antiochenæ Ecclesiæ Fundatoris ac Patriarchæ, præeminentiam hoc torquet Baronius.* 9. 10. *Christiani nomen quam contemtum exosumque Gentilibus, tam gloriosum fidelibus fuit.* 11. *Nomen Christiani maxima quævis complectitur.* 12. Primo *quidem omnem ferme fidelium σχέσιν ad Christum.* 13. 14. Deinde *etiam participationem unctionis Christi.* 15. *Quæ unctio & summam iis utilitatem adfert.* 16. *Et gaudium lætissimum.* 17. 18. *Et gloriosam denique late se diffundentis odoris fragrantiam.* 19. 20. Tertio *Christiani nomen communionem aliquam officiorum Christi infert.* 21. *Quoad Prophetiam extraordinarium aliquid primitivæ Ecclesiæ contigit.* 22. *Ordinaria Christianorum Prophetia, partim in discendi, partim in docendi modo consistit.* 23. *Nam omnes immediate a Deo edocti sunt.* 24. *Et familiariter quandoque ad rerum cœlestium contemplationem admittuntur.* 25. *Est etiam ubi visiones iis obtingunt ad antiquas propheticas aliquatenus accedentes.* 26. *Ea autem quæ didicerunt, docent.* 27. *Ore.* 28. *Vita.* 29. *Morte.* 30. *Sacerdotium Christianorum spirituale est.* 31. *Et in eo consistit, ut Deo proximi sint, ac familiariter ad eum accedant.* 32. *Tum etiam ut spirituales hostias offerant.* 33. *Denique ut in cultu divino assidui sint.* 34. *Christiani quoque Reges sunt.* 35. *Quibus inest generosus animus.* 36. 37. *Cum amplissimo imperio.* 38. *Opibus Regiis.* 39. *Et Majestate venerabili.* 40. *Concluditur eos qui Christiani nuncupari amant, eo ipso ad maxima quæque obligari.*

I. A CHRISTO, Magistro, Domino, Sponso, Capite, Fideles omnes CHRISTIANI dicimur; uti unctionis ipsius, ita & nominis participes.

A Christo Christiani dicuntur, qui antiquitus Discipuli.

II. Originem hujus denominationis, quæ ter omnino in Sacris literis occurrit, Act. XXVI. 28. 1 Pet. IV. 16. primamque illius historiam, reperire est Act. XI. 26. *Factumque est ut annum totum congregarentur in Ecclesia, docerentque turbam multam, & DISCIPULI NOMINARENTUR PRIMUM ANTIOCHIÆ CHRISTIANI.* Ubi & *antiqui* simpliciorisque *nominis* cum recenti ac significantiore commutatio, & *tempus* quando, & *locus* ubi ea permutatio facta sit, distinctim edisseruntur.

III. Antiquitus fideles *Discipuli* dicebantur, vel absolute, vel *Discipuli Domini*. Act. XI. 1. Id enim Christus Apostolis in mandatis dederat ut in discipulatum suum, verbi præconio, gentes omnes cogerent. Mat. XXVIII. 19. μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. Eoque universum Evangelii Ministerium comparatum erat, uti mortales ex Discipulis hominum, sive Judaicæ illi forent sive Gentilitiæ δεισιδαιμονίας Doctores, ex Discipulis vaferrimi seductoris Satanæ, ex Discipulis vesanarum cupiditatum, quæ nihil admodum boni auribus animisque instillant, Discipulos Dei Christique ejus faceret, Sapientiæ veræ, cœlestis, Divinæ, studiosos atque candidatos. Cui qui sedulo operantur, iis Discipulorum nomen, quod & diligentiæ, & modestiæ indigitamentum est, eximie competit. Eoque pacto commonefiebant fideles, & ut Divina Oracula diligenter scrutarentur, & ab unius Magistri ore submisse penderent, &, quantumlibet profecerint, in discentium tamen se subselliis collocatos esse semper meminerint.

IV. Cæterum sicuti Philosophorum sectatores a suæ singuli sectæ auctoribus denominari solent: ita etiam conveniens visum est Spiritui Sancto ut Christi Discipuli ab ipso *Christiani* imposterum vocitarentur. Nemo enim dignior est hoc maximo Prophetarum, *ex quo omnis familia in cælis & in terra nominetur.* Eph. III. 15. Et Platonicis, & Aristotelicis, & Gamalielis Hebræi asseclis, gloriosum oppido est, veteri studio sectaque abdicatis, nomen suum Christo dare, & a Christo vicissim accipere. Nam *quis est Doctor, sicut ipse?* Job. XXXVI: 22. Tertullianus in *Apologet. Cap.* III. *Quid novi, si aliqua Disciplina de Magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? nomine Philosophi de Auctoribus suis nuncupantur Platonici, Epicurei, Pythagorici? Etiam a locis conventiculorum & stationum suarum Stoici, Academici? neque medici ab Erasistrato, & Grammatici ab Aristarcho, Coci etiam ab Apicio?*

V. Uti in omnibus, ita in *tempore* etiam ac *loco* hujus ὀνομασίας admirabilem atque adorandam sese nobis exhibet summi numinis providentia. Nam tum demum Christianorum nomen fidelibus datum est, postquam

Quod non nisi dedicatis Gentium primitiis factum est.

 Gentilium

Gentilium primitiæ, in cornelio, illiusque familia, dedicatæ erant, & Ecclesiæ constabat, *Deum etiam gentibus dedisse resipiscentiam ad vitam.* Act. XI. 18. postquam multus numerus Græcorum, fide Cypriis & Cyrenensibus, qui Dominum Jesum iis evangelizaverant, habita, conversus esset ad Dominum. vers. 20. 21. postquam denique Paulus ac Barnabas turbam multam, Gentilium imprimis, annum integrum docuissent: ne quicquam de supercilio sibi sumeret Judæorum natio, si sibi primum, eove tempore quo verbum vitæ angustis gentis suæ finibus terminabatur, augustum hoc Christianorum nomen concessum esset. Nunc Gentibus primum datum est, vel saltem Ecclesiæ ex paucioribus Judæis pluribusque Gentilibus mixtæ, idque in civitate Gentili, ut liquidum esset universis, *Deum non respicere ad personam, sed in quavis gente acceptum ei esse quemvis qui eum timeat:* act. X. 34. 35. *neque in Christo Jesu circumcisionem quicquam valere, aut præputium, sed novam creaturam.* Gal. VI. 15.

Et quidem primitus Antiochiæ in civitate Gentili, atque inimica priscæ Ecclesiæ.

VI. De Antiochia autem plura observanda sunt. I. Fuisse eam civitatem Gentilem, ne scilicet Hierosolyma de illustri Christianorum nomine, quasi suis primum civibus dato, superbiret. II. Fuisse Metropolim Syriæ, sedemque primariam terribilis istius Antiochi, qui in Veterem Ecclesiam nefandis stragibus grassans, illius temporis Antichristus, magnique Antichristi præcursor ac typus erat. Ita Christus Jesus in eadem urbe trophæa sua erexit, ubi Satanæ hostisque sui thronus erat: atque inde regni ac populi sui nomen exire jussit, qua patet orbis, extra anni solisque vias, unde dirissima quondam populi sui persecutio, & sanctuarii sui profanatio exorta est. III. Fuisse eo tempore civitatem maximam potentissimamque totius Asiæ, uti Alexandria Africæ, Roma Europæ: non modo ut urbis splendor magnificentiam aliquam huic ὀνομαθεσίᾳ daret, sed præcipue ut inde velocius majorique compendio per orbem inclaresceret.

Male hoc nomine Antiochena Ecclesia cæteris se prætulit.

VII. Temere tamen hinc collegit Antiochena Ecclesia, primas sibi præ cæteris deberi: quod olim illi a Chrysostomo exprobratum est, Homil. VII. in Mat. ubi ita Antiochenos alloquitur: *Vos autem, si quidem aliquod de honore certamen oriatur, omni ambitione contenditis ut vel universo præsideatis orbi, illo scilicet vobis privilegio blandientes, quod hæc prima civitas fidelibus Christianorum nomen imposuit.* Verum enim vero pernitiosa ista Ecclesiarum ambitio est. Omnes in Christo pares sunt, ἰσότιμον λαχοῦσαι πίστιν, sorores in eadem familia: neque externa civitatum pompa, vel numeri amplitudine, vel temporis antiquitate, vel beneficio aliquo singulari, alteri adversus alteram gloriari, seseve extollere fas est. Alias Hierosolymitana cæteris immensum indubie antestaret, quæ non modo omnes in universum Apostolos, sed ipsum Dominum, Doctorem Fundatoremque habuit, & in cujus conspectu pleraque eorum gesta sunt, quæ maxime in Evangelio stupemus.

VIII.

VIII. Frustra etiam ad Petri præeminentiam trahit Baronius, quod in Antiochena Ecclesia, quam Petri sedem, quamque a Petro erectam fundatamque jactat, felicissimum Christianorum nomen inchoatum sit. omnia enim hæc de Petro, præter, imo contra Scripturam, asseruntur. Falsum est, Petrum Ecclesiam Antiochenam erexisse aut fundasse. Primi Evangelium ibi prædicarunt Discipuli Hierosolymitani qui dispersi erant persecutione orta ob Stephanum: dein Cyprii quidam & Cyrenenses: postmodum Barnabas, communi consensu Hierosolymis eo fine missus: & denique cum eo Paulus, accersitus Tarso. Act. XI. 19. 25. De Petro οὐδὲ γρῦ. Quæ tam evidentis veritatis sunt, ut vel invito Baronio hanc extorserint confessionem, non esse a Petro Evangelium Antiochiæ primitus prædicatum. *Annal. T.* 1. *p.* 272. juxta Editio: Antverp. An. 1612. Quid autem est Ecclesiam fundare & erigere, nisi per prædicationem Evangelii fundamentum illud ponere quod unicum est, nempe Christus, eique fideles superstruere, ut sint domicilium Dei per Spiritum; 1 Cor. III. 10. 11. Eph. II. 20. 21. 22. Sed hæc non faciunt ad granditatem Pontificiam. Aliud in animo habuit Annalium Pater. *Accipiendum est*, inquit, *sic a Petro fundatam dici Ecclesiam Antiochenam, quod scilicet illi a Petro præcipua dignitas sit collata, ut Orientalium maxima diceretur, & esset: Dicendumque, Petrum primum erexisse, seu instituisse sedem Patriarchalem Antiochenam. Ad quod agendum —— nulla profecto incubuit necessitas ut Petrus abierit Antiochiam, cum ubicunque ageret, id sua, qua pollebat, auctoritate præstare potuerit.* Sed cur id ita dicendum, accipiendum, credendum est, Baroni? Qua Scriptura teste? ubi Spiritus S. fundationem aut erectionem Ecclesiæ memorans intelligit constitutionem sedis Patriarchalis? Quis Lucas, aut si quem alium nosti Actuum Apostolicorum Scriptorem αὐτόπτην, ἀξιόπιστον, Petrum ut Patriarcham Antiochiæ sedisse idoneis argumentis addicit? Non conveniunt hæc cum simplicitate Ecclesiæ Apostolicæ. Longissime absunt a phrasi Sacro-Sancti Sp. Repugnant Historiæ Sacræ. Orta enim Antiochiæ contentione de ceremoniis, non recurritur ad Petrum ut interposita auctoritate sua patriarchali litem dirimat, quod tamen fieri debuisset: sed ad totum Apostolorum collegium res refertur, cujus consultum per delectus Antiochiam mittitur, nulla Patriarchæ mentione. Act. XV: Missa erga ficta hac Antiochenæ Ecclesiæ per Petri sedem eminentia, sufficiat nobis scire, eam a Deo electam fuisse quæ fidelibus primo Christianorum nomen daret.

Pessimeque ad Petri, tamquam Antiocheni Ecclesiæ Fundatoris ac Patriarchæ, præeminentiam hoc torquet Baronius.

IX. Nomen quam contemptum exosumque Gentilibus, tam gratum, charum, gloriosumque Fidelibus. Gentilibus Christiani erant ἄνθρωποι οὐδενὸς ἄξιοι; si cui ex iis tunica ad pompam seculi non canderet, illud de trivio passim inclamabatur: *Impostor & Græcus est:* solum nomen ad crimen sufficiebat; *Adeo plerumque clausis oculis in odium ejus impingebatur,* ut

Christiani nomen quam contemtum exosumque Gentilibus, tam gloriosum fidelibus fuit.

ut bonum alicui testimonium ferentes, admiscerent nominis exprobrationem. Bonus Vir Cajus Sejus, sed tantum quod Christianus. Item alius: Ego Lucium sapientem virum repente factum Christianum, supple, miror, vel defero, aut aliquid simile. *Tertullia: Apol: Cap.* III. & *Justinus Apol. p.* 156. ἐφ' ἡμῶν τὸ ὄνομα, ὡς ἔλεγχον λαμβάνετε. Iterumque p. 144. μόνον μισούμεθα διὰ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ. Plane sicuti Dominus prædixerat. Mat. XXIV. 9. Quod fuse prosequitur *Euseb. Demonstr. Evan. Lib.* III. *Cap.* V. p. 77. *Edit. Steph. An*, 1545. Non incestus, non parricidii, non veneficii scelera atrociori pœna vindicanda censebantur, quam nudum Christianismi nomen, non crimine aliquo, ut *Tacitus* ait, *Annal.* XV. sed odio generis humani convictum. Non sufficiebant sueta tormentorum aut mortium instrumenta, non unci, non laminæ, non gomphi, non equulei, non cruces, non metalla, non bestiæ, non visa pridem vivicomburiorum exempla. Nova conquirenda erant expiando nominis hujus crimini. Justo humanius videbatur, Christianos homines ad stipidem dimidii assis, vel asseris, devinctos, sarmentorum ambitu exuri, idque tam frequenter, ut Sarmentitiorum & Semaxiorum exinde nomen hæreret: ignota priscis severitas exigebat, ut ubi dies defecisset in usum nocturni luminis flammarentur, tæda, papyro, & cera, tunicaque alimentis ignium illita atque intexta circumvestiti, stipite interim, qui in os emergat, per medios homines adacto. Videatur *Calvisius Ad annum* LXIV. ubi Neroniani hujus suplicii modus graphice depingitur. Et quis cuncta cruciatuum mortiumque genera enumeret, virgarum, trochlearum, furcarum, rotarum, ponderum, sartaginum, ollarum ferventium, Cyphonismi, & Scaphismi, de quibus in *Martyrologio Romano Baronius*: eorumque tormentorum quæ *Eusebius lib.* V. *cap.* I. *& lib.* VIII. *cap.* VII. *&* IX. *&* XI. *& lib.* VI. *cap.* XXXIX. alibique, passim, memorat? Ad tam immanem sævitiam lassandam satis erat piaculi in innocuo Christiani nomine: sine ulteriori vel indicio vel judicio: quod Justinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, aliique, non minus vere quam libere conquesti sunt.

X. Usque tamen adeo inviso Christianorum nomine exsultarunt fideles, ut ne mille quidem mortibus permutatum illud vellent; sed, vel rogati, vel sponte etiam, se Christianos esse, non faterentur modo, sed jactarent: etiam tum quum minus oportuna professio illa videri poterat. Christianismi rei, gaudebant: accusatio votum erat, pœna felicitas. Denotati gloriabantur: accusati non defendebant: damnati agebant gratias. Et dum vel ungulæ fodiebant, vel cruces suspendebant, vel ignes lambebant, vel gladii guttura detruncabant, vel Bestiæ insiliebant, obfirmato animo hilarique facie Christianos se esse gloriabantur. Sanctus Lucianus, apud Chrysostomum, interrogatus, ποίας εἶ πατρίδος; Χριστιανός.

χριστιανός εἰμι, φησί, τί ἔχεις ἐπιτήδευμα; χριστιανός εἰμι. τίνας προγόνους; ὁ δὲ πρὸς ἅπαντα ἔλεγεν ὅτι χριστιανός εἰμι. Qua ex patria ortus es? Christianus sum, ait. Quam artem profiteris? Christianus sum. Quibus majoribus? ille vero ad omnia dicebat; Christianus sum.

Nomen Christiani maxima quævis complectitur.

XI. Neque mirum profecto est tanti fideles hoc Christiani nomen fecisse; quippe quod omnem ferme ipsorum ad Christum σχέσιν, & communicationem mysticæ unctionis, & participationem officiorum complectitur, & ad contemtum seculi, ausus que humanis majores, professores suos obligat. De quibus singulis enucleatius nunc nobis est agendum.

Et primo quidem omnem ferme fidelium σχέσιν ad Christum.

XII. Nihil usitatius esse quam ut *Discipuli a Magistro* denominentur, supra vidimus. Sed & *servis* in Oriente *Dominorum* nomina aut notas frontibus inustas fuisse, alibi docuimus. Non semel ad hunc morem in mystica Apocalypsi alluditur. Cap. VII. 3. dicit Angelus: *ne lædite terram — quousque obsignaverimus servos Dei nostri in frontibus suis.* Adde Cap. XIII. 16. Ipseque Dominus Jesus de suis similiter: Cap: III. 22. *Inscribam ei nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, id est novæ Hierusalem, quæ descendit e Cœlo a Deo meo, & nomen meum novum.* Hoc est, ipso facto, & communicatione amplissimæ mercedis, ostendam, me eum pro fideli Patris mei servo, & Spiritualis Ecclesiæ cive, meoque peculio, ac סגולה, περιποιήσει, agnoscere. Tum etiam *Uxorem* a *Marito* nuncupari non recentior solum consuetudo fert, sed & antiquissimum ac primævum institutum jubet. *Vocabitur vira eo quod ex viro desumta est.* Gen. II. 23. Denique ea *Capitis* est ac *membrorum* unio, ut nominis quoque unitate merito includatur. Omnes itaque has σχέσεις ac relationes fidelium ad Christum unicum Christianorum nomen feliciter exponit. Notat enim eos *Discipulos* esse Christi *Magistri.* Mat. XXIII. 8. *Servos* Christi *Domini* Joh. XIII. 13. *Sponsam* Christi *Sponsi.* Joh. III. 29. & *Uxorem* Christi *Mariti.* Eph. V. 25. Apoc. XIX. 7. *Membra* denique mystici illius *corporis*, cujus caput Christus est. Eph. I. 22. Quam ob rem cœtus fidelium non *Christianus* duntaxat, sed & CHRISTUS dicitur, membris capiti accensitis. I Cor. XII. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia vero illa membra corporis, quod unicum est, multa sunt, sed unum sunt corpus, ITA ET CHRISTUS.*

Deinde etiam participationem unctionis Christi.

XIII. Præterea, quum Christianus a Christo, Christus ab *unctione* dicatur, neque cassum reique vacuum id nomen in alterutro esse queat, necesse est ut fideles ejusdem cum Christo unctionis consortes esse significet. Et sane *uti unguentum effusum est nomen ejus.* Cant. I. 3. effusum, non in ipsum modo, citra mensuram, liberalissime; verum ita ut ab ipso in omnia mystici sui corporis membra, ad extremos usque manuum pedumque digitos, ac digitorum ungues, defluat; plane sicut unguentum illud optimum superfusum capiti Aaronis [descendebat

debat super barbam, imo usque ad oram vestium ejus. Ps. CXXXIII. 2. Atque hoc est quod Johannes dicit 1 Epist. II. 20. *Vos unctionem habetis a Sancto illo profectam.* Iterumque vers. 27. *Unctio quam vos accepistis ab eo manet in vobis.* Consistit autem illa Unctio in participatione ejusdem Spiritus, 2 Cor. I. 21. 22. *Porro qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est: qui etiam obsignavit nos, indiditque arrbabonem Spiritus cordibus nostris.*

Quæ unctio & summam iis utilitatem affert.

XIV. Cæterum hac communicatione unctionis Christi nihil *Utilius*, *Lætius*, *Gloriosius*, contingere fidelibus potest.

XV. Uti crebra unctione pugiles olim, cæterique in gymnicis ludis decertantes, nervos suos flexiles, & membra agilia, reddere conabantur: uti vulnera quondam vino & oleo, felicius fortasse quam nunc operosæ Chirurgices ambagibus, curari solebant: Luc. x. 24. uti denique in primitiva Ecclesia ægroti multi oleo inuncti sanabantur. Marc. VI. 13. Jac. v. 14. 15. Quo modo & Severum, Antonini patrem, per Proculum Christianum *a valetudine remediatum esse*, *Tertullianus* asserit *ad Scapulam*, *Cap.* IV. In quem locum vide observationes *de la Cerda*. Imo, si *Hieronymo, in vita Hilarionis*, credere fas sit, mortui quandoque resuscitabantur. Ita etiam mystici olei, sive Spiritus Christi, participatione, mortui excitamur, Joh. VI. 63. (est enim *Spiritus vitæ* Rom. VIII. 2.) ægri sanamur. Ps. CIII. 3. 4. vulnera conscientiis nostris a peccatis inflicta curantur. Ps. LI: 10. 14. accingimur etiam robore, & disponuntur pedes nostri sicut cervarum. Ps. XVIII. 33. 34. adeo ut manus remissas & genua soluta surrigere, rectasque orbitas pedibus nostris facere valeamus. Heb. XII. 12. 13. Sicut in Christo capite, ita etiam in fidelibus membris, unctio *Spiritus & Potentiæ* junguntur. Act. x. 38. Gal. III. 5. Et qui possit aliter? Nam Spiritus quo inungimur *Virtus Altissimi* est. Luc. I. 35. & *Virtus ex alto*. Luc. XXIV. 49.

Et gaudium lætissimum;

XVI. Sed & ex eadem unctione lætitia, animique in Dei gratia gestientis alacritas oritur. Naturalis hæc olei virtus est, ut nitere faciat cutem faciei. Ps. CIV. 15. Et delibutio unguenti hilaritatis symbolum antiquis erat. Eccl. IX. 8. Proinde Auctor suis Jesus est ut ad tetricitatem jejunii dissimulandam caput oleo inungant. Mat. VI. 17. Nihil autem tanta exhilarandi virtute pollet, quanta amoris Dei in corde per Spiritum S. effusio, qui propterea *oleum lætitiæ* nuncupatur. Ps. XLV. 8. De eo prolixe sibi gratulabatur Psaltes Ps. XXIII. 5. *Delibutum reddis unguento caput meum.* Hinc gaudium tam exuberans, ut ne lethalis quidem umbræ vallis, aut terrorem incutere, aut lætitiam animo expectorare valeat. Atque hæc vera ratio est cur Christiani sævissima quævis tormenta incredibili, non dico constantia, sed alacritate, gestientes, cantantesque subierint, sustinuerint, vicerint: quia nimirum hujus unctionis, a qua invidio-

invidiosum illud nomen, cruciatuum suorum caussam, sortiti erant, suavissimo odore, pollentissimaque fragrantia, supra quam dici aut cogitari potest, refocillabantur. Huc sacrum illud Sponsæ carmen pertinet: Cant. I. 2. לריח שמניך טובים. *Ad odorem bona sunt unguenta tua,* — *idcirco puellæ diligunt te.*

XVII. Accedit etiam fidelibus eximium decus & gloria, ex fragrantia unctionis hujus quaquaversum sese diffundentis conf. Joh. XII. 3. Non contemnenda olim Regiæ magnificentiæ pars erat quod quaqua graderentur latum lætumque de se odorem spargerent. Ps. XLV. 9. Profusus admodum hac in parte Antiochus Epiphanes erat, cui quum e populo quidam dixisset, Beatus es, o Rex, qui adeo bene oles; ast ego, inquit, hac in re continuo tibi satisfaciam, & perquam saturum reddam; quo dicto, bicongium vas pretiosissimi plenum unguenti super illius caput infundi jussit: ex quo vehemens adeo odoris fragrantia est exorta ut plerosque à foro ipso, & longinquis etiam urbis partibus excitos ad eum statim locum contraxerit. Refert hoc ex *Polybii lib.* XXVI. *Athenæus. lib.* X. *pag. mihi* 438. confer eandem *Athen. Lib.* V. *p.* 194. Cæterum suæ communicatione unctionis majora fidelibus præstat Christus: efficitque ut odoris sui fragrantiam per universum mundum sparserint, atque infinitam hominum multitudinem, sedibus suis longe lateque excitam, ad Christianismi non admirationem modo, sed & amorem, & susceptionem ac confessionem, sermonum suorum suavitate, & vitæ infucata probitate pellexerint. Imo vero nedum hominibus, ipsi Deo, *odor vestimentorum* ipsorum, quæ ex palatiis Christi eburneis habent, *est sicut odor agri cui benedixit Jehova.* Gen. XXVII. 27. **Et gloriosam denique late se diffundentis odoris fragrantiam.**

XVIII. Lepida nuper fabella totum pervagata Orientem in Europæis auribus fessa consedit. Narrant Ao. cIↄ Iↄ CLV. mense Octobri, Maronitas quosdam Pastores, dum capras in montibus Nebo & Abarim pascebant, frequenter observasse, quasdam capras duobus tribusve diebus longius a grege exspatiari & abesse, reduces autem pilis admodum suaviter odoris fuisse. Visum pastoribus scrutari rem tam miram. Ducibus ergo capris ad præcipitia immanis profunditatis pervenerunt, intra quæ invenerunt vallem, brevi circuitu, amœnissimam, in quam difficillimus per rupes, terræ motu, ut videbatur, hinc inde convulsas, descensus erat. Ibi reperta cavea suavissimi odoris, & in ejus medio sepulchrum ex vivo saxo, literis quibusdam inscriptum. Ipsi pastores cum stupore egressi late odorem de se, sordidisque cætera vestimentis, spargebant, & rei novitate commoti, Patriarchæ Maronitarum in monte Libano, cuncta quæ viderant, quæ repererant, nunciarunt. Fidem faciebat, insusitatæ suavitatis odor. Proinde missis eo duobus sacerdotibus, monumentum repererunt, cui literis Hebraicis inscriptum erat, MOSES SERVUS

DOMINI: falsoque sibi gaudio persuaserunt, invenisse se Mosis Prophetæ sepulchrum, tanto opere ab Numine occultatum. Vide *Hornii Histor. Eccl. p.* 262. Fabulis quidem ista quam veritati propiora esse videntur. At qui de Mosis sepulchro spirare frustra creditus fuit odor, is re vera spirat de sepulchro Christi. Eum sectantur omnes oves ipsius: & copiosum adeo inveniunt, ut ipsæ a sepulchro Christi redeuntes, id est, meritis mortis ipsius locupletatæ, & hominibus, & *Deo sint bona fragrantia Christi.* 2 Cor. II. 15.

Tertio Christiani nomen communionem aliquam officiorum Christi infert.

XIX. Porro sicuti Christus unctione sua trino initiatus est muneri, Prophetico, Sacerdotali, Regio; ita & qui ab ipso Christiani denominantur, suo quodam modo *Prophetæ, Sacerdotes, Reges* sunt. Suo quodam modo, dico. Nam certe alius plane generis atque ordinis hæc Christianorum officia ab officiis Christi sunt. In quibus quum tota ipsius functio Mediatoria consistat, non magis ea cum aliis communicari possunt quam ipsa Mediatio. Sed nostra illa nomina tenuem quidem, uti par est, tantam tamen quanta nobis ad gloriam ac salutem sufficit, analogiam cum Christi muneribus habent. *Prophetas* factos esse fideles, colligimus ex Joëlis II. 28. 29. *Eritque postea ut effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ &c.* De qua promissione Petrus Act. II. 39. *Vobis enim facta est promissio, & liberis vestris, & omnibus longe post futuris, quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus noster.* Eosdem quoque *Sacerdotes* & *Reges* esse, liquet ex 1 Pet. IV. 9. *Vos autem estis Regale Sacerdotium.* & Ap. I. 6. *Fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo.*

XX. Prophetia fidelium, a publico & antecessorio docendi munere distincta, vel extraordinaria fuit, quorundam, in Ecclesia primitiva; vel ordinaria, communis, omniumque temporum est.

Quoad Prophetiam extraordinarium aliquid primitivæ Ecclesiæ contigit.

XXI. Extraordinarium erat, quod de plebe fideles, non destinati muneri alicui Ecclesiastico, & innuptæ virgines, tanta Spiritus ubertate perfundebantur, ut repente de Divinis rebus cum stupore audientium dissererent, ignotas sibi nuper linguas loquerentur, & futura a Deo edocti prædicerent. Cujus rei testimonia atque exempla habemus. Act. X. 44. 46. & XIX. 6. & XXI. 9. 1 Cor. XII. 9. 10. & XIV. 26. & alibi. Ita Deo placuit fidem adstruere Evangelio: quod ubi confirmatum satis erat, ad ἀναπολογησίαν Judæorum; & convictionem gentilium, librisque θεοπνεύστοις copiose ac luculenter expositum, paullatim insolentiores illæ Spiritus operationes, tam in doctoribus, quam in gregariis fidelibus, cessaverunt. Quo autem præcise tempore desitæ sint, definire ego quidem non ausim. Melitonis, Methodii, Gregorii Neocæsariensis, qui Thaumaturgus dictus est, prophetias, veteres cum elogiis prædicant: quas vel mendaciter a Viris Sanctis fictas, vel atrabiliarias, nedum diabo-

diabolicas fuisse, difficile suspicatu, durum dictu est. Probare tamen non possum *Basilii* & *Gregorii Nysseni* ὑπερβολὰς, quorum ille *libro de Spir. Sanct: Cap.* XXIX. hic *in vita Gregorii Thaumaturgi*, eundem illi Spiritum tribuunt quem Apostolis & Prophetis, imo Mosi ferme parem faciunt. Hoc constat, Propheticum eum Spiritum nunc cessare. Nam quæ de futura Ecclesiæ per Lutherum aliosque Dei viros reformatione vaticinia magno numero collegit *Micrælius Histor. Eccles. Lib.* III. *Sect.* II. & *Johannes Gerhardi, Loco de Ecclesia, Paragr.* 292. ea partim pia vota sunt, partim probabiles conjecturæ; uti in summa morum corruptione meliora tempora ominari solemus, partim Apocalypsios Sacræ ad ea tempora applicationem continent, partim etiam sublestæ fidei sunt. Et quas nuper magno ambitu Ecclesiis obtrusit Comenius prophetias, eæ quam vanæ sint erudita dissertatione demonstravit Venerandus Collega noster ARNOLDUS. Quicquid autem Spiritus Dei, cui metam ponere nostrum non est, huic vel illi de specialibus quibusdam futuris revelet; nobis sufficit Scriptura θεόπνευστος. *Ad Legem & Testimonium.* Vide sodes eruditissimam *Voëtii* disputationem de *Prophetia & Prophetis*: quæ in Tomo II. invenitur. De *Usserii* prophetiis nonnulla satis notabilia memorat *Richardus Parr* in Vita Magni illius Primatis, edita Londini Ao. 1686. Quibus addi possunt exempla non absimilia ministrorum quorundam Scotorum, narrata a *Flaminio*, viro pio & erudito, in Tractatu Anglico, cui titulum fecit *de Complemento Scripturarum*. p. 353. & seq. & 392.

XXII. Ea ergo expendamus quæ *ordinaria*, Christianis cunctis communia, omniumque temporum sunt. Sicuti in prophetia veterum hæc duo concurrebant; quod ipsi a Deo immediato influxu *edocebantur*, atque ita edocti alios *docebant*: ita etiam in prophetia fidelium eadem hæc observanda sunt. Ordinaria Christianorum prophetia partim in dicendi partim in docendi modo consistit.

XXIII. Christiani omnes sunt θεοδίδακτοι, & *Spiritu*, ut *Tertullianus* ait, *Divino inundati.* Jes. LIV. 13. Joh. VI. 46. *Habent unctionem a Sancto illo profectam, & norunt omnia: neque necesse habent ut quisquam alius eos doceat: quum eadem unctio doceat eos de omnibus.* 1 Joh. II. 20. 27. *Deus Domini nostri Jesu Christi: Pater ille gloriæ, dat illis Spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius, illuminatos oculos mentis eorum.* Eph. I. 17. 18. Licet enim intercedat externum hominum ministerium, invalidum tamen illud est, nisi accesserit interna & immediata Spiritus revelatio. Act. XVI. 14. Quæ singulis quidem juxta mensuram Divinæ gratiæ; omnibus tamen sufficienti sua portione conceditur. Nemo enim *potest dicere Jesum Dominum nisi per Spiritum Sanctum.* 1 Cor. XII. 3. Nam omnes immeditate a Deo edocti sunt.

XXIV. Universali huic eorum quæ credenda sunt revelationi accedit Et familiariter quando-

que ad rerum cœlestium contemplationem admittuntur.

quandoque specialior & familliarior D. Jesu ad animam manifestatio, quando eam veluti manu prehensam *in penetralia sua introducit*, Cant. I. 4. levatoque sipario & diductis cœlorum cortinis, ea quæ intra velum sunt, ipsas nimirum cœli delicias, ac futuræ vitæ gaudia, menti contemplanda, animoque prælibanda exhibet. Quod amantibus sese pollicitus est. Joh. XIV. 21. *Ego diligam eum, & ei conspiciendum præbebo me ipsum.*

Est etiam ubi visiones iis obtingunt ad antiquas propheticas aliquatenus accedentes.

XXV. Contigit etiam quandoque ut Spiritus Dei in ipsa phantasia fidelium, sive vigilantium, sive dormientium, lucidissimas rerum cœlestium imagines depingat, ita quidem ut eas non mente tantum percipere, sed & oculis coram cernere videantur, ferme sicuti Prophetis antiquitus suæ obtingebant visiones. Frequenter id ægris ac moribundis accidere, historiæ de vita ac morte piorum, & diligens ægrorum visitatio evincunt. Exempla habemus in Olympia Fulvia Morata, erudita ac celebri suo tempore fœmina, de qua Celeberrimus *Voëtius Disput. Select. Tom.* II. *p.* 691. Caspare Oleviano, apud *Melchiorem Adami in ejus Vita*. Johanne Hollando, de quo *Boltonus*, & ex eo *Hoornbeeckius de desertione spirituali Cap.* III. Wenceslao Budowicio, & Casparo Kaplin, Nobilibus Bohemis, apud *Lætum in Histor. pag. mihi* 528. aliisque sine numero. Visiones aliquot Martyrum in Africa, ex epistola a Confessoribus e carcere scripta, narrat *Baronius Tom.* II. *ad Annum* CCLXII. *Num.* VIII. *& seq.* iterumque *Num.* XXVI. XXVII. XXVIII. rursus. XLIV—XLVI. Quæ internæ atque immediatæ revelationes tales sane sunt, ut eo nomine Prophetis accenseri Christiani queant.

Ea autem quæ didicerunt, docent.

XXVI. Ad prophetiam quoque Christianorum pertinet ea docere, quæ a Deo didicerunt. I Pet. II. 9. *Ut virtutes prædicetis illius qui vos vocavit e tenebris ad admirabilem suam lucem.* Jes. XLIII. 21. *Populus quem formavi mihi, laudem meam enarrabunt.* Hoc faciunt ORE, VITA, MORTE.

Ore.

XXVII. ORE. I. Confessione nominis Christi. 2 Cor. IV. 13. Rom. X. 10. Mat. X. 32. Confer Exerc. III. Thes. 39. II. Piis sanctisque de communi salute colloquiis, & collationibus, cum domesticis, notis, quibuscunque, pro re nata. Eph. IV. 29. & VI. 4. Phil. II. 16. III. Cantu sacrorum hymnorum. Eph. V. 19. Col. III. 16. Quod qui facit is *prophetare* dicitur. I Sam. X. 5. XIX. 24. 25. I Chr. XXV. I. 2. 5. Insigne testimonium est quod sui temporis locique Christianis *Hieronymus* dat, ad Marcellam scribens, quum eam ad rus Bethlemiticum invitaret. *Quocunque*, inquit, *te verteris arator stivam tenens Alleluja decantat; sudans messor Psalmis se avocat; & curva attondens vites falce vinitor, aliquid Davidicum canit: hæc sunt in hac provincia carmina, hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones.* Meritoque ad honorem majorum nostrorum trahimus, quod ad eorundem opprobrium maledicus Jesuita

Strada

Strada scripsit *Decad.* I. *Lib.* III. *Deserta a Catholicis ea* (Maroti nimirum & Bezæ) *hymnorum translatio atque damnata, mansit obfirmato studio apud hæreticos: mosque canendi Psalmos Gallica lingua, ad modos Genevatum, in cœtibus, in triviis, in officinis, propria exinde nota hæreticorum fuit.* Ita Papistæ inde hæreticos dignoscunt, unde antiqui Christianos,

XXVIII. Sed & VITA docent vere Christiani, exemplari nimirum sanctitate, qua mundi in pravo jacentis malitia arguitur, veræ virtutis decus vel invitis ferme oculis ingeritur, & generosi istius Spiritus qui Christianos agitat mirabiles effectus patescunt, ad aliorum convictionem, Deique gloriam. Mat. v. 16. Phil. II. 16. I Pet. II: 11. & III. I. Pulchre *Tertull. de Pallio, Cap.* VI. *Etsi eloquium quiescat, aut infantia subductum, aut verecundia retentum (nam & elingui philosophia contenta est) ipse habitus sonat —— De occursu meo* vitia *suffundo.* Vita.

XXIX. MORTE denique prophetiam suam consummant Christiani, ii imprimis qui ad Martyrium a Deo vocantur. Incredibile dictu est quam libere, apposite, copiose, constanter, coram Principibus, Regibus, Imperatoribus, callidisque sophistis, religionis Christianæ veritatem asseruerint, Viri, Mulieres; Senes, Juvenes; Pueri etiam innuptæque puellæ; quam animose pro eadem dirissimas mortes subierint, sub virgis, sub gladio, in rotis ac trochleis, in mediis flammis: in crateribus candentibus, abscissa etiam nonnunquam lingua, quo illustrius foret miraculum, Christum confitentes laudantesque. Non omnes Christiani ad martyrium vocantur, omnes tamen quando vocantur præsto esse debent. Aliud est animo deesse martyrium, quod plurimis Christianis contingit; aliud animum deesse martyrio, quod nulli Christiano decorum est. Omnes obligat dictum Domini: Ap. II. 10. *Fidelis esto usque ad mortem.* Item Luc. XIV. 23. *Si quis venit ad me: & non odit patrem suum & matrem —— atque adeo etiam animam* (id est vitam) *suam, non potest meus esse discipulus.* Sciendum tamen quod, juxta gratiosam numinis æstimationem, *semper Deo mancipata devotio in dicatis hominibus pro martyrio deputetur:* uti *Pontianus* loquitur *in Vita Cypriani.* Morte.

XXX. Prophetiæ Christianorum junctum est *Sacerdotium.* Jes. LXI. 6. *Vos vero Sacerdotes Jehovæ vocabimini.* Quod Sacerdotium non in eo situm est, ut brutas Deo pecudes immolent, uti V. T. sacerdotes faciebant. Nam postquam Christus remissionem peccatorum nostrorum impetravit, *non est amplius oblatio pro peccato.* Heb. x. 18. Neque in eo, ut hostiam incruentam, ipsumque adeo Christum, sub speciebus panis & vini, ad expianda tam mortuorum quam viventium peccata, Patri quotidie offerant, uti impie Pontificiorum sacrificuli contendunt. Nam Christus *semel in consummatione seculorum, ad peccatum per immolationem sui ipsius e medio tollendum, factus est manifestus.* Heb. Sacerdotium Christianorum Spirituale est.

Heb. IX. 26. *unicaque* illle *oblatione in perpetuum consummavit eos qui sanctificantur.* Heb. x. 14. Sed totum illud Sacerdotium Spirituale est, *ad offerendum Spirituales hostias, acceptas Deo per Jesum Christum.* 1 Pet. II. 5.

Et in eo consistit, ut Deo proximi sint, ac familiariter ad eum accedant.

XXXI. Sacerdotium Christianorum in eo consistit, ut Deo proximi sint, libertatemque habeant familiariter ad eum accedendi. Vox Hebræa כהן *Cohen, Sacerdos,* significat proprie ministrum qui Regi proximus, & ab intimis consiliis est. Ita Hira Jairites *Cohen Davidis* dicitur. 1 Sam. xx. 26. quod Kimchius explicat עבדו ובעל עצתו, *Servus & consiliarius ejus, cui præ cæteris attendebat.* Et Davidis filii *Cohanim* vocantur, 2 Sam. VIII. 18. id est, uti exponitur 1 Chr. XVIII. 17. הראשונים ליד המלך. *primarii ad manum Regis.* Similiter & 2 Reg. x. 11. *& omnes magnates ejus* ומידעיו וכהניו *& necessarios &* Cohanaiv id est, *intimæ admissionis amicos ejus.* Porro Deus Rex cœli, omniumque dominantium dominus est. Is suos etiam *Cohanim,* sive *Sacerdotes,* habet. Ii jus habent accedendi ad ipsum. Exod. XIX. 22. & sunt קרוביו, *appropinquantes ad eum,* sive *propinqui ejus,* Lev. x. 3. & vocantur *Principes Sanctuarii.* Jes. XLIII. 28. Tales autem omnes Christiani sunt, amici ac familiares Regis cœlorum, qui *libertatem* habent *ingrediendi sacrarium, per sanguinem Jesu, ea via quam dedicavit iis recentem & vivam.* Heb. x. 19. 20.

Tum etiam ut spirituales hostias offerant.

XXXII. Deinde pars etiam Sacerdotii Christianorum & præcipua quidem in eo est, ut omne genus spiritualia sacrificia Deo sancte offerant. In honorem ipsius veterem hominem mactantes, mortificatione terrestrium membrorum suorum. Col. III. 5. Dedicantes ei מנחה *munus* eleemosynarum. Heb. XIII-16. Et *Suffitum precum.* Ap. VIII. 3. 4. Et תודה, *sacrificium laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomen ejus.* Heb. XIII. 15. *Eucharisticum* denique corporis & animæ. Rom. XIII. 1. parati etiam, ubi res ita fert, *offerri pro libamento super sacrificio & ministerio fidei Fratrum.* Phil. II. 17. 2 Tim. IV. 6. Non ineleganter Christiani, qua Sacerdotis, ideam his verbis *Tertullianus* descripsit: *Apol. cap.* XXX. *Famulus ejus qui eum solum observo, qui propter disciplinam ejus occidor, qui ei offero opimam & majorem hostiam quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam. Non grana thuris unius assis, Arabicæ arboris lacrymas, nec duas myrrhæ guttas, nec sanguinem reprobi bovis mori optantis, & post omnia inquinamenta etiam conscientiam spurcam.* Quibus gemina habet *Euseb. Demonstr. Evang. lib.* I. *p.* 21. iterumque *p.* 27. *ad finem lib.* I.

Denique ut in cultu Divino assidui sint.

XXXIII. Porro quum Sacerdotum sit *in iis esse qua apud Deum agenda sunt,* Heb. v. 1. & *in omni opere Sancti Sanctorum;* 1. Chr. VI. 49. & consequenter *perstare in domo Jehovæ singulis noctibus:* Ps. CXXXIV. 1. meminerint Christiani ad sacerdotium quoque suum pertinere, ut sint *eminentes in*

opere

opere Domini semper. 1 Cor. xv. 58. frequentes in sanctuario ejus, ut assistant Divino cultui. Heb. x. 25. ipsa etiam ædium suarum conclavia, intimosque animæ recessus, in Augustum Deo templum consecrantes, ubi jugia ei devotionis officia præstentur.

XXXIV. Noluit Deus in prisco Israële Sacerdotalem Tiaram Regiumque Diadema eodem capite portari: dum ita dignitates has partitus est, ut illa Leviticæ tribui cederet, hæc Judæ. Utramque tamen in novo Israële combinat. De cujus enim Sacerdotio mox egimus, eidem dicitur Jes. LXII. 3. *Eris coronata ornatu manu Jehovæ, & cidari Regia manu Dei tui.* Christiani quoque Reges sunt.

XXXV. Inest autem spiritualibus hisce Regibus Generosus admodum animus, רוח נדיבה, *Spiritus ingenuitatis* Ps. LI. 14. רוח יתירא *Spiritus excellens.* Dan. v. 12. & VI. 4. quo nomine non modo *equitio juncto curribus Pharonis*, Cant. I. 9. sed & *Equo Divinæ Majestatis in prælio* comparantur. Zach. x. 3. Porro facit hic generosus Spiritus, ut invisibilia, cœlestia, æterna bona in oculis & animo habentes, 2 Cor. IV. 18. reliqua quæ cæteri mortales stupent, pro crepundiis, rebus nihili, imo stercore ac damno, reputent: Phil. III. 7. 8. atque ipsas adeo Regiæ aulæ delicias ac pompam vilia habeant præ opprobrio Christi. Heb. XI. 26. Stimulat etiam eos sancta quædam φιλοτιμία 2 Cor. v. 9. ut præstare cæteris hominibus nitantur. Prov. XII. 15. tantumque iis præcellere, opibus mysticæ sapientiæ, decore spiritualis gratiæ, eminentia virtutum Christianarum, atque omnibus denique iis in quibus præstantia aliqua sita est, quantum Reges antecellunt suos subditos. Quippe qui id agunt ut non hominibus solum, sed & cælestibus Angelis, imo ipsi Deo ac Christo, admirationi sint. Cant. VII. 1. Omnia tamen procul ostentatione & superbia: nam, ut præclare *Basilius Seleuciensis*, Sermone in ea Domini verba, *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli*, γίνεται μέτρον αὐξήσεως τῆς ταπεινοφροσύνης ἡ δύναμις, *Vis humilitatis mensura incrementi est.* Eam quoque dignitatis suæ æstimationem Regius iste Spiritus fidelibus ingenerat, ut mille mortes oppetere malint, quam quicquam committere quod probrosum nobilissimæ conditioni suæ sit, cujus rei in Nehemia cap. VI. 11. Danielis sociis, Dan. III. 16. —— & infinitis martyrum myriadibus, tam Maccabaicis temporibus, quam postea, luculenta admodum exempla habemus. Quibus inest Generosus animus.

XXXVI. Cæterum quid Rex esset sine regno atque imperio? Id ergo, & quidem amplissimum, Christiani omnes habent, sive dites sint, sive pauperes, sive ingenui, sive servilis in seculo conditionis. Imperant autem I. Toti *mundo*, cujus inveteratas, sed pravas consuetudines, quibus & generosissimi quique de seculo mancipati, &, ceu ridiculi moriones, exiguo stramine, valide tamen, ligati sunt, magno animo spernunt, rejiciunt, conculcant, non ferentes se Cum amplissimo imperio;

ſub ullius rei redigi poteſtatem. 1. Cor. VI. 12. *Quicquid ex Deo natum eſt vincit mundum.* 1 Joh. V. 4. II. *Peccatis* & concupiſcentiis carnis, quibus Reges ipſi timendique tyranni miſerum in modum & abjecte oppido ſerviunt. Rom. VI. 14. Licet enim legio hæc audaciſſimorum hoſtium tanto quandoque impetu in Chriſtianos irruat, ut proſtrati ferme videantur, redit tamen, jacentibus etiam, in præcordia virtus, de genubus pugnam inſtaurant, & quos prælio propemodum victos dixiſſes, ii bello ſe plus quam victores eſſe demonſtrant. Rom. VIII. 37. III Ipſi *Satanæ*, quem *Deus pacis conculcat ſub pedibus ipſorum.* Rom. XVI. 20. Ap. XII. 11. Cujus rei indicium priſcis temporibus erat, quod ad juſſum Chriſtianorum Diaboli inviti ringenteſque obſeſſorum corporibus excederent: juxta promiſſionem Domini. Mar. XVI. 17. *Eos autem qui crediderint hæc ſigna ſequentur: dæmonia ejicient &c.* quam virtutem, Juſtini, Irenæi, Tertulliani, Origenis ævo, cum ſtupore Gentilium, Chriſtianos paſſim exercuiſſe, ex diſertis eorum teſtimoniis probavit Grotius, *in notis ad dictum Marci locum.* Adde Euſeb: adverſus Hieroclem. Ἐισί τι τοιοῦν τῆς ἐνθέου δυνάμεως τὴν ἀρετὴν ἐπιδείκνυται, μοχθηρούς τινας καὶ φαύλους δαίμονας, ψυχαῖς ἀνθρώπων καὶ σώμασιν ἐφεδρεύοντας, ἀπελαύνων διὰ μόνης τῆς ἀρρήτου προσηγορίας αὐτοῦ. αὐτῇ πείρᾳ κατειλήφαμεν.

XXXVII. Ita-quidem cum Chriſto capite in *medio hoſtium* ſuorum *dominantur.* Pſ. cx. 2. Erectum interim in anima ipſorum eſt beatum juſtitiæ ac pacis regnum, ubi Spiritus Chriſti ſceptrum tenet, Charitas pro lege eſt, omneſque tam animæ quam corporis facultates ſponte ſe Spiritui ſubmittunt: unde incredibilis animi tranquillitas ac lætitia oritur. Atque hoc eſt regnum illud Chriſtianorum quod Paulus deſcribit: Rom: XIV. 17. *Regnum Dei eſt juſtitia, & pax, & gaudium per Spiritum Sanctum.*

Opibus Regiis;

XXXVIII. Imperio huic adſunt *Regiæ opes* ac *Regia Majeſtas.* Opes, non ſeculares; ſed cœleſtes, ac ſpirituales. Nam *pauperes hujus mundi elegit Deus, ut fierent divites fide & hæredes regni.* Jac. II. 5. Opes Chriſtianorum ſunt Dei verbum in ſanctiore animi ærario reconditum. Pſ. CXIX. 72. Job. XXIII. 12. Et ſapientia ex verbo illo hauſta. Job. XXVIII. 15. Prov. III. 14. 15. Et gratiæ Divinæ ubertas, cujus vel minima guttula totius univerſi auro contra non chara eſt. Et denique quæ eos manet beatitudinis cœleſtis affluentia, cujus in hoc ſeculo primitiis fruuntur. Pſ. XXXI. 20. Theſauris iſtis incumbentes Regum æquant opes animo. Καὶ τοῦτο γέρας βασιλήϊον ἴσχον.

Et Majeſtate venerabili.

XXXIX. Opes comitatur *Majeſtas*, & Dignitas qua venerabiles & Sacroſancti ſunt, tam apud Deum quam homines. Deus enim non patitur eos injuria impune a quoquam affici, *etiam reprehendit propter eos Reges, ne attingitote (inquiens) unctos meos.* Pſ. cv. 14. 15. Magnifica

ca admodum Dei apud Jesaiam verba sunt, cap. XLIII. 4. *Ex quo pretiosus visus es in oculis meis honoratus fuisti, quia ego dilexi te, & subjeci homines tibi & nationes desiderio tuo.* Facitque idem Deus, ut amicis pariter ac inimicis venerabiles sint. De amicis hoc exstat testimonium, quo nihil in hoc genere dici potuit gloriosius: Jes. XLIX. 23. *Et erunt Reges nutritii tui, & fœminæ principes eorum nutrices tuæ, vultu in terram demisso incurvabunt se habentes honorem tibi, pulveremque pedum tuorum lingent: ut experiaris me esse Jehovam, nec erubescere eos qui exspectant me.* De inimicis consimiliter Jes. LX. 14. *Et adibunt te demisse filii affligentium te, & incurvabunt se ad plantas pedum tuorum quicunque spernebant te,* &c: Adde Ap. III. 9.

XL. Et iis quæ fuse hactenus disputata sunt, liquido constat, illustre admodum CHRISTIANORUM nomen esse, si ut par est, in omni significationis suæ latitudine sumatur. Et uti eximiæ consolationis materia iis omnibus est, quos, non justo liberalior hominum indulgentia, sed *ipsius Dei os novo isthoc nomine diserte nuncupavit.* Jes. LXII. 2. ita etiam ad maxima quæque facinora, ad exactissimam ac Divinæ propemodum similem sanctimoniam obligatos se esse sciant, quicunque augusto hoc nomine gloriantur: ne professio vitæ non respondens & certam & gravissimam pariter condemnationem inducat. O quam sancte Chrysostomus! *in Joh.* XIV. Ὅσῳ μείζονος ἠξιώθημεν τιμῆς, τοσούτῳ καὶ πλείονος ἀρετῆς ἐσμὲν ὀφειλέται. *Quo major est honos quo nos dignatus est Deus, eo majoris virtutis sumus debitores.* Neque minus eleganter Ambrosius, *Quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus; ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini*: NE SIT NOMEN INANE, ET CRIMEN IMMANE. Concludimus aureis *Augustini* verbis, *De vita Christiana: Non in hoc nobis nomine tantum, quod Christiani sumus, blandiamur, sed propter hoc & nos judicandos credamus, si nomen nobis frustra vendicemus alienum.* Vide sis Gregorium Nyssenum *de perfecta hominis Christiani forma.*

Concluditur, eos qui Christiani nuncupari amant, eo ipso ad maxima quæque obligari.

EXERCITATIO XII.

DE

JESU CHRISTO FILIO DEI UNIGENITO.

BREVIARIUM.

1. 2. *In mysterio Dei, & Patris, ac Christi, omnes thesauri sapientiæ reconditi sunt.* 3. 4. 5. *Christus Dei Filius est, in omni istius nominis excellentia.* 6. 7. *Et quidem ex Deo genitus.* 8. *Idque ab æterno.* 9. *Triplex Messiæ egressus.* 10. *Christus proprius Dei Filius, & Patri idcirco æqualis est.* 11. *Nomen*

Dei est in medio illius. 12. *Et quia faciem Dei in se contemplandam exhibet, Angelus faciei ejus nuncupatur.* 13. *Imo & ipsa Dei facies*, & Temuna, *imago.* 14. 15. *Et emphatice admodum resplendescentia gloriæ, & character hypostaseos ejus.* 16. 17. *Paulus hoc dicto ad quædam V. T. oracula alludit.* 18. *Christus* Unigenitus *Dei Filius est.* 19. 20. 21. 22. *Socini impia tergiversatio.* 23. 34. 25. 26. 27. *Praxis hujus Articuli.*

In mysterio Dei, & Patris, ac Christi, omnes thesauri sapientiæ reconditi sunt.

I. Quisquis ad æternam animæ suæ salutem anhelat, eum summa ope niti decet, ut *in omni opulentia plene certioratæ intelligentiæ* consequatur *cognitionem mysterii Dei ac Patris & Christi : in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac notitiæ absconditi.* Col. II. 2. 3. Nimirum est *Deus* in mundo, per quem mundus est : ex quo, & ad quem nos sumus : I Cor: VIII. 6. Rom: XI. 36. quique creaturis suis rationalibus, imo homini peccatori, fieri potest quod sibi ipsi est, fons consummatæ beatitudinis. I Tim. VI. 15. Ea enim Divini Numinis est ratio, ur *Patrem* in eo cogitare debeamus, qui vitam perdito reddere, imaginem suam in Peccatore restaurare, alienatum ab se in gratiam & affectum filii recipere, hæredem denique æternorum cœlestiumque honorum scribere queat. Luc. XII. 32. Pater ille *Filium* habet, ὁμοούσιον sibi, atque ἰσότιμον, quem in mundum mittere, humana carne induere, legi, juxta *consilium pacis*, quod inter Deum, & Virum cui nomen *Germen* est, intercedit, Zach. VI. 12. 13. subjicere possit, ut, omni legis jure per eum adimpleto, juste, sancte, sapienter bonitatem suam adversus peccatorem exercere queat. Gal: IV. 4. 5. Cujus muneris adspectu, Filius ab æterno ad id destinatus, Prov. VIII. 23. & uberrimis Spiritus donis largiter delibutus, Jes: LXI. I. *Christus* id est, *Unctus* nuncupatur. Ea res *mysterium* est, quod nemo novit nisi a Deo reveletur. Mat. XI. 27. & cujus universam rationem mortalium nullus assequitur, etiamsi a Deo revelatum sit. Prov. XXX. 4. In isto mysterio est *sapientia*, & *cognitio :* quia sine eo cognito, neque Divini operis ratio constat, neque quicquam quod Deo dignum sit in salutis nostræ negotio cogitari potest. Sapientia ista *thesaurus* est inæstimabilis. Job. XXVIII. 15.—— 19. sed *reconditus* in hoc mysterio. Eo enim non revelato, neque cognito, sapientiam Dei ignorari necesse est; & quicunque ei meditando se, ut par est, impendit, is continuo novum thesaurum inveniet, non ita olim a se deprehensum. Justum ergo sanctumque factum erit, si meditationi mysterii hujus aliquantisper immoremur, & Jesum Christum ut UNIGENITUM, *Patris* FILIUM, NOSTRUM autem DOMINUM, in fide contemplemur. Nihil sane alienius est a Pauli mente, ac Christianismi genio, ea Ostorodi blasphemia, quam evomuit *Instit. Cap.* VI. *Nibil necesse est*

ad

ad cognoscendum Dei erga nos voluntatem, quantum ad salutem requiritur, Christi cognoscere essentiam, solummodo ejus officium.

II. Confitemur in Symbolo, Jesum Christum esse I. FILIUM Dei. II. A Deo GENITUM. III. UNIGENITUM.

Christus Dei Filius est, in omni istius nominis excellentia.

III. *Filium* se Dei esse, & ipse contestabatur in consessu eorum, qui Ps. LXXXII. 6. sed longe exiliori sensu, *Filii altissimi* vocantur. Mat. XXVI. 64. & Pater e cœlo proclamabat. Mat: XVII: 5. & Spiritus S: descensu in eum suo comprobabat. Mat. III. 16. Atque hac in re sacra scriptura nostræ de Christo confessionis ac fidei summam collocat: ut credamus, ac Profiteamur, Jesum esse Filium Dei. Joh. XX. 31. 1 Joh. IV. 15. V. 5. Mat. XVI. 16. Joh. VI. 69. Act. VIII. 37. IX. 20.

IV. Nomen illud quum Christo datur, διαφορώτερον, *excellentius* est omni eo quo nuncupati sunt Angeli. Heb. I. 4. licet & illi *Filii Dei* dicantur. Job. I. 6. XXXVIII. 7. Διαφορώτερον quum dicit Apostolus, non distantiam modo *graduum*, sed & *speciei* indicat: adeo ut tota re, atque ipsa definitione distinguatur, & Christo applicatum prorsus aliud significet. Neque enim graduum aliquod discrimen ad nominis διαφορὰν sufficit. Multis sane eminentiæ parasangis Assyriorum, verbi gratia, vel Persarum Rex, Regi alicui Cappadociæ, vel Ponti, aut Lacedæmonis, antestabat: non tamen Regis nomen διαφορώτερον est, quando de Persa vel Assyrio, quam quando de Cappadoce, Pontico, aut Lacone usurpatur. Neque de nihilo est quod Christum hoc nomen κεκληρονόμηκεν, *hæreditario jure possidere*, asserat. Indicat enim Christo illud proprium esse, & inalienabile, qualis est hæreditas. Nec hoc tantum: sed & Christum illud possidere non ex gratuito dono, neque ut operæ suæ præmium, aut consequens meritorum, sed ut hæreditatem, jure propinquitatis illius intimæ quæ ipsi cum Patre intercedit, cujus vi nomen illud ei plane debetur; neque fieri ullo jure vel pacto potest ut id non obtineat; vel non a Deo Patre hominibusque, pro eo quod est agnosci debeat. Nos quidem hæredes Dei sumus, quia filii sumus. Rom. VIII. 17. & quia ex Deo, nostro modo, sumus geniti, & Christum accepimus, *data est* nobis *potestas ut filii Dei fiamus*, Joh: I. 12. sive pro talibus nos gerere ex indulto Dei audeamus: attamen nusquam nomen filiorum Dei *hæreditasse* dicimur.

V. Eodem pertinet quod Christum vocet ὁρισθέντα υἱὸν Θεοῦ ἐν δυνάμει. Rom. I. 4. ὁρίζειν est *definire*, determinare, rem intra suos fines ac terminos ita constituere, ut ex iis natura rei intelligatur, qualis in se sit, & quomodo ab aliis differat: vel definite, solitarie, & cum exclusione reliquorum omnium aliquid denotare. Hesychius ὁρίζει vertit ἵστησι, ὅρον δίδωσι, κρίνει, θεματίζει, διαιρεῖ, ἀφορίζει. *Statuit, terminum dat, judicat, in certa positione collocat, dirimit, disterminat.*

V 3 Act:

Act. x. 42. Christus dicitur ὡρισμένος ὑπὸ Θεοῦ κριτὴς, *definitus*, singulariter denotatus, *a Deo judex.* Adde Act. xvii. 31. Hic similiter, *determinatus est esse Filius Dei*, id est, intra tales terminos constitutus, iisque ab aliis ita diremtus, & cum exclusione aliorum ita definite declaratus, ut judicari aliter nec debeat, nec possit, quam quod sit Filius Dei. Idque ἐν δυνάμει, *in potentia.* Eodem ferme recidit, sive id jungas cum ὁρισθεὶς, ut dicatur Christus *in potentia determinatus*, id est, validissimo argumento demonstratus, talis Dei Filius; sive cum υἱὸς Θεοῦ, ut intelligatur esse *Filius Dei in potentia.* Hoc est A. In omni *emphasi* vocabuli, juxta validissimam & maxime propriam illius significationem. B. In *potentia* ea quæ absolute sic dicta, Deoque propria est, qui propterea הגבורה, ἡ δύναμις, *Potentia*, Hebræis dicitur, & cujus intuitu Christus vocatur אל גבור, *Deus Potens*, Jes. ix. 5. Posterior tamen illa constructio & simplicior & efficacior videtur.

Et quidem ex Deo GENITUS.

VI. Porro ita Dei Filius Christus est, ut ex Deo GENITUS sit. Sic enim dixit ei Pater, *Filius meus es, ego hodie GENUI te.* Ps. ii. 7. Id est, feci te ex me ipso procedere. Verbum ילד de matribus solet dici, quia immediate ex se hominem edunt. Jer. xxx. 6. *Interrogate & videte*, אם יולד זכר, *an pariat mas?* Patribus ordinarie attribuitur הוליד, *gignere*, facere ut aliqua pariat, caussam fœcunditatis alteri existere. Hic Deus sibi vindicat quod matrum est quia processio Filii ex ipso est immediate. Neque hic agitur de humanæ naturæ formatione in Mariæ utero, (cujus intuitu vox הוליד commodior videri posset, quia virtus Deitatis caussa fœcunditatis fuit Virgini) sed de genitura Christi κατὰ Θεολογίαν. Quæ diligentissimi interpretis observatio retundendis Socinianorum nefariis argutiis, apprime idonea est. Confer ea quæ *Exerc.* vii. §. xi. annotavimus.

VII. Qua autem in re genitura Filii Dei consistat, quis mortalium mente conceperit, quis ore vel calamo disseruerit, qui ad minimæ rei naturalis generationem exacte explicandam aquam sibi hærere sentit? Id unum tuto, quia ex ipso Dei verbo, dixerimus, generationem esse participationem vitæ, quam Filius in se ipso habeat. Joh. v. 26. sive essentiæ Divinæ, viventis, & vivificæ, quam non adventitiam, novam, dependentem aliunde, sed in se ipso habeat, sicut Pater eam in se habet: quæque in Filio fundamentum sit potentiæ illius, quam qua Mediator habet, ad vitam, tam spiritualem & sanctam, in hoc seculo, quam beatam illam ac æternam, in futuro, mortuis peccatoribus impertiendam. Adi *dictam Exercitationem* §. x.

idque ab æterno.

VIII. Genitura hæc Filii Dei ab *æterno* est. Ita enim Suprema Sapientia de se ipsa loquitur. Prov. viii. 22. *Jehova* קנני ראשית דרכו *habuit*, vel *acquisivit*, *me*, *principio*, vel *principium*, *viæ suæ*, *ante* מפעליו *molitiones*

molitiones suas, pridem. Tribuit sibi Sapientia *Genituram*, per quam factum est ut Deus eam haberet uti Filium. Nam קנה de *pariente* dicitur Genes. IV. 1. קניתי איש, *Virum pariendo acquisivi.* Et de *gignente.* Deut. XXXII. 6. הוא אביך קנך. *Ipse est Pater tuus qui acquisivit te.* Eam genituram vocat *principium viarum Dei*, quia est *processio* aliqua מוצא, *egressio.* Mich. V. 1. Nullaque processio in Deitate quæ hac prior sit, aut esse, aut fingi potest. Vel ita potest capi, ut ipsa sapientia *principium viarum Dei* dicatur; quia nihil agit Deus, nisi in filio & per eum: qui eam ob rem describitur ut ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ. Ap. III. 14. Acquisitio hæc per genituram, hoc initium viarum Dei, præcedit מפעליו *molitiones ejus.* Quæ vox non externa modo opera, sed & *præparationes* quasvis ac *decreta*, significat. Vid. Mich. II. 1. Ps. LVII. 3. Ante processum Divinorum decretorum Sapientia a Patre processit, non temporis ratione, quia decreta quoque æterna sunt; sed naturæ ordine, quia nullum decretum formatum est sine Filio. מאז *pridem* æternitatem notat. Quod enim quodammodo ante æterna Dei decreta est, illud quin æternum sit fieri non potest. Addit vers. 24. *Quum non essent abyssi*, חוללתי, *genita, edita sum.* confer Ps. LI. 7. Jes. LI. 2. Abyssus autem jam erat ab initio. Gen. 1. 2. Et ne quis dubitet de sapientia Hypostatica, sive de Filio Dei, hic sermonem esse adjungitur vers. 30. *Et eram apud ipsum* אמון, hoc proprie significat ἐγκόλπιον, *Filium in sinu gestatum*, uti colligere est ex Numero. XI. 12. *Fer eum in sinu tuo, quemadmodum fert* האומן *nutritius lactentem.* Idem autem Christo applicatur. Joh. I. 18. *Filius unigenitus, qui est in sinu Patris*, id est, Patri, & natura, & dilectione mutua intimus.

IX. Non est hic omittenda Michæ prædicatio. Cap. V. 1. *Ex te* (o Bethlehem) יצא *prodibit mihi futurus Dominator in Israële*, ומוצאותיו מקדם מימי עולם *cujus egressus sint ab initio, a diebus seculi.* Digna præconio nostro est Viri Doctissimi observatio, qui ex hoc loco triplicem Christi ἔξοδον, sive *egressum*, docuit. *Unus* est *externus*, & visibilis, quoad nativitatem carnis, ex Bethlehemo. Quomodo verbum יצא de *nativitate* frequenter usurpatur. Gen. XVII. 6. 2 Reg. XX. 18. & de Christo ipso. Jer. XXX. 21. *& dominator ejus e medio ipsius* יצא, *prodibit*, id est, nascetur. Confer Jes. XI. 1. Hic egressus *Deo* futurus esse dicitur. *Egredietur* לי *mihi.* Mea virtute; propter meam bonitatem & veritatem: ad gloriam meam. *Alter* egressus *internus* & *æternus* est; ea nempe Messiæ generatio per quam est & dicitur Filius Dei, quæ eam illi dignitatem conciliat, ut, in omni vocis emphasi, *Dominator* liberi populi istius sit, cujus beata in eo consistit libertas quod soli subsit Deo. Jes. XXXIII. 22. Hæc generatio quoad Spiritum, alteri illi, quæ quoad carnem est, ἀντιδιαστελλεται. Prorsus sicut Rom. I. 3. 4. IX. 5. Et facta est מקדם.

Triplex Messiæ egressus.

Ea

Ea vox, de *duratione* usurpata, aliquando indefinite *tempus longe præteritum* notat: aliquando definite *æternitatem.* ut Deut. XXXIII. 17. אלהי קדם, *Deus æternitatis.* & Ps. LV. 20. ישב קדם, *qui habitat æternitatem.* & Hab. I. 12. הלא אתה מקדם יהוה, *nonne tu ab æterno Jehova es?* Ex quo loco patet, non solum quod קדם *æternitatem* significet; sed & τὸ מקדם *ab æterno.* Veruntamen quum egressus, qui ab egressu ex Bethlehemo distinguuntur in plurali memorentur numero, מוצאות, præter eum qui ab æterno est, *tertium* fas est cogitare factum *a diebus seculi.* Is est egressus Messiæ in *verbo promissionis* antiquissimæ. Nam & egressus de *sermone* usurpatur. Deut. VII. 3. מוצא פי יהוה, *egressio oris Domini.* Adde Ps. LXXXIX. 35. & Dan. IX. 25. מן מוצא דבר, *ab egressu verbi.* Adde v. 23. & Esth. I. 19. Luc. II. I. ἐξῆλθε δόγμα. Atque una cum verbo promissionis ac gratiæ egreditur Messias in verbo, venitque ad afflicti peccatoris solamen. Ps. XLV. 5. *Prospere equita super verbo veritatis.* Egressus iste in promissione factus est מימי עולם, *a diebus seculi,* a tempore antiquissimo, ab initio mundi, ex quo dies seculi currere cœperunt, in ipso paradiso. Nam antiquissimum retro tempus ea phrasi designatur. vide Mich. VII. 14. Mal. III. 4. Jes. LXIII. 9. II. Deut. XXXII. 7. Et omnino conferri debet Tit. I. 2. *Sub spe vitæ æternæ, quam promisit Deus, mentiri nescius* πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora secularia.* Nec exemplum novi, ubi phrasis illa absolutam æternitatem initio carentem notet.

Christus Proprius Dei Filius, & Patri idcirco æqualis est.

X. Genituræ hujus adspectu Christus PROPRIUS *Dei Filius* vocatur; Rom. VIII. 32. non *metaphoricus,* non *adoptivus,* non ea notione qua & alii; sed *naturalis,* (quo modo Simon Andreæ *proprius frater* dicitur. Joh. I. 42.) eoque nomine Patri ἴσος, *æqualis.* Joh. V. 18. Non male, & præter mentem Domini Jesu, ex sermone illius id inferebant Judæi. Nam tum eos redarguisset calumniæ, protestatus fuisset injuriam sibi fieri: &, si nihil est nisi merus homo, tam immanem blasphemiam, usque adeo injuriosam Deo, tamque suæ indecoram modestiæ, longissime a se repulisset. *Non* enim *suam quæsivit gloriam.* Joh. VIII. 50. sed *ejus a quo missus est.* Joh. VII. 18. Quia ergo non nisi in Filio honorari potest Pater; Joh. V. 23. ideo ipse id docebat, eo comparatus erat universus sermo, eo omnia tendebant argumenta, ut palam fieret se ita *proprii Patris* sui *proprium* esse *Filium,* ut ejusdem cum eo essentiæ, potentiæ, dignationis sit. Neque memorat Johannes quid auditores, sive bene, sive male, ex oratione Christi collegerint; sed quid ipse Christus tum dixerit, tum fecerit. Uti revera dicebat, *Deum proprium Patrem* suum esse; ita revera *æqualem se faciebat Deo.*

Nomen Dei est in medio illius.

XI. Propter eandem rationem *nomen Dei in medio ipsius esse* docemur. Exod. XXIII. 21. *Nomen Dei* significat illa Dei attributa, illas perfectiones

nes atque virtutes, quibus se hominibus manifestum facit, præsertim in opere salutis nostræ; quas Deus, nomen suum edens, coram Mose proclamabat, Exod. XXXIV. 5. 6. 7. &, quas Christus quum promulgasset, ipsoque opere demonstrasset, *nomen Dei manifestum* se *fecisse hominibus*, protestatur. Joh. XVII. 6. Nomen autem illud Deitatem ipsam in suo conceptu involvit, neque fieri potest ut communicetur non-Deo, non magis quam Deitatis gloria, a qua vix, si vel vix, distat. Jes. XLII. 8.

XII. Affine est quod *Angelus faciei Dei* dicatur: Jes. LXIII. 9. non modo quia *faciem Dei* jugiter *contemplatur*, quod sane supra cæteros angelos modo facit eminentissimo, adeo ut *nemo Patrem nosse* dicatur *nisi Filius*: Mat. XI. 27. sed & quia *Dei facies*, pacata illa & benevola, homini peccatori nusquam nisi *in Christo contemplanda* datur. Joh. I. 18. *Facies* autem *Dei* hoc sensu quid aliud quam ipsissima Dei *gloria* est, prout illa se ad electorum glorificationem exerit; sive, ut cum Paulo loquamur, 2 Cor. IV. 6. *lux notitiæ gloriæ Dei in facie Jesu Christi.* Ea Dei facies quum in Christo visenda exhibeatur, ita *ut qui Christum vidit, is* eo ipso *Patrem viderit*: Joh: XIV. 9. necesse est, Christum ejusdem gloriæ ac Deitatis quæ in Patre est consortem esse.

Et quia faciem Dei in se contemplandam exhibet Angelus faciei ejus nuncupatur.

XIII. Imo & ipsa *Dei facies* nuncupatur. Exod. XXXIII. 14. 15. *Dicente Deo, anne FACIES MEA præcederet, ut quietem darem tibi?* dixit *ei Moses, si FACIES TUA non præcedet, ne jubeto nos hinc discedere.* Nimirum promiserat antea Deus, *Angelum in cujus medio nomen suum sit*, id est, Filium Messiam, iis in deserto præcessurum, *ad introducendum eos in locum præparatum.* Exod: XXIII: 20. 21. Cæterum offensus horrenda illa μοσχολατρείᾳ, aliquem se quidem ex gregariis angelis missurum addicit, qui gentes promissa expellat regione: se vero cum iis non profecturum minatur. Attamen Mosis precibus fatigatus, qui prioris istius promissi præstationem urgebat, quærit an acquiescere non possit, *nisi facies sua præcedat*, id est, idem ille angelus de quo antehac fuerat locutus. Eodem, nisi fallor, nos ducit Mal. III. 1. *Ecce ego missurus sum Angelum meum* (is est Johannes Baptista) *qui expediat viam* לפני, *faciei meæ?* (hoc est Christo. Ita enim sequitur) *& repente veniet in templum suum Dominus quem vos quæritis.* Cogitandum quoque est, an non eodem referre liceat Davidis illud: Ps. XVII. 15. *Ego in justitia videbo faciem tuam: satiabor, quum expergiscar,* תמונתך, *imagine tua.* Quid vetat id contendere cum 1 Joh. III. 2. Christus enim & facies & *imago Dei* est. Col. I. 15. Neque alienum est, eundem per תמונת יהוה intelligere Num. XII. 8. Id enim Mosis eminentiis, quibus reliquis præcellebat Prophetis, annumerandum esse videtur, quod Filium Dei immediate se alloquentem & oculis & auribus usurparet: quum aliis angelorum plerumque internuncio arcana sua panderet.

Imo & ipsa Dei facies & Temuna imago.

Et emphatice admodum, resplendescentia gloriæ, & character hypostaseos ejus.

XIV. Quicquid sit, memorabile admodum illud elogium est quo Paulus Christum condecorat, Heb. I. 3. Ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Quæ de Christo quidem dici possunt ratione *officii*, ita tamen ut prius atque excellentius in *persona* ipsius verent. Est enim, qua Filius Dei *lumen de lumine*, & gloriæ Patris splendor augustissimus. Joh. I. 14. *Spectavimus, gloriam ejus, gloriam ut unigeniti a Patre.* Sapient. VII. 26. ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου. Anastasius: Τὸν δὲ ὡς τὰς ἀκτίνας ἀπέστειλε, τὸ ἀπαύγασμα ἐπὶ γῆς. *Filium autem ut radios emisit, resplendescentiam in terra.* Innuitur enim ea phrasi, & *gloria* Filii qua Patri est ἰσότιμος, & *processus* Filii *naturalis* e Patre; quod Oecumenius attendit. Διὰ μὲν τοῦ ἀπαύγασμα τὴν κατὰ φύσιν ἐκ τοῦ Πατρὸς πρόοδον δηλοῖ: *per* splendorem *nanque manifestat naturalem Filii ex Patre progressum. Siquidem nunquam omnino cujusquam splendor* κατὰ χάριν καὶ υἱοποίησιν, *per gratiam, aut adoptionem, procedit, nec a sole, nec ab igne.*

XV. Est idem expressa imago τῆς ὑποστάσεως Patris. In qua quidem *Hypostaseos* voce exponenda, haut nihil ambigo an non justo subtiliores quandoque simus. Id constat, eam, scholastice nimis habitam, aliter atque aliter acceptam fuisse, & multis rixis atque contentionibus in Ecclesia dedisse occasionem. Qua de re ex Veteribus videri possunt, Socrates, *Histo. Eccl. Lib.* III. *cap.* VII. Theodoretus, *Lib.* II. *Cap.* VIII. Ruffinus, *Histo. Lib.* I. *cap.* XXIX. ex Recentioribus Forbesius, *Instructio. Histor. Theo. Lib.* I. *cap.* II. §. 8. Nobis nihil antiquius est simplicitate. Res ipsa postulare videtur, ut ὑπόστασιν, ac χαρακτῆρα, ceu *correlata* interpretemur. Nimirum *forma* quæ in *annulo* est, dici potest ὑπόστασις; quæ in *cera*, χαρακτήρ. Qua in re, ut judiciose annotavit Gomarus, elegans similitudo est. Ut enim *character*, *forma*, cum *archetypo*, seu exemplari, *convenit*; sic *Christus*, *essentia*, cum *Patre*: sed modo præstantiore, ut qui unum sit essentia; non specie, sed numero. Unde *in forma Dei subsistens* dicitur. Phil. II. 6. *Deinde*, ut character ab archetypo *differt*, subsistendi *modo*; quod *archetypon* formam *communicavit*; *character* vero per impressionem eandem *communicatam accepit*: ita Pater *a se* Deitatem habet, quam Filio per generationem æternam *communicavit*; Filius vero a Patre *accepit*. Ideoque Filius non est Pater, sed *alius a Patre* dicitur. Joh. v. 32. *Denique* character, quamvis exemplar non sit, illud tamen plene exprimit, sic Filius Patrem nobis revelat, & in se conspiciendum præbet: unde Nazianzeno dicitur εἰκὼν ἀρχετύπου. Eleganter admodum ex Gregorio Nysseno Theophylactus: ὅντι γὰρ ὑπερέχει τῆς ὑποστάσεως ὁ χαρακτὴρ, ἵνα μὴ ἀνυπόστατος ᾖ καθὸ ὑπερέχει. ὅτε ἡ ὑπόστασις πλείων ἐστὶ τοῦ χαρακτῆρος, ἢ γὰρ ἂν ἀχαρακτήριστον ἔχοι ἐκεῖνο τὸ μέρος.

Paulus hoc dicto ad quædam v.

XVI. Acutissimus Bisterfeldius, locum hunc adversus Crellium vindicans, *Lib.* I *sect.* II. *cap.* XXX. præmonet, Apostolum ad Hebræos scribentem,

bentem, tali descriptione, talibusque in ea vocibus uti, quæ in V.T. fundamentum habeant. Addito hoc universali axiomate, *in Novo Testamento nec phrasin, nec vocem aliquam, nisi plane sit vox tantum historica, nullum fidei mysterium significans, usurpari, quin ex Veteri desumatur.* Posterius illud uti ego ἀπλῶς præstare non ausim: ita quod de hoc nominatim loco dicit, facile conscisco. Videamus ergo quid in V. T. Paulinæ huic phrasi respondeat. Nam non satisfacit hic omnino Bisterfeldius. Is putat τὸ ἀπαύγασμα respondere voci מראה, Num. XII. 8. Sed מראה potius est εἶδος. Phrasis ista, מראה ולא בחידות, *adspectu, & non in ænigmatibus*, ἐκ παραλλήλου quodammodo opponitur Paulinæ isti 2 Cor. V. 7. διὰ πίστεως περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους. ut πίστις respondeat τῷ חידות, εἶδος τῷ מראה. Mihi probabilius videtur ad illud gloriæ Divinæ ἀπαύγασμα respici, quod super arcam fuit, & umbratile erat, sicut ipsa arca; cujus veritas, & τὸ σῶμα in Christo est: Col. II. 9. vel, quod resplenduit in facie Mosis; aut in Cherubinis Ezechieli visis. Ezech. I. 13. ubi vox נוגה occurrit, quæ Græcæ a Paulo adhibitæ admodum consentanea est: vel, quod cæteris omnibus præferrem, si omnia simul sumere iniquum videatur, ad eum Divinæ Majestatis splendorem qui Prophetis aliquando affulsit, specie humana Deum conspicientibus. Sic vidit, ut de aliis taceam, Ezechiel מראה הנוגה מראה דמות כבוד יהוה, *speciem splendoris, speciem similitudinis gloriæ Jehovæ.* Ezech. I. 28. Confer Jes. LXVI. 11. זיז כבודה, *splendor gloriæ illius.* Paulus ergo iisdem propemodum elogiis Messiam describens, quid aliud docere voluit, quam eundem illum esse, qui, in præludium futuræ incarnationis, tam augusta Deitatis specie contemplandum se Prophetis exhibuit. Propius vero est quod observat Bisterfeldius, *Characterem* respondere τῷ תמונה. Nam uti χαρακτὴρ significat certam figuram, certo numero & proportione insculptam, & impressam, ita & תמונה. Quod autem addit: *deducitur enim* תמונה *a* מין, *hoc est, numerus, ut quam accuratissima expressio significetur,* vereor ut accuratum sit. *Mijn* enim non *numerum* notat, sed *speciem*, sive *genus* rerum. *Temuna* ergo est ejusmodi ὁμοίωμα quod ipsam rei *speciem* ac *formam* refert, qua ab omnibus aliis rebus discriminatur. Plane sicut character totam illam figuram exhibet quæ in exemplari est.

T. oracula alludit.

XVII. Nisi quis contendere malit cum Hagg. II. 24. Ubi Zerubbabeli, id est, secundum quosdam interpretes, Christo, qui Zerubbabelis & filius erat, & per eum præfiguratus, dicitur: *ponam te ut* חותם *sigillum*, sive annulum signatorium. In sigillo est χαρακτήρ. Sensus ergo esset: imprimam tibi omnimodam mei similtudinem. Demonstrabo te esse Filium mihi ὁμοούσιον καὶ ὁμόδοξον: omnibusque signis te talem manifestabo. Adde Zach. III. 9. *Cælo cælaturas ejus.* Facio ut in illo

 appareant

appareant omnes illæ notæ, atque excellentiæ, quæ indicia sunt Messiæ & Filii mei. Quicquid sit, concludimus, Filium Dei, eo ipso quia a Deo genitus est, Deo Patri qui ipsum genuit, per omnia similem atque æqualem esse, verum atque unum cum ipso Deum.

Christus Unigenitus Dei Filius est.

XVIII. Quumque plus uno qui talis Dei Filius sit esse nequeat, hinc Scriptura eundem UNIGENITUM Patris Filum dicit. Joh. I. 14. 18. III. 16. 18. I Joh. IV. 9. Equidem fideles quoque *e Deo geniti sunt*, Joh. I. 13. Jac. I. 18. I Joh. III. 9. & V. I. neque aliud est ea fidelium genitura quam communicatio ejusdem numero essentiæ, sive *naturæ Divinæ*, quæ communicata est Christo. 2 Pet. I. 4. Attamen communicatio illa ejusdem Divinæ naturæ, & consequenter genitura ex Deo, quæ fidelibus obtingit, alius plane ordinis ac generis est atque ea quæ Christo attribuitur. Illa enim nostra, *impropria*, *metaphorica*, *gratiosa* est, *similitudinem* aliquam, qua homini fas est, cum Deo importans: nequaquam *paritatem*, omnium minime *identitatem*. Hæc Christi, *propria* est, κατὰ κυριολεξίαν, *naturalis*, *æterna*; inferens cum Deo Patre ἰσότητα, ἰσ-ότητα, ταυτότητα. Manifeste hoc Johannes docet, qui quum fideles *a Deo genitos* dixisset, mox eodem halitu, & eadem propemodum periodo, Christum *unigenitum Dei Filium* esse testatur. Joh. I. 13. 14. I Joh. IV. 7. 9. ut ne dubitaremus alterius plane generis hunc atque illos esse. Quod nisi esset, utique, ad evitandam tam duram ἀνωλιοφανσίαν, post nominatos plures filios e Deo genitos, Christum *præcipuum* reliquisque excellentiorem dicere satius habuisset, quam *Unigenitum*.

Socini impia tergiversatio.

XIX. Profecto impia prorsus Socini tergiversatio est, qui, ut veram atque æternam Filii Dei υἱότητα evertat, non solum pro solida & unica hujus rei *caussa*, incomprehensibili nimirum generatione, ea substituit, quæ *indicia* duntaxat, & *argumenta a posteriori* sunt: sed & Christum ideo unigenitum Dei Filium dici negat, quia solus a Deo genitus est. Quod est Spiritui Sancto, imo & sibi ipsi, in os contradicere. Si enim alii præter Christum ex Deo geniti sunt, eadem scilicet generationis specie, certe Christus non est unigenitus.

XX. At quam tandem ille caussam dicit (nam vera rejecta alienas fingi necesse est) cur scriptura eum *unigenitum* Dei Filium vocet? Confert Christum cum *Isaaco*, quem Moses יחיד *unicum* Abrahamo, Gen. XXII. 2 12. Paulus Heb. XI. 17. μονογενῆ, *unigenitum*, dicit: quum tamen constet eo ipso tempore, pro quo ita appellatur, Ismaëlem, non minus quam Isaacum, Abrahamo genitum exstitisse. Ejus appellationis duas potissimum rationes esse sophisticatur: *primo*, excellentiam paternæ erga se dilectionis, quemadmodum & Salomo Prov. IV. 3. dicit, se fuisse *unigenitum coram matre sua*, quamvis non esset solus ex eadem matre Davidi natus. I Chro. III. 5. *deinde*; quia solus ei in universa hæreditate

state successurus erat. Ad eundem modum Christum unigenitum Patris Filium dici nugatur, quia *unice* Patri *dilectus*, & *solus universorum hæres* constitutus est. Heb. I. 2.

XXI. Verum enimvero tum demum legitima esset Christi cum Isaaco contentio, si quarum rerum in Christo summa est præstantia, earum in Isaaco tenuem duntaxat umbram fuisse meminisset: neque ex vocum quarundam similitudine, quæ cum imperfectionis aliqua connotatione de Isaaco prædicantur, Christi gloriam, cui διαφορώτερον ὄνομα competit, offuscatum veniret. De cætero quoque fallitur, & fallit hæreticus. Ideo *unicus* Abrahamo Isaacus dicitur, quia solus ex promissione natus, solus Parenti mutari auctique nominis caussa erat. Ideo *unigenitus*, quia solus ex legitima uxore Sara prognatus. Quæ res, *Unici* & *Unigeniti* nomendationem fundantes, caussæ fuerunt tam teneræ dilectionis, & ὁλοκληρίας, sive quod ex asse hæres constitutus sit: non contra. *Dilectio* & *hæreditas arguunt* quidem eum esse *unigenitum*, non *faciunt*. Idem de Christo tenendum est. Quia is est unigenitus Dei Filius, hinc Deus eum unice diligit, & hæredem declaravit universorum.

XXII. Frustra objicitur Prov. IV. 3. Ubi in textu est יחיד לפני אמי, *unicus coram matre mea*. Nam I. יחיד in nativo suo significatu non exhaurit omnem notationem vocis μονογενής. Aliud est *unicus*, aliud *unigenitus*. Si illud, materia id ita exigente, significet unice dilectum, non propterea & hoc. Et David dixit 1 Chr. XXIX. I. Salomo בני אחד *Filius meus UNUS*, a Deo electus, mihi dilectus, præ cæteris eximius: *Unigenitum* non dixit. II. Quis dicet, ea quæ hic memorantur intelligi non posse cœpta saltem esse illo tempore quo revera matri suæ unigenitus erat Salomon, licet deinceps fratrum aliquot numero auctus sit. Nam post filiolum ex adulterio conceptum primogenitum eum Batsebæ fuisse, ex 2 Sam. XII. 24. liquido constat. III. Quid vetat hæc exponere ut per προσωποποιΐαν a Salomone dicta: uti filius unigenitus ita loquens introducatur, non præcise ipse?

XXIII. Cæterum fidei nostræ nequaquam sufficit, cogitationi huic de Christo, ut *unigenito Dei Filio*, immorari, nisi & quam ille ad nos, & quam nos ad illum σχέσιν habeamus, simul contemplemur. Et hic quidem primo se obtutu prodit immensa illa Dei Patris charitas, qua nos *natura iræ filios*, Eph. II. 3. & *patre* prognatos *Diabolo*, Joh. VIII. 44. in eam asseruit dignitatem, qua Filio suo unigenito, non quidem pares certe, at nostro quodam modo similes tamen evadamus, *conformandi imagini ipsius, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres*. Rom. VIII. 29. Praxis hujus articuli.

XXIV. Sed & alterum majoris adhuc charitatis indicium est, quod, ad eam nobis dignitatem conciliandam, *Filio* huic *suo unigenito non pepercerit*, sed *nobis eum dederit, pro nobis tradiderit*. Joh. III. 16. Rom. VIII. 32.

Magnam rem, nec immerito, præstitisse visus Abrahamus est, quod filium suum, unicum, Isaacum, quem diligebat tenerrime, Deo non subtraxerit. At is non nisi homo, & peccator erat: & Deo debebatur, Deo dabatur; affectu magis, quam re ipsa: neque poterat gloriosius mori quam a Deo in sacram victimam desideratus, atque hac in re immolandi Messiæ typum gerens, nec moriebatur tamen. Quid porro Abrahami filius ad Unigenitum Dei? qui nobis datus est homuncionibus, revera ad salutem nostram immolandus, mactandus, igne Divinæ justitiæ, adversus peccata nostra accensæ, & quoad animam, & quoad corpus, cremandus, consumendus.

XXV. Quanta etiam Christi Domini erga nos pietas, qui *non erubescit nos fratres vocare?* Heb. II. 11. tantus, tantillos! Infinita utique inter Christum & nos est dignitatis distantia: Christum, inquam, Unigenitum Dei Filium; nos, quando optime nobiscum comparatum est, *abortivos partus.* 1 Cor. xv. 8. Indignissimum Sauli factum videbatur, quod Regis filius, Jonathan, in fratris affectum Isæi filium, Davidem, suscepisset. 1 Sam. xx. 30. At quanto se humilius deprimit Dei Filius, nos suos appellando fratres: nobis dando, ut eadem erga ipsum familiaritate uti audeamus? At vide quantum hic subsit amoris miraculum! Ut minor esset conditionis inæqualitas, Filius Dei, *qui in forma Dei existens rapinam non duxit parem esse Deo, se ipsum exinanivit, assumta forma servi:* Phil. II. 7. &, qui infimus omnium humillimæ nobiscum confirmationis gradus erat, apparuit ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας. Rom. VIII. 3. Nos autem ad celsissimam, qua fieri potuit, dignitatis sublimitatem evexit, *data nobis ea gloria, quam dederat ei Pater.* Joh. XVII. 22. & *consortes nos Divinæ naturæ faciendo.* 2 Pet. I. 4. Quæ quidem incredibilis propemodum charitatis argumenta sunt.

XXVI. At ne hic quidem subsistit Fratris nostri pietas; qui non modo υἱότητος, sed & *primogenituræ* tam nomen, quam jus, electos suos admittit. Exod. IV. 22. Heb. XII. 23. Jac. I. 18. Quod certe mirabile est, & rationem plane superat. Neque enim per rerum naturam fieri posse videtur, ut plus uno primogenitus inter multos fratres sit. Nec *primogenituram suam* Filius Dei, ad exemplum profani Esavi, *vendidit.* Nec, uti Ruben, maleficio aliquo *amisit.* Denique dignitas illa, quam nativitatis suæ jure obtinet, & inalienabilis, & incommunicabilis est, non minus quam æterna Divinitas. Unde ergo nobis primogenituræ nomen, &, quia id cassum esse non potest, jus quoque? Plena utique mysteriorum sacratissima religio nostra est; quæ non ratione metienda, sed fide amplectenda sunt. Non *cessit* primogenitura sua Christus; sed suo nos secum Spiritu in arctissimam unitatem copulans, sui nos ipsius, omniumque bonorum suorum, ac consequenter primogenituræ quo-

que

que suæ, consortes fecit. Non *vendidit* profane suam, sed liberaliter nobis nostram *emit*, & perfectissima obedientiæ suæ sanctitate *acquisivit*. Atque uti non desinit *Unigenitus Dei* Filius esse, licet & nos *e Deo geniti* dicamur: ita nec *primogenituræ* illius obstat, quod nos ejusdem Patris *primogeniti* agnoscamur. Quippe nostra hæc alterius prorsus generis atque ordinis sunt. Hoc interim ex primogenitura ista obtinemus, quod *Domini* omnium fratrum nostrorum simus, qui quidem ex eodem nobiscum sanguine, non tamen eodem Spiritu nati sunt: & supra eos plus quam *in dupla portione* omnium Paternorum bonorum *hæredes*. Gal. IV. 1. 1 Cor. III. 21. *Christi cohæredes*. Rom. VIII. 17.

XXVII. Nobis autem opera præprimis danda est, ne quicquam committamus quod tanto indignum sit Fratre. I. Quum nunc voti illius, quod olim sponsæ erat, damnates simus, & ipse *Frater noster sit factus, sugens ubera matris nostræ*; Cant. VIII. 1. reliquum est ut *inventum* eum nunquam intermorituri affectus osculo *osculemur*. Si ita Josephus fratres suos, ac præ cæteris Benjaminem, excipiebat; Genes. XLV. 14. 15. quanto potiori jure nos nostrum Christum? qui non ad nos venit, ut frumentum auferat; sed ut cibum, qui ad vitam æternum fovendam sufficit, afferat. II. Quandoquidem non *frater* modo noster, sed & *primogenitus frater* est, Rom. VIII. 29. imo *primogenitus omnis creaturæ, primas tenens in omnibus*. Col. I. 15. 18. omni etiam a nobis honore est prosequendus: non minori certe quam Jacobus horridum fratrem suum Esavum prosequebatur. Gen. XXXII. 4. XXXIII. 3. III. Volupe nobis esse debet, familiari ipsius commercio potiri. *Bonum enim & perquam amœnum est, fratres una habitare*. Ps. CXXXIII. 1. Et quantum ipse quovis Jonathane est præstantior, tanto flebiliorem esse par est lessum illum, quem desideratæ ipsius familiaritatis carentia ciet. Confer. 1 Sam. XX. 41. IV. Ipse nobis in omnibus *exemplo* sit: 1 Pet. II. 21. ut similitudinem ejus, qua pote, exprimentes, nostræ, ex eo, filiationis certi simus. V. Ejus quoque gratia omnes eos diligamus qui illius sunt; & in quibus vel tenuem ipsius deprehendimus imaginem, atque hinc ullam cum eo cognationem: uti David animum suum inducebat benignitatem exercere erga omnes qui ex familia Saulis erant, *propter Jonathanem fratrem suum*. 2 Sam. IX. 1. VI. Nunquam committamus ut nos *Christi*, vel *Evangelii*, vel *crucis* ipsius *pudeat*. Marc. VIII. 38. Rom. I. 16. Gal. VI. 14. sed in tristibus æque ac lætis, in adversis non minus quam prosperis, eum fratrem nostrum esse læti alacresque profiteamur, ne & eum nostri pudeat in illustri adventus sui die, quando cernenda erit cœlestis hæreditas.

EXER-

EXERCITATIO XIII
DE
JESU CHRISTO DOMINO NOSTRO.

BREVIARIUM.

1. *Christum nemo, ut par est, Dominum dicit, nisi per Spiritum.* 2. *Dominum se Christus, uti est, ita & agnosci postulat.* 3. 4. Κύριος & δεσπότης *vel parum admodum, vel nihil differunt.* 5. *Utrumque vocabulum de Christo usurpari potest, & usurpatur in Sacris.* 6. *Neque potest non Dominus esse, quum Jehova sit.* 7. *Sed & Dominus est, qua Mediator.* 8. *Jus habens in electos, ex Donatione Patris.* 9. *Et emptione propria.* 10. *Quos actu sibi possidendos vindicat, quum per Regenerationem eripit Diabolo.* 11. *Dominium Christi, licet per incarnationem, & in statu humiliationis quoque, agnitum fuerit, in statu exaltationis longe gloriosissimum est.* 12. *Idque sibi & asseruit valide.* 13. *Et olim demonstrabit luculenter.* 14. *Qui sincere id Dominium Christi agnoscit, is & Majestatem ejus cum tremore suspiciet.* 15. *Et Satanæ, peccato, ac sibi ipsi renunciabit.* 16. *Quod magna solemnitate Veteres in baptismo factitabant.* 17. *Christi denique voluntati se totum subjiciet.* 18. *Tam mandanti.* 19. *Eo ipso quia mandat.* 20. *Quam decernenti.* 21. *Ne pudorem hic nobis Gentiles incutiant.* 22. *Dominium Christi uberrima fidelibus consolationis scaturigo est.*

Christum nemo, ut par est, Dominum dicit, nisi per Spiritum.

I. NOn contemnenda civilitatis atque elegantiæ humanæ pars est debitis quemque honoris titulis compellare: quorum inter, se haut quaquam parcos prisci ævi fideles fuisse, ex plurimis sacrorum monumentorum exemplis constat. Quantum autem Unigenitus Dei Filius mortales omnes gloria præcellit, tanto devotioris animi veneratione a nobis est colendus; cavendumque solicite, ne ullis debitæ observantiæ officiis defuisse videamur. Hæc enim est supremi numinis voluntas, *ut omnes honorent Filium prout honorant Patrem.* Joh. V. 23. Cæterum cœlestis illa urbanitas, quæ non *oris*, sed *cordis* est, non nisi in *schola Spiritus* docetur, ac discitur. *Nemo enim potest dicere Jesum DOMINUM, nisi per Spiritum Sanctum.* 1 Cor. XII. 3. ita nimirum ut Dominium Jesu, & ea in quibus id dominium fundatum est, & quæ illud consequuntur, rite cognoscat, agnoscat, celebret, totumque animum suum, uti Domino illo dignum est, comparatum habeat. Id ergo nunc nobis annitendum, ut, Spiritu Christi prælucente, accurate exponamus, quid sit eum in Spiritu ac veritate DOMINUM nominare.

II.

II, Revera Christus DOMINUS est, האדון. Mal. III. 1. *Dominus e Cælo.* 1 Cor. XV. 47. Eo quoque titulo compellari se a nobis postulat. Joh. XIII. 13. *Vos vocatis me, Magister, & Domine: & bene dicitis: sum enim.* Fidei hæc compellatio est, & animo, & ore dicentis, *Domine mi, ac Deus mi.* Joh. XX. 28. Nullaque adeo lingua exstat, quæ ad veritatis illius professionem obligata non sit, *Jesum Christum esse Dominum ad gloriam Dei Patris.* Phil. II. 11.

Dominum se Christum uti est, ita & agnosci postulat.

III. An Filius Dei, cui passim Κυρίε titulus attribuitur, δεσπότης quoque dicatur, & quæ utriusque vocabuli discrepantia sit, disquiritur inter eruditos. Sunt qui jubent credere, δεσπότην non nisi de *Patre* in sacris usurpari: & δεσπότην dici respectu *servorum*, qui obligati sunt ad parendum: Christum vero Κύριον vocari, quia habet *hæreditatem* ad περιποίησιν: quam vocum distinctionem colligi existimant ex Judæ vers. 4. Ubi Deus dicitur δεσπότης, *herus*, quia imperium habet in omnia: Christus Κύριος ἡμῶν, *Dominus noster*, quia potestatem habet in nos, ut in rem suam propriam, & peculium a se emtum. Oportet enim posterius priori aliquid superaddere, ne inanis sit prorsus synonymi vocabuli inculcatio. Favere distinctioni huic Ammonius videtur; in libello *de similibus & diversis dictionibus, ad vocem* Κύριος. Κύριος, inquit, καὶ δεσπότης διαφέρει. Κύριος μὲν τῆς γυναικὸς ὁ ἀνὴρ, καὶ τῶν υἱῶν ὁ πατήρ. δεσπότης δ' ἀργυρωνήτων τινῶν ἄλλων. *Voces* Κύριος *&* δεσπότης *differunt.* Κύριος *enim dicitur etiam maritus respectu uxoris, & pater respectu filiorum:* δεσπότης *autem respectu aliorum qui ære emti sunt.* Eadem fere habet *ad vocem* δεσπότης. Et fateor profecto, me viris magnis hæc olim accredidisse.

Κύριος & δεσπότης vel Parum admodum vel nihil differunt.

IV. Attamen re curatius librata, observatoque vocabulorum usu, comperi distinctionem istam solidam non esse. Κύριος enim vox est generalissima, significatque τὸ κῦρος ἔχοντα, qui auctoritatem ac potestatem habet, quomodocunque acquisitam, in rem quamcunque. Et δεσπότης non solum cum adspectu ad servos usurpatur, sed ad quoscunque homines ditioni ac regimini alicujus subjectos. Δεσπότης πάντων ἀνθρώπων, exstat apud *Æschin. contr. Ctesiph.* Demosthenes similiter *pro Cor.* δεσπότης, ἡγεμὼν, κύριος πάντων. Ubi notandum, vocabula illa pro synonymis poni. Apud Plutarchum *in Artarx:* junguntur. δεσπότην σε καὶ ἀδελφὸν. Imo & δεσπότης quis dicitur suæ περιποιήσεως, sive *peculii.* Sic Lucianus, τῆ δυκτυλίε δεσπότης & Theophyl: *Epist:* XIX. δεσπότης χρημάτων. Vide *Stephani Thesaurum.* Græci quoque V. T. interpretes pro Hebraico אדון indiscriminatim ponunt Κύριος & δεσπότης, licet illud frequentius. Nullo etiam exemplo probatur, stilum N. T. hæc eo quo dictum est modo distinguere. Nam quod ex Epistola Judæ profertur, de Christo melius exponi, mox docebimus. Nec verborum eodem recidentium accumulatio indecoram tautologiam infert: sed intendit

significationis vim, ideoque & sacris & profanis auctoribus usitatissima est. Exemplum recens in Demosthene vidimus. Et conferri potest 1 Tim. VI. 15. ὁ μόνος δυνάστης, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων. Sique omnino aliqua admittenda sit distinctio, quid eam electe persuadet quam sibi Viri Docti sumunt? *Si quid interest,* δεσπότης *privati juris nomen est,* κύριος *honoris & auctoritatis. Nam & matres-familias* οἰκοδεσποτεῖν *jubentur, non* κυριεύειν, ait Erasmus *in Scholiis*.

Utrumque vocabulum de Christo usurpari potest, & usurpatur in sacris.

V. Neque ulla ratio est quæ suadeat, ut Christum δεσπότην dicere, vel in scripturis dici, affirmare vereamur. Nam quum, qua Deus est, communia omnia cum Patre habeat, eadem certe ratione δεσπότης est qua Pater. Tum etiam proclivius longe est Petri dictum 2 Epist. Cap. II. 1. de Christo exponere quam de Patre: nam & verbum *mercatus est* eo nos ducit, & plures pseudo-prophetæ Christum directe quam Patrem impetiere unt. Neque necesse Judæ verba ita interpungere, ut Deus Pater solus δεσπότης, Jesus Christus κύριος ἡμῶν dicatur. Quod non pati articulum, qui omnibus epithetis communis unum subjectum arguit, Beza adversus Erasmum pugnat, & Bisterfeldius adversus Crellii exceptiones tuetur. *Lib.* I. *Sect.* I. *Cap.* VII. Adde, in MS. quibusdam legi, τὸν μόνον δεσπότην καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν &c: omissa Dei voce. Complutensis editio dubium omne tollit, verba sic concipiens: καὶ τὸν μόνον Θεὸν καὶ δεσπότην τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν. In eundem sensum & Syrus, & Æthiops, & Arabs uterque. Quid ni etiam ad Christum referamus illum occisorum martyrum clamorem Apoc. VI. 10. Ἕως πότε ὁ δεσπότης, &c: Ecclesiastici certe Scriptores Christum frequenter hoc nomine compellant, ut videre est in *libris responsionum ad Orthodoxos.* Isidorus Pelusiota *Lib.* I. *Epist.* XLIII. Τὸν Κύριον ἡμῶν καὶ δεσπότην Χριστόν. Photius *Tmemate* 238. Ἡρώδης μὲν δεσπότου διήμαρτε, φονεὺς δὲ πολλῶν παίδων γίνεται. Et qui ex Domini familia orti, δεσπόσυνοι nuncupati sunt: teste Euseb. *Lib.* I. *cap.* VII. Desinamus ergo distinctioni minus solidæ magna postulata inædificare. Nec Christi auctoritas, nec res religionis nostræ, in verborum sunt sitæ minutiis.

Neque potest non Dominus esse, quum Jehova sit.

VI. Porro omni jure hic honoris titulus Christo debetur. Est enim JEHOVA, omnemque habet in se Deitatis præcellentiam, quæ Dominii Divini radix est, & fundamentum. Jehova diserte nuncupatur. Jes. XL. 3. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Jehovæ,* id est Christo, de cujus præambulone Johanne hic sermo est. Iterumque Cap. XLV. 24. אך ביהוה לי אמר צדקות ועז *Certe in Jehova, mihi dixit,* vel *de me dixit,* scilicet Pater, *est abundantissima justitia & robur, ad eum quisque veniet.* De Christo autem hæc dici, non solum res ipsa docet, sed & Apostoli auctoritas, antecedens comma Christo applicantis. Rom. XIV. 11. Porro quia Christus est *Jehova,* eo ipso *Dominus* est, ejusdem cum Patre auctoritatis, & potestatis in *omnia* quæ extra ipsum sunt; quæque ipsi debent

quo

quod sint. *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil quod factum sit.* Joh. I. 3. Et propterea imperium habet in omnia. Impresse Apostolus: I Cor. VIII. 6, *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum.* Atque hactenus Dominium Christi pure *Divinum* est, cujus intuitu *creaturæ omnes*, rationales imprimis, tam angeli, quam homines, servi ipsius sunt, ab ipso dependentes, quique legem ipsius pro regula atque amussi actionum suarum habere debent. Nam & venti & mare auscultant ei, & boni Angeli imperium ejus volentes lubentesque, mali inviti quidem, sed agnoscunt tamen. Mat. VIII. 27. 31.

VII. Cæterum præter Dominium illud quod *qua Deus*, ex infinita naturæ suæ præcellentia, in omnia habet; alterum ei quoque Dominium a Patre datum est, quod *qua Mediator* habet, speciatim in *electos*, qui ipsius sunt peculium & hæreditas, &, ut Petrus ait, I Pet. II. 9. λαὸς εἰς περιποίησιν. Sed & Dominus est, qua Mediator.

VIII. *Jus* illud Christi, ut *Domini*, *in electos*, ut suum peculium, *tribus* quasi articulis consummatur. I. *Primum* ejus *fundamentum* in æterno *Patris decreto* est, quo ipsi acquirendi ac redimendi dati sunt. Eam ob rem Patri gratias agit: Joh. XVII. 6. *Tui erant*, uti omnes creaturæ tuæ sunt, *sed mihi eos dedisti*, speciali decreto ex communi reliquorum sorte eos exemisti, mihi eos credidisti, per me suo tempore redimendos, vocandos. Eodem sensu electos ex gentibus, nondum actu redemtos nec vocatos, *oves suas* vocat. Joh. X. 16. quarum scilicet jam tum Dominus erat ex destinatione Patris. Jus habens in electos, ex Donatione Patris:

IX. II. *Plenius* tamen hoc jus acquiritur *solutione* actu *præstita*, quando scilicet semetipsum pro nobis tradidit, ut *emti pretio nostri juris esse* desineremus. I Cor. VI. 19. 20. & VII. 23. I Pet. I. 18. 19. Ap. V. 9. Nam sicuti pretio numerato emtæ rei dominium ad emtorem transit: ita etiam Christus pleno jure electorum omnium Dominus factus est, ex quo suum pro iis sanguinem, verum redemtionis pretium, dedit. Tunc enim Pater ipsi dixit: Ps. II. 8. *Pete a me*, pro jure tuo (juxta pactum conventum, de quo Jes. LIII. 10.) *& dabo gentes in possessionem tuam, & fines terræ jus possessionis tuæ.* Et emptione propria.

X. III. Virtute hujus juris electos jam *tuetur ut rem suam*, conservat in hac vita, impertit media salutis, præservat a peccato in Spiritum Sanctum, multaque circa eos facit quæ quasi molimina quædam illius sunt qui id quod suum est vindicare sibi occipit. Attamen tunc demum in *possessionem* eorum venit, quum Spiritu suo efficaciter vocat, regenerat, fide donat. *De jure* quidem *olim Christi* fuerunt: *de facto* tamen *hactenus Diaboli, peccati, & sui sunt*, donec validis istis Spiritus Christi opperationibus, omni *alieno Dominio* exemti, *ipsi* in solidum vindicentur. Tunc abrenunciant Satanæ, peccato, sibi ipsis: Christumque redemtorem pro Quos actu sibi possidendos vindicat, quum per regenerationem eripit diabolo.

pro unico ac legitimo Domino suo agnoscunt. Hoc pacto *eximit eos* Dominus *ex præsenti seculo malo*. Gal. I. 4. *adducit ad se*. Joh. X. 16. & *purificat sibi in populum peculiarem*. Tit. II. 14.

Dominium Christi, licet ante incarnationem, & in statu humiliationis quoque, agnitum fuerit, in statu exaltationis longe gloriosissimum est.

XI. Dominium illud Christi & Veteres ante incarnationem agnoverunt (nam David eum in Spiritu *Dominum suum* dixit. Ps. CX. I. Mat. XXII. 44.) & qui cum eo in terris, dum adhuc majestatem dissimulabat, conversati sunt. Verum tamen luculentis id accessionibus auctum ornatumque est, quando ad dexteram Dei Patris sublimatus, solenniter Rex dominusque Ecclesiæ suæ declaratus est. Qua de re Petrus Act. II. 36. *Certo sciat ergo tota domus Israëlis, quod Deus hunc fecerit DOMINUM & Christum*. Adde Eph. I. 20. 21. 22. Philip. II. 9. 10. II.

Idque sibi & asseruit valide;

XII. Sed & valide Dominium suum asseruit, totique orbi comprobatum dedit, quum in refractariam nationem Judaicam horrenda occidione animadvertit, diruta politia, cremato templo, sublatoque toto illo carnalium rituum choragio, quibus rebus spiritualis sui regni gloria non parum obfuscabatur. Conf. Luc. XIX. 27. Item quum post multa & cruenta Ecclesiæ suæ certamina, triumphatis sævissimis, tam Orientis, quam Occidentis, Tyrannis, sub Constantino Magno eam in libertatem vindicavit, rerumque Dominos vel amantes Ecclesiæ nutritios fecit, vel mentiri sibi, ac fraudulenter se subjicere, coëgit. Denique quum imminuta plurimum Antichristi, solium ejus invadentis, tyrannide, Patrum nostrorum ævo, æternum Evangelium quo ipse Unicus Ecclesiæ Dominus prædicatur, per totum orbem publicari jussit.

Et olim demonstrabit luculenter.

XIII. Et porro se Dominum esse demonstrabit, quando conversis ad se Israëlitis, dejectoque profano Antichristi throno, ac destructis destructoribus terræ, dominatus & dignitas rerum, ipsi & populo Sanctorum Altissimorum dabitur, regnaque omnia mundi Domini nostri & Christi ejus fient, & Ecclesia sub pacifico ejus dominio abundantissimis Spiritus donis locupletabitur. Uti beata hæc tempora utriusque instrumenti Scripturæ mira verborum pompa deprædicant; alibi a nobis oportunius ac copiosius enarranda. Quibus succedet tandem extremus Dominii Christi actus, quum hominibus & dæmonibus judicatis, hostibusque omnibus conculcatis, universam suorum panegyrin coelo asseret, glorificatus in sanctis suis, & mirabilis factus in omnibus credentibus. Et tale quidem, nec tale, sed, supra quam a nobis & dici & cogitari potest, sublimius, Christi Dominium est.

Qui sincere id Dominium Christi agnoscit, is & Majestatem ejus cum tremore suspicietur;

XIV. Quod rite a nobis agnosci, vere credi, tum demum patebit, quando ita erga illum affecti sumus, uti eos condecet qui se illius potius quam suos esse meminerunt. Nimirum qui non ore tantum, & ex consuetudine, sed ex arcani Spiritus persuasione, Christum Dominum dicunt, ii tantam in ipso Deitatis excellentiam, tantam virtutum Divinarum

vinarum sublimitatem, tam uberem gratiæ abundantiam, tam venerandam denique gloriæ ex omnibus illis resultantis corruscantisque Majestatem suspiciunt: ut quicquid unquam præclarum augustumque in mundo visum est, quicquid in Seraphinorum Cherubinorumque choris illustre splendidumque micat, ei collatum fumus videatur & umbræ umbra. Talem eum sibi sponsa figurabat, ut *fulgidum ac rubrum, insignitumque præ myriade*; majorem cunctis illis elogiis quæ amico ore confertim in eum congerit. Cant. v. 10. & seq: Talem Petrus cum comitibus conspexit. 2 Pet, I. 16. 17. Talem Johannes non semel vidit. Ap. I. 13. & seq. & XIX. 11. &c. & ante eum Jesaias, Cap. VI. 1. & Ezechiel, Cap. I. 26. & Daniel, Cap. VII. 13. 14. Talem eum omnes servi ipsius esse credunt, etiamsi nunquam viderint nisi oculis fidei, uti delineatus est in mysticis Scripturarum tabulis, aut Majestatis suæ radiis sive visibili pompa cordibus affulget. Nemo certe Dominatum Christi rite venerabitur, qui non eum creaturis omnibus immensum excellere perpendit, dignumque agnoscit quem secum omnes orbis terrarum Principes, Reges, Imperatores, omnes cœlestium Angelorum ordines, cernui colant, celebrent, adorent; coronas suas ad pedes ejus deponentes: qui non denique ita illius unius gloria in admirationem raptus est, ut totus ad eam esse cupiat gestiatque. *Quum Dominus tuus sit, incurva te ei*, Ps. XLV. 12.

XV. Deinde, quicunque Christum Dominum suum esse agnoscit, eum necesse *Satanæ, mundo, peccato, sibi* denique *ipsi renunciare*, ut nullius nisi Christi sit. Fieri enim omnino non potest, ut quis duobus dominis, tam sibi invicem contrariis, & quorum alter certe jure suo integrum hominem postulat, simul inserviat. Mat. VI. 24. Qui *Christi* est, non est *Satanæ*: liberatus est ab illius tyrannide. Heb. II. 14. 15. *olim ambulavit*, sed olim, *secundum principem cui potestas est aëris, & spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus*. Eph. II. 2. Non est *mundi*: *exemtus est e præsenti seculo malo*. Gal. I. 4. didicitque, *amicitiam mundi inimicitiam esse adversus Deum*. Jac. IV. 4. Non est *peccati*: cui morte Christi ἀπεγένετο, 1 Pet. II. 24. cujus *olim* quidem *servus* erat, sed a quo nunc *liberatus, servus factus est justitiæ*. Rom. VI. 17. Non est *sui ipsius*. 1 Cor. VI. 19. ut dominum se, vel *actionum*, vel *sortis* suæ esse postulet, sua sibi stulta concupiscentia dictante legem: sed subjugatis affectibus, domitisque carnis desideriis; & quod de propria voluntate superest paullatim evanescente, ac in nihilum abeunte, solus in eo vivere & dominari Christus incipit. Gal. II. 20. Id utique omnibus Christi servis proprium est, ut priscorum illorum Dominorum, vel Tyrannorum potius, impotens imperium, & quicquid ei affine esse norunt, oderint, horreant, exsecrentur.

Et Satanæ, peccato, ac sibi ipsi renunciabit.

XVI. Solemniter hoc faciebant Veteres in Baptismo, ubi nomen

Quod magna solem-

nitate Veteres in baptismo factitabant. Christo dabant. Pathetica admodum est allocutio ad baptizandos, quam Patriarcha, prisco ritu, feria sexta in Parasceve, ex ambone inculcabat; cujus partem aliquam quæ nostro nunc instituto servit ex *Barberino M.S. Sancti Marci* hic exhibemus. *Hodie fidei vestræ chirographum Christo exposituri estis: papyrus, atramentum, & calamus, conscientia vestra; lingua, habitus erit. Videte itaque qua ratione professionem hanc estis subsignaturi. Ne aberretis, ne forte decipiamini. Testamentum componunt morituri, & alium possessionum suarum hæredem relinquunt. Et vos quoque crastina nocte morituri estis peccato: nunc vero renunciatio vestra testamentum est, & peccati hæredem Diabolum scribitis, & peccata ipsi relinquitis, ut paternam hæreditatem. Si quis igitur Diaboli aliquid in animo retinet, moriturus ideo renunciet; non enim possessionum ultra Dominus est. Vestrum itaque, quod Diaboli est, nullus in anima quid retineat. Omnes sordes & malitiæ reliquias in Diaboli facie projicite, & Christo conjungamini: nullus contemnat, state cum tremore. Cuncta quæ in præsenti fiunt, tremenda sunt & horrenda, Cunctæ virtutes cœlorum hic adsunt; omnes Angeli & Archangeli verba vestra invisibiliter scribunt. Inclinant e cœlis Cherubim & Seraphim, vestra pacta pollicitaque suscepturi, & Domino illa repræsentaturi. Videte itaque quomodo Diabolo resistatis, & rerum omnium opifici adhæreatis.* Postmodum vero dicit illis: *Quod ego dico, & vos pariter dicite: Renuncio Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omni cultui ejus, & omnibus Angelis ejus, & omni pompæ ejus.* Hæc autem ter dicit. Illique cuncti respondent. Deinde interrogat eos: *renunciastis Satanæ?* dicunt ei, *Renunciavimus.* Mox dicit eis, *state cum tremore. Quod ego dico, & vos dicite: Et conjungor Christo &c:* Hoc omnibus respondentibus, ter dicit. Deinde ter interrogat: *Christo conjuncti estis?* & ubi responderunt, *conjuncti sumus*, post brevem precatiunculam subjungit: *Ecce renunciastis Diabolo, & Christo conjuncti estis. Completæ sunt tabulæ, & Christus in cœlis eas tenet. Respicite pacta. Tabulas vobis has custodite, in die namque judicii publice sunt proferendæ &c.* Vide *Feblavii notas ad Christophorum Angelum.* p. 482. &c. Pie profecto, Sancte, Religiose! Utinam diei illius quo invocato Christi super nos nomine in ipsius transivimus ministerium, utinam sacratissimi illius pacti quod baptismo signatum est, nunquam dememinissemus! Enim vero utile est affectuoso quodam sermonis apparatu iterum hæc iterumque animis eorum ingerere, qui Christo initiati Dominum eum nuncuparunt. Atque eo fine formulam hanc cum juventute nunc nostra communicamus.

Christi denique voluntati se totum subjiciet: XVII. Porro, qui bona fide Christum Dominum suum esse profitetur, eum oportet summa cum lubentia, sine contradictione, sine murmure, *voluntati* se illius *submittere*: voluntati, inquam, tam *mandanti*, puam *decernenti*; ut & lubenter *faciat* quæ imperantur, & placide *ferat* quæ immittuntur. Servi enim voluntatem cum voluntate Domini

ni sui in omnibus conformari eaque quasi absorberi, par est: ut ei ex animo dicat, *non meus, sed tua voluntas fiat.* Id Deo se debere ad malignam naturæ lucem Gentiles viderunt, qui Christum Dominum ignorabant, a quo nos emti sumus. Divine Epictetus apud *Arrian: Lib:* II. *Cap.* XVII. Μηδὲν ἄλλο θέλε, ἢ ἃ ὁ θεὸς θέλει. *Nihil velis aliud, nisi ea quæ Deus vult.*

XVIII. Sed de *mandante* voluntate primo dicamus. Mentiuntur Tam mandantis
profecto quotquot Christum Dominum vocant, atque interim præceptis ejus non obsequuntur, ob eam rationem quia præcepit. Luc. VI. 46. *Quid me vocatis, Domine, & non facitis quæ dico?* Si tanta sit centurionis alicujus in milites servulumque suum auctoritas, ut ad nutum ipsius proficiscantur, & veniant, & jussa faciant: Mat: VIII: 9. quanto major in suos esse debet, summi imperatoris nostri & Domini, Jesu? Στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου, καὶ αὕτη μακρὰ καὶ ποικίλη, τηρεῖν σε δεῖ τὸ τοῦ στρατιώτου πρόσχημα, καὶ τοῦ στρατηγοῦ πράσσειν ἕκαστα, εἰ οἷόν τε μαντευόμενος ἃ θέλει. *Militia quædam est cujusque vita, longa & varia. Tuendum tibi est militis munus: & quicquid Imperator jusserit, ad nutum ejus exsequendum: & si fieri queat, divinandum etiam quid velit:* dicebat apud *Arrianum Lib.* III. *cap.* XXIV. Epictetus: sed Imperatorem militiæ nostræ Christum ignorabat. Tu nosti, & cum Paulo dicito, *Domine, quid me vis facere?* Act. IX. 6. pendens unice ab ipsius nutu, omnibusque ac singulis mandatis, quantumvis ingrata carni, vel absona fortasse male sanæ rationi videantur, alacri promtitudine obsecundans; tametsi vel in certissimam ire mortem juberet. Si Davidis Heroës, audito volatico Regis desiderio, quo aquam sibi bibendam dari optabat ex cisterna Bethlehemi quæ ad portam est, per castra Philistæorum perruperunt, haustamque e dicta cisterna aquam ad Davidem detulerunt: 2 Sam: XXIII. 15. 16. quid arduum nobis videri debet, quod placere Domino nostro intelligimus? Socrates aliquis Deo dicat: Ἣν ἂν χώραν καὶ τάξιν ἐγχειρίσῃς, μυριάκις ἀποθανοῦμαι πρότερον ἢ ταύτην ἐγκαταλείψω. *Quemcunque mihi locum stationemve assignaveris, decies millies mortem oppetam prius quam ut eam deseram. Arria: ibidem.* Et nos non dicamus cum Paulo? *nullius rei habeo rationem, neque vita mea mihi ipsi chara est ut consummem cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi a Domino Jesu.* Act. XX. 24.

XIX. Nec sufficit quomodocunque facere ea *quæ a* Christo nobis Eo ipso
mandata sunt, nisi & ea propter faciamus *quia mandata* sunt. In eo for- quia mandat:
malis ratio obedientiæ est, ut imperium Christi agnoscentes, ei nos submittamus. Est sane summa in omnibus Christi præceptis æquitas, jucunditas, utilitas; quæ & animadverti a nobis & amari debent, & præcepta ipsa amabilia facere: attamen tum demum ejus apud nos constabit dominium, quum sola jubentis voluntas pro omni ratione stat; etiamsi,

quæ

quæ mentis sæpe nostræ cæcitas est, illius neque æquitatem, neque jucunditatem, neque utilitatem aliquam cerneremus. Hinc illa præceptis sæpe addita: *Ego sum Jehova.* Levit. XVIII. 2. 5. 6. &c. &, *Nonne ego præcepi tibi?* Jos. I. 9. Mascule, ut solet, Tertullianus, *de Pœniten: Cap.* IV. *Nos vero pro nostris angustiis unum inculcamus, bonum atque optimum esse quod Deus præcipit. Audaciam existimo de bono Divini præcepti disputare: neque enim quia bonum idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcipit. Ad exhibitionem obsequii prior est Majestas Divinæ potestatis. Prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis.* Hunc Tertulliani excursum mire firmat Chrysostomus, *Orat:* II. *adversus Judæos.* Θεοῦ προστάττοντος οὐ δεῖ περιεργάζεσθαι τὴν φύσιν τῶν λεγομένων, ἀλλὰ πείθεσθαι μόνον. *Deo præcipiente non est curiose inquirendum in naturam eorum quæ dicuntur, sed obediendum duntaxat.* Et statim: ὁ Θεὸς ἐπέταξε, μηδὲν περαιτέρω ζήτει. *Deus præcepit: nihil ultra quærito.* Vide reliqua: nam prolixus in hanc rem est.

Quam decernenti.

XX. Ad eundem modum *decernenti* voluntati Christi se submittere oportet eum, à quo dominium ejus, ut par est, agnoscitur. Nam si ipse Dominus est, nos peculium ipsius; quis prohibere eum potest quo minus de suo faciat quod vult? Mat. XX. 15. *Imo vero, o homo, tu quis es qui ex adverso responsas Deo? num dicet figmentum fictori, cur me tale fecisti? An non habet potestatem figulus in lutum?* Rom. IX. 20. 21. Præclara submissionis hujus exempla habemus in Aarone, Lev. X. 3. Eli, I. Sam. III. 18. Davide. 2. Sam. XV. 27. 29. 30. Ezechia. Jes. XXXIX. 8. Sic omnes decet. Nam & *frustra* dispensationi ejus obnitaris, & *improbe. Frustra*: quia volentem ducit, nolentem trahit. *Novi te omnia posse,* ולא יבצר ממך מזמה, *& non amputabitur a te cogitatio*, nulla cogitationum tuarum in cassum recidet, vel, *non est ardua præ te cogitatio*, quam tu non superes, quæque non frustra adversus te machinetur. Job. XLII. 2. *Improbe:* quia æquius est te Domino cedere, quam Dominum tibi: & omnia quæ tua sunt pessum ire, quam ut sacratissimæ illius voluntati vel tantillum decedat. Nam & *Justus* est Dominus noster, Rom. IX. 14. qui *propter judicium & multitudinem justitiæ non opprimit quenquam:* Job. XXXVII. & *Sapiens*, qui infinito melius rebus nostris consultum novit, quam ipsi nos: & *Bonus*, qui peculio suo conservando, ornando, amplificando, diligentius quam nos incumbet, suisque omnia in bonum vertet, etiam quæ pessima esse videbantur. Enimvero injurius est in Dominium Christi qui non melius sibi fore firmiter statuit, quando ex Christi voluntate res fluunt, quam quando ex sua.

Ne pudorem hic nobis Gentiles incutiant.

XXI. Turpe profecto atque pudendum est, si non *Fides* eam *nos* observantiam erga *Christum* doceat, quam *natura Gentiles* docuit erga *Deum.* Illi

Illi viderunt, *Viri boni* officium *esse præbere se fato.* Seneca *de Provid.* *Cap.* V. *& Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione imitari.* *Epist.* CVII. Illi sciverunt, nihil æquius esse, quam ut voluntatem nostram postponamus Divinæ, aut potius dedamus absorbendam ab ea. Supra Philosophum Epictetus, apud *Arrian. Lib.* III. Cap. XXVI. προσκατατέταχα μου τὴν ὁρμὴν τῷ Θεῷ. Θέλει μ' ἐκεῖνος πυρέσσειν; Κἀγὼ θέλω. Θέλει ὁρμᾶν ἐπί τι; Κἀγὼ θέλω. Θέλει ὀρέγεσθαι; Κἀγὼ θέλω. Θέλει με τυχεῖν τινός; Κἀγὼ βούλομαι. Οὐ θέλει; οὐ βούλομαι. *Appetitum meum obedientem præbui Deo. Vult ille, me febricitare? volo ipse. Vult, me animum aliquo convertere? & ego volo. Vult, appetere? & ego volo. Vult, me aliqua re potiri? Ipse similiter volo. Non vult? nolo.* Seneca pariliter: *Epistol*: LXXIV. *Placeat homini quicquid Deo placuit.* Illi docuerunt, frustra se eum lassare qui Divinæ obnititur voluntati: quo facit elegans illud Palladæ distichon *in Anthol. lib.* I. *Cap.* XIII.

Εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρε καὶ φέρου, εἰ δ' ἀγανακτεῖς,
Καὶ σ' αὐτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ φέρον σε φέρει.

Si te fata ferunt, ferto fertorque. gravatim
Si fers, te crucias, nec minus illa ferunt.

Illi sanciverunt, melius nobis esse quod Deus vult, quam quod nos. Epictet: apud *Arri. lib.* IV. *Cap.* VII. Ἀεὶ μᾶλλον ἐκεῖνο θέλω, τὸ γινόμενον, κρεῖττον γὰρ ἡγοῦμαι ὃ Θεὸς θέλει, ἢ ἐγώ. προσκείσομαι διάκονος, καὶ ἀκόλουθος ἐκείνῳ. συνορμῶ, συνορέγομαι, ἁπλῶς συνθέλω. *Semper illud potius volo quod fit. Melius enim id judico quod Deus vult, quam quod ego. Adhæreo illi ut minister, & pedissequus: cum illo desidero, cum illo expeto, denique quod ille vult, idem & ipse volo.* Imo & eo usque sunt progressi, ut non *patienter* modo, sed & *lubenter, & cum gratiarum actione,* omnia a Deo suscipienda esse disputaverint, nec disputaverint tantum. Idem epictetus (ab illius enim, quem sæpe in manus resumo, lectione nunc recens, non tempero mihi quin pulcherrima hæc scita auditoribus meis impertiam) *Lib.* III. *Cap.* XXVI. Ἀνδρὶ ἀγαθῷ οὐδὲν ἐστὶ κακὸν, οὔτε ζῶντι, οὔτε ἀποθανόντι. τί οὖν; ὅταν μὴ παρέχῃ τροφάς; Τί γὰρ ἄλλο, ἢ ὡς ἀγαθὸς στρατηγὸς τὸ ἀνακλητικόν μοι σεσήμαγκε; πείθομαι, ἀκολουθῶ, ἐπευφημῶν τὸν ἡγεμόνα, ὑμνῶν αὐτοῦ τὰ ἔργα. Καὶ γὰρ ἦλθον ὅτ' ἐκείνῳ ἔδοξε, καὶ ἄπειμι πάλιν κατὰ τὸ ἐκείνῳ δοκοῦν καὶ ζῶντός μου τοῦτο τὸ ἔργον ἦ, ὑμνεῖν τὸν Θεὸν, καὶ αὐτὸν ἐπ' ἐμαυτοῦ, καὶ πρὸς ἕνα, καὶ πρὸς πολλούς. *Bono viro nihil est malum, vel viventi, vel mortuo. Quid ergo, quum victum non præbet? Quid vero, vel nisi ut Imperator bonus receptui mihi cecinit? Pareo, sequor, collaudo Imperatorem, facta ejus prædico. Nam & quum illi visum est, veni. Rursus abeo, quum illi visum est. Meum, dum viverem, munus fuit, Deum celebrare, tum ipse mecum, tum apud singulos, tum apud multos.* Iterumque *Lib.* IV. *Cap.* VII. Χάριν ἔχων ὑπὲρ πάντων τῷ Θεῷ μηδαμοῦ μεμφόμενος μηδενὶ τῶν ἐφ' αὐτοῦ γινομένων. *Gratias agens*

Deo pro omnibus nusquam quicquam ab illo factum reprehendens. Ex his omnibus intulerunt, nihil homini probo & decentius & conducibilius esse, quam Deum vocantem quocunque sequi; jubentes semper in promtu habere Cleanthis illud, quod Seneca ita transtulit. *Epist.* CVII.

Duc me parens, celsique dominator poli,
Quocunque placuit. nulla parendi mora est.
Assum impiger. fac nolle. comitabor gemens,
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

Aurea hæc sunt, & gemmea, quæ, Gentilibus tanquam injustis possessoribus erepta, nostræ sunt transscribenda philosophiæ, ipsaque πράξει ad Christum transferenda, si, dum Dominum eum vocamus, mentiri nobis religio est.

Dominium Christi uberrima fidelibus consolationis scaturigo est.

XXII. Porro quis dubitet, quin maxima piis hominibus CONSOLATIO ex hoc fonte scaturiat, quod immanissimorum tyrannorum sævis imperiis exemti, non Diaboli amplius, non peccati, non sui, sed Christi Domini sunt? Nam & *gloriosissimum* est, tam Sapienti, Justo, Forti, Felici, omnibusque modis Augusto, parere Domino. Conf. 1 Reg x. 8. Et *jucundissimum* ei subesse, *cujus sceptrum est sceptrum rectitudinis*, Ps. XLV. 7. *cujus præcepta recta sunt, lætificantia animum, & desiderabiliora auro, & quidem auro purgatissimo quam plurimo, ac dulciora melle, & quidem acoeto melle.* Ps. XIX. 9. 11. qui levato jugo, non *Satanæ* solum & *peccati*, quod omnibus incumbebat mortalibus, sed & priscarum *ceremoniarum*, quod graviter patrum maxillas pressit, suum nobis imponit, quod *leve* ac *suave* est, & in solis amabilissimæ charitatis officiis consistit: qui, ut verbo dicam, nihil suis injungit, cujus non ipse prior in se ediderit exemplum. Joh. XIII. 15. & bonitate ac clementia tantum mortalium omnium indulgentiam superat, quanto cœlum sublimius terra est. Ps. CIII. 11: Mich. VII. 18. Suosque non in *servorum*, sed *amicorum*, Joh. XV. 14. 15. imo, ut nuper vidimus, *fratrum* loco habet. *Utilissimum* denique est eum Dominum habere, qui & *Sapientissimus* est, ut suorum prospiciat commodis; & *Potentissimus* simul, ut adversus omnem, tam *vim*, quam *fraudem* hostilem, tueatur; idemque *Ditissimus* ac *Liberalissimus*, qui omni eos bonorum affluentia, tam corporalium quam spiritualium ac cœlestium, locupletet, tandemque universæ gloriæ suæ, pro singulorum captu, compotes consortesque faciat. Quæ res fuse deduci possunt, amplamque piis meditationibus materiam suppeditant. Sed ad incarnationis Christi Oeconomiam properamus.

EXER-

EXERCITATIO XIV.

DE

JESU CHRISTO, CONCEPTO E SPIRITU SANCTO, NATO EX MARIA VIRGINE.

BREVIARIUM.

1. *Incarnatio Filii Dei olim promissa, quando se in medio populi ambulaturum pollicitus est.* 2. *Illiusque praeludia quaedam antiquis exhibita.* 3. *Partitio eorum, quae de hoc mysterio dicenda sunt.* 4. *Solus Filius incarnatus est.* 5. *Illius rei rationes.* 6. 7. *Incarnationis modus exponitur.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Quae consistit in assumtione humanae naturae in individuam unitatem Divinae personae.* 14. *Incarnationis princeps caussa Deus est.* 15. 16. *Sigillatim tamen Spiritui S. adscribitur.* 17. *Zach.* VI. 12. 13. *exponitur.* 18. *Mariae quoque in hac consideratione locus est.* 19. 20. *Quae, stemmate; ex Davidis domo.* 21. 22. *Conditione; intacta Virgo fuit.* 23 *Et illibata Virginitate, vere tamen Christi mater facta est.* 24. 25. 26. 27. *Anabaptistarum periculosus de origine carnis Christi error.* 28. *Fructus incarnationis Christi.* 29. *Qui*, homo *factus*, *Mediator noster est.* 30. 31. *Et legem homini praescriptam complere idoneus.* 32. *Quod aurium perforatione aenigmatice significatum est.* 33. *Porro*, ex hominibus *factus est, ut noster esset Goël.* 34. 35. 36. 37. 38. *Cujus vis vocis exponitur.* 39. *Ex* Virgine *prognatus, ut omnis labis purus esset.* 40. 41. 42. *Quae puritas nativitatis Christi, pars est universalis justitiae illius, nostro originali peccato directe opposita.* 43. 44. 45. 46. *Praxis hujus articuli.*

I. INter eximias illas promissiones, quibus Israëliticum populum summi numinis bonitas mactavit, principem merito locum illa obtinet, qua *se in medio illius ambulaturum esse* addixit. Lev. XXVI. 12. Pollicitationi isti non uno modo graduque a Domino satisfactum est. I. Quando structo *tabernaculo conventus*, & fabricata *arca testimonii* ac foederis, iis, velut singularis praesentiae suae symbolis, populum decoravit. De *tabernaculo* enim dixit: Exod. XXIX. 42. 43. 46. *Conveniam vobiscum intra portam tentorii conventus, alloquendo te ibi. Conveniam illuc cum filiis Israël, & habitabo inter filios Israëlis, ac ero illis Deus.* In *arca* autem proficiscebatur ipse Jehova in conspectu illorum, explorando iis locum quietis. Num. X. 33. 35. Adde Exod. XXV. 25. II. Quum praeter *Symbolicam* illam praesentiam, se iis *favore, gratia*, promtissimoque *auxilio*

Incarnatio Filii Dei olim promissa, quando se in medio populi ambulaturum pollicitus est.

xilio præsto esse comprobaret. Qua de re Jeremias Cap. VIII. 19. *An Jehova minime est Zione? an rex ejus minime est in ea?* & Ps. XLVI. 6. *Deus est in medio illius, non dimovetur illa.* & Ps. LXV. 12. *Orbitæ illius stillant pinguedinem.* III. Imprimis quum adaptato sibi *corpore humano*, terram Israëlis perambulans, populum suum comiter visitavit. De qua visitatione Zacharias, Cap. II. 10. *Cane & lætare filia Zionis, quia ecce venturus sum, & habitaturus in medio tui, dictum Jehovæ.* Atque alter iterum Zacharias, Luc. I. 78. *invisit nos* ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Et Johannes, Cap. I. 14. *Sermo ille factus est caro, & commoratus est inter nos.* Græce, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Id est, in carne, tanquam in habitaculo aut tabernaculo suo, inter nos conversatus est, sicuti Divina שכינה olim in templo fuit. Patres dixerunt ἔνσαρκον ἐπιδημίαν. Mysterium illud, quum spei nostræ fundamentum, & lætitiæ omnis scaturigo sit, attenta nobis mente lustrandum est.

Illiusque præludia quædam antiquis exhibita.

II. Futuræ incarnationis *præludia* pridem exhibita Veteribus sunt, non modo in *Symbolis* quibusdam, in quibus *arca fœderis* eminuit, cujus *aurum* significabat *æternitatem, gloriam, & præstantiam Deitatis* Christi, *lignum* vero *humanæ naturæ humilitatem*, juxta quam *fructus terræ* est. Jes. IV. 2. sed & in *visionibus exstaticis*, qualis *Ezechieli* obtigit. Cap. I, 26. & *Danieli*, Cap. VII. 13. quibus se Deus sub specie humana, sed solito augustiore, conspiciendum præbuit: non ut Antropomorphitis vel Iconoplastis peccandi daretur occasio; sed ut in schemate prophetico admirandæ ἐνανθρωπήσεως adumbraretur mysterium. Imprimis autem id præsignificarunt *apparitiones* illæ Dei, *Abrahamo*, aliisque factæ, quando assumta humanæ naturæ forma, ore ad os ab iis conspectus, hospitio exceptus, & mensæ admotus est. Quo referri potest illud Christi, Joh. VIII. 56. *Abrahamus pater ille vester gestivit videre diem istum meum, & vidit, ac gavisus est. Dies Domini* est *adventus ejus in carnem.* Mal. IV. 5. Is postquam promissus erat Abrahamo, gestivit *eum videre:* quod & obtinuit quodammodo; non solum *oculis fidei* Jehovam incarnandum contemplans, & quasi præsentem sibi sistens: sed & cominus eum conspiciens, *in assumpta* hominis figura, edentem, bibentem, & familiariter secum colloquentem. Consimiles apparitiones obtigerunt *Jacobo*, in specie colluctantis viri. Gen. XXXII. 24. 31. *Josuæ*, in forma hominis armati. Jos. V. 13. *Gideoni*, sub quercu in Ophra Jud. VI. 11. *Manoæ* & uxori. Jud. XIII. 3. Quibus prælusum fuit Prophetiæ illi, quæ exstat Jes. LII. 8. *Vocem speculatores tui, attollunt vocem, pariter cantant,* כי עין בעין יראו, *quia oculis coram intuentur*, eum nimirum *qui proloquitur, ecce me*, vers. 6.

Partitio eorum quæ de hoc mysterio

III. Nobis autem, quibus res pridem facta narratur, singula distinctius examinanda sunt. Quæ ad IV summa capita referimus. Sunt ea

ca I. *ἐνανθρωπήσεως subjectum.* II. *Modus.* III. *Caussa* IV. *Fructus*, at- rio dicenda
que utilitas. sunt.

IV. *Subjectum* incarnationis, sive is qui homo factus est, non est *Pater*, Solus Filius neque *Spiritus Sanctus*; sed *solus Filius*. *Verbum caro factum est*. Joh. I. incarnatus. 15. Deus *Filium suum misit, factum ex muliere*. Gal. IV. 4. *Jesus Christus in carnem venit*. I Joh. IV. 2. Eadem quidem est trium in Deitate personarum essentia, atque operatio. Verum non *essentia* Divina carnem assumpsit, sed *persona* quædam: essentia saltem non aliter, nisi quatenus characterisata, & quasi restricta est in persona Filii. Non sane absuit vel Pater, vel Spiritus Sanctus, quum Filius incarnatus est: totius adorandæ Trinitatis gloria in carne Christi conspicitur. Joh. XIV. 7. 9. Joh. I. 18. 2 Cor. IV. 6. Attamen non quia Pater in Filio est, ideo Pater quoque cum Filio *est incarnatus*, sed *est in incarnato*. Joh. XIV. 10. Eadem certe Patris, Filii, ac Spiritus Sancti voluntate corpus, Deitatis futura sedes, factum est. sed qua voluntate Pater & Spiritus Sanctus corpus illud voluerunt esse Filii, eadem voluntate Filius id voluit esse suum, ideoque ex communi consensu non nisi Filii esse potuit. Heb. X. 5.

V. Cur autem *Filius* præcise homo factus sit, illius rei nulla certior Illius rei dari potest ratio, quam Divini consilii, sapientissima semper, *εὐδοκία*. Post- rationes. quam tamen illud nobis consilium patefactum est, non difficulter animadvertit fides, virtutibus id Divinis convenientissimum dignissimumque esse. Nimirum conveniens est, I. Ut per quem *creatus* fuerat homo, Joh. I. 3. Col. I. 16. per eundem etiam *renovetur*, & quasi *recreetur*. Eph. II. 10. II. Ut is qui Personale Dei *verbum est*, Joh. I. 1. nobis ea *Dei verba prædicaret*, quæ se locuturum esse in extremo dierum promisit; & quæ præter Deum nemo potest dicere. Joh. III. 34. III. Ut is qui *Filius* Dei est per *naturam*, nos faceret Dei *filios* per *gratiam*. IV. Ut *imago Dei* gloriosa per eum in nobis instauraretur, qui ipse *imago Patris*, Col. I. 15. & *Character hypostaseos illius est*. Heb. I. 3. Denique non potuit immensus Patris amor luculentius demonstrari, quam Filium suum unigenitum nobis, & pro nobis, dando. Joh. III. 16.

VI. Ad MODUM incarnationis primo pertinet illius *veritas*. Non Incarnatio- enim *κατὰ δόκησιν* Filius Dei homo factus est, sed *reipsa*. Heb. II. 14. 17. nis modus Habens omnes *partes* hominis *essentiales*, tam *animam*, Jes. LIII. 11. Mat. exponitur. XXVI. 38. quam *corpus*. Mat. XXVI. 26. phantasmati ac spectro oppositum. Mat. XIV. 26. 27. Et utriusque *facultates* atque *affectiones*, in *corpore* quidem, *dimensionem ac palpabilitatem*. Luc. XXIV. 39. ac *statura incrementum*. Luc. II. 40. in *anima* vero, *intellectum* finitum ac circumscriptum. Luc. II. 52. Mat. XIII. 32. & *voluntatem* a Divina distinctam. Mat. XXVI, 39. Expertus quoque est *famem*, Mat. IV. 2.

ſitim, Joh. XIX. 18. *ſomnum*, Mat. VIII. 24. *laſſitudinem*, Joh. IV. 6. *triſtitiam*, Mat. XXVI. 37. *Lacrymis* ſe prodentem. Joh. XI. 35. Luc. XIX. 41. Breviter, *Filius hominis venit edens ac bibens*. Mat. XI. 19. & *habitu inventus eſt ut homo.* Phil. II. 8.

VII. Porro facta eſt incarnatio Filii Dei, I. Non per *mutationem* Deitatis in humanitatem, quippe quæ mutationis omnis expers eſt. Mal. II. 6. Jac. I. 17. quod inepte homines imperiti ad Deitatem Patris reſtrinxerunt; quum Deitas non niſi unica ſit, idemque de Deo Filio dicatur. Pſ. CII. 28. coll. cum Heb. I. 11. qui etiam homo factus Deus manſit. Rom. IX. 5. II. Non per *confuſionem* utriuſque naturæ in unam. Utraque enim diſtincte in Chriſto eſt, cum diſtinctis utriuſque proprietatibus. Rom. I. 3. 4. 1 Tim. III. 16. III. Non per *creationem* humanæ naturæ ex nihilo, aut *deſcenſum* ejuſdem *e cœlo*: tunc enim *homo* quidem, ſed non *Filius hominis*, neque *proximus* noſter, neque *ex fratribus* eſſet; quod tamen eſſe debuit, uti mox oſtendemus. IV. Non denique per *apparitionem breviculam* κατὰ παράστασιν in carne perſonaliter ſibi non unita, quomodo & olim viſum eſſe mox jecimus, & Patrem quoque ac Spiritum Sanctum apparuiſſe pii veteres, neque ſine ratione, crediderunt. Gen. XVIII. 1. 2.

Quæ conſiſtit in aſſumtione humanæ naturæ in individuam unitatem Divinæ perſonæ.

VIII. Sed per *aſſumtionem humanæ naturæ in unitatem individuam Divinæ perſonæ.* Eo enim *aſſumtionis* termino ipſe Spiritus Sanctus utitur. Phil. II. 7. μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος. *formam ſervi aſſumſit, ſimilis hominibus factus.* *Ubi forma ſervi* non quidem præciſe *humanam naturam qua talem* ſignificat: hanc enim adhuc retinet, forma ſervi poſt reſurrectionem depoſita, & nunc ſe gerens ἶσα Θεῷ, *inſtar Dei*, non diſſimulata amplius Majeſtate. Sed *forma ſervi* notat *conditionem humanitatis abjectam*, ſive humanam naturam in ſtatu ſervili. Hanc aſſumſit ſibi Chriſtus, dum ſe exinanivit, & in ſimilitudine hominis eſſe cœpit, manens interim id quod ab æterno eſt, ἐν μορφῇ Θεοῦ, *in forma Dei*, vere Deus, & ut talis manifeſtatus, cognitus, agnitus. Forma enim notat rem ipſam veram, eamque manifeſtam factam.

IX. Eadem res innuitur Heb. II. 14. *Sicut pueri communionem habent* (κεκοινώνηκε) *carnis & ſanguinis, ipſe ſimiliter* μετέσχε τῶν αὐτῶν *particeps factus eſt eorundem.* *Eandem* carnem & ſanguinem quam pueri habent, Chriſtus quoque habet. Sed *non eodem modo* habet Chriſtus, quo modo habent pueri. Illi κεκοινωνήκασι *communem* inter ſe habent naturam, & præter illam nullam habent. Iſte vero μετέσχε, *una cum* alia natura quam ab æterno habebat, *poſtmodum* cum illis habere cæpit carnem & ſanguinem: præexſtitit illi naturæ in cujus deinde participationem venit, quippe qui fuerit κατ᾽ ἀρχὰς, *quum fundaretur terra.* Heb. I. 10.

X. Neque aliud voluit Apoſtolus, quum dixit, *Deum manifeſtum, factum*

ßum esse in carne. I Tim. III. 16. Scilicet, is qui Deus est, neque desinere potest esse id quod est, visus, auditus, manibus palpatus est in carne, in corpore humano rationali anima agitato: quod sibi ipsi (ita Athanasius) ut ὄργανον ἐνυπόστατον ἰδιοποίησε, *instrumentum personaliter unitum proprium fecit*, cujus oculis videret, cujus auribus audiret, cujus manibus ageret, cujus pedibus medium populum suum perambularet, in quo & pateretur & glorificaretur, & moreretur & reviviſceret: ita quidem ut actiones per illam carnem exercitæ, propter arctiſſimam illius cum Deo Filio unionem, non minus Dei sint, quam creatio vel gubernatio universi: utque ad conspectum illius hominis dici debeat, *Ecce Deus noster hic est. Exspectavimus eum & servabit nos. Hic est Jehova, quem exspectavimus, exsultabimus, & lætabimur de salute ejus.* Jes. XXV. 9. Respondet hoc Apostoli dictum phrasi propheticæ, Jes. XL. 5. ונגלה *& revelabitur gloria Domini.* ad quod vaticinium Johannes alludit. Joh. I. 14.

XI. Eodem tendit Joh. I. 14. *Et sermo ille*, qui ab initio erat, & apud Deum erat, & Deus erat, σὰρξ ἐγένετο *caro factus est*, cœpit esse homo: non utique per transmutationem Deitatis in humanitatem sed per tam arctam humanæ carnis secum unionem, ut ea persona quæ hactenus nil nisi Deus fuit, nunc etiam homo facta sit. Similis phrasis in primi hominis creatione occurrit. Gen. II. 7. ויהי האדם לנפש חיה. Quod Apostolus vertit. I Cor. XV. 45. Ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν. Hactenus homo plasma fuerat pulvereum: postquam vero Deus halitum vitæ ei inspiraverat, *factus est in animam viventem*, id est animal vivens, non abjiciens naturam pulveream, sed accipiens animam. Ad eundem modum, quatenus humana Divinis comparare fas est, Sermo caro factus est, non cessans esse quod erat; sed accipiens naturam humanam, cujus antea non μετέσχε. Non latuit antiquos doctores dicti hujus efficacia. Tertullianus *contra Praxeam. Cap.* XXI. *Imprimis ipsa statim præfatio Johannis Euangelizatoris demonstrat, quod retro fuerit, qui caro fieri habebat.*

XII. Insurgit Socinus, verba vertenda esse, *& sermo erat caro*: contenditque additam esse hanc pericopam, ne quis ex metaphorico loquendi modo, quo usus fuerat Johannes, præstantiam Sermonis deprædicans, colligeret, verbum hoc substantiam incorpoream, vel naturam Divinam atque æternam fuisse: ideo aperte confitetur, eum fuisse carnem, id est hominem inbecillum, ærumnosum, despectum: ut ita dubitationem omnem tolleret, quæ in legentium animis oriri potuisset. Et ne cui mirum videatur, τὸ ἐγένετο explicari per τὸ ἦν, adducit Luc. XXIV. 19. ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης &c. quod vertit, *qui fuit vir Propheta.*

XIII. Sed omnino hic hæreticum ratio fugit. Non enim descripserat nobis Johannes Christum, ut Deum *metaphoricum*, sed *verum*: I Joh. V. 20.

v. 20. eoque nomine ab omnibus λεγομένους θεοὺς, *nominatis diis*, distinctum. 1 Cor. VIII. 5. 6. Neque opus habuit verborum aliquam correctionem adhibere, ne quis magnificentius quam par est de Christo sentiret. Omnis enim humana cogitatio, sermo omnis, longe subsidet infra illius præstantiam *qui Deus est supra omnes benedictus in secula.* Rom. IX. 5. Et si id intendisset, quod Socinus dictitat, non adhibuisset ejusmodi vocabulum, quod citra omnem controversiam plerumque & proprie significat *factus est*, sive esse incepit, atque ita patrocinatur potius sententiæ illi, quam erroris arguit hæreticus: sed dixisset perspicue, ὁ λόγος ἦν σάρξ. Præterea, etiamsi fortasse τὸ γίνεσθαι pro εἶναι aliquando apud scriptores Græcos occurrat, rariusculum tamen illud, & Poeticum, atque abusivum est, uti diligentissimus Interpres ex Moschopulo observavit. Neque temere illius significationis exemplum ex sacris literis allegabitur. Nam quod Socinus profert, alienum est. Id verum est, verbum γίνεσθαι sæpe usurpari ubi significat *demonstrare se talem*, gerere se pro tali, inveniri talem. Vide Mat. v. 45. 1 Thes. II. 5. 7. 10. Rom. III. 4. Ita etiam Luc. XXIV. 19. Sensus est, inventus est Propheta, & demonstravit se talem, coram Deo & universo populo: petendaque illius loci explicatio ex Act. II. 22. *virum a Deo demonstratum ad vos virtutibus atque prodigiis.*

Incarnationis princeps caussa Deus est.

XIV. Nunc, de quo tertio nos loco dicturos esse polliciti sumus, CAUSSAS incarnationis indagemus. Ubi primo ad ipsum assurgendum est *Deum*, rei tam admirabilis *principem auctorem.* Jer. XXXI. 22. *Dominus creat rem novam in terra: fœmina ambit virum. Mulier* aliqua, in qua nil hic observandum venit præter fœmineum sexum, *ambit*, non amplexu, sed conceptione in utero, *virum*, id est, *filium masculum*, Ap. XII. 5. Atque ita quidem ut hæc circumdatio viri per fœminam solius Dei opus sit, non mariti, non hominis alicujus cum ea congressi. *Dominus* id *patrat:* sive *creat*, ברא, solo voluntatis suæ jussu facit existere; uti *rem novam*, cui nihil par aut geminum unquam visum sit: quæ nunc tamen visa est *in terra*, illa, inquam, terra Israëlis, ad quam se in medio populi sui venturum aliquoties Deus pollicitus est. Explicatio hæc plana est, analogiæ fidei, & proprietati verborum consentanea, scopo quoque sermonis Prophetici apprime conveniens. Revocat enim virginem Israëlis, filiam aversam, ad viam illam rectam & munitam, quam calcaverant patres ipsius in fide. Certum autem est, hunc præcipuum esse ac capitalem aversæ Israëlis errorem, quod Messiam sibi Divinitus datum non agnoscat. De illius nativitate prophetaverat, cap. XXX. 21. *Et existet dux ejus ex ipso.* Eam pluribus descripserat, ex adjuncto comitante, *infanticidio Bethlehemitico*, hoc ipso capite. vers. 15. Nunc aliud signum addit, *creationem rei novæ*,

nati-

nativitatem ex virgine: inclamans, *quousque circumduces te, in viis* deviis, a Deo tuo, a salute, a semitis priscorum patrum abducentibus, *o filia aversa*, variisque erroribus acta: iis quæ dicturus sum attende, res inusitata facta est in terra, quæ a seculo non est audita, quam tamen patres exspectarunt, *fœmina circumdat virum.* Crede mihi, ab hoc mysterio, illiusque agnitione, *restitutio jacturæ tuæ, & irrigatio animæ defessæ, & impletio animæ mœstæ*, dependent.

XV. Tota ad hoc opus concurrit Sacrosancta Trinitas. Hinc singulis adscribitur personis; *Patri*, Heb. x. 5. *Filio*, Phil. II. 7. *Spiritui Sancto.* Luc. I. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te.* & Mat. I. 18. *Uterum gerens ex Spiritu Sancto.* iterumque, vers. 20. *quod in illa nascitur ex Spiritu Sancto est.* Quæ multo simplicius de tertia Deitatis persona, quam de Filio secundum Divinam naturam, exponuntur. Quomodo autem Spiritus in beata Virgine operatus sit, satius & castius multo est, ad ipsius Dei exemplar, sacri silentii sipario obtegere: quam audaci animo, ore, calamo, determinare. Sufficiat scire, gemino miraculo Spiritus S. opus distinctum fuisse. I. Fœcundatione uteri virginis. II. Sanctificatione fructus ventris, quem virgo conciperet & pareret. Sigillatim tamen Spiritui S. adscribitur.

XVI. Non tamen hæc conceptio, Spiritui Sancto speciatim attributa, efficit eum propterea *Patrem Christi*: aliud quippe est aliquid *ex materia aliunde sumta formare*; aliud ex *propria substantia generare.* Non diffitemur, Deum omnium hominum, propter creationem & conservationem, parentem metaphorice vocari, & *hactenus* etiam Spiritum S. *humanæ* Christi *naturæ patrem quodammodo* posse dici; quum tamen generatio non *naturæ* proprie, sed *personæ* sit, persona autem Christi non sit genita a Spiritu S. neque usquam in Scriptura Spiritus Sanctus Christi Pater dicatur: nobis quoque ab ea phrasi religiose est abstinendum.

XVII. Facta hæc sunt juxta pactum conventum Patris & Filii, sive, ut Zacharias ait, *Cap.* VI. 12. 13. juxta *consilium pacis*, quod est inter *Jehovam exercituum*, Patrem, & *Virum*, Filium, futurum hominem; cujus viri nomen est *Germen*, quippe ex Deo ortum, Jes. IV. 2. Mal. I. 12. & stirps nova novi generis, sive filiorum Dei secundum Spiritum. Quod germen מתחתיו, *de subter se germinabit:* id est, ut Aben Ezra מאליו *a semetipso*, nullo satu, nulla viri, propria sua virtute, proveniet: nasciturum quippe ex virgine. Et *ædificabit templum Jehovæ, templum Jehovæ ædificabit*: tam *templum corporis* sui *naturalis*, Joh. II. 21. *in quo omnis plenitudo Deitatis habitabit corporaliter.* Col. II. 9. (quod *ædificavit, primo* quum voluntate sua homo nasceretur, dein, quum resurgeret ex mortuis: utroque modo suis factus למקדש, *in Sacrarium.* Jes. VIII. 14.) quam *templum corporis mystici*, id est Ecclesiæ. Zach. VI. 12. 13. exponitur.

1 Cor. III. 16. 2 Cor. VI. 16. Eorundem enim verborum repetitio facit ut de non uno templo cogitemus.

Mariæ quoque in hac consideratione locus est.

XVIII. Sed nec caussarum ordine omnino excludenda *Maria* est. De qua tria potissimum observanda sunt. I. *Stemma*, ex semine Abrahæ, gente Israëlis, tribu Judæ, domo Davidis. II. *Conditio*, illibatæ virginitatis. III. *Schesis ad* Christum, uti veræ Matris.

Quæ stemmate, ex Davidis domo,

XIX. Necesse fuit juxta Prophetias Messiam *semen Abrahæ* esse. Gen. XXII: 18. coll. cum Gal. III. 16. ex posteris *Israëlis*, qui hæres avitæ promissionis dictus est. Gen. XXVIII. 14. ex *tribu Judæ*, ad quam eadem restricta est hæreditas. Gen. XLIX. 8. 10. ex *domo Davidis*. Ps. CXXXII. 11. coll. cum Act. II. 30. & quidem quando posteritas Isai futura erat גזע *truncus succisus*, sine flore, fronde, germine, ornatu. Jes. XI. 1. Omnia hæc in Maria concurrerunt. Quæ ex *tribu Judæ* fuit: nam *manifestum est ex Juda exortum esse Dominum nostrum*: Heb. VII. 14. & ex *domo Davidis*. Nam ea verba, ἐξ οἴκου Δαβίδ Luc. I. 17. non minus ad Mariam referri debent quam ad Josephum. Et quam afflicta tunc familia illa ac pene nulla fuerit, ex eo patet, quod Josepho, cui desponsata erat Maria, res ad securim ac dolabram redierat: uti etiam proximos Christi agnatos, propter paupertatem & manus labore callosas, irrisos Domitiano fuisse, Ecclesiæ testatur historia.

XX. Nec repugnat huic genealogiæ, quod Elisabet *cognata Mariæ*, Luc. I. 36. eademque *ex filiabus Aaronis*, fuisse dicatur. ibi: vers. 5. Nihil enim obstat quo minus Mater Mariæ ex tribu Levi, & Aaronis familia fuerit: suntque ex Veteribus qui eam tradant Elisabethæ fuisse sororem. Fieri etiam potuit ut Elisabethæ mater vel avia ex tribu Judæ fuerit, adeoque Mariæ patrem quantumvis propinqua consanguinitate attingens: pater vero vel avus ex tribu Levi. Familia autem, juxta tritissimum Judæorum canonem genealogicum, non ex matre, sed ex patre censetur. Quod nonnulli objectant, nefas fuisse Israëlitis, uxorem ducere, vel nubere, extra suam cuique tribum, gratis sumitur: saltem universale non est. Non invenimus ejus rei in sacris monumentis interdictum. Exempla vero exstant in contrarium. Aaron, *Levita*, duxit *Aminadabi filiam, sororem Nahassonis*, Exod. VI. 22. qui fuit *princeps filiorum Juda*. 1 Chr. II. 10. Si excipias, ante legem hoc esse factum: en exemplum aliud, post legem. *Jojada Sacerdos*, consequenter *Levita*, Aaronides, duxit in uxorem *filiam Regis Jehoram*, ex tribu Judæ, domo Davidis. 2 Chr. XXII. 11. Si instes, plus indultum fuisse Sacerdotibus Levitisque quam aliis tribubus; non, quod jure possem, privilegii nunc istius tabulas exigam, sed moneo id sufficere ad tollendam eam de qua agimus difficultatem. Potuit enim ex hac hypothesi pater Elisabethæ, Aaronides, uxorem sibi sumere e familia Davidis, atque ita Mariæ parentibus cogna-

cognata [redacted] Sed & in aliis tribubus idem videmus. Certe *David Judæus*, uxorem habuit filiam *Saulis Benjaminitæ*. Nec ulla lex in contrarium reperitur. Nam Num. xxxvi.6. est determinatio specialis casus in virginibus ἐπικλήροις, ad quas devolvitur tota hæreditas, omni virili stemmate defuncto: quarum matrimonia non solum *suæ tribus*, sed & *suæ familiæ* hominibus adstricta erant. Istiusmodi autem specialis determinatio communem libertatem firmat potius, quam tollit. Porro talem virginem ἐπίκληρον Mariam fuisse, ideoque Josepho ut proximo agnato desponsatam, vero non absimile est. In cæteros genealogiæ, difficiles satis, nodos, non libet nunc nos induere. Impiis Scripturarum irrisoribus abunde a viris doctissimis satisfactum est.

XXI. Ex *Virgine* nasciturum Messiam, prædictum est. Jes. vii. 14. Conditione,
coll. cum Mat. i. 21. Circa quem locum frustra Judæi cæci & stulti de intacta Virgo fuit.
significatione vocis עלמה digladiantur, qua nulla efficacior in Hebræa lingua exstat ad intactæ virginitatis fœmellam exprimendam. Talem se fuisse Maria coram Angelo profitetur. Luc. i. 34. nec vanitatis ab eo redarguitur. Josephus autem angelo monitore discit, sponsam suam non ex congressu viri, sed Sancti Spiritus influxu, esse gravidam. Mat. i. 20. Et quis nunc in dubium vocet, quin virgo conceperit, virgo pepererit? Quum ne infensissimi quidem Christi hostes, inter tot quibus eum lacerarunt convitia, vel minimum ei materni probrum thalami contumeliose objecerint, quum nihil fuerit facilius, quam sontem adulterii convincere, plectere, jubente lege, nec repugnante sponso: quumque uno ictu omnem filii gloriam ignominiose matris supplicio pessundare potuerint. Cui etiam non plane prostituti pudoris fœminæ in mentem venire queat, ut se Virginem peperisse jactaret? ut id ipsa de se credat? ut ab aliis credi sibi speret aut postulet? præsertim humilis si sit & paupercula, quod ne Reginæ quidem in suo crederetur regno, vel aula. Profecto nisi testimonium conscientiæ, & invicta veritatis vis, & miraculum obumbrantis Spiritus, & oracula Angelorum, id profiteri coëgissent; quæ adeo effrons est audacia, ut tam incredibilia comminisci in animum inducat?

XXII. Hæc nobis de beata Virgine ex sacro Evangeliorum codice sufficiunt: explosis iis quæ inepti fabulatores de prodigiosa ejus nativitate, & educatione in templo, vel etiam Sancto Sanctorum, & voto perpetuæ virginitatis, & examine pudicitiæ illius, per sacerdotem, & nescio quam Salomen, ejusdemque furfuris nugis, ex spurio *Jacobi Proteuangelio*, *Nicephoro*, aliisque nullius judicii scriptoribus, Evangelio assuerunt: quæque *Baronius in Apparatu ad Annales* reponere, ac in tanta literarum luce magnam partem tueri, non erubuit: eoque impudentior *Xaverius* Jesuita, in *Historia Christi Persice* conscripta, perinde quasi ejusdem certitudinis essent cum Divinis & indubitatæ fidei Evangelicis scriptis, gentibus

bus in Oriente obtrusit: merito a *Ludovico de Dieu* eo nomine castigatus. Specimen *Proteuangelii Jacobæi* invenient studiosi apud *Boxbornium, Histor. Univers. p.* 49.

Et illibata virginitate, vere tamen Christi mater facta est.

XXIII. Nos pergamus, ostensuri Mariam vere *Christi Matrem* fuisse: ita enim frequenter vocatur. Mat. I. 18. Luc. I. 43. Joh. II. I. & alibi passim. Id autem non fuisset, nisi Christus humanam suam naturam ex illius substantia, sive semine ac sanguine, assumsisset. Propterea *ex muliere factus*, Gal. IV. 4. & *fructus uteri Mariæ*, Luc. I. 42. & *semen mulieris*, dicitur. Gen. III. 16.

Anabaptistarum periculosus de Origine carnis Christi error.

XXIV. Quæ Anabaptistarum quorundam sententiam perimunt, asserentium Christum humanam suam naturam *e cælo* detulisse, ex Patris aut Spiritus Sancti essentia, vel rore æterni numinis, vel materia coelesti, siderea, aut elementari formatam: per Mariam autem transivisse, uti aqua per canalem, vel radii solares per vitrum. Inepte sane, quum Scriptura Mariam Spiritus S. virtute Christum concepisse, in utero gestasse, atque, uti cæteræ matres, stato tempore peperisse, testetur. Quæ a similitudinibus istis ἀγράφοις quam alienissima sunt.

XXV. Non diffitemur utique, quod toties in Sacris legimus, *Christum e cælo descendisse*. Joh. VI. 33. I Cor. XV. 47. 48 Eph. IV. 2. 10. Verum id non præcise de *humana* est intelligendum *natura*; sed *de persona* Filii Dei; quæ de cœlo descendisse dicitur, quia singulari modo præsentem se mortalibus exhibuit in carne personaliter sibi unita. Neque fortius stringit, id quod exstat Joh. VI. 51. *Ego sum panis ille vivus qui e cælo descendi... panis autem quem ego dabo caro mea est.* Docemur enim iis verbis, Filium Dei, ut hominibus peccatoribus veræ vitæ auctor esset, in assumta carne se manifestasse, quæ ipsa caro non labore aut cura hominum, sed Divina & cœlesti ordinatione atque efficientia, in cibum spiritualem, caussam veræ ac beatæ vitæ, ordinata est.

XXVI. Non parvi æstimanda hæc controversia est, quasi nihil nostra intersit, ut cognoscamus *unde* carnem suam Christus habeat, modo constet *veram* habere. Non enim *homo* solum Messias, sed & *proximus*, & *frater* noster esse debuit; & *semen Abrahæ*, & *fructus lumborum Davidis*. Qui aliter nobis Messiam repræsentant, alium ab eo fingunt, qui a Prophetis promissus, a Patribus exspectatus est.

XXVII. Non est existimandum Apostolum necessitatem hujus cognitionis tollere, vel extenuare, quando scribit: II Cor. V. 16. *Quod si etiam novimus secundum carnem Christum, nunc tamen non amplius novimus:* supple, secundum carnem. Nam illud *secundum carnem*, non adjicitur ibi *Christo*, ut Act. II. 30. Rom. IX. 5. sed *cognitioni nostræ*, quæ distribuitur in *cognitionem secundum carnem*, sive carnalem, & *cognitionem secundum Spiritum*, sive spiritualem. *Cognitio secundum carnem* constabat

bat carnali, vel oculorum visione, vel consanguinitate, qua se beatos nonnulli prædicabant, vel ab aliis prædicabantur, qui Christum incarnatum, maxime post resurrectionem, viderant vel palpaverant: vel qua beatiores gentibus existimabantur Judæi, ut rami naturales. Illi gloriationi, ut temporariæ, & minus solidæ, nuncium mittit Apostolus: ut erudite notavit lumen quondam Frisicæ Academiæ, Cl. *Cloppenburgius. De instaur. Hom. lapsi Disput.* III. §. 9. 10.

XXVIII. Nunc denique quid ex omnibus hisce ad nos FRUCTUS redeat, expendamus: & distincte quidem, quid lucri capiamus I. Ex eo quod Christus *homo sit.* II. Quod *ex hominibus.* III. Quod *ex virgine.* Fructus incarnationis Christi.

XXIX. *Homo* quum factus sit Filius Dei, noster quoque *Mediator est*, πρὸς πᾶν ἔργον ἐξηρτισμένος, *ad omne opus perfecte articulatus.* Idcirco Paulus, Mediatorem proponere volens, diserte commemorat esse hominem. 1 Tim. II. 5. *Unus*, inquit, *mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus.* Poterat *Deum* dicere: poterat saltem & nomen *hominis*, sicut Dei, *omittere:* sed ut infirmitati nostræ tempestive occurreret, aptissimo remedio usus est. Filium Dei tanquam unum ex nobis familiariter in medio statuens. Ita enim oportuit Filium Dei nobis Immanuel fieri, id est *nobiscum Deum*: & hac quidem lege, ut mutua conjunctione ejus Divinitas & hominum natura inter se coalescerent: alioqui nec satis propinqua vicinitas, nec affinitas satis firma, unde nobis spes fieret, Deum nobiscum habitare. Qui homo factus Mediator noster est.

XXX. Sed & alia ratio subest. Sponsori nostro id incumbebat præstandum quod lex a nobis exigit, ut δικαίωμα illius impleatur. Rom. VIII. nosque juxta antiquam conventionem servemur. Legi autem hominibus latæ nisi per hominem satisfieri non potest: neque quoad *præcepta*, quæ spiritum & animam & corpus sancta servari ac Deo impendi postulant, neque quoad *comminationes*, quibus & corpori & animæ sua mors indicitur. Unde necesse est, Sponsorem nostrum vere hominem esse, ut corpore atque anima *omnem justitiam impleat.* Mat. III. 15. & utriusque morte subita, suos a morte vindicet. Heb. II. 14. Et legem homini præscriptam complere idoneus.

XXXI. Hinc est quod Apostolus individuo nexu hæc duo copulet, *Factus ex muliere, & factus sub lege* Gal. IV. 4. Indicans proximum incarnationis Christi finem esse, ut in natura sua humana illi subjiciatur legi, quæ homini primum lata est.

XXXII. Idem ænigmatice per Davidem Christus innuebat Ps. XL. 7. *Aures perforasti mihi.* Quod Apostolus exponit, Heb. X. 5. *corpus adaptasti mihi* Alluditur ad Exod. XXI. 2. 6. Servo *Hebræo, ejusdem* cæteroqui cum *hero* suo *originis & dignitatis*, si ex *amore heri*, & *conjugis* suæ, licet servæ, & *liberorum* in *servitute natorum*, in ministerio domini sui ultra annum septimum *continuare sponte eligeret*, ex præscripto legis, Quod aurium perforatione ænigmatice significatum est.

ad januam heri sui, aut alterutrum postem, *auris* subula *perforanda* erat. Hoc ad sese transfert Christus. Ipse, cæteroqui Deo *Patri* suo *par*, *formam sumsit servi*: & ex *amore* Dei *Patris*, Joh. XIV. 31. & *conjugis* suæ, Eph. V. 25. & *liberorum* sub legis *servitute natorum*, Gal. IV. 5. *voluntario* & *duraturo* se ministerio mancipavit. Hoc, perfossione non unius modo auris, sed אזנים, *utriusque auris*, significabatur. Quæ quatenus *Messiæ facta* est, promtissimam ejus serviendi *alacritatem* declarat, de qua ipse: Ps. XL. 8. 9. quatenus est *actio Patris*, geminatam Patris εὐδοκίαν in Filii voluntaria subjectione figurat. Utriusque hujus rei professio fuit, quum ex voluntate Patris & Filii *corpus* Christo *adaptaretur*, in quo spontaneam illam servitutem serviret. Jes. XLIX. 5. *Et nunc dicit Jehova* יוצרי מבטן לעבד לו *qui format me ab utero in servum sibi.*

Porro, ex hominibus factus est, ut noster esset Goël.

XXXIII. Sed & ex *hominibus*, *hominis filius*, Mediator noster esse debuit, ut *proximus* noster, & *frater*, atque ita גואל, ἐπιλήπτωρ, sive *redemtor ex jure propinquitatis*, esset. Heb. II. 10. II. 16. 17. Ἔπρεπε, *decuit*, Deo dignum fuit, ut *qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno sint omnes*, ex uno sanguine, conf. Act. XVII. 26. ut sic se invicem possint appellare *fratres*. Nam Mediator legi de diligendo proximo & fratribus subjectus esse debuit. *Unde debuit, per omnia fratribus similis fieri.* Οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, *non enim Angelos sibi vindicandos assumit, sed semen Abrahæ assumit.*

Cujus vis vocis exponitur.

XXXIV. Pertinet huc vox Hebræa, גואל, *Goël*, *Vindex*, quæ Christo attributa multo significatu fœta est: digna itaque quæ paullo diligentius hic a nobis excutiatur. In veterum Hebræorum *Goële* tria potissimum observanda veniunt. I. *Persona*. II. *Officia*. III. *Modus præstandi illa officia*. *Persona Goëlis*, sive *Vindicis*, debebat esse qui erat cognatione proximus, vel illo deficiente, agnatus quivis. Levit. XXV. 25. 48. 49. Tali, hoc nomine, quadruplex jus competebat, aut, si mavis, *quadripartitum* incumbebat *officium*. I. *Res* venditas aut alienatas fratris aut cognati, agrum puta aut domum, *redimendi*. Lev. XXV. 25. II. Eundem captivum, vel servum, *liberandi*. ibid. vers. 47. 48. III. Interfectum, *vindicandi*: unde vocabatur גואל הדם, *Vindex sanguinis*. Num. XXXV. 19. Deut. XIX. 6. IV, *Uxorem defuncti fratris* vel propinqui *ducendi*, ad semen illi excitandum. Deut. XXV. 5. In cujus rei fidem *oram vestimenti sui extendebat* super eam. Ruth. III. 9. Hoc enim apud Judæos symbolum officii, amoris, & protectionis conjugalis fuisse, discimus ex Deut. XXII. 30. & Ezech. XVI. 8. Ad *modum præstandi* hæc *officia*, tria pertinent. I. Quod *solvendum* quandoque fuerit *pretium*; ut in redemtione rei venditæ. II. Quandoque *adhibenda potentia*, & vis; ut in vindiciis sanguinis. III. Quandoque *exercenda charitas* erga viduam; uti in jure Leviratus. Hæc si simul sumantur, ea fere omnia absolvunt, quæ de *Goële* lex antiqua docet.

XXXV. Christus *Goël* dictus fuit ante & extra politiam Mosaicam. Gen. XLVIII. 16. Job. XIX. 25. Et fortassis nonulla ad jus vindiciarum pertinentia, in familiis Patriarcharum viguerunt; in quibus certe aliquid deprehensum est de jure Leviratus. Gen. XXXVIII. 6. 7. Sed & a posterioribus Mose Prophetis aliquoties eodem nomine insignitus est Christus. Jes. XLIII. 14. LIX. 20. Omniaque in Christo concurrunt, quæ Lex in Vindice requirit.

XXXVI. Is quippe, si *personam* spectemus, assumta carne nostra frater & consanguineus noster factus est, ut, quum jus proprietatis haberet, qua Deus, jus propinquitatis nancisceretur, qua cognatus noster. Heb. II. 11. 14. Singulari quidem ratione *Judæorum* cognatus est; ex iis enim ortus. Rom. IX. 4. Heb. VII. 17. Quam ob rem semen Abrahæ assumsisse dicitur. Heb. II. 16. Unde colligit Paulus Judæos aliquando vindicandos. Rom. XI. 26. Sed & generaliori consideratione, frater est *aliorum hominum* sine gentium discrimine: non quidem omnium & singulorum, sed eorum qui pertinent ad *semen mulieris*, quod ex promissione tale dicitur, & opponitur *semini serpentis*. Ergo Israëlitæ paterno maternoque genere cognati Messiæ sunt, tam ratione Matris Evæ, quam Patris Abrahami: nam & illi promissio facta benedicti seminis. Gentiles cognati Messiæ sunt, genere saltem materno. Utrobique spectanda non caro nuda, sed Divina promissio: unde veræ cognationis origo. Eph. III. 15.

XXXVII. Jure hujus propinquitatis Christus nos sibi *asseruit*. Cujus rei formula exstat: Jes. XLIII. 1. *Ita dixit Dominus, creator tuus, Jacob, formator tuus, Israël: ne timeas*, כי גאלתיך, *quia* VINDICAVI *te, nomen tuum nuncupavi*; MEUS ES. Nihilque eorum omnium omisit Christus quæ a *Goële* exspectari poterant. Nam I. Bona deperdita, & hæreditatem coelestem, a qua malo nostro merito excideramus, justo merito suo recuperavit, Tit. III. 7. *æternam redemtionem nactus*. Heb. IX. 12. II. Captivos nos, & Diabolo mancipatos, liberavit. Luc. I. 71. III. De hostibus, qui animæ nostræ mortem intulerant, vindictam sumsit. Col. II. 15. Heb. II. 14. IV. Nos a priori marito, Lege nimirum & foedere operum, solutos, æterno atque indissolubili connubio, ex foedere gratiæ, sibi copulavit. Rom. VII. 4. Eph. V. 25. 26. atque in hujus rei fidem perfectissimæ justitiæ suæ vestem super nos extendit. Gal. III. 27. quod adumbratum fuit virgine illa sordida ac nuda, super quam Deus oram suam expandit, matrimonio cum ea contracto. Ezech. XVI. 8.

XXXVIII. At neque in *modo* hæc *officia præstandi* omissum est quicquam. Nam I. Redemit nos soluto lytro sufficientissimo. Job. XXXIII. 24. Mat. XX. 28. 1 Tim. II. 6. II. Eripuit captivos Diabolo, summa vi

atque

atque potentia. Jes. XL. 10. Mat. XII. 19. Luc. XI. 21. 22. III. Exercuit incredibilem charitatem, despondendo atque acquirendo sibi Ecclesiam. Eph. V. 25. 29. 30. Vide copiose de his differentem *Jacobum Altingium*; in *commentariis ad Rom.* XI. 26. & in *quarta Heptade dissertationum, dissertatione* IV. *Sect.* XV. & *Dissert.* VI.

Ex virgine prognatus, ut omnis labis purus esset.

XXXIX. Quod autem ex *Virgine* prognatus sit Dominus noster, argumentum est conceptionis & nativitatis *Sanctæ* atque *immaculatæ*. Hinc enim duo ista consequuntur. I. Quod Sponsor non sit ex fœdere Adami, (quippe non natus juxta legem naturæ) & consequenter non subsit imputationi peccati Adamici. II. Quod non potuerit considerari ut in Adamo existens, quando Adamus peccabat. Non enim natus est virtute illius verbi quo Deus matrimonio ante lapsum benedixit, & quæ benedictio antiqui fœderis annexum est, *Crescite & miltiplicamini*: sed vi promissionis novæ, lapsum insecutæ, qua nuncupatus est semen mulieris, & constitutus secundus Adam, novæ creaturæ stirps & caput.

Quæ puritas nativitatis Christi pars est universalis justitiæ illius, nostro originali peccato directe opposita.

XL. In nostrum certe commodum cedit immaculata ista conceptionis & nativitatis Christi, sive, quod idem est, connata humanæ Domini naturæ, sanctitas. Nam ex adverso respondet impuritati & vitiositati naturæ nostræ in qua concepti ac nati sumus, eique tegendæ destinata est: pars nimirum perfectæ illius justitiæ Christi qua universo legis postulato, uti Sponsor, pro nobis satisfecit, quæque tota, quanta quanta, nostra est. Lex scilicet neminem declarat vita dignum æterna, nisi qui tam natura quam actionibus sanctus est. Quum tota peccati ratio in ἀνομίᾳ consistat; naturæ nostræ connata vitiositas, nisi legi repugnet, peccatum non erit. Non repugnabit autem legi, nisi lex contrario præcepto naturæ sanctitatem exigat quæ creaturæ rationali connascatur. Porro Christus ut Sponsor noster illud omne præstitit quod lex justitiæ caussa a nobis postulabat. Nostri ergo caussa juxta legis postulatum justus ac sanctus nasci debuit, ut sua originali justitia peccatum nostrum originale tegeret & defectum justitiæ originalis sarciret.

XLI. Non est hæc assertio novitium commentum, aut imperitiæ nostræ temerarius error, uti non nemo arbitratus est. Idem ante nos maximi in Ecclesia viri convenienter sacris literis docuerunt. Catechesis Palatina *Quæst.* XXXVI. *Quem fructum percipis ex sancta conceptione & nativitate Christi? Resp. Quod is noster sit Mediator, & sua innocentia ac perfecta sanctitate, mea peccata in quibus conceptus sum tegat, ne in conspectum Dei veniant.* Gomarus, *disput.* XVI. §. XVI. *Cujus justitiæ (Christi) membra sunt duo*; justitia habitualis *ac* originalis, *naturæ*; & auctualis, *vitæ perpetuæ. Quarum illa, injustitiæ nostræ* originali: *hæc*, auctuali *opponitur*: *eamque suo modo tegit, non tollendo reatum, quod passioni convenit: sed supplendo defectum integræ justitiæ: quam & jus Dei absolutum, & conditio*

vitæ

vitæ æternæ consequendæ, a nobis requirit. Qua de re Chatechesis nostra, recte, Respons. ad Quæst. XXXVI. Eadem habet, *Disput*: XXV. §. XXII. Non dissimulo, ablationem reatus peccati originalis accuratissimo Gomaro distincte passioni deputari. Verum enim vero, *peccatum tegere* quod post Catechesin Gomarus de Originali Christi justitia dicit, est remittere. Ps. XXXII. I. Remittere, est tollere reatum. Tum etiam, populariter loquendo, id quod defectum justitiæ originalis supplet, eadem opera originalis peccati reatum tollit. Denique, si omnino velimus cum Cl: Gomaro ἀκριβολογεῖν, dicemus, immaculatam Christi nativitatem sine *exinanitione* non fuisse, in qua est *passio*. Eandem quoque sententiam propugnat Cloppenburgius. *De Instaurat. hom. laps. Disput.* III. §. XX. *Hanc porro naturæ humanæ, (inde a conceptione perfectam, secundum legem Dei definite sanctam) sanctitatem, merito, inter Deum offensum infinite sanctum, & hominem peccatorem a vita Dei alienatum, Mediam, diximus. Quandoquidem videtur non absque intuitu ad hanc Christo inhærentem sanctitatem conceptionis & nativitatis, quæ justitiæ universalis ipsius pars princeps & fundamentum est, Scriptura pronunciare hæc sequentia: ipsum nobis factum esse a Deo justitiam.* I *Cor.* I. 30. *nos Christum induisse. Gal.* III. 27. *ita ut in ipso unus simus, scilicet unus novus homo. collatis Gal.* III. 28. *cum Eph.* IV. 24. *Col.* III. 10. Et postquam verba Catecheseos ad Quæst. XXXVI. descripsisset, pro mantissa addit: *Responsio hæc aut non est ad interrogationem, aut loquitur de sanctitate conceptionis & nativitatis Christi. Posterius est verissimum.*

XLII. Non præjudicant hæc necessitati mortis Christi, quam alibi Catechesis, ad expiationem tam actualis quam originalis peccati, inculcat, & quam nos etiam sancte profitemur. Nequaquam enim id volumus, quasi hæc sancta Christi conceptio ac nativitas, seorsim a cæteris obedientiæ ac justitiæ Christi partibus, impuritati naturæ nostræ tegendæ sufficiat. Sed consideramus eam ut primam universalis sanctitatis Christi partem, cujus valor (si omnes sanctitatis Christi partes cum partibus miseriæ nostræ ἐκ παραλλήλου conferantur) proxime referri debet ad peccatum nostrum originale, & ad sarciendum justitiæ originalis defectum.

XLIII. Temere certe circa hæc Christianæ Philosophiæ arcana versaremur, nisi piis sanctisque meditationibus in nostrum ea commodum, Deique in Christo converteremus gloriam. Et *primo* quidem in genere hinc discimus sacratissimæ religionis nostræ Divinitatem, quæ sola eum nobis Mediatorem, Deum inter ac peccatores, monstrat, in quo conscientia delictorum suorum onere pressa, & remedia alibi quærendo frustra fatigata, placide secureque acquiescat. Quæ hominum, quæ angelorum solertia, hæc tam abdita, tam sublimia, tantoque intervallo omnem omnium creaturarum captum superantia, excogitare valuisset; ut Praxis hujus articuli.

Æternus Dei Filius Homo in tempore nascatur, quo legem hominibus latam implere, pœnas peccatis hominum debitas subire, uti sponsor, queat: & quidem ex hominibus, uti eos ceu fratres & proximos sibi diligat ac vindicet: e virgine tamen viro intacta, ne quicquam ex humanæ vitiositatis spurcitie, per ordinariam connubii viam in posteros se diffundente, attraheret. Quam adoranda hic se pandit Dei Sapientia, Sanctitas, Veritas, Bonitas, φιλανθρωπία, in inveniendo, admittendo, dando, perficiendo hoc salutis nostræ medio! Quam hæc satisfaciunt animæ salutem suam sitienti, de omnibus tamen, quæ a se ipsa, ullove vel angelorum vel hominum, peragi possunt, merito desperanti! Hic, hic demum animadvertit quod alibi neque in cœlo neque in terra exstat, supremi numinis virtutibus dignum, homini securum, reconciliationis nostræ modum. Hæc, hæc sunt tremenda Christianismi mysteria, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt*, 1 Cor. II. 9. quæ *a temporibus secularibus tacita fuerunt, nunc vero manifesta sunt, & per Scripturas Propheticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei, omnibus notificata.* Rom. XVI. 25. 26.

XLIV. *Deinde* liquescere nos oportet, in immensa hac Christi adversus nos charitate. Humani generis, etiam quando optime cum eo comparatum est, præstantiam cœlestium geniorum nobilitati postponendam esse, quis ambigit? Sed Angeli, ecce, peccarunt, peccavit itidem homo. Angelos interim Deus noxæ dedens, æternæ mancipatos miseriæ, hominum miseretur, & ut misereatur, ejusdem ipsiscum naturæ consors fit. Non enim Angelos assumsit, sed semen Abrahæ. Quanta in hac Christi humiliatione amoris sublimitas! Præ gaudio tumultuabant olim male consulti Lystrenses quum Pauli Barnabæque miracula cernerent. *Dii*, inquiebant, *assimilati hominibus, descenderunt ad nos.* Act. XIV. 11. Quod illi temere præsumebant, id nos vere dixerimus, Deum in forma hominis e cœlis ad nos invisisse: occinentes ei, *quid est mortalis, quod memor sis ejus? aut filius hominis quod visites eum*? Ps. VIII. 5. Nonne miraculorum omnium fidem superat, quod æternus Dei Filius, Dominus gloriæ dissimulatis Majestatis suæ radiis, *creatura* factus sit, & inter creaturas non *Cherubinorum* aut *Seraphinorum* aliquis, sed *homo* (*homo* autem *quantilli æstimandus est?*) & ex hominibus non *Rex* aut Monarcha, sed *servus eorum qui dominantur.* Jes. XLIX. 7. Nimirum familiariter nobiscum conversari, in eaque conditione vivere voluit, quæ Fratrum nobis nomen conciliaret, Heb. II II. 12. *Per omnia nobis similis factus est, ut misericors esset & fidelis Pontifex in iis quæ apud Deum agenda forent, ad expiandum peccata populi.* ibid. vers. 17. *qui sensu possit affici infirmitatum nostrarum, tentatus in omnibus similiter absque tamen peccato.* *Heb.* IV. 15. Denique ad infimum vilitatis nostræ gradum se submisit, ut nos supra hominum conditionem

evectos,

evectos, suæ, id est *Divinæ naturæ, consortes* faceret. 2 Pet. 1. 4. O pietas! ô charitatis prope incredibilis vehementia! ô plus quam fraterni paternive affectus teneritudo! qua grati animi emotione agnosceris? qua mutua redamatione compensaberis? Quæ frigidissimi pectoris glacies non liquefieret, incalesceret, in flammas iret, ad tam immensæ pietatis ardorem?

XLV. Cæterum id quoque animadvertendum est, si lætitiæ nostræ solidum in Christi ἐνανθρωπήσει fundamentum collocare velimus, necesse esse, ut idem qui olim in Virginis utero ad hominis similitudinem efformatus est, in nostris quoque *formetur animis.* Gal. IV. 19. ibi vivat, ibi foveatur, ibi *crescat in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi*, Eph. IV. 13. Quum ille e Spiritu conceptus sit sancto, non est ut nos fratres ejus esse jactemus, nisi eodem Spiritu ad imaginem Dei regenitos esse sancto vitæ instituto comprobatum demus. Et quemadmodum non nisi a Virgine concipi voluit: ita & nos puro eum castoque complectamur animo, qui, procul omni mundani stupri probro, virgineo amore in unum feratur Deum.

XLVI. Denique uti cœlestium Chori Angelorum Filium Dei hominem natum lætis celebrabant canticis; Luc. II. 13. 14. ita nostrum quoque est magnum illud pietatis arcanum, illiusque auctorem Deum, non intermorituræ venerationis laudibus decorare. Carmen beati Angeli præcinunt: nos voce animoque subsequamur: Gloria in excelsis Deo, qui præclaro hoc opere admirandarum virtutum suarum luculentius specimen edidit, quam olim in totius creatione universi! Gloria Patri, qui talem nobis Sponsorem excitavit, admisit, dedit! Gloria Filio, qui se humana carne vestiens vadimonium pro nobis tam lubenter obivit! Gloria Spiritui Sancto, tam abstrusæ, tam momentosæ, tam pretiosæ veritatis indici ac testi, tam optatæ salutis arrhaboni. Salvus sis Christe Jesu, Verus ac Æternus Deus, Verus ac Sanctus Homo, Utrumque simul in Unitate personæ, distinctis utriusque naturæ proprietatibus. Te agnoscimus. Te colimus. Ex tua unius manu salutem exspectamus. Te cognoscat, agnoscat, adoret nobiscum, atque ita per te servetur, universus electorum tuorum mundus.

EXERCITATIO XV.

DE

CHRISTI SUB PONTIO PILATO PASSIONE.

BREVIARIUM.

1. *Zach.* III. 9. *exordii loco exponitur.* 2. *Capita hæc Exercitatione tractanda.* 3. *Christus* θεάνθρωπος *passus est, utraque natura quod ei conveniens est conferente.* 4. *Humana patiente tam corpore quam anima,* 5. *Divina humanæ vires sufficiente.* 6. *Et passionibus infinitam dignitatem conciliante.* 7. 8. *Cui veritati frustra argutiis suis obnititur Socinus.* 9. *Christus iram Dei passus est.* 10. 11. 12. *Quæ fieri non potest quin adversus peccatum aliquando exardescat.* 13. 14. *Unde in ipsa etiam remissione peccati demonstrationem Divinæ justitiæ intervenire necesse est.* 15. 16. *Eam iram Dei sustinuit Christus ab initio vitæ ad ejus usque finem.* 17. 18. 19. *Idque ut peccatores reconciliaret Deo.* 20. *Nam in sanguine ejus est* ἱλαστήριον. 21. 22. *Non pro omnibus singulisque hominibus, sed, ex Dei Christique consilio, pro solis electis.* 23. *Cur Pilati in Symbolo mentio.* 24. *Ejus ingenium & indoles.* 25. *Summa in Judæam potestas.* 26. *Quæ, quum externa atque Gentilis fuerit, maximarum rerum nos admonet.* 27. *Praxis.* 28. 29. *A Christo patiente discimus miseriam nostram.* 30. *Liberationem.* 31. *Et gratitudinem.*

Zach. III. 9. exordii loco exponitur.

I. UTi Divinis Sacrarum Literarum Emblematibus nihil elegantius & ad docendum efficacius fingi potest: ita illud mihi semper venustum oppido visum est, quod exstat Zach. III. 9. Ubi Sospitator noster figuratur *Lapide a Deo collocato coram Josua Pontifice: in quem unum Lapidem septem conversi sunt oculi, & cujus cœlaturas Deus cœlavit,* dum in eo erat ut *iniquitatem terræ abstergeret uno die. Lapis* ille *Christum* significat, qui & *rupes salutis nostræ*, Deut. XXXII. 15. & *Lapis angularis* est, in quo *totum* Ecclesiæ *ædificium congruenter coagmentatum crescit, ut sit templum sanctum Domino.* Eph. II. 20. 21. Isque *Unicus* est: quum *aliud fundamentum nemo queat ponere.* 1 Cor. III. 11. Eum Lapidem *Deus posuit.* Deus, inquam, qui *adeo dilexit mundum, ut Filium ei suum unigenitum dederit.* Joh. III. 16. Et posuit quidem *coram Josua*, ut ipse, cæterique sacerdotes, omnesque arcanæ veritatis doctores, ad eum attenderent, eum populo monstrarent uti totius cœlestis doctrinæ fundamentum, ei se, & populum sibi

sibi concreditum, inædificarent. Quod diligenter imprimis Petrus & Paulus Apostoli se factitasse comprobant. 1 Pet. 11. 4. 5. 6. 1 Cor. 111. 10. In eum Lapidem *septem oculi* sunt: *Dei* nimirum, cum *voluptate* eum *intuentis*, cum *cura tuentis*; Zach. IV. 10. tum etiam *Ecclesiæ*, omni mentis nisu in eum respectantis. Jes. XLV. 22. פנו אלי, *Respicite ad me, ut salvemini, omnes extremitates terræ.* Verum ut dignoscatur Lapis ille a cæteris omnibus, *cælari* eum Divinitus *cælaturis suis* oportet, quo pertinet *nomen Dei*, ipsi quasi *sigillo* impressum. Exod. XXIII. 21. Heb. 1. 3. hoc est Divinæ Majestatis splendor, in ipso & factis ejus elucens. Joh. 1. 14. & præterea diræ illæ *perpessiones* quibus Deum *decuit salutis nostræ principem consummare.* Heb. 11. 10. Per eas enim effectum est, ut *uno die*, illo nimirum quo sacrificium consummatum, & ultimus veluti satisfactionis quadrans numeratus est, *totius terræ sit deleta iniquitas*, mundusque Deo reconciliatus. Heb. X. 14. Hunc ergo *lapidem*, Christum, cum *cælaturis suis*, perpessionibus, nos quoque curate lustremus: tum *perpessiones* ipsas expendentes, tum *Judicem* in Judæa *supremum*, sub quo præcipuæ ei evenerunt.

II. De *perpessionibus* Christi (quarum nomine ea etiam comprehenduntur, quæ singulatim deinceps memorantur in Symbolo) rite dicturo *quinque* Capita exponenda veniunt. I. QUIS passus sit. II. QUID. III. QUANDO. IV. QUO FINE. V. PRO QUIBUS.

Capita hæc Exercitatione tractanda.

III. QUIS passus est? Christus Mediator, persona θεάνθρωπος; tota, inquam, persona, *Satisfactionem passionis* absolvit: utraque natura id quod suum est conferente. In *humana* quidem proprie *sola passus* est; quum adoranda Divinitas nulli gloriosissimæ beatitudinis suæ, uti augmento, ita nec diminutioni, sit obnoxia; in se sola suarumque perfectionum possessione, cognitione, fruitione, omnes felicitatis, quæ supremo numine digna sit, thesauros sufficientissime inveniens. *Si peccas, quid operaris illi? sive multæ sunt defectiones tuæ, quid facis illi? Si justus es, quid das illi? aut quid e manu tua accipit?* Job. XXXV. 6. 7. Non tamen omnino nihil huc contulisse Divinitatem, ex iis quæ mox dicenda sunt patebit.

Christus θεάνθρωπος passus est, utraque natura quod ei conveniens est conferente.

IV. Quemadmodum *totus homo*, & *anima* & *corpore*, obsequium debebat Deo, totus item, tam corpore quam anima, peccavit, & propterea utraque sui parte æterni exitii damnas erat; ita Christum *anima* non minus quam *corpori pati* necesse fuit, ut in utroque Deum glorificaret, peccatum hominis lueret, pœnasque peccato debitas sustineret. De *corporis* passionibus universa Evangeliorum historia copiosissime loquitur. De *anima* ipse conquestus est: Mat. XXVI. 38. *Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem*: cujus vehementissimæ tristitiæ argumentum erat *sudor ejus, similis grumorum sanguinis descendentium in terram.*

Humana patiente, tam corpore, quam anima:

ram. Luc. XXII. 44. Quæ non tam exiliter exponenda sunt, ut corpus proprie passionis fuerit subjectum, anima vero solummodo passa sit per *συμπάθειαν*. Nam neque corpus adhucdum patiebatur: & corporis passiones longe minimam illius pœnæ partem faciunt quam Sponsor humani generis subeundam habebat.

Divinâ, humanæ vires sufficiente.

V. *Divinitas nihil* quidem *ipsa passa* est: attamen *carni patienti suffecit vires*, ut Divinæ vindictæ omni eam iræ suæ pondere prementis onus sustinere posset; non succumbens calamitati, sed ea fortiter superata, gloriosum caput feliciter exsertans. Tanta enim Divinæ iracundiæ, quando omni suo impetu in peccatum irruit, vehementia est, ut nisi major humana, & creata omni, vis succurrat, defetisci sub eo hominem & æternum conteri necesse sit. Ps. xc. 11. Nah. 1. 6. Unde consequitur, eum debere esse אל גבור, *Deum fortem* & *Heroëm*, Jes. IX. 5. cui non cum inferorum modo copiis, sed cum ipso Deo, peccatum persequente, consertis quasi manibus luctandum erat.

Et passionibus infinitam dignitatem conciliante.

VI. Sed & aliud hic præstitit Christi Divinitas. Quum enim per eam factum sit, ut persona patiens esset *θεάνθρωπος*, *in qua omnis plenitudo Deitatis habitet corporaliter*. Col. II. 9. non *mystice*, ut in *fidelibus*, non *symbolice*, ut in *sacramentis*, non *typice* & *umbratice*, ut in *templo* & *arca*; sed *corporaliter*, id est, *realiter* & *personaliter*, prout *σῶμα* vel *umbræ* opponitur, vel *personam* designat: simul etiam per eam effectum est, ut *passio* tantæ *personæ*, *Divinæ* nimirum & infinitæ, *infinita* quoque *dignitatis* censeri debeat. Ita quidem ut *brevis* passio Christi *æterna* damnandorum æquipolleat: & *unius* passio *tot* electorum *myriadibus* redimendis sufficiat. Hinc Scriptura toties nos ad hanc *personæ patientis dignitatem* revocat, ut pondus infinitum satisfactionis Christi agnoscamus: quum ait, *Deum acquisivisse Ecclesiam proprio suo sanguine.* Act. XX. 28. *Dominum gloriæ esse crucifixum.* 1 Cor. II. 8. *Christum se per Spiritum æternum obtulisse Deo.* Heb. IX. 14. *Sanguinem Jesu Christi, filii Dei, nos purgare ab omni peccato.* 1 Joh. 1. 7.

Cui veritati frustra argutiis suis obnititur Socinus.

VII. Ad hanc passionibus dignitatem conciliandum non requirebatur, ut *ipsa Divinitas*, vel Christus *qua Deus*, pateretur: sufficiebat eum pati *qui Deus* est. Omnes enim actiones & passiones sunt personæ, & a dignitate *personæ* æstimantur, ac denominationem accipiunt, ut a *principio quod*, licet pro harum conditione attribuendæ sint *naturæ* ex qua ortum habent, ut *principio quo*.

VIII. Frustra etiam argutatur Socinus, dignitatem personæ nihil conferre ad infinitatem pœnæ, quia *nulla sit apud Deum personarum acceptio.* Rom. II. II. Quodsi hoc obtinet, quum ejus misericordiæ locus relinquitur, quid tandem erit quum de pœna irroganda ex justitia, seu potius severitatis absolutissimæ præscripto, agitur? Resp. I. Alia est

est προσωποληψία quam Deus a se removet, alia Personæ τῦ λόγε consideratio in æstimatione passionis: Ibi enim πρόσωπον, non notat *ipsum hominem*, quem *personam* dicimus, sed *statum externum*, sive qualitatem Personæ ac rei, quæ est extra caussam de qua agitur, & ad ejus momentum non pertinet. Hinc vero *personæ* patientis *dignitas* non est *qualitas externa* quæ ad rem non faciat; sed, si quid aliud, ad caussæ momentum plurimum confert. Multum enim interest quis aliquid in se suscipiat. Breviter aliud est πρόσωπον, id est, faciem accipere, quod vitiosum est, & bene de Deo negatur, aliud ad ὑπόστασιν, sive *personam*, respicere, quod justum est, & recte Deo tribuitur. II. Si fortasse *dignitas personæ* non valeret *in ipso reo* patiente; quia eadem quæ est in *solvente*, fuit in *peccante*, & quæ considerari potest in *pœna* ad ejus *imminutionem*, spectatur in *peccato* ad ejus *intensionem*: in *sponsore* tamen valet, qui non ob sua, sed aliena delicta satisfacit.

IX. Cæterum QUID passus est Christus? Uno verbo, *iram Dei adversus peccata totius generis humani* accensam. *Patet enim ira Dei e cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum.* Rom. I. 18. Significat ea *ira* sanctissimum peccati odium cum justa vindicta: uti *ira* & *revelatio justi judicii Dei* Apostolo junguntur. Rom. II. 5.

X. Non potest Deus, qui sanctus est, peccatum & peccatorem non odisse. *Non es Deus fortis qui delectetur improbitate: — odisti omnes qui operam dant iniquitati.* Ps. V. 5. 6. Ex isto autem *odio*, præsertim tam justo, atque in eo qui puniendi jus potestatemque habet, sequitur *vindicta*. Ita enim infert Psaltes: *non est commoraturus apud te malus, non consistunt insani e regione oculorum tuorum, perditurus es loquentem mendacium.* ib. com. 7.

XI. Nimirum est in peccato proterva Divinæ Majestatis ac gloriæ læsio atque imminutio. Quicunque enim peccat, in peccando ita se gerit quasi *nullus* esset *Deus*, quem vereri habeat. Ps. X. 5, XIV. I. aut quasi *ipse sibi Deus*, & supremus actionum suarum arbiter, esset. Ps. XII. 5. Quod quid aliud est quam in Majestatem & gloriam Dei protaciter involare? Eam autem gloriam quum merito charissimam sibi Deus habeat, non magis a se impetrare potest, ut læsionem illius plane impunitam dimittat, quam *similis* esse potest *peccatori*: uti ipse nos argumentari docuit. Ps. L. 21.

Christus iram Dei passus est.

XII. Affectum istum erga gloriam suam a peccatore violatam, significantissimo vocabulo Deus ipse קנאה, id est, *zelotypiam*, nuncupat; similitudine ab honesto conjuge desumta, qui ad minimum thalami opprobrium totus exardescit. קנאה חמת גבר, *zelotypia est ardor viri*. Prov. VI. 34. Hinc ex Dei quoque zelo, qui gloriæ suæ, qua nihil charius, vindicatio est, peccati punitio necessario consequitur.

Quæ fieri non potest quin adversus peccatum aliquando exardescat.

tur. Exod. XX. 5. אל קנא פוקד עון, *Deus zelotes, qui visitat iniquitatem.* & Jos. XXIV. 19. *Deus Sanctus* est, אל קנוא הוא, *Deus zelotes est, non feret defectionem vestram & peccata vestra.*

Unde vel in remissione peccati demonstrationem Divinæ justitiæ intervenire necesse est.

XIII. Adeo quidem, ut tum quoque *quum iniquitatem & defectionem & peccatum condonat*, נקה לא ינקה, *prorsus insontem non habeat.* Exod. XXXIV. 7. sed in illustrissimo isto *misericordiæ* suæ actu aliquam etiam *justitiæ* suæ demonstrationem postulet. Memorabile est, aliquoties sententiam hanc ingeminari, ubi summa Dei erga peccatores benignitas, vel ab ipso, vel a servis suis, celebratur: uti Num. XIV. 18. Jer. XXX. 11. XLVI: 28. Ut sciant nimirum fideles, non esse sibi exspectandam, vel expetendam etiam, peccatorum suorum veniam, sine declaratione aliqua Divinæ adversus ea severitatis. Severitatem autem istam Deus dupliciter ostendit, I. dum peccatum *castigat in* ipsis *fidelibus*, quibus cæteroqui condonat. Ps. XCIX. 8. Et hoc est quod dicitur, Jer. XLVI. 28. *castigabo te* למשפט, *ad judicium*, modice, & *non omnino habebo insontem.* II. Et præcipue quum peccatum, quod fidelibus remittit, *in sponsore vindicat.* Non enim *remittit*, neque potest remittere, nisi *juste.*

XIV. Idcirco ΕΠΡΕΠΕ DECUIT *eum propter quem sunt omnia, & per quem sunt omnia, ut posteaquam multos filios in gloriam adduxisset, principem salutis ipsorum per passiones consummaret.* Heb, II. 10. Id enim exigebat τὸ πρέπον & *decentia* (si ita loqui fas sit) numinis, ut peccata remittens justitiam aliquando suam in poscendo Christi Sponsoris sanguine demonstraret: quod præclare iterum Apostolus docet: Rom. III. 25. 26. *Quem præstituit Deus ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ —— —— ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu.* Et sane nunquam sanctissima Dei ira adversus peccata hominum luculentius demonstrata est, quam quando, nobis ea remittens, in dilectissimo Filio suo tam severe vindicavit. Hanc ergo iram Dei adversus peccata humani generis conceptam Christus sustinuit.

Eam iram Dei sustinuit Christus ab initio vitæ ad ejus usque finem.

XV. QUANDO? Jam inde *ab initio vitæ suæ*, & *maxime sub illius finem.* Universam nimirum hominis vitam miseriæ mancipavit peccatum, dignumque eum effecit, qui *nullo non tempore*, delicti sui atrocitatem, & urgens Dei Judicis flagellum, experiretur: id quod mox a crimine suo homini intentavit Deus. Gen. III. 17. *Maledicta est terra propter te, cum dolore comedito proventum ejus* OMNIBUS DIEBUS VITÆ TUÆ. Christus ergo vadimonium pro nobis subiens, *vitæ* etiam *ab initio ad finem* usque *miseræ* sponte se subjecit: semper circumferens *formam servi*, Phil. II. 7. & ostentans *similitudinem carnis peccatricis.* Rom. VIII. 3. Quumque omnes illæ perpessiones ex maledictione

Dei

Dei adversus peccatum proficiscantur, & vi sponsionis pro peccato Christo incumbant, singulæ etiam in unam summam colligendæ sunt ad absolvendum satisfactionis apotelesma.

XVI. Perpessionum Christi *quatuor* quasi *Periodi* sunt. I. In *vitæ exordio*: ubi occurrit Exinanitio per assumtam formam servi, Nativitas in paupertate, Circumcisio octavo die, cujus non dolor solum attendendus, sed & quæ ei inerat obligatio ad totum legis postulatum explendum, & præsignificatio fore ut Christus exscinderetur olim e terra viventium, ad salutem corporis sui mystici, sicut in circumcisione amputabatur pellicula, ne totus homo interiret. Adde persecutionem Herodis, Fugam in Ægyptum, Infanticidium Bethlehemiticum, totque mœstarum matrum, illius occasione, ploratum. II. In *vita privata*, quam cum parentibus in re tenui exegit, pro *fabro* & *fabri filio* existimatus. Marc. VI. 3. III. In *vita publica*, ab ætatis suæ anno trigesimo: quando cum paupertate, invidia, malevolentia, convitiis, calumniis, insidiis, persecutionibus, Scribarum imprimis atque Pharisæorum ac primatum populi, assidue ipsi luctandum fuit. IV. In *fine vitæ*, & novissimo illius die: quando perpessionum omnium horror incredibili vehementia ei incubuit. Ubi distincte iterum considerari possunt. I. Ea quæ Christus post ultimum cum suis epulum, tam Paschatis, quam Cœnæ, in quibus instantium passionum terribilis pictura cernebatur, perpessus est *in horto Getsemane*, vehementer contristatus spiritu, venumdatus & proditus a Juda, captus ab hostibus, desertus a discipulis. II. Quæ passus est, coram *tribunali Judæorum*, falso accusatus, injuste condemnatus, acerbe illusus, interimque a charissimo suo Petro ter abnegatus. III. Quæ passus est in *ædibus* tam *Pilati* quam *Herodis*, post novas accusationes, latroni Barrabæ a toto populo postpositus, crudelibus flagris, auctore Pilato, laceratus, a suis pertinaciter ad crucem postulatus, tandem, reclamante Judicis conscientia, condemnatus. IV. Denique quæ passus est, *post* sui per Pilatum *condemnationem, ad mortem* usque.

XVII. QUO FINE hæc perpessus est Dominus? Ut *reconciliaret* electos *peccatores Deo*; & *restitueret* iis numinis *favorem*, in quo vita & salus est. Nimirum in passionibus *duo* considerari possunt, *dolor* quem sustinuit, pœnas peccatorum nostrorum ferens, ad *expiandum* eorum *reatum*: & eximius *charitatis ardor* erga *Patrem* cœlestem & *fratres* terrenos; Joh. XIV. 31. & XV. 13. in quo submississimæ *obedientiæ* exemplar erat, Phil. II. 8. ad *favorem* Patris nobis *conciliandum*.

Idque ut peccatores reconciliaret Deo.

XVIII. Reconciliationis hujus, per Christi passiones partæ, disertim & frequenter Scriptura meminit. Rom. V. 10. *Si quum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ipsius.* 2 Cor. V. 18. *Deus reconciliavit nos*

sibi per Jesum Christum. vers: 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum.* Col. I. 20. *Placuit Patri per eum reconciliare omnia sibi, pace per sanguinem crucis ejus facta.* Et quæ ejus generis plurima exstant testimonia.

XIX. Notandum autem, reconciliationem hanc & *Deo Patri,* & *Christo Mediatori,* & *ipsis* quandoque *fidelibus* attribui: sed sub alia atque alia σχέσει. *Deus Pater* nos reconciliare dicitur, quatenus ab æterno decrevit quosdam ex hominibus in peccatum prolapsis in gratiam restituere, ipseque ex φιλανθρωπίᾳ sua placabilis, &, modo qui numine suo dignus erat, placari volens, illud omne præparavit, quod ad componendam inter se & peccatores discordiam necessarium erat. Id docemur 2 Cor. v. 19. Col. I. 20. *Christus Mediator* reconciliat nos Patri *satisfactione* ac *merito* suo illud Deo exhibendo cujus intuitu iram omnem ponit: nam & omne *jus legis* implevit, ut *juste* Deus *peccatorem justificare* queat, & *sanguine suo conscientias electorum mundat ab operibus mortuis,* ne amplius in ea peccata prolabantur, quæ reconciliationis vinculum abrumpant, sed *serviant Deo vero & vivo.* Heb. IX. 15. Adde I Pet. II. 24. *Fideles* dicuntur se Deo reconciliare: 2 Cor. v. 20. quatenus beneficium sibi a Deo *Patre destinatum,* a *Christo* Mediatore *impetratum,* in *Evangelio oblatum,* vera fide *amplectuntur,* inimicitias omnes pro sua quoque parte deponentes, & Deum amantem vicissim redamantes.

Nam in sanguine ejus est ἱλαστήριον.

XX. Et ne dubitemus *passiones* Christi ad reconciliationem hanc intercedere tanquam *caussam meritoriam,* scriptura Christum ἱλασμὸν vocat, I Joh. II. 2. ἱλαστήριον ἐν τῷ αἵματι. Rom. III. 24. allusione facta *partim* ad *sacrificia expiatoria* V. T. unde aries, quo fiebat sacrificium, κριὸς ἱλασμοῦ *aries expiationis*: Num. v. 8. & dies, quo propitiatio pro peccatis populi fieri solebat, ἡμέρα ἐξιλασμοῦ, *dies expiationis,* Lev. XXIII. 27. nuncupatur: *partim* ad *operculum arcæ,* quod Hebræi כפורת, Paulus ἱλαστήριον vocat Heb. IX. 5. Non unam ob caussam tegmen illud arcæ fœderis, *propitiatorium* dicitur. I. Quia tegebat legem arcæ inclusam, ne illa fideles criminum, adversus se & fœdus commissorum, reos peragere posset. II. Quia Deus se ibi placari & propitiari populo suo patiebatur, respersione sanguinis victimarum, quæ fieri solebat ad hoc operculum. Lev. XVI. 14. III. Quia consequenter ibi se propitium, & placatum, ac velut throno gratiæ, qui inter Cherubim erat, insidentem, populo suo exhibebat. Apostolus vero nomen figuræ atque umbræ corpori, ut par est, applicans, Christum ἱλαστήριον dixit. I. Ipse enim est, qui perfectissima justitia sua peccata nostra obtegit, ne unquam in conspectum Dei veniant: medium se inter Deum ac nos interponendo, sicut operculum medium erat inter legem in arca repositam, & Majestatem Dei habitantem inter Cherubinos. II. Ipse est, qui, adspersione sanguinis sui, quem Paulus

αἷμα

αἷμα ῥαντισμοῦ vocat, Heb. XII. 14. facta, plenam nobis expiationem apud Deum obtinuit. Heb. I. 3. & IX. 12. III. Ipse denique est, in quo Deus thronum gratiæ erexit, ad quem accedere jubemur : & in quo gratiosa ad preces nostras responsa accipimus. Heb. IV. 16.

XXI. Cæterum PRO QUIBUS Christus passionibus suis satisfecit? Non diffitemur equidem, passiones Christi *in se* consideratas, habita *personæ patientis* ratione, quæ, ut sæpe jam monuimus, infinitæ dignitatis est, tanti esse valoris, ut omnibus omnino hominibus, & pluribus insuper, si exstarent, hominum myriadibus, redimendis sufficerent, si quidem Deo & Christo placuisset ut sponsionem pro iis omnibus susciperet. Neque inficias imus, Christum, *qua hominem*, legi charitatis subjectum, *omnes homines*, ut proximos suos, sancte *amasse*, ex animo iis bene cupivisse, pereuntium perditioni serio indoluisse, quos tamen, *qua Deus*, *sciebat* esse *reprobos*, & pro quibus, *qua Mediator*, *non spopponderat* : ita tamen ut *affectum* hunc *humanitatis* subjecerit *ordinationi Divinæ*. Sed nec hoc negamus, *occasione passionis* & satisfactionis Christi, *multa bona reprobis* quoque obtingere. Iis enim debent reformationem mundi a crassa illa idololatria, & belluina feritate, per prædicationem Evangelii; multa etiam præclara, licet non salutaria, Spiritus Sancti dona; & quod *per agnitionem Domini ac Servatoris Jesu Christi mundi pollutiones effugerint*; quæque id genus plura sunt. Eaque obtinent non *fortuito*, citra intentionem Dei & Christi; sed ex *destinato* numinis & Servatoris *consilio*. Id interim ex Scripturis tenemus, Christum ex *voluntate* Dei *Patris*, *suoque proposito*, non spopondisse, nec satisfecisse, adeoque *non esse passum*, nisi pro *iis quos Pater ipsi dedit*, quique revera servantur. *Quia descendi*, inquit, *e cœlo*, *ut exsequar non voluntatem meam*, *sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc autem est voluntas ejus qui misit me*, *Patris*, *ut* QUICQUID MIHI DEDERIT *non perdam ex ea*. Joh. 38. VI. 39.

Non pro omnibus singulisque hominibus, sed, ex Dei Christique consilio, pro solis electis.

XXII. Faciunt huc ea Scripturæ testimonia, quibus passiones Christi ad *oves* suas, ad *Ecclesiam* suam, ad *populum* suum, & quidem *populum sibi peculiarem*, restringuntur. Joh. X. 15. Eph. V. 25. Act. XX. 28. Tit. II. 14. Omnia enim eo tendunt, ut amplificetur insignis Christi amor erga *oves* suas, pro quibus animam ponit, erga *ecclesiam*, quam suo sibi sanguine acquisivit, erga *populum* suum, pro quo se tradidit. Si autem nihil eximii in hoc negotio *oves*, *ecclesia*, *populus* Christi, præ cæteris omnibus mortalibus habeant; quæ probabilis dici potest ratio, cur immensus iste amor, animam ponentis, sanguinem fundentis, & tradentis se Christi, illis speciatim imputetur? Sed hac de re alibi a nobis fusius actum est.

XXIII. Placuit Symboli conditoribus PONTII quoque PILATI meminisse, uti sub cujus præfectura passionem suam Dominus consummavit: non ea mente, quasi eas solum Domini passiones meritorias esse existima-

Cur Pilati in Symbolo mentio.

ſtimaverint quæ poſt latam a Pilato ſententiam ei evenerunt; (eo enim nihil abſurdius, nihil a communi Chriſtianiſmi ſenſu alienius eſt) ſed partim ut epocham Chriſti paſſi cum Romanorum hiſtoriis facilius eſſet conferre, ſicut Lucas ad epocham Chriſti nati deſcriptionem Auguſti juſſu factam memorat; partim ob alias rationes momentoſas, quæ mox exponendæ venient.

Ejus ingenium & indoles.

XXIV. De *Pilato* autem tria obſervanda ſunt. I. *Ingenium* atque *indoles* hominis, quam *Philo in Legatione ad Cajum* vivis coloribus delineavit. Ἦν γὰρ τὴν φύσιν ἀκαμπὴς καὶ μετὰ τοῦ αὐθάδους ἀμείλικτος. Quod interpres conciſius reddidit: *erat pervicaci duroque ingenio.* Paulo poſt exprobrat Pilato, δωροδοκίας, καὶ ὕβρεις, καὶ ἁρπαγὰς, καὶ αἰκίας, καὶ ἐπηρείας, ἀκρίτους καὶ ἐπαλλήλους φόνους, & denique ἀνήνυτον καὶ ἀργαλεωτάτην ὠμότητα: *venditatas ſententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, crebras cædes indemnatorum, crudelitatem ſæviſſimam.* Et ſane talem eſſe hominem oportuit, qui, nequicquam reclamante animi conſcientia, tam immania adverſus innocentiſſimum caput, & ſanctiſſimum virtutum exemplar, licere ſibi voluerit. Sed & meritas ſcelerum pœnas dedit: a Vitellio, Syriæ Præſide, primum in ordinem redactus, dein loco motus, demum Romam miſſus, ut apud Cæſarem cauſſam ſuam ageret, & objecta dilueret: quod quum nequiret facere, *perpetuo exilio Viennæ* (in Galliis) *recluditur, tantiſque ibi irrogante Cajo doloribus coarctatus eſt, ut ſua ſe transverberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæſierit.* Verba ſunt *Adonis*, qui ejuſdem civitatis Epiſcopus fuit, in ſuo *Chronico.*

Summa in Judæam poteſtas.

XXV. II. *Summa Poteſtas*, quam tunc Imperatoris populique Romani nomine in Judæa obtinebat, quamque ipſe Chriſtus ut ſuperne ei datam non dedignatus eſt agnoſcere. Joh. XIX. 11. Sub iſtiuſmodi judice, qui cauſſæ cognoſcendæ, & ſententiæ ferendæ jus poteſtatemque haberet, & quidem quæ ad cauſſæ momentum pertinebant in judicio examinatis, pati Chriſtum par fuit. A. Ut ſatisfieret Prophetiæ, Jeſ. LIII. 8. *A coarctatione & JUDICIO tollitur.* B. Ut abunde certi eſſemus de Chriſti innocentia, quæ, peſſimis artibus impetita, poſt cauſſæ ſcrutinium, quæſtione rite habita, conſtanter a Judice agnita, & quinquies laudata fuit. In hoc autem cardine univerſum ſalutis noſtræ negotium vertitur. Quid enim ſperandum nobis a Chriſto eſſet, niſi, non ob ſua eum crimina, ſed noſtra, condemnatum eſſe conſtaret? C. Ut ipſe injuſte a ſupremo illius terræ judice condemnatus, nos a juſto quod nobis imminebat Dei judicio liberaret. Injuſte ſane Pilatus agebat, quem ipſe abſolverat ad clamorem populi condemnando, Luc. XXIII: 24. Veruntamen Deus, *cujus eſt judicium*, Deut. I. 17. Chriſtum, ut noſtris oneratum obſtrictumque criminibus,

Pilati ore, rite legitimeque damnavit, atque ita, Sponsorem damnando nostrum, nos absolvit. *Castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice ejus fit curatio nobis.* Jes. LIII. 5.

XXVI. III. Prætereundum non est, potestatem illam, cui tum subeant Judæi, *Externam* atque *Gentilem* fuisse. *Tiberius* enim, *Romanorum Imperator*, Pilato Judææ præfecturam, suo populique Romani nomine, demandaverat, & *Vitellius, Syriæ præses*, eum loco movit: unde patet, *Judæam* tunc *Provinciam* fuisse *Romanorum, & accensitam Syriæ.* Quod profecto non parum ad rem communem Christianorum, ac præsens negotium, facit. Nam A. Hinc patet, tempus, adventui Messiæ destinatum, jam exspirasse, *sceptro penitus a Juda sublato*, & Syriæ Præfecto Judææ præsidem coercente: quod ante Messiam fieri non debuisse, arcana cecinerunt oracula. Gen. XLIX. 10. Jes. VII. 8. *Caput Syriæ erit Damascus*, non Judææ, quæ non dependebit a Damasco vel Syria, antequam Virgo conceperit, filiumque pepererit. vers: 14. Et Judæi contra semet ipsi testantur, Pilato dicentes, *nobis non licet interimere quenquam.* Joh. XVIII. 31. (sive quod ea iis ab Romanis ablata fuerit potestas, ut plurimi credunt, sive ipsius Synedrii oscitantia eam perdiderint, ut *Lightfootus* prolixe pugnat *ad h. l.* & *ad Mat.* XXVI. 3.) & clamantes *non habemus Regem nisi Cæsarem.* Joh. XIX. 15. B. *Omnium redemptorem*, tam Gentium, quam Judæorum, uti *pro omnibus*, ita & *ab omnibus* pati decuit. Act. IV. 27. *Congregati sunt enim vere adversus sanctum Filium tuum Jesum quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israëlis.* C. sub *Gentili* pati debuit, ut *more Romano cruci* affigeretur, quod insolitum cæteroqui Judæis supplicium erat: observante ipso Johanne cap. XVIII. 31. 32. *Judæi dixerunt ei, nobis non licet interimere quenquam. Ut sermo Jesu impleretur quem dixerat, significans qua morte futurum erat ut moreretur.* Si enim juxta Judæorum leges interimendus fuisset, non tam *lignum* exspectandum habuisset quam *lapides*.

Quæ; quum externa atque gentilis fuerit, maximarum rerum nos admonet.

XXVII. Nunc hujus quoque articuli PRAXIN meditemur. Quicquid nobis ad sapientiam, humiliationem, consolationem, salutem denique necessarium est, id omne, modo per fidem attendamus, in CHRISTO PATIENTE conspiciendum exhibetur. Summa salutaris Sapientiæ, uti ex fundamentis Catecheticis constat, *tribus* hisce capitibus absolvitur, agnitione MISERIÆ, LIBERATIONIS, GRATITUDINIS nostræ, quæ Paulus quoque junxit Rom. VII. 24. 25. Nihil autem horum est, quod aliunde & clarius & affectuosius discamus, quam ex passionibus Christi.

Praxis.

XXVIII. Ad *miseriam* nostram & *pravitas peccati* & *diritas* meritæ *pœnæ* pertinet. Utramque, peccator, in Christi passionibus conspice:

A Christo patiente discimus Mi-

tus, procul omni solamine, in maximis angoribus, execrabili est affixus cruci, manibus pedibusque inserto clavorum chalybe perterebratis. Quod consolationibus SS. Spiritus mulceris; quod in afflictionibus exsultas; quod liber tibi ad thronum gratiæ accessus patet; quod conscientiam tranquillam habes; quod cœlum ipsum, & vitam audes sperare æternam: non aliunde, nisi ex iisdem Christi perpessionibus oritur, qui ipse tua caussa blando paterni favoris influxu in mœroribus suis caruit, de angustiis animi conquestus est, non exauditas preces suas doluit, Ps. XXI 1.2.3. & vinculis mortis atque inferni cinctus constrictusque est. IV. Hinc etiam magnitudinem boni illius æstima, quod ipse Dei Filius, cui quarumvis rerum pretia optime cognita sunt, tam caro passionum pretio suis impetrare non dubitavit.

Et Gratitudinem. XXXI. Quanam autem *grati* animi testificatione immenso huic amori quodammodo respondebimus? I. Quicquid in animo nostro odii, iræ atque vindictæ esse potest, id omne adversus peccatum convertamus, quæ unica omnium Christi dolorum caussa fuit. Non Judas, non Scribæ, aut Seniores populi atque Pontifices, non plebs Judæorum, non Herodes, aut Pontius Pilatus, quicquam in eum valuissent; non expedita in eum fuissent aut flagra, aut spinæ, aut clavi; non incurrisset in eum Princeps tenebrarum cum copiis suis: nisi peccata nostra in se suscepisset, haut alio modo pianda. Jes. LIII. 5. 6. 7. Et nos ea olim, atque utinam olim! admissa, non amarissimis deplorabimus lacrumis? Zach. XII. 10. Nos in eo cœno ac stercore volutabimus, a quo præter sanguinem Filii Dei nihil nos mundare valuit? Nos ad servitutem pristinorum criminum redibimus, & ad vanas conversationes a Patribus traditas, a quibus in libertatem vindicari non potuimus, nisi tam inæstimabilis pretii lytro? Nos veterem illum hominem, parricidam Christi, Domini, Fratris, Sponsi nostri, in animis nostris vivere, vigere, rerumque potiri patiemur? Absit, procul absit a generosis pectoribus tam fœda ignavia. O peccata nostra, ô filiæ Babelis internecioni devotæ, bene illi sit qui rependet vobis, qui prehendet parvulos vestros, allidetque ad petram salutis nostræ. Ps. CXXXVII. 8. 9. II. Quicquid contra gratum esse Domino nostro novimus, id omne ei & incunctanter & abunde præstemus. Triginta argenteis a Juda venditum, omnibus mundi thesauris infinito chariorem æstimemus: a discipulis desertum, immoto animi proposito, quocunque præiverit, pedepressim sequamur: a Petro abnegatum, confiteamur constanter: a Proceribus urbe ejectum, comitemur alacriter, opprobrium ejus portantes, recipiamusque cum verbo & Spiritu intra valvas urbium, portas ædium, penetralia cordium nostrorum, ibi victurum ac dominaturum in omnia secula: eum adhuc in egenis suis nudum, famelicum, sitientem, amiciamus, cibemus, potemus: hoc

est,

est, aceti ac fellis loco, *bibendum ei dare de vino aromatite, de succo malogranatorum.* Cant. VIII. 2. Nihil denique in ejus cultu ac ministerio tam asperum nobis occurrat, cui non lubenter nos in ejus gratiam impendamus, qui multo plura & acerbiora pro nobis sustinuit.

EXERCITATIO XVI.

DE

CRUCIFIXIONE ET MORTE CHRISTI.

BREVIARIUM.

1. *Christi CRUX totius Religionis fundamentum est.* 2. *Voces* Patibuli, Furcæ, Crucis *exponuntur.* 3. 4. 5. *Forma, Partes, Magnitudo crucis.* 6. *Christi crucem nihil admodum a vulgatis diversum habuisse, probabile est.* 7. 8. 9. *Historia crucis per Helenam repertæ.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *Quam fabulæ propiorem esse multis argumentis arguitur.* 17. 18. *Crucifixionem præcedit* I. *Verberatio.* 19. 20. *Quæ in Christum quoque crudeliter adhibita.* 21. II. *Crucis portatio.* 22. *Quam Christus pariter subivit.* 23. III. *Vestium despoliatio.* 24. *A qua nec Christus immunis.* 25. 26. 27. *Crucifixionis modus varius.* 28. *In Christo maxime vulgarem usurpatum esse credibile est.* 29. *Crucifixionem quæ sequi sueta.* 30. *Ea nec Cruci Christi defuerunt.* 31. *Crucis supplicium pro summo cum caussa habitum est.* 32. 33. *A Deo ipso maledictum.* 34. *Christi in cruce MORS, sancta quidem & placida:* 35. *Attamen maledicta.* 36, *Crucifixio Christi, ut plena mysteriis, quæ ad nos quam maxime pertinent, religiose meditanda est.* 37. Flagellatio, Crucis portatio, Vestium despoliatio, *olim prædicta, præfigurataque sunt.* 38. *De* crucifixione *vaticinati sunt David & Zacharias.* 39. 40. *Lectio* כארי *Ps.* XXII. 17. *defenditur.* 41. 42. 43. *Crucifixionis typi.* 44. 45. Custodia, ludibria, mors, *pariter prædicta & præfigurata.* 46. *Breviter, omnia Christo ex definito Dei consilio evenerunt.* 47. 48. Gravis *admodum Christo fuit* flagellatio. 49. 50. 51. *Et* eductio *ex urbe* portantis Crucem. 52. 53. *Et* vestium despoliatio. 54. *Sed supra omnia ipsum* crucis supplicium. 55. 56. *Et quæ id consecutæ sunt;* Custodia. 57. Ludibria. 58. 59. Mors. 60. 61. 62. *Non sine spirituali* συμπαθείᾳ *meditanda hæc nobis sunt.* 63. 64. *Omni dolore atque ira in peccatum versa.* 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72, 73. *Christi crucifixionem scaturiginem consolationis esse, per singulas partes ostenditur.* 74. 75. *A Christo moriente,* sancte & vivere & mori *discimus.*

Christi CRUX totius religionis fundamentum est.

I. FUndamentum fundamentorum, & columna secretioris sapientiæ, CRUX CHRISTI est, qua sine nec religionis nostræ arcana cognosci, nec digna Deo sanctitas comparari, nec æterna salus obtineri potest. Hujus rei gratia Paulus, cæterorum omnium quæ didicerat veluti oblitus, in animum induxit, *nihil penes Corinthios scire præter* JESUM CHRISTUM, *eumque* CRUCIFIXUM. 1 Cor. 11. 2. Si qua ergo materia, hæc certe homini Theologo, imo cuicunque Christiano, accurate & pie meditanda est. Et nos quidem in præsentia ita eam tractabimus, ut *primo* crucifixionis Christi *historiam*, uti ab Evangelistis enarratur, exponamus; ex Antiquitate Romana, sed carptim ac parce, ea comportantes, quæ huic rei illustrandæ sunt: *dein* ad *mysteria* interioris Christianismi transibimus, in quorum fide ac praxi germanæ pietatis medulla est.

Voces Patibuli, Furcæ, Crucis, exponuntur.

II. Prælibanda nonnulla videntur de *vocabulis* quibus hoc supplicium designatur, & de *forma* crucis, antequam *crucifixionis modum* enucleemus. Creberrimæ sunt voces *Patibuli, Furcæ, Crucis*, quæ generaliori significatione, a disertissimis etiam Latinæ linguæ auctoribus, quandoque confunduntur. Attamen *Crux*, proprie & stricte dicta, a *Patibulo*, itidem stricte dicto, distinguitur. *Patibulum* vel *Vetus* est, vel *Novum*. *Vetus*, stipes erat superius bifidus, lignum nimirum unum divisis cornibus exsurgens ad figuram literæ Y. Patibulum dicebatur, non a *patiendo*, ut post *Isidorum* multi voluerunt, sed a duobus illis *patentibus* ramis, sive cornibus: ut *Latibulum* a *latendo*. Idem, ob similitudinem instrumenti rustici, *Furca* frequenter vocabatur: quæ cum *Veteri Patibulo* prorsus idem est. *Novum Patibulum* a Constantino est introductum: qui quum nollet salutare signum subservire ad perniciem, pœnisque vilescere damnatorum, *vetus veterrimumque supplicium patibulorum primus removit*; uti *Victor in Constantino* ait; vel, ut *Cassiodorus, Hist: Trip: par:* I. *cap.* IX. *Supplicium Crucis, quod primitus apud Romanos erat in usu, lege prohibuit.* Illius loco aliud introduxit Patibulum, hodieque usitatum; ad formam Græcæ π, in quo damnati non clavis affiguntur, sed reste strangulantur. Ab utroque patibulo distincta erat *Crux*, cujus formam mox exhibebimus. Videri de his vocabulis possunt *Casaubonus*, *Exerc.* XVI. *ad Ann. Baro. Salmasius, in Epistola altera ad Bartholinum de Cruce* & *Vossius, in Harmo: Evan. Lib.* II. *cap.* VII. §. XI. itemque *in Etymologico*: qui *Lipsii* hallucinationes erudite castigarunt.

Forma, Partes, Magnitudo Crucis.

III. *Forma* crucis, vel *rarior* erat, vel *frequentior*. *Rarior*, *decussata, ad speciem literæ* X, *quæ figura est crucis. Hieron. in Jer.* XXXI: Nec minus clare *Isidorus. Orig. Lib.* I. *cap.* III. X *litera, & in figura crucem, & in numero decem demonstrat.* Hæc est illa quæ Andreana dicitur, valida & satis vetere fama, dubium tamen, an vera. *Frequentior* referebat literam T: arrectario tamen ligno supra transversum aliquando eminente.

IV.

IV. Medio crucis trunco affigi solebat lignum aliquod medianum, inter femina cruciarii excurrens ac prominens, cui cruciarius insideret, ne, si solum manus affixæ essent ligno transuerso, iis ruptis corpus de cruce decideret. *Tertullianus* id vocat *sedilis excessum*. Passimque illud agnoscunt Veteres, qui ante Constantinum vixerunt, quum crux adhuc in usu esset. Et vix est ut alio referas notos illos *Mecænatis* versus, *Hanc mihi, vel acuta Si sedeam cruce, Sustine.* Addunt nonnulli *suppedaneum*, cui cruciarii pedes inniterentur, vel infigerentur. Sed vix illud ex antiquitate demonstrari potest.

V. *Magnitudo* crucis inæqualis erat. Aliquando ad majus exemplum aut etiam studio majoris crudelitatis, pro criminis etiam atrocitate, aut, personæ odio, aut ad majorem crucifigendi infamiam, altiores ei cruces solitis defigebantur. Pertinet huc Galbæ irrisio apud *Sueton*: *Cap*. IX. qui cuidam imploranti leges, & civem Romanum se testificanti, quasi solatio aliquo & honore poenam levaturus, mutari, multoque præter cæteras altiorem, & dealbatam statui crucem jussit. Cæterum vulgares cruces non nimis excelsas fuisse, ex eo liquet, quod plerumque crucibus jam erectis, sine scalarum usu, cruciarii affigerentur, eorumque intestina a lupis ac canibus devorarentur. Idem evincit infamis ac infanda illa Neronis turpitudo, qui viros fœminasque ad stipitem deligatos (*Xiphilinus dicit*, μειράκια καὶ κόρας σταυροῖς γυμνοὺς προσδέων) ipse feræ pelle contectus, emissus e cavea, medios invadebat. *Suet. Cap*. XXIX. Quæ non potuissent fieri, nisi cruciatorum pedes paucissimis, tribus, vel quatuor forteam, ab humo pedibus abfuissent.

VI. Christi Crux, an, & quid a vulgatis diversum habuerit, nemo nunc pro certo dixerit. Probabilius est, quum nihil de ea singulare Evangelistæ memorent, prorsus ad suetum morem fuisse compositam. Fortasse lucem aliquam affulgere hic nobis posset historia Crucis Dominicæ, ab Helena Imperatrice, Constantini Magni Matre, non sine Sacri Spiritus instinctu, stupendisque miraculis, feliciter repertæ; modo de narrationis indubitata fide constaret. Sed video, Viros magnos, & Antiquitatis peritissimos, eam non suspectam modo, sed & pro fabula ac commento, habere. Digna sane ob celebritatem suam quæstio, quæ pensitatis utriusque partis rationibus, breviter a nobis examinetur. Christi Crucem nihil admodum, a vulgatis diversum habuisse, probabile est.

VII. Historia hoc modo habet: Helena Imperatrix, jam provecta annis, in Orientem pio studio profecta, loca sacratissimis Domini pedibus calcata uisitavit, & nonnulla ex iis stupendi operis monumentis, sumptus sufficiente Filio, exornavit. Interim *infudit ei Spiritus, ut lignum Crucis requireret. Accessit ad Golgotham: & ait, Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro signum salutis, & non invenio. Ego, inquit, in Regnis, & Crux Domini in pulvere? Quomodo me redemtam arbitror,* Historia Crucis per Helenam repertæ.

 si

sa redemtio ipsa non cernitur? Ita eam loquentem in scenam producit *Ambrosius, Orati. in Fun. Theodosii.* Peritissimos ergo tam Christianorum quam Judæorum, *Paulino* teste *Epist.* XI. *Hierosolymam accitos congregavit. Tum omnium una de loco testificatione confirmata, jussit ilico, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi.* Neque diu fuit, *quin abditæ crucis arcana paterent. Sed quum tres pariter cruces, ut quondam fixa Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent, gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, piorum metu, ne forsitan pro cruce Christi patibulum latronis eligerent.* Unde colligas, formam omnibus eandem fuisse.

VIII. Cæterum quæ tandem nota discriminis? Si *Ambrosio* credimus, Deum ἀπὸ μηχανῆς intervenire necesse non fuit. *Invenit enim Helena in medio patibulo prælatum titulum,* JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. *Hinc collecta est series veritatis, titulo Crux patuit.* Et fortasse sic ea tempestate credebatur. At aliter *Ruffino* visum, qui rem tantam non absque miraculo confici potuisse credidit. Adducta est *semiviva mulier,* quæ primæ secundæque crucis attactu nihil adjuta, *simul ac tertiam admoveri sensit, repente adapertis oculis resurrexit, & stabilitate virium recepta, alacrior multo, quam quum sana fuerat, tota domo discurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit. Ruff. Hist. Lib.* I. *Cap.* XVII. Id si ad faciendam fidem non sufficiat, aliud, & majus, ex *Paulino* audi, cui *Sulpitius* adstipulatur *Severus. Cadaver illatum est; deponitur; jacenti una de crucibus admovetur, dein altera: sed earum ligna mors sprevit. Postremo Dominicam crucem prodit resurrectio: & ad salutaris ligni tactum, morte profuga, funus excussum, & corpus erectum est. Nicephorus* utrumque conjungit. *Lib.* VIII. *Cap.* XXIX.

IX. Imperatrix ergo voti compos effecta, tantisque confirmata miraculis, templum mirificum, eo in loco in quo crucem repererat, regia ambitione construxit. Crucis autem inventæ partem alteram Hierosolymis esse relictam, alteram ad Constantinum allatam, & *Sozomenus* & *Theodoretus* affirmant. Quam ubi Constantinus (ita *Socrates* ἱστορεῖ) accepisset, in suam inclusit statuam quæ Constantinopoli in foro collocata est: ratus civitatem, in qua illa servaretur, omnino salvam & incolumen fore. Hæc est rei gestæ historia: quæ tot, tantæque fidei & auctoritatis, firmata testibus, tam constanter in Oriente pariter atque Occidente credita, extra omnem dubitationis aleam posita esse videtur. Idque eo magis, quia *S. Cyrillus,* Hierosolymitanus Antistes, qui his temporibus vixit, & interfuisse potuit ejusdem crucis inventioni, ad Constantium, Constantini filium, de salutari crucis ligno reperto scripsit. Vide *Baron. Tom.* III. *ad An.* CCCXXVI. *Num.* XLII. *& seq.*

Quam Fabulæ propiorem esse

X. Non desunt tamen Viris Doctis quæ contra dissertent. Ac primo quidem vetant oculos nobis præstringi narrationis alicujus late didita; multis-

multisque, etiam non omnino imprudentibus, credita fama. Homo natura ad fingendum pronus est: & facile ab aliis ea commenta recipiuntur quae rei alicui cui impense student commendandae idonea sunt. Quod exemplis confirmare in mundo est. Quid per multa secula celebrius fuit Constantini lepra, & Baptismo apud Romam a Sylvestro, Urbis Episcopo? Quid Catharinae, Regiae apud Alexandriam virginis, diris passionibus vulgatius? aut Giganthea Christophori statura? Quid Sancta Ursula cum undecim mille virginum choro, illarumque martyrio, decantatius? Quid famosius Rhemensi ampulla, ad Chlodovaeum inungendum Divinitus delata? Quam nobilis & antiqua fabula de Carolo Martello ad gehennam damnato? Horum tamen omnium cordatiores Romanensium hodie pudet. Ita quoque fieri potuit, ut haec de reperta cruce, annis aliquot post Helenae mortem, a nescio quo primum conficta, patulas aures invenerint: quia admodum favere videbantur illi circa reliquias religioni, quae affecto seculo quarto gliscere occepit. Sane Chronicum Coloniense, conscriptum Anno M. CCCC. XCIX. ante exortam Reformationis lucem, hanc inventae crucis historiam, non minus incertis & dubiis accenset, quam illam de undecim mille virginibus. multis argumentis arguitur.

XI. Nam & illud observandum, non esse hanc rem traditam nisi ab iis qui Constantino & Helena aliquanto tempore posteriores fuerunt. Quod rem mature quidem, nec multis post Helenae obitum annis, traditam receptamque demonstrat: veram esse, non vincit. Primus qui illiusce meminit *Cyrillus Hierosolymitanus* est, si modo Cyrillus. Hunc *potuisse interesse* inventioni Crucis, Baronius dixit: interfuisse, erubuit dicere. Sed non sine caussa a Viris Magnis dubitatur, an veri Cyrilli haec genuina epistola sit: tum quia *Hieronymus*, acer licet reliquiarum patronus, de ea epistola nihil dicit, quo loco Cyrillum inter illustres illius memoriae scriptores referens de ejus rebus & libris docet: *Lib: de Script. Eccl. in Cyrillo:* tum quia ipsa Epistola ea continet quae vero Cyrillo indigna sunt. Nam postquam praefatus esset, literas se dare *non verborum adulatione refertas*, mox tamen Constantium vocat πανευσεβεστάτου βασιλέως, προγονικὴν εὐσέβειαν μείζονι τῇ πρὸς τὸν Θεὸν εὐλαβείᾳ νικῶντα. *omnium pientissimum Imperatorem, qui sua erga Deum pietate majori parentes suos superaverit.* Et deinceps, *Has ab Hierosolymis primas annuncio voces. Tibi,* τῷ γνησιωτάτῳ καὶ πανευσεβεῖ μεθ' ἡμῶν Ἰησοῦ προσκυνητῇ, *maxime germano & omnis pietatis studioso, Christi Unigeniti Filii Dei & Salvatoris nostri una nobiscum adoratori.* Quo modo Episcopum orthodoxum Imperatori Ariano, multisque foedo criminibus, scripsisse, probabile non est. Vide *Baronium ad An.* CCCLIII. *Num.* XXVI. & *seq.* ubi epistolam eam exhibet: & quum tanta Constantii encomia displicerent, ipse in margine annotavit, *Profusa laudatio.*

XII. *Ambrosii* testimonium annis plus minus octoginta, re gesta, si modo gesta, posterius est. Theodosius enim, in cujus oratione funebri id disserit Ambrosius, obiit Anno Christi CCCXCIV. Crucis autem inventio refertur ad annum CCCXXVI. Adde Ambrosium, virum cætera gravissimum, magnum fuisse reliquiarum promotorem: quem mirum non est sparso de Crucis inventione rumori facile credidisse. Hoc enim natura cuivis insitum est, ut iis quæ valde cupimus, licet non satis explorata sint, statim ac facile adhibeamus fidem, iisque, ut hypothesi inservituris, utamur alacriter.

XIII. Et profecto si tanti Crucis inventio est, ut, juxta Ambrosium, dicendum fuerit Helenæ; *quomodo me redemtam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur?* quo pacto excusari possunt Apostoli, primique Christiani, quod potiundæ cruci non majorem adhibuerint diligentiam? Non enim Judæi, non Pilatus, qui Christi cadaver Arimathæensi Josepho concessit, discipulis infelix magistri patibulum, uti opinor, invidissent. Fac invidisse. Cur non saltem Apostolorum discipuli, diruta Judæorum Politia, Urbe ferro & flammis excisa, ex vicino, quo confugerant, oppido statim advolant, in ruderibus illis crucem scrutaturi, tantam religionis suæ partem, inexhaustum benedictionum ac miraculorum thesaurum, Ecclesiæ peculium, spem, præsidium? Præsertim quum nullum ibi persecutionum ludibrium metuendum, sed solitudo, ac muta omnia, essent. Nimirum existimabant id quod res est, nihil ad Ecclesiam commodi ex materiali illa cruce redundare nunc amplius posse. Sufficiebant iis fides, dilectio, cultus Crucifixi: & pia Evangeliorum meditatio, in quibus de Domini perpessionibus sufficienter erudimur.

XIV. Cæteri Auctores fidem historiæ destruunt magis quam ut adstruant. Adeo sibi dissona commentantur. Vide sis a quam tenuibus initiis, uti in fabulis fieri assolet, fama vires eundo acquisiverit. *Cyrillus*, ut ajunt, simplicissime primum dixit, Constantini temporibus salutare Crucis lignum repertum. Hic substitit. *Ambrosius* rudem fabellam exornavit, vel ab aliis exornatam excepit, & Helenam crucis quærendæ atque inveniendæ ducem edidit: addito, ex titulo crucem Domini deprehensam: non contemnendum etiam commentarium de clavis adjunxit. Aliis placuit exiliorem hanc Ambrosii narrationem miraculi gloria animare. *Ruffinus* ergo, Ambrosio paulo junior, ægram producit, Dominicæ crucis contactu repente sanatam. Sed quum nec id pro tantæ rei majestate satis esset, *Paulino*, Poëtæ & Oratori haut vulgari, illustrius miraculum fore visum est, si mortuo vita quam si ægræ valentia restituatur: Hinc cadaver cruci admotum, quod vita recepta mox in pedes surrexit. Solicitudinem fortasse tam discors *Ruffini* & *Paulini* narratio scrupulosis incutiat animis: sed *Nicephorum* nunc vide, qui ingeniose,

&

& plane ex Græcanica solertia, difficultatem omnem eximit, utrumque admittendo miraculum. Ita paullatim instructa fabella est, quam alii aliis magno nisu tradiderunt, identidem factam auctiorem: donec Gelasio Papæ oportunum visum est fingendi libidini fibulam imponere.

XV. Sed nullum validius argumentum eo est, quod ab *Eusebii* desumitur silentio. Is Cæsareæ, urbis in vicino Hierosolymorum positæ, Episcopus, eopse tempore vivens, Constantino ipsi & Helenæ perquam familiaris, rem tantam, si gesta est, ignorare non potuit. Si scivisset, si vel tenuis illius aura ad aures ejus dilapsa fuisset, indictam præterire non debuit, non potuit etiam, quum tam accurate in literas digereret, quæcunque a Constantino & Helena in terra sancta, in locis Nativitatis, Passionis, & Sepulturæ Christi, gesta fuere; nusquam in laudibus Augustæ parcus. Si ulla res, hæc certe quantivis erat pretii, nec ullo modo prætermittenda accurato scriptori, ut fuit Eusebius. Unicum hoc ab Eusebii silentio argumentum, in re tam nobili, tam notabili, ubi tam commoda narrandi oportunitas, tam urgens necessitas, ad displodendam universam illam de crucis inventione narrationem abunde sufficit.

XVI. Nec invenit quod opponeret Bellarminus, nisi unum aliquid: quod tamen aliquid nihil est. Nimirum mentionem hujus rei inveniri, non quidem in *Historiis*, attamen in *Chronico Eusebii*. Ex quo *ad Annum Constantini* XVI. hæc verba profert. *Helena Constantini Mater, divinis monita visionibus, beatissimum Crucis lignum, in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymam reperit.* Sed hæc vel fraus est Bellarmini, vel mera supinitas. Nam neque in Græco Eusebiani Chronici textu horum verborum quicquam invenitur: neque, *Scaligero* teste, & *Spondano* non abnuente, in ullo scriptorum codicum Latinorum. Ipseque *Baronius* Eusebii Chronicum a librariis admodum depravatum esse fatetur. Et res ipsa hic clamat. Non enim crucis inventio, si inventa est, ad Annum Constantini XVI. sed XXI. qui incidit in Annum Christi CCCXXVI. referenda est. Hoc ergo additamentum a mala est & fera manu. Faciunt hæ rationes, ut cum *Chamiero, Panstrat. Lib.* XXII. *Cap.* IV. *Salmasio, in Epist. de Cruc. p.* 368. *& seq. Dallæo, de object. cult. relig: Lib.* V. *Cap.* I. aliisque, illam de crucis inventione historiam pro fabula habeamus.

XVII. Sed e diverticulo in viam. Nunc *crucifigendi modum* expendamus, & ordine, Quæ *Ante fixionem*, Quæ *In illa*, Quæ *Post illam*. ANTE FIXIONEM tria adhibita, *Verberatio, Impositio Crucis* ad gestandum, *Despoliatio vestium*. Crucifixionem præcedit I. Verberatio.

XVIII. *Verberationem* erga *omnes capitis damnatos* præmittere Romani solent. Hinc antiquæ formulæ: *I lictor, colliga manus, verberato, caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Vel: *Summove lictor. despolia, verbera, lege age, animadverte.* Nominatim ea animadversio *crucifixioni* præmittebatur.

tur *Alii verberati crucibus affixi. Livius. Lib.* XXXIV. Et Judæi apud *Josephum Lib.* V *Halosε: Cap.* XXXII. προμαστιγούμενοι *flagellati*, & *præcruciati ante mortem omne genus verberibus, crucifigebantur.* Exempla passim apud Historicos exstant ἄνω κάτω. Multa congessit *Casaubonus ad Lib.* I *Polybii*, ubi de auctoribus sceleris Rhegiensis agit. Verberatio hæc quandoque *virgis* peracta, quod mitius censebatur & honestius: crebrius tamen *flagellis*, quæ & inhonestiora & asperiora erant. maxime quum insitis talis & ossiculis exasperarentur: unde, *Ulpiano* teste, L. VIII. *de pœnis, ministrorum immanitate multi sub ejusmodi flagellis interierunt.* Cæterum & illud observandum: flagellationem non uno semper *loco*, aut *tempore* factam. Aut enim *ante Deductionem* utebantur, *in Prætorio*: vel *in ipsa Deductione* per viam, quod moris magis fuit prisci.

Quæ in Christum quoque crudeliter adhibita.

XIX. Constat, *Flagellationem* etiam in Dominum gloriæ adhibitam esse, antequam suffigeretur cruci: sed an *more Romano*, an *aliam ob caussam*, id enimvero dignum est quæri. Illud Matthæus innuere videtur: Cap. XXVII. 26. τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν, ἵνα σταυρωθῇ. Consentit Marcus. Cap. XV. 15. Sed ex Joh. XIX. 1. clarum est, flagellationem a Pilato usurpatam ad efferatos Judæorum animos, si posse, mitigandos, ut a nece Christi petenda abstinerent. Quo & illa Pilati apud Lucam spectant, Cap. XXIII. 22. *Castigatum ergo dimittam illum.* Non impetrant assensum qui tantillo tempore binas Christi flagellationes statuunt, alteram ante latam sententiam, privato Pilati consilio, quam Johannes memoret; alteram post, publico more Romano, de qua Matthæus & Marcus. Nobis sic videtur: videbat Pilatus pertinax primatum & populi in Christum odium: qui, quicquid contra moliretur, præfracte Christum ad crucem poscebant. Quumque sciret, si ad extremum hoc supplicium omnino deveniendum esset, non posse illud adhiberi, nisi in præcruciato flagellis, inde nunc sibi inchoandum duxit, sperans interim fore, ut Judæi supplicio isthoc emolliti, crucifixionem flagitare desinerent. Atque ita duo sibi Pilatus flagellatione Christi proposuerit: primo, exasperatos Judæorum animos tam tristi spectaculo ad misericordiam flectere; vel si hoc non succederet, & prorsus cogeretur Christum ad crucem tradere, ut hac quoque in re mori Romano satisfactum foret. Hanc consilii partem Matthæus cum Marco, istam cæteri Evangelistæ exponunt.

XX. Sævam hanc flagellationem atque immitem oppido fuisse, facile colligitur ex fine quem se assecuturum Pilatus sperabat. Noverat enim obstinatas Judæorum mentes: quas, nisi miserando admodum exemplo, ad misericordiam macerare, frustra, & insipienter etiam, tentasset. Propius quoque fidem est, non *virgis*, sed *flagris* cæsum esse Dominum: non modo quia vulgatius illud, & Pilati consilio conducibilius

erat

erat; sed & quia ipsa Evangelistarum verba, φραγέλλωσις & μαστίγωσις id suadent. Istud enim corruptum est a Latino *flagellum*, illud est a μάστιξ. *flagrum*, *scutica*. *Columnæ* Christum, dum flagellabatur, alligatum fuisse, Veterum multi crediderunt: neque abludit a more Romano. Cæterum columnam istam Hieronymi adhuc tempore fuisse superstitem, quæ Ecclesiæ tunc porticum sustinens infecta Domini sanguine visebatur, credulus sit oportet qui sibi patitur persuaderi. Quæ recentiores revelationes de flagris aculeatis, & verberum numero, aliisque circumstantiis, Evangelio addunt, inverecunda φιλομύθων inventa sunt. Præposteras sane gratias Christi erga nos pietati habemus mentiendo. Neque existimandum est, non rite perpessionibus ejus suum esse constiturum pretium, nisi stolidis nostris affabulationibus eas exaggeremus.

XXI. *Ferenda* etiam misero *crux* sua *imponebatur*, *Artemidorus*: *Lib.* II. *Cap.* XLI. ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι τῷ σταυρῷ, πρότερον αὐτὸν βαστάζει. *Qui in cruce figendus, prius eam portat.* Pertinebat id ad ludibrium & ignominiam. Et præbebat doctrinam non inutilem, quam eleganter exsequutus *Plutarchus* est, *de tarda numinis vindicta.* Sicut maleficorum quisquis corpore suam effert crucem, ita quemque per malitiam cruciatuum caussam in se, ex se gignere. II. Crucis portatio.

XXII. Ad eundem modum suam quoque *crucem Christus bajulavit.* Joh. XIX. 17. donec illi defetiscenti auxiliator & subsequa adjungeretur, vel substitueretur potius. Profecto non ex misericordia, sed crudelitate deducentium; qui metuebant ne in via deficeret, quem in cruce mallent videre spirantem, atque exspirantem. Quam Christus pariter subivit.

XXIII. Denique Crucifixionem præcedebat *Vestium despoliatio.* Nudi enim, quales a matre editi sunt, in cruce pendebant. *Artemidorus*: *Lib.* II. *Cap.* LVIII. Γυμνοὶ γὰρ σταυροῦνται. *Nudi enim crucifiguntur.* *Arrian. Dissert. Lib.* IV. *Cap.* XXVI. καὶ ἐν τῷ βαλανείῳ ἐκδυσάμενος, καὶ ἐκτείνας σεαυτὸν, ὡς οἱ ἐσταυρωμένοι. *In balneo vestibus exutus, & extendens semet ipsum, ut solent crucifixi.* *Acta Pionii Martyris*, qui presbyter Smyrnensis erat, apud *Baronium, Tom.* II. *ad A,* CCLIV. *Num.* XIX. *Quum igitur fidei studio alacriter in stadium venisset, ultro se vestimentis spoliavit. Deinde corporis sui decus & castitatem recogitans, ingenti repletus est gaudio! & in cælum suspiciens, ac Deo qui se talem conservasset gratias agens, super lignum se ipsum extendit, militique tradidit ut clavis configeretur.* Ex quibus testimoniis colligi posse videtur, etiam eas partes, quas natura tegi voluit, ab omnibus spectatas esse. III. Vestium despoliatio.

XXIV. Quumque id vulgo in cruciariis factum sit, quid est, cur, contra multorum ex Patribus sententiam, aliter cum Christo comparatum fuisse pugnemus? qui vestibus suis despoliatum esse Christum legimus, verenda velo vel femoralibus contecta non legimus. Nam, quod nonne- A qua nec Christus immunis.

Symb. Apost.

mo urget, Christi passionem fuisse voluntariam, nec alia pati decrevisse quam quæ decerent; propterea vitasse quicquid honestati repugnaret, quale fuisset, si a matre, & fœminarum aliis, conspiceretur prorsus nudus: judiciose respondit *Vossius*, *Harm. Evan. Lib.* II. *Cap.* VII. §. III. ad gravitatem passionis pertinuisse, si mors ejus maxime fuerit ignominiosa: opprobrium autem auctum eo esse, si nullo fuerit tectus velamine. Quodque ad sanctarum fœminarum adspectum attinet, cogitandum, quid e gentilibus Livia Augusta dixerit, quum in angusta via obviam venissent, qui ad supplicium prorsus nudi raperentur. Ajebat illa, non magis horum visu se moveri, quam quum nudas conspiceret statuas. Et certe flagrantior pariter ac castior, cœlestis magis ac Divinus, earum in Christum amor erat, quam ut ulla hostium in sanctissimum corpus illius contumelia, a tam charo spectaculo arceri potuerint.

Crucifixionis modus varius.

XXV. Nunc ad CRUCIFIXIONEM ipsam deventum est: quæ non uno semper modo peragebatur; sive *Tempus* attendas, sive *Instrumenta*, sive *Situm* crucifixi. *Tempus* quod attinet, usitatissimum erat, ut crux prius defigeretur in terra quam affigeretur reus, uti multis probat *Lipsius*, *de Cruce Lib.* II. *Cap.* VII. Hinc illæ loquendi formæ, *ascendere in crucem*, *insilire in crucem*, *crucisalus*, *in crucem levari*, nempe in medium illum palum, in quem miser, a carnifice adjutus, sessurus insiliebat, uti eques in equum. Sed & jacentes subinde & supinos impositos fuisse cruci, dein erigendæ, ex *Pionii*, supra a nobis laudati, *actis*, collegerunt quotquot fere hanc materiam tractant. Ita enim illa: *Eum igitur ligno fixum erexerunt.*

XXVI. *Instrumenta* adstrictionis *Clavi* fuere, vel *Funes*, sed plurimum illi, quod ipsa Crucifixionis vox importat. De *Funibus*, *Ammianus Lib.* XXII. *Dracontius & Diodotus, injectis per crura funibus, exanimati sunt.* *Clavi* manibus primum infigebantur, initio facto a dextra: fortasse non in media vola semper, sed superius paululum, circa carpum. *Brachia* enim *affigi*, Plautus dixit. Tum ad *pedes* itum. Qui quandoque uno clavo uterque transfixi sunt, quandoque singuli singulis.

XXVII. *Situs*, sive habitus crucifixorum item diversiformis fuit, uti ingeniosa in pœnas crudelitas est. *Usitatissimus* fuit: ut brachiis in superiori transverso ligno expansis, cruciarius medio palo quodammodo insideret, pedibus terram versus propendentibus. *Rarius*, schema inversum. *Seneca*, *Consolat. ad Marc. Cap.* XX. *Alii capite converso ad terram pependere.* Picturas vide apud *Lipsium Lib.* III. *Cap.* VIII. Ita Petrum crucifixum ajunt, ipso rogante, ne Domino adsimilaretur.

In Christo maxime Vulgarem

XXVIII. In Christi Crucifixione omnia ex receptiori consuetudine peracta esse, non est cur dubitemus. Eum ergo, non cum cruce, ei

ei affixum, sed in crucem, illi affigendum, exaltatum fuisse credimus; crucique non funibus alligatum, sed clavis affixum; an tribus; an quatuor, illiquidum est: eo denique habitu, ut erecta facies in omnium esset oculis.

usurpatum esse, credibile est.

Crucifixionem quae sequi sueta,

XXIX. POST FIXIONEM præcipue notanda, *Ludibria*, miseris insultantium. *Custodia*, & *Mors*. *Custodia*, & vivorum, & mortuorum erat; ne quis corpora detraheret ad sepulturam. *Mors* ab non una caussa, molesta semper ac plena doloris; quandoque a stillante paullatim sanguine, ex vulneribus, tam per flagra, quam per clavos factis; quandoque fame ac siti. Fuitque quum illam minime vitalem vitam ad tertium quartumve diem, vel ultra, traherent. Interdum a volucribus aut feris vivi lacerati sunt, aliquando & lanceis interfecti, subinde & flammis ustulati. Crurifragium de latronibus cum Christo crucifixis Evangelistæ narrant. Cæterum an id ex more Romano factum sit, an in gratiam Judæorum, ne qua fraus ipsorum legi fieret, quæ ad solem occasum suspendiosos deponi jusserat; mihi quidem in subnubilo est.

Ea nec Cruci Christi defuerunt.

XXX. Nos ad Christi Crucem redeamus, qui immanissimis *ludibriis* ac sannis, a Judæis ac Gentilibus, primoribus & plebe, exceptus fuit. Nec intra verba res stetit. De siti querenti acetum ex spongia sugendum dedere. Quod *non ad ignominiam factum, sed humanitate quali quali*, impetrare a me non possum ut accredam Vossio. Nam manifesto satis ad ludibrium id refert Lucas, Cap. XXIII. 36. Ἐνέπαιζον δὲ αὐτῷ καὶ οἱ στρατιῶται, προσερχόμενοι καὶ ὄξος προσφέροντες αὐτῷ. Sed nec sueta militum *custodia* aberat. Mat. 27. 36. At consummatis omnibus quæ in hac vita agenda aut patienda sibi incumbebant, solito citius in cruce *exspiravit*.

Crucis supplicium pro summo cum caussa habitum est.

XXXI. Nemo nunc est qui dubitare queat, quin Crucis supplicium *Summum*, vel *Supremum*, & *extrema pœna*, cum caussa, Juris consultis, atque historicis, habitum dictumque sit. Nam & *Ignominia* & *Dolor* incredibilis, hic de palma certant. *Ignominia*: non enim nisi vilissimis capitibus, & scelerosissimis mortalium, statuta antiquitus hæc pœna est. *Servi*, *Latrones*, *Sicarii*, & id genus monstra hominum, damnatæ crucis candidati erant. Liberi autem homines, & cives Romani, supplicio hoc affici non poterant, nisi prius *Servi pœnæ* fierent: libertate iis erepta servilibus flagris. *Dolor*, qui non potuit non esse maximus, in corpore loris modo lacerato, nunc clavis transverberato, iis partibus quibus sensus peracutus est; vulneribus, ob molem corporis, & expansionem membrorum, diductis atque hiantibus. Dolor, quo diuturnior eo immanior. Hæc ex Romanorum instituto, & rei ipsius natura, Sed & tertium accessit, ex Hebræorum lege, *Maledictio*. Cujus nunc ratio tradenda nobis anquisitius.

A Deo ipso maledictum.

XXX. Deut. XXI. 22. 23. jubet Deus sontem, morti adjudicatum, &

& post mortem e ligno suspensum, ante occasum solem tolli atque sepeliri: ea ratione addita, כי קללה אלהים תלוי *quia maledictio Dei est suspensus.* Paulus eandem sententiam, verbis aliquantulum diversis, laudat, & ad Christum transfert. Gal. III. 13. Hic *duo* quæri solent, & *primo* quidem, cur Deus hoc supplicii genus præ cæteris omnibus speciali infamia notaverit, ut non solummodo, quod in se est, truculentum atque horribile hominibus videatur, sed & suspensus ipsius Dei dicatur exsecratio. Nihil equidem detractum volo prolixis Doctissimorum Virorum super hanc rem commentationibus. Id proferam quod simplicissimum mihi, & maxime obvium, esse videtur. Nimirum infelix illud potoplastorum peccatum circa *arborem* commissum est. Hinc prima mali labes. Inde ira Dei atque maledictio, toti humano generi, imo ipsi terrarum orbi, incumbens. Deus ergo pro maledictionis symbolo sapienter elegit suspensionem ab *infelici arbore*, quæ omnibus adspectantibus primam Divinæ iracundiæ originem rememoraret; neque voluit, primum illud peccatum, & quæ ab eo promanarunt, expiari, nisi vas humani generis in *ligno* se suspendendum daret. Non enim ea legislatoris mens est. quoslibet, sine discrimine, suspensos, gratiæ suæ participatione excludi. Sed in *in ipsa suspensione ad* עץ *lignum*, sive sontis sive insontis, sive pœnitentis sive non, monumentum exstare voluit maledictionis, quæ ex *crimine, circa* עץ *lignum* commisso, orta, mundo erat incubitura, donec Messiæ in *ligno* passionibus aboleretur.

XXXIII. Sed & *id* non immerito quæritur, quo jure Apostolus hæc ad crucis transferat supplicium? Nam quicquid *Baronius* & *Lipsius* contra tendant, crux antiquis Hebræis inusitata atque ignota fuit: sed uti *Sozomeno* vocatur, *νενομισμένη Ῥωμαίοις τιμωρία.* Quod invictis argumentis demonstravit *Casaubonus Exerc*: XVI. Exstat quidem in Chaldaica Ruthæ paraphrasi Cap. I. 17. *Quatuor judicia mortis in nocentes. Injectio lapidum, crematio ignis, interfectio gladii,* וצליבת קיסא & SUSPENSIO PATIBULI. Sed vel priscorum suæ gentis rituum ignarus fuit recentior interpres, & strangulationem, quæ longe alio modo peragebatur, cum suspensione ad patibulum imperite confudit; vel genus supplicii suo tempore exoletum, verbis alterius, tunc usitati atque isti analogi, proferre voluit; vel denique id quod post mortem fiebat mortis generibus perperam accensuit. Plurimum enim interest, an quis jam capitaliter plexus funibus suspendatur, quod faciebant Hebræi; an vero vivus ligno affigatur, lenta sævaque ibi morte functurus, quod Romanorum erat. Vide sis *Schichardum de jure Regio. Cap.* IV. *Theorem.* XIV. *cum Animadversionibus Carpzovii.* Optime tamen Paulus ea quæ de *suspensione ad lignum* in genere dicta sunt, *crucifixioni* peculiariter applicat, quum *genus* omnes in se *species* complectatur.

XXXIV.

XXXIV. Sub tam indigna ignominia, in tantis animi corporisque cruciatibus, dum ut exsecratio Dei in ligno penderet, animam Christus exhalavit. Morte I. *Tempestiva*, absoluto primum opere quod a Patre sibi demandatum erat, Joh. XVII. 4. peractis omnibus quæ sacra cecinerant oracula, Joh. XIX. 28. iisque quæ ad impetrationem salutis nostræ in hac vita præstanda erant, a maximo ad minimum, CONSUMMATIS. vers. 30. Antea enim sua sibi statione minime discedendum esse merito arbitrabatur. II. *Voluntaria*, juxta Joh. X. 18. Cujus rei indicia erant; *validus* paulo ante mortem *clamor*, Mat. XXVII. 50. magnam huc virium præsentiam arguens: & spontanea, atque consulta, *capitis inclinatio.* Joh. XIX. 30. *Theophylactus: In nobis contrarium fit. Primum enim exspiramus: deinde inclinamus caput. Ille autem prius inclinavit: deinde exspiravit.* Δι' ὧν πάντων δηλοῦται, ὅτι τοῦ θανάτου αὐτὸς κύριος ἦν. καὶ πάντα κατ' ἐξουσίαν ἐποίει. *Ex quibus omnibus manifestatur, quod ipse fuerit Dominus mortis, & omnia secundum potestatem fecerit.* III. *Pia*: nam in precibus obiit. IV. *Placida*: conscientia sibi attestante omnia vitæ hujus officia consummata esse: certusque, Deum, uti benignum Patrem, spiritum suum suscepturum, a Diabolo liberaturum, & sibi in resurrectione redditurum esse. Hoc enim verba illa innuunt, *in manum tuam commendo Spiritum meum.* Eodem tendit instar precum Christi quod exhibetur Ps. XXII. 21. 22. *Eripe a gladio animam meam*, fac ut placide exspirem, vim cuspidis, latus meum jam jam scrutaturæ, ita frustrando. *Eripe a manu canis*, impuri militis, aut carnificis Romani, *unicam meam*, id est, charissimam. Mortem potius meam prævortito ossifragio instanti. *Serva me ex ore leonis*, Diaboli qui hactenus potestatem mortis habuit; probatoque me illius victorem esse per gratiosam resuscitationem. *Respondisti mihi e cornibus monocerotum.* Exaudivisti me, clamantem ad te, quum adhuc in potestate principum hujus seculi essem: certumque nunc facis, non esse ulli homini permissum amplius in me sævire. Hæc enim verba Christi sunt, ad mortem sese accingentis: quæ conferri possunt cum τῷ τετέλεσθαι, indicantque Christi εὐθυμίαν.

Christi in cruce MORS, Sancta quidem & Placida.

XXXV. Non obstat tamen hæc εὐθυμία quo minus Christum *maledictionem Dei* ad mortem usque; quin & in ipsa, tulisse credamus. Nam & suspensio maledictionis erat symbolum, non cassum sane in Christo: & moriendi necessitas ex maledictione illa Christo incumbebat qua primi peccatum Adami Deus persecutus est, cui per secundum Adamum oportebat satisfieri. Et Christus moriens *posuit animam suam* אשם *victimam pro reatu.* Jes. LIII. 10. Adeoque fuit ἁμαρτία. 2 Cor. V. 21. hactenus *ferens peccata nostra in corpore suo in ligno.* 1 Pet. II. 24. donec *mors intercederet* εἰς ἀπολύτρωσιν, Heb. IX. 15. & *reconcilia-*

Attamen maledictam.

ret nos in corpore carnis suæ per mortem. Col. I. 22. Concipi autem non potest quo pacto Christus peccata nostra, eorumve reatum ad mortem usque ferre, non nisi per mortem auferre, reconciliatione tum demum plena impetrata, dicatur, nisi & ad mortem usque, & in ipsa, maledictionem Dei sustinuerit. Neque de nihilo est quod S. Petrus τὰς ὠδῖνας mortis Christi memoret: Act. II. 24. & Jesaias eum *abscissum e terra viventium* prædicet, & per mortem demum *ex judicio & angustia sublatum.* Jes. LIII. 8. Denique, qui poterimus securi esse a maledicta nos morte liberos fore, nisi talem pro nobis Christus subierit?

Crucifixio Christi, ut plena mysteriis, quæ ad nos quam maxime pertinent, religiose meditanda est.

XXXVI. Vidimus hactenus Crucifixionis Dominicæ HISTORIAM. Cæterum terrulenti & abjecti nimis animi est in externo literarum cortice hærere. Tremenda hic subsunt mysteria, sacro quodam attonitæ mentis stupore expendenda, omnique pietatis affectu penitis imprimenda cordibus. *Pupilla carnis crassa crassum perspicit:* nobis autem ad arcanorum Dei consiliorum incredibilem sapientiam meditationibus nostris adscendendum est: qui Judæorum, scelere amentium, impia crudelitate, & Diaboli, dum Christum oppugnat sui ipsius perniciem accelerantis, vesano furore, ad conficiendam humani generis salutem prospicienter abusus est. Adeo nostra interfuit, ut cuncta hæc Uncto Domini evenirent. Quæ propterea longe aliter consideranda sunt, quam si peregrino alicui, ignotoque nobis mortali, accidissent. Nam & *amicus* est, & *consanguineus*, & *frater*, & *sponsus*, & *Dominus*, & *Deus noster*, qui suscepto pro nobis vadimonio, non bono solum nostro, sed & loco, maledictionem Dei subiit, in cruce scalam ad paradisum erexit, morte denique sua vitæ nobis & immortalitatis auctor factus est. Cuncta igitur quæ dicta sunt ita cogitationibus nostris remetiamur, ut *primum* PRÆDICTA antiquitus PRÆFIGURATAQUE esse ostendamus quæ ad Crucifixionem Christi pertinent omnia: *tum* quam GRAVIA ei, perpessuque aspera fuerint: *tandem* quantam VIM habeant AD ANIMOS nostros in vitæ spiritualis valentia, beatæque immortalitatis spe, ROBORANDOS.

Flagellatio, Crucis Portatio, Vestium despoliatio, olim prædicta præfigurataque sunt.

XXXVII. In Crucifixionis Historia distincte enucleavimus, quæ ANTE eam, quæ IN, quæ POST. Antecessit Crucifixionem FLAGELLATIO, CRUCIS PORTATIO, VESTIUM DESPOLIATIO. ILLA *prædicta* est Jes. L. 6. *Tergum meum do percutientibus.* LXX. habent εἰς μάστιγας. Jes. LIII. 5. מוסר שלומנו *Pœna exemplaris quæ pacem nobis affert super ipso erat, & vibice ejus,* quem flagra fecerunt, *sanatio nobis facta est.* Juste hæc ei propter crimina sua evenisse male sani Judæi injuste arbitrabantur: qui *æstimabant eum* מֻכֵּה אֱלֹהִים וּמְעֻנֶּה *percussum Dei*, vel *Deorum*, justo judicio eorum qui Dii vocantur, & summi Dei vicarii quidam sunt, *flagellatum & afflictum*, sive *subactum* servilibus flagris. vers. 4. quum tamen non esset מְעֻנֶּה aliena vi compressus, sed נַעֲנֶה qui volens se submisit. ISTA *præ-*

præfigurata est in hostiis omnibus, quibus, una cum manibus offerentis, illius imponebantur peccata: Levit. I. 4. III. 2. IV. 4. & speciatim *in birco expiationis*, qui peccata totius Israëlis, sibi a Pontifice imposita, portabat אל ארץ גזרה: *in terram excisionis.* Lev. XVI. 21. 22. Sed signatissime in *Isaaco*, portante ligna quibus offerendus Deo erat, ad *montium aliquem in terra Moria*: Gen. XXII. 1. 6. quem probabile admodum est eundem cum *Calvaria* fuisse. Nam montana Moriæ regio plures habebat colles sive monticulos, in quibus *mons Civitatis David*, & *Templi*, & hæc ipsa *Calvaria*: observante *Munstero, Cosmograph. Lib.* V. *Cap.* XLV. De HAC vaticinatus est David Ps. XXII. 12. *Dividunt vestes meas sibi, & super indumento meo jaciunt sortem.*

De Crucifixione vaticinati sunt David, & Zacharias.

XXXVIII. De CRUCIFIXIONE ipsa præclare idem David, eodem Psalmo. vers. 17. 18. *Circumdant me canes*, milites Romani, ad crucifigendum me parati; *cœtus maleficorum me cingunt*, populus rebellis Judæorum, ad crucis meæ spectaculum sedibus suis excitus: כָּאֲרִי, *fodientes manus & pedes meos*, clavis eos perterebrantes: quod milites fecere ad postulatum Judæorum, atque ita per illos isti. Act. II. 23. *Enumerarim*, vel *adnumero*, numeranda spectatoribus præbeo, *omnia ossa mea.* Adeo distentum corpus meum in ligno est.

Lectio כארי. Ps. XXII. 17. defenditur.

XXXIX. Crucem lectoribus in pericopa hac vox כָּאֲרִי figit, quam ut *foderunt* verti possit, vel ut dignum Deo sensum habeat, in כָּרוּ, vel כָּארוּ transformandam esse passim contendunt interpretes; Judæorum in corruptione hujus vocis perfidiam acriter insectantes. Sed mihi, in tanta, etiam summorum virorum, dissensione, cornicum oculos confixisse videtur Cl: D. JACOBUS ALTINGIUS, rei Hebræorum Grammaticæ hoc seculo facile princeps. Is, sine ullius literulæ aut apicis in textu authentico mutatione, communem Christianorum interpretationem defendi posse, hoc pacto evincit. כָּאֲרִי, inquit, est masculinum plurale participii præsentis in Kal: & significat *fodientes.* Radix est כור, Lexicis quidem ignota, (nisi quod *Forsterus* eam habet in *Dictionario p.* 373.) sed significatione respondens τῷ כָּרָה quod probant derivata, כר *mensura*, & כור *catinus*, quæ vasa *excavando* vel *fodiendo* fiunt. Porro ו, Media radicalis, frequenter mutatur in א, ut Hos. x. 24. וְקָאם, & Zach. XIV. 10. וְרָאֲמָה, & Prov. XXIV. 7. רָאמוֹת, & quæ plura id genus sunt. Epenthesis autem literæ א in verbis quiescentibus ultima radicali ה, nullo idoneo exemplo comprobatur. Itaque a radice כור percommode derivatur in participio plurali כָּאֲרִים, pro quo hic sine *Mem* ponitur כָּאֲרִי Nam, observante in Grammatica sua *Kimchio*, exstant pluralia aliquot quæ usurpantur cum solo *Chirec* sine *Mem*: ut 2 Sam. XXIII. 8. ראש הַשָּׁלִשִׁי, *Caput tribunorum.* Ezech. XXXII. 30. כָּל צִדֹנִי *omnes Zidonii.* Sic & עַמִּי pro עַמִּים ter occurit, notante *Masora*,

&

& ex illa *Elia Levita*: quibus alia similia, aut minus etiam controversa, addidit *Altingius*, quæ observationi isti indubitatam fidem faciunt. Et quid obstat quo minus iis hoc nostrum כארי adnumeremus? Potest ergo id retineri, atque ita ut scribitur legi, sine ullo significationis sensusque præjudicio.

XL. Eodem refero Zach. XII. 10. *Et respicient in me quem transfixerint.* Quæ transfixio non solum illa militis *lancea* facta est, quam alludit Johannes: Evang. Cap. XIX. 37. sed & *Clavis*, ceu crucifixionis instrumentis, quæ toti populo, uti hic, ita alibi, attribuitur. Implementum prophetiæ eo ducit. Quum Petrus mox *post effusum Spiritum gratiæ* his eos verbis increpuisset: *Vos Jesum manibus sceleratis affixum cruci interemistis*, Act. II. 23. 36. illi *compuncti corde dixerunt, quid faciemus viri fratres?* vers. 37. monitique ad crucifixum illum *respexerunt*. Quod fidei, est, se convertentis a vana spe ad veram salutis arcem, & in ea acquiescentis.

Crucifixionis typi.

XLI. Eximius Crucifixionis Christi typus fuit *Serpens Æneus*, Dei jussu a Mose in pertica erectus, ut Israëlitæ vanenatis serpentium morsibus saucii, ejus intuitu curarentur. Num. XXI. 6. & *sequent*: Quod ipse Dominus sibi applicat. Joh. III. 14. Nimirum *serpens* ille *Christum* figurabat, qui, licet ipse omnis peccati expers, *in similitudine* tamen *carnis peccatricis* venit. Rom. VIII. 3. & ex voluntaria sponsione, vicem sustinuit eorum, qui, sicut & cæteri, *progenies viperarum* sunt. *Exaltatio serpentis* in pertica significabat *exaltationem Christi*: non eam quæ *gloriæ* est, in *cœlum*; sed quæ est *ignominiæ*, in *crucem*: ipso Johanne interprete. Joh. XII. 32. 33. Per *Mosem* autem exaltationem serpentis fieri Deus voluit, quia virtute maledictionis, quam lex, per Mosem lata, intonat, cruci affixus Christus est. Qua de re alibi quoque copiose dixisse meminimus.

XLII. Sed & *holocausta*, quæ quia *attolli* solebant & *tota adscendebant* in altare, עלורח, id est ἀναφοραὶ, *elevationes*, dicebantur, notabant fore ut Christus se offerens pro peccatis, *adscenderet* & *exaltaretur* in crucem.

XLIII. Neque cassum ratione est, quod viri eruditissimi ex Hebræorum commentariis observarunt, *agnum Paschalem* a clavis ferreis, qui infixi erant parieti sive columnæ, solitum fuisse suspendi, ut ita excoriaretur: fuisse etiam veru ligneo transfixum, &, subjecto igne, in medio furni ad assationem suspensum. Quod Christum in cruce pendentem utcunque referebat. Maxime si illud verum est, quod *Justinus in Dialogo cum Tryphone Judæo* tradit: veru unum ab imis partibus ad caput usque adactum fuisse, & aliud rursus ad interscapilium, cui pedes agni posteriores appendebantur; quod exacte satis crucis figuram repræsentat. Verum enimvero quum ritus iste non Divinæ institu-

stitutionis, sed Judaicæ ἀντιφάτικως sit: typum in iis Divinum quærere nefas est.

XLIV. Crucifixionem subsecuta sunt CUSTODIA, quæ comprehendi etiam videtur iis Psalmi XXII. verbis, quæ ex vers. 17. nuper laudavimus. *Circumdederunt me canes, cœtus maleficorum circumvenerunt me*, & quasi orbe facto, ne qua elaberer, cinxerunt. LUDIBRIA, verbotim prædicta. Ps. XXII. 7. 8. 9. una cum ignominiosa ista aceti potatione. Ps. LXIX. 22. MORS, cujus frequentes admodum ac disertæ prædictiones exstant. Ps. XXII. 16. *In pulvere mortis collocas me*. Jes. LIII. 8. *Excisus est e terra viventium*. vers. 9. *Mortes* in plurali numero ei adscribuntur, quia mors ejus *Corporea* comitata fuit doloribus mortis *Spiritualis* atque *Æternæ*, peccato tamen & desperatione, atque æternitate quæ damnatorum mortibus adsunt, eximiis, illis, ob patientis personæ sanctitatem, istâ, ob dignitatem. vers. 10. *Exposuit animam suam sacrificium pro reatu*. vers. 12. *Tradidit in mortem animam suam*. Danieli non *mors* solum Messiæ revelatur, sed & *tempus* mortis, idque *ea diei hora* qua mortuus est. Dan. IX. 26. *Post septimanas sexaginta duas exscindetur Messias*. Quod Danieli a Gabriele annunciatum est *sub tempus muneris vespertini*. vers. 21. quo tempore Christus exspiravit. Mat. XXVII. 46. Merito ergo Paulus tradidit, *Christum mortuum esse pro peccatis nostris secundum scripturas*. 1 Cor. XV. 3.

Custodia, ludibria, mors, pariter prædicta, & præfigurata.

XLV. Accedunt *typi*. *Pontifices* prisci, quorum mors profugis ad lares desertos redeundi facultatem dabat; Num. XXXV. 28. *Simson*, majorem hostium stragem in morte sua edens, quam toto heroicæ vitæ cursu; Jud. XVI. 30. *Hostiæ*, quarum mors & sanguis *sanctificabat inquinatos ad puritatem carnis*. Heb. IX. 13. 14. & quæ mane ea hora offerebantur, qua cruci suffixus est Christus, vesperi, qua mortuus. Imprimis *Pascha*. 1 Cor. V. 7.

XLVI. Ex quibus omnibus liquet, *definito illo consilio & præcognitione Dei* cuncta hæc Christo evenisse. Act. II. 23. nihilque ab hostibus esse factum, præter *ea quæ manus Dei & consilium ejus prius prædestinavit ut fierent*. Act. IV. 28. Qui eo pacto improbos ministros sanctissimæ & sapientissimæ voluntatis Dei se præbuerunt: Dei, inquam, per eos, licet inscios ac rebelles, implentis, *quæ prænunciaverat per os omnium Prophetarum suorum, Christum suum perpessurum*. Act. III. 18.

Breviter, omnia Christo ex definito Dei consilio evenerunt.

XLVII. Nunc videamus quam GRAVIA hæc, & dura diraque perpessu, Christo acciderint. FLAGELLATIO sane ut magna passionum pars anxio Christi animo frequenter obversata est. Mat. XX. 19. *Tradent filium hominis εἰς τὸ μαστιγῶσαι*. Luc. XVIII. 32. *postquam flagellaverint eum, occident*. Neque immerito. Nam & *ignominiosa* hæc poena erat, & *plena doloris*. In cives Romanos, hominesque liberos, loris

Gravis admodum Christi fuit flagellatio.

sævire,

ſævire, jus & fas non ſinebant. Act. XVI. 37. XXII. 25. *Maſtigiæ* & *Flagriones* dicebantur mancipiorum viliſſima. Hanc autem ignominiam non terreſtris Romæ, ſed cœleſtis Hieroſolymæ; non Civis, ſed princeps; non magno ſolum Rege, ſed ſupremo Dei numine prognatus, ſubeundam habuit. Judæis præceperat Deus ne in facinoroſis flagellandis quadrageſimum excederent ictum, uti *ne vileſceret frater in oculis eorum.* Deut. XXV. 3. Romanis autem ignota erat hæc moderatio: qui, præterquam quod nulli ictuum numero adſtricti erant, aciculas ſæpe uncinuloſque ferreos ſcuticis ſuis innexuerunt, quibus miſeri coſtas uſque & oſſa lacerabantur. Hoc tamen flagellorum genere cæſum eſſe Chriſtum, ſcriptura tacente, aſſeverare formidamus. At quam crudeliter cum eo actum ſit, hinc colligere eſt; quod Pilatus ipſe eum poſt flagellationem ex prætorio eductum populo ſpectandum propoſuerit, cum notabili hoc epiphonemate, ECCE HOMO: quaſi diceret, nondumne miſerrimi hominis, tam fœde cruciati laceratique, commiſeratione tangimini? nondumne anhelatæ feritati, ac plumbeo veſtro aut ferreo ſatisfactum eſt odio?

XLVIII. Sed quod graviſſimum Chriſto fuit, dum flagris diſcindebatur innocentiſſimum tergum ac pectus, in animo ſimul diriſſima Divinæ virgæ, noſtris quæ in ſe ſuſceperat peccatis debitæ, verbera expertus eſt: quæ cæteris oſſicula & aculeos ſæviſſimæ maledictionis addiderunt. Nam dolore *affectus eſt a defectionibus noſtris, attritus ab iniquitatibus noſtris. Et Jehova fecit ut incurrerit in eum inquitas omnium noſtrum.* Jeſ: LIII. 5. 6.

Ex eductio ex urbe portantis crucem.

XLIX. Quam acerba etiam fuit Chriſti, CRUCEM ſuam PORTANTIS, ex urbe ad ſupplicii locum EXTRUSIO? *prædicta* in ſacro monte a Moſe & Elia. Luc. IX. 31. & *præfigurata* iis animalibus quorum ſanguis pro peccato inferebatur in ſancta per ſummum Pontificem, quorumque corpora extra caſtra cremabantur. Lev. IV. 12. Num. XIX. 3. Heb. XIII. 11. 12. Non modo injuſta hac expulſione indignus declaratur, qui honeſtorum poſthæc conſortio civium fruatur: ſed & altius ſuberat myſterium, quod majorem animo anxietatem incuteret, Vocatur Jeruſalem *civitas ſancta.* Mat. IV. 5. *urbs Regis magni.* Pſ. XLVIII. 3. *civitas Dei.* Pſ. LXXXVII. 3. ubi *Jehova ignem & furnum ſuum habet.* Jeſ. XXXI. 9. eoque nomine *typus* erat *cœli.* Heb. XII. 12. Chriſtus ergo velut κάθαρμα, terreſtri Hieroſolyma ignominioſe ejectus, in figura iſta cernebat carendum ſibi ad tempus jucundiſſimo Angelorum Patriſque cœleſtis commercio eſſe, & quaſi extorrem cœli relegari ad inferos.

L. Sed dolorem atque ignominiam nimiſquam auxit probroſa illa CRUCIS PORTATIO, in corpore tam tenero, tot vigiliis injuriiſque

que lassato, tot flagris recens sauciato: quod quum, tanto ponderi impar, jamjam in via defecturum videretur, a Simone Cyrenæo adjuvari opus habuit. Triste sane spectaculum, quod non sine caussa profusissimas lacrymas ex oculis filiarum Jerusalem elicuit. Dominum gloriæ, uti furciferum, infame crucis lignum bajulare! & dum agitur, pellitur, truditur, sub ea cæspitare, titubare, lapsare! Eum qui afflictis omnibus opem fert, nunc adjuva indigere!

LI. Atque utinam præter externum illud ac visibile nihil premeret! Sed accedebat omnium nostrorum reatus criminum, quæ una cum ligno bajulanda ipsi imponebantur. Nam *morbos nostros ipse pertulit, & dolores nostros ipse bajulavit.* Jes. LIII. 4. *peccata nostra tulit in corpore suo.* 1 Pet. II. 24. De cujus oneris gravitate questus David est. Ps. XXXVIII. 5. *Iniquitates meæ transcendunt caput meum; uti onus grave graviores sunt, quam ut ferre queam*: & tamen nunquam onus illud in omni suo pondere sensit.

LII. Impendio quoque amara Christi fuit VESTIUM DESPOLIATIO: quum ob *Dolorem* tum ob *Pudorem.* Vestes enim vibicibus ac vulneribus impactæ, iis saltem corporis partibus quæ cruce modo pressæ fuerunt, non sine exquisitissimo doloris sensu potuerunt avelli. Magna etiam ignominia fuit, Virum honoratum, Doctorem eximium, Prophetam sanctum, coram omnibus denudari: ut hoc quoque nomine dicendum ei fuerit, *operuit confusio faciem meam.* Ps. LXIX. 8. Quum Ammonitarum Rex vestibus servorum Davidis ad nates præcisis, eos sic dimisisset, non illi modo *rubore suffusi sunt valde*; sed Rex ipse tantam injuriam, contra jus & fas gentium, legatis suis illatam, ferali bello ultus est. 2 Sam. X. Cæterum probrosius nunc longe agitur, cum Davidis non servo, sed filio, sed Domino, & legato Magni Dei, Angelo fœderis: cui non pars aliqua vestium abscinditur, sed omnes & totæ detrahuntur, ut, spectaculum hominibus Angelisque factus nudus pendeat: quod scelesti illi qui id ita voluerunt, sua suæque urbis excidione luent. At miram hic rerum catastrophen vide. Ante paucos dies, Christo, dum asina vectus Hierosolymam tendebat, *plurima turba vestimenta in via straverunt; clamantes, Hosanna Filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Mat. XXI. 8. 9. Nunc eundem Hierosolyma turpiter expulsum, mox crucifigendum, vestibus suis despoliari lætabundi spectant: quas forte inter se profani milites partientur. O scelerosam inconstantis popelli vesaniam! Et Vestium despoliatio.

LIII. Cæterum nec hic mysterium abfuit. Christum, licet mundissimæ sanctitatis decore eximie fuerit ornatus, quia tamen peccatum pro nobis factus, & peccatoribus, omni Divinæ gloriæ ornatu destitutis, suffectus, est, omni ad tempus decore exui, solaque ignominia operiri, & in ejus rei symbolum, nudum in cruce pendere, par fuit.

Sed supra omnia ipsum Crucis supplicium.

LIV. Verum omnes ignominiæ, Doloris, Maledictionis numeri in ipso CRUCIS SUPPLICIO summatim comprehensi videntur. Quid contumeliosius evenire potuit Regum Regi, a cœlestium geniorum choris sic reverenter adorato, quam ut latronibus accensitus, medius iis, terram inter cœlumque probrose suspenderetur, quasi neutro dignus, & facinorosorum princeps? Quid indignius quam sacros illos pedes, quibus totam peragravit Israëlitidem, ut totam sibi beneficiis divinciret, manusque tot stupendis miraculis claras, infelici ligno clavis affigi? Quid miserius, quam tot horas, sine ulla dolorum respiratione, cum urgente simul ac morante morte luctari? Quid perpessu intolerabilius, quam tot afflictum cruciatibus, Divinæ Paternæque gratiæ, olim tam suaviter mulcentis, influxu omni carere? nec tantum; sed & iram Dei vindictamque omni pondere suo animæ incumbentem, experiri? uti maledictionis instar, in conspectu tam Angelorum quam hominum, a ligno suspendi, non ἁμαρτωλὸν quidem, sed ἁμαρτίαν, non κατάρατον modo; sed & κατάραν?

Et quæ id consecuta sunt, Custodia,

LV. Ecquis etiam dubitat, quin grave Christo fuerit improborum militum CUSTODIA cingi? quasi periculum foret, ne vel alii ipsum, vel ipse se, crucis cruciatibus eximeret. Quod utique si voluisset, non omnes Romanorum legiones, non additæ iis infernalium dæmonum copiæ, valuissent impedire. Attamen nequid ignominiæ deesset, Christum velut sævam belluam custodiri oportuit, ut ipsi non minus quam Jobo querela hæc competeret, *Proinde non cohibeo os meum, loquor in angustia spiritus mei; queror in amaritudine animi mei: An mare sum? an cete? quod disponis circa me custodiam?* Job. VII. 11. 12. Magno olim solatio Davidi fuit, quod Hierosolymis profugus servos suos a latere haberet, cum Cerethæis omnibus, omnibusque Pelethæis, cæteris etiam heroibus, una cum ipso flentibus, & extrema quæque pro ipso ausuris 2 Sam. XV. 16. 17. 18. Sed noster David, ad mœroris sui augmentum a latere utroque latrones, circum se cruentatos sanguine suo milites, cernit; amicos nullos, nisi pauculos, pavidos, doloris sui materiem potius quam levamen.

LVI. Sed & montem malis dæmonibus cinctum videt, immane adversus se frendentibus; sicut Elisæus quondam bonis Angelis, in sui tutelam vigilantibus. 2 Reg. VI. 17. Nam, si unquam, nunc certe, in eum Princeps seculi hujus cum atris copiis movit; quibuscum confertis manibus dimicandum habebat; morti vicinus, cum eo penes quem mortis imperium est, & qui tot victoriæ suæ trophæa in ipsissimo hoc campo erexit.

Ludibria,

LVII. Cæterum quid virulentius iis LUDIBRIIS CONTUMELIISQUE, quibus & pessimi optimates, & furens plebs, ipsum incesserunt? Crimi-

Criminosorum sceleratissimi, in novissimo ac pridem merito supplicio, inveniunt tamen qui ex communi humanitatis affectu sibi condoleant, lacrymisque suis, si non possint aliter, solentur. At Christo dicendum fuit, *opprobrium frangit animum meum, adeo ut afficiar ægritudine: quumque exspecto qui condoleat, nemo adest, aut consolatores, tamen non invenio.* Ps. LXIX. 21. Solamen aliquod miseris est, habere qui secum fleant, qui verbis, qui nutu, commiserationem testificentur. Quid autem durius, quam in rebus suis adversis alienatos a se omnium animos cernere? Hinc anxia illa Jobi vociferatio. Cap. XIX. 21, 22. *Misereminі mei, misereminі mei, vos amici mei; quia manus Dei plagis afficit me. Quare persequimini me, sicut Deus fortis? & carne mea non saturamini?* Ad eundem nunc modum cum Christo comparatum est. Insultant misero, contra Salomonis monitionem. PROV. XXIV. 17. 18. Quum manibus contingere paucissimi possent, plurimi eum linguarum spiculis & amentatis telis impetunt, quorum acie nihil acutius, Ps. LII. 4. LV. 22. veneno nihil pestilentius est. Ps. LVIII. 5. CXL. 4. Non vita solum, sed &, quoad fieri potest, honore privatum eunt. Optima quæque calumniantur, in quibus emicans sanctitatis splendor, & digitus Dei manifestissime se exseruit. Ministros denique se Diaboli præbent, eam ludificantes υἱότητος gloriam, quam olim a Deo Patre assertam, Mat. III. 17. nunc a Christo sibi vendicatam, nequam spiritus frustra oppugnavit. Mat. IV. 3.

LVIII. Horribilissimum autem sicut proverbio dicitur, MORTIS telum est: talis præsertim mortis qualem Christus oppetiit. Quæ, uti Divinæ indignationis terribilis effectus, primo intentata Adamo est; cui secundus Adamus prædem se substituit. Mira certe res, fidem fere, rationem prorsus, superans! Eum qui tot ægros a morte præservavit, tot mortuos a culcitella, feretro, sepulcro, in vitam restituit, unicus vitæ & immortalitatis auctor, verus Deus & vita æterna est, ipsum sese morti submisisse! Mors.

LIX. Sed morti non uni: quippe cui, præter communem *animalis* mortis horrorem, & *spiritualis* atque *æternæ* mortis dolores inerant. De quibus in typo David, ita tamen ut verborum emphasis in antitypo potissimum veret. Ps. XVIII. 5. 6. *Circumdederunt me dolores mortis, torrentes Belial perterrefecerunt me. Dolores inferorum circumdederunt me, occurrerunt mihi tendiculæ mortis.* Hinc *deprecationes, & supplicationes* illæ, *oblatæ cum clamore valido & lacrymis apud eum qui poterat ipsum servare a morte.* Heb. V. 7. Quas si quis ex solius corporalis mortis metu profectas esse dixerit, næ is insignita Christum afficit injuria: tanquam minus ei ad mortem subeundam animi fuerit, quam Socrati alicui, aut Catoni, totque martyrum myriadibus, viris, fœminis, puellis, quæ spretis sævissimarum mortium cruciamentis, lætæ ac gestientes vita excesserunt. Aliud ergo suberat: venenatus nimirum peccati stimulus, vim atque

acumen suum ex lege trahens, quo non corpus solum, sed & anima Christi, crudelem in modum ita compungebatur, ut nec ungulæ, nec ignes, aut quicquid prisca vel recens commenta sævities est, tantis æquiparanda tormentis veniant. Pulchre *Chrysostomus*, explicans 2 Cor. v. 21. *Fecit ut qui non novit peccatum pro nobis peccatum* esset: Τοῦτ' ἔστιν, inquit, ὡς ἁμαρτωλὸν κατακριθῆναι ἀφῆκεν, ὡς ἐπικατάρατον ἀποθανεῖν. ἐπικατάρατος γὰρ ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. τοῦ γὰρ ἀποθανεῖν τὸ οὕτως ἀποθανεῖν πολλῷ μεῖζον ἦν. *Ut peccatorem condemnari sivit, ut maledictum mori. Maledictus enim qui pendet in ligno: atque ita mori morte ipsa multo gravius est.*

Non sine spirituali συμπαθείᾳ meditanda hæc nobis sunt.

LX. O quam lapidea nobis & ahenea corda esse necesse est, qui hæc scribentes, legentes, audientes, meditantes, non solvimur in singultus, & liquescimus in lacrymas! Dum Abelis a germano trucidati, aut Josephi a fratribus divenditi, aut Davidis a filio Absalomo profugi, aut chari Deo martyris in immani carnificina Christum laudantis historia, vel tragœdia etiam ex arte facta ac ficta, oculis atque animo obversatur, adeo quandoque nos sentimus commoveri ut vix temperemus a lacrymis. Et istis his Christi, Fratris, Sponsi, Domini, Dei nostri, infandis cruciatibus, quos ipse insons, nostrorum gratia peccatorum, ex immensa charitate, sic lubens sustinuit, non ita saltem afficiemur, ut & animo doleamus, & sancte contra hostes exardescamus?

LXI. Non tamen hoc a te, Christiane, exigo, ut naturali ea erga Christum commiseratione tangaris, qua calamitosos prosequi communis docet humanitas. Id genus questu planctuque Hierosolymitanis nuribus ipse interdixit. Luc. XXIII. 27. 28. Nunc certe minus decet, posteaquam omnibus illis eluctatus difficultatibus, opere salutis nostræ consummato, merita in cœlis gloria potitur.

LXII. Neque indignationi tuæ adversus Judæos frigidam suffundo, ut tu eodem erga eos modo animatus sis, quo ferunt Chlodovæum, Gallorum Regem, fuisse: qui, quum Remigium Episcopum dominicæ passionis historiam recitantem audivisset, dixisse fertur: *Si ego cum Gallis meis ibi interfuissem, impiæ isti colluviei probe comminuissem caput.* Satis pœnarum misera illa natio numinis justitiæ dat, quæ post tot millena suorum millia trucidata, post terram suam anathemate percussam, tot jam secula cœli solique sui extorris sedibus incertis vagatur, neque Deo acceptabilis & vilis hominibus, incumbentem sibi iram ad finem usque portatura. 1 Thes. II. 15. 16. donec plenitudine gentium intromissa, & ipsa tandem salutis per Jesum compos fiat. Rom. XI. 25. 26.

Omni dolore atque ira in peccatum versa.

LXIII. Satius est, ut calidis lacrymis peccata tua defleas, quibus omnium cruciamentorum auctor Christo & caussa exstitisti. Hic est effectus spiritus gratiæ. Zach. XII. 10. Satius, est ut in Christo, velut in speculo, ea quæ tu meritus es, contemplans, obstupescas. Te, te dignum

fassus qui Divinæ vindictæ flagris, non corpore solum, sed & animo, discindaris; qui ex piorum coetu, quos toties inconsultis dictis factisque offendisti, ex civitate Dei, Hierusalem cœlesti, panegyri & concione electorum qui conscripti sunt in coelis, nunquam rediturus extrudaris, peccatum tuum ipse portans; qui omnibus despoliatus prætextis, solo opertus ignominiæ pudore, hominibus dæmonibusque ludibrium debeas, qui maledictæ crucis clueas candidatus; qui omnibus omnium incessaris contumeliis, nullaque consolationis mica in mediis mortis angoribus fruaris; qui Diabolorum perpetim corona cinctus ad æterna custodiaris tormenta; qui denique cunctis cujuscunque mortis amaroribus sine fine, sine intermissione, explearis. Id vide, dole, plora.

LXIV. Satius denique est ut sancta adversus crimina tua vindictæ cupiditate accensus, eadem iis rependas quæ intulerunt Jesu. *Compesce* peccati corpus, neque ignavum illud veteris hominis mancipium lascivire aut superbire patitor. 1 Cor. IX. 27. Rom. V. 12. Domo animoque tuo *expulsum*, ceu impiatæ mentis reum, omnique *nudatum* patrocinii prætextu, *cruci affigito* Dominicæ, ut male ibi pereat. Rom. VI. 6. Illius enim virtute crucis, *te mundo, mundum tibi crucifixum* esse oportet. Gal. VI. 14. Assiduus in monstri hujus debellatione esto; neque acquiescas, donec plenam de eo vindictam sumseris, *mortificatis terrenis membris tuis*. Col. III. 5. Beatum illum qui ita *cum Christo Plantatus coaluerit assimilatione mortis* ejus, quippe qui & *resurrectionis assimilatione cum eo coaliturus sit*. Rom. VI. 5.

Christi crucifixionem consolationis scaturiginem esse, per singulas partes ostenditur.

LXV. Dici sane non potest, quantam iis qui ita in crucifixione carnis toti sunt CONSOLATIONEM meditatio crucis Christi pariat. FLAGELLIS suis, Christiane, omne tibi genus flagella sanctificavit & dulcavit. Dum in benedictum ipsius corpus inciderunt, eo ipso benedicta sunt. Nam tu quis es, qui a flagellis omnibus immunem vitam exigere præsumas, quum ipsum Dei Filium, qui sine peccato in mundum venit, sine flagello non exivisse videas? Heb. XII. 6. Sufficiat tibi maledictionis aculeos flagris tuis per Christum exemptos, illiusque te vibice sanatum esse. 1 Pet. II. 24. Si tibi quoque contingat quod Apostolis, ut Christi nomine virgis cædare, gaudio id tibi & *honori ducito*, quod *dignus habearis reliquias passionum Christi explere in carne tua*. Act. V. 40. Col. I. 24. Plena sunt monumenta Veterum, plena omnis Ecclesiæ historia, *Matrum, virorum, parvulorum, virginum*, qui ridentes cantantesque, sine ullo doloris sensu, in cœlestis gaudii exuberantia, non laceros solum flagris artus, sed & patentia ictibus ossa, intimosque viscerum recessus, stupentibus spectatoribus præbuere. Unde hoc? nisi quod Christi flagellis animati, & spiritu ejus hilarati nihil in iis asperum sentirent, sed contra experirentur, savissimos ictus citius Christi

vibi-

vibicibus curatos esse, quam infligebantur a carnifice?

LXVI. Sed & hoc ad consolationem tuam, Christiane, pertinet, quod Dominus tuus CRUCE ONERATUS uti piamentum aliquod a furentibus Judæis metropoli sua *expulsus* sit. Ita via ei strata est, ut nobis, qui peccatores sumus e gentibus, salutaria crucis suæ beneficia veniret oblatum, aditumque ad cœlestem Hierosolymam patefaceret. Ille verus est *Eliakim, Deus qui stabiliet nos, in cujus manum tradita est dominatio, ut patris loco sit habitatoribus Hierosolymæ, & domui Jehudæ*, non externarum, illarum, sed spiritualium. *Crux*, quam portat, *clavis est Davidis, humeris imposita*, qua *claudit* infernum, ne vel nos in eum præcipitemur, vel ex eo ad cædem nostram conjurati hostes prorumpant: & regni sui fores nobis *pandit*, nunc in gratia, mox in gloria: arcam etiam Divinæ opibus munificentiæ instructissimam aperit, ut *gratias Davidis certissimas* largiter nobiscum communicet. Jes. XXII. 20. 22. LV. 3.

LXVII. DESPOLIARI se vestibus suis passus est, nudusque in cruce pependit, ut (a) *probrum* ignominiosæ *nuditatis tuæ*, per peccatum contractæ, *tegeret*; teque (b) *candidissima justitiæ suæ bysso* amictum, ac (c) *vestibus auro ocellatis* decorum, & Christianarum virtutum quasi totidem unionum (d) *monili* ornatum, Deo ac Patri suo sisteret. (e) expiatis insimul iis circa vestium pompam insaniis, quas olim cum mundo insanivisti. a. Ap. III. 11. b. Ap. XIX. 8. c. Psl. XLV. 14. 15. d. Prov. I. 9. Cant. IV. 9. e. I Pet. II. 24.

LXVIII. Infame autem CRUCIS lignum gloriæ tuæ fastigium, infirmitatis fulcrum, scala Paradisi, *arbor vitæ* est, *ferens fructus duodecim, per singulos menses fructus suos edens, & folia ad sanationem gentium.* Ap. XXII. 2. Hic deleta totius *terræ inquitas uno die.* Zach. III. 9. Hic parta libertas filiis Dei digna. Hic scissum *quod adversum nos erat rituum chirographum, & sublatum e medio, posteaquam affixum erat cruci.* Hic *exspoliata imperia ac potestates traduxit palam, triumphatis illis per eam.* Col. II. 14. 15. Hic hic invenit afflicta anima dulcationem aquarum tribulationis suæ, quantumvis ex ipsa Maræ scaturigine haustæ videantur. Exod. XV. 23. 25. Verbo dicam: Ab omni nos maledictione liberavit, omni benedictionum genere cumulavit, quum suspensus e ligno exsecratio Domini factus est. Gal. III. 13.

LXIX. Adde, Christum, militum, veluti tot canum, CUSTODIA cinctum, præsidiarias tibi Angelorum cohortes impetrasse. Psl. XXXIV. 8. ipsumque te *virtutis suæ præsidio custoditurum ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo.* I Pet. I. 5. Multis, non abnuo, ludibriis, ignominiis, ac virulentarum linguarum obtrectationibus expositus es, quibus parum abest quin aliquando firmitate tua excutiaris, spe ac fide vacillante: sed vide sis omnes illius modi tentationes in Christo tibi præmonstratas, sanctificatas, tuamque vicem superatas esse. Modo

ſo ne pigeat te Chriſto hac quoque parte conformari. Et ab ipſo diſcito, ſilentio, fide, patientia, quicquid ejuſmodi ignitorum telorum eſt retundere atque extinguere : nixus Dei verbo, & ſpe illa quæ non confundet in æternum, certuſque Chriſtum, pariter ac tu tentatum, *miſericordem ac fidelem pontificem fore.* Heb. II. 17. 18.

LXX. Tandem in MORTE Chriſti cerne I. *Expiationem peccati* tui. *Poſuit* enim *animam ſuam victimam pro reatu.* Jeſ. LIII. 10. *ut conſummaretur prævaricatio, obſignaretur peccatum, expiaretur iniquitas, & adduceretur juſtitia æterna.* Dan. IX. 24. Nam *ſicut illud ſtatutum eſt hominibus ut ſemel moriantur, ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt,* εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, *ut in ſe ipſo attolleret,* atque ita auferret, *multorum peccata.* Heb. IX. 27. 28.

LXXI. II. *Mortis tuæ mortem.* Heb. II. 14. 15. Mors exiſtimabat penitus ſe abſorpturam Chriſtum; ſed verſo rerum ordine ipſa a moriente Chriſto *abſorpta eſt in Victoriam.* 1 Cor XV. 54. Chriſtus morti *vermis* fuit quo avide nimis cum hamo deglutito ipſa male periit. Venenum fuit, quo ſemel hauſto mors ſenſit ὠδῖνας & velut *dolores partus* : nec potuit eum retinere, aut conquieſcere, antequam ex ſepulcro reſurgeret, fieretque *primogenitus ex mortis.* Ap. I. 5. Solida petra fuit, cui mors infigens aculeum, & illidens dentes, omnia pungendi mordendique inſtrumenta amiſit. Mortem denique καταργήσαντος, 2 Tim. I. 10. *abolevit,* ἄεργον, id eſt, *inefficacem* reddidit. Ut fruſtra ſit quicquid illa *Furore peſtis pejor in noviſſimo* adverſus electos molitur. Non eſt mors fidelibus quod eſt in ſe, maledicta peccati pœna: ſed peccati ærumnarumque omnium finis, & introitus ad vitam æternam. Joh. V. 24. optanda potius quam extimeſcenda.

Nomina mors retinet, facilis ſunt cætera ſomnus.

LXXII. Animoſe *Lutherus in Epiſt: ad Hardmannum a Cronbergh: Mortem nobis intentant ac minantur, & præſens exitium. Quod ſi tam præcellerent ornati ſapientia, quam neminem non exſuperant ſtultitia, profecto vitam nobis minari debebant. Ridiculum ſane minarum & terriculamentorum genus, ſi Chriſtum & ſuos Chriſtianos mortis formidine ab inſtituto deterrere potuerint; quum ipſi ſint mortis victores per Chriſtum, qui de morte devicta & triumphata omnibus ſuis trophæum fixit. Non ſecus, ita me Deus bene amet, delirant iſti, ac ſi quempiam per id deterrere in animum induxiſſem, ſi equum ejus, inſtrato ephippio, adhibitiſque habenis inſtructum, equitandum ſibi producerem:* Paulo poſt, *Si quidem hæc vita, quam diu in carne vivimus, peccatis obnoxia eſt, quorum commercium & labem devitare non poteſt, propter carnem conjunctam comitem: propterea ſubinde clamat in nobis gemitibus inenarrabilibus, cœpti Spiritus innovatio,* ACCELERA MORS, MATURATO LUX TERRIS ULTIMA, MORTIS PECCANDIQUE FINEM FACTURA. AMEN.

LXXIII. III. *Confirmationem Testamenti Novi.* Vetus olim firmatum fuit sanguine victimarum, altari, & libro fœderis, & populo Israëlitico adsperso. Exod. XXIV. 6. 8. Heb. IX. 18. 19. quanto autem Veteri Novum præstat; tanto id nobiliori sanguine sanciri par est, sanguine nimirum filii Dei, ut *testatoris* ad confirmationem testamenti morientis. ibi. vers. 15. 16. Non quidem ut morte sua vacuam faceret hæreditatem (mox enim revixit, bonorum suorum æternus possessor) sed ut promissiones testamenti omni modo faceret irrevocabiles. Huic rei figurandæ inservit *scissio veli*, quæ moriente Christo facta est, significans abolitionem chirographi nobis subcontrarii, & ruptionem maceriei, Israëlitas a gentibus discriminantis, & fideles ipsos quodammodo dirimentis a Deo. Eph. II. 14. 15. 16.

A Christo moriente, sancte & vivere & mori discimus.

LXXIV. Omnia nunc hæc in unam summam colligito, & ex iis, quantum debeas Christo. Finge te præsentem ei adstare in Golgotha, spectatoremque tantæ indignitatis, a jam jam morituro patheticis his vocibus compellari: *Intuere me quisquis es mortalium irretorto fidei obtutu. Vide crudelium flagrorum in corpore meo vibices, vide quam ignominiose Hierosolyma expulsus, a cruce nunc porter, quam portavi modo. Nudum me conspice, qui Virgine natus verecundi semper pudoris exemplar fui. Pedes manusque, tot nimiorum mirorum fama inclutas, clavis perterebratas cerne. Audi ludibria, contumelias, blasphemias, quibus improbissimi sanniones patienti insultant. Scitoque ex mero tui amore, ut tu, vindictæ numinis & vindici Diabolo ereptus, æternum salveas, hæc a me subiri, qui cæteroquin omni cœlestis vitæ gloria ac jucunditate perfrui potuissem. Et tibi nunc grave erit, superba hujus mundi Babele relicta, humili te meorum cœtui jungere; & crucem me imitando portare; & portentosam illam secularis arrogantiæ pompam, tam corpori quam animo gravem, procul amovere, neque adhuc in membris meis nudum ex tua bonorum exuberantia nutrire; & mea caussa, nihil admodum nocitura pati ludibria? Tu ne tantillum quidem mei ergo facias? qui tantus, tantum, tui? Per ego te amoris mei viscera, per corporis mei vulnera, per hanc a qua pendeo crucem, per tuam te vitam atque salutem, mox per mortem abrumpendo sermone, hortor atque obtestor, semove te e cœtu malignantium; mente, voto, totoque vitæ instituto plurimum ab iis distans; exito extra castra, probrum meum portans, non enim hic permanentem civitatem habes, sed exspectas futuram: Suave & leve præceptorum meorum jugum libenter suscipito, constanter ferto: Corpus ne curato ad lasciviam; sed animum exornato sanctitatis decore, quam tibi nuditate mea peperi: Virtutes meas gratanter celebra, naviter imitare, quas nequicquam profani nebulones calumniati sunt: redama te tanto opere amantem: impende te totum mihi, qui me totum tibi: breviter (nam moriendum est)* MIHI VIVE, QUI TIBI MORIOR.

LXXV

LXXV. A Christi denique MORTE *piæ ac beatæ* MORTIS EXEMPLUM petito. I. Quicquid in hac tibi vita agendum est sedulus obito, ut *absoluto penso* securus te componas ad quietem: nec βραβεῖον occupare præsumito, ante feliciter *consummatum agonem*. 2 Tim. IV. 7. 8. II. Omnibus te seculi curis exsolvito, ut urgente fatali hora, *liber* ac *libens* ad Deum emigres. Luc. II. 29. Phil. I. 23. 2 Cor. V. I. III. Cum *precibus* exito; & si lingua ad vocis officium non sufficiat, cum gemitibus saltem inenarrabilibus; pro te, pro amicis, pro inimicis. Act. VII. 59. 60. IV. In *fide* melioris conditionis mox a morte in cœlis obtinendæ, & beatæ resurrectionis die novissimo. 2 Cor. V. I.

EXERCITATIO XVII.

DE

SEPULTURA CHRISTI.

BREVIARIUM.

1. 2. 3. 4. 5. 6. *Sepulturam Christi per viros divites ac honoratos, potissimumque per Josephum Arimathæensem, procuratam esse, ad* παιδείαν *nostram expendere utile est.* 7. *Christi cadaver, honoris ergo, mundæ involutum sindoni est.* 8. 9. *Addita a Nicodemo mixtura Myrrhæ & Aloës, vel ad pollincturam, vel ad combustionem.* 10. *Quam curam cadaverum a piis ad spem resurrectionis relatam fuisse credibile est.* 11. *Judaicorum sepulcrorum forma.* 13. *Cur sepulcrum Christo contigerit alienum.* 14. *E saxo excisum.* 15. *Novum.* 16. *In horto.* 17. *Proxime locum crucifixionis.* 18. *Sepultura Christi prædicta Psal.* XXII. 16. 19. *Ps.* XVI. 9. 10. 20. *Jes.* LIII. 9. 21. *Suspensio Christi e ligno non est sepultura cum improbis.* 22. *Jonæ typus.* 23. *Cetus Jonæ non est Balena, sed Canis potius Marinus.* 24. *Herculis* τριεσπέρου *fabula hinc petita.* 25. Cor terræ *est sepulcrum.* 26. 27. 28. 29. *Circa temporis analogiam doctis magnorum virorum subtilitatibus, præferenda videtur recepta simplicitas.* 30. *Non constat, Jonam, integrum triduum hæsisse in ceto.* 31. 32. 33. *Praxis hujus articuli.*

I. MOrtem Christi excepit illiusdem SEPULTURA. *Quum vero perfecissent omnia quæ de ipso scripta sunt, detractum e ligno posuerunt in monumento.* Act. XIII. 29. Cujus historiam quum descripte nobis Evangelistæ enarrarint, pietatis Christianæ interest, ut sanctis eam meditationibus ad usum nostrum convertamus.

Sepulturam Christi per viros divites ac honoratos; potissimumque per Josephum Arimathæen.

sem, procuratam esse ad παιδείαν nostram expendere utile est.

II. Præcipua funerationis Christi cura JOSEPHO ARIMATHÆENSI incubuit, cui post modum se junxit NICODEMUS. Viri uterque *honorati, dites, Senatorii ordinis*, magnæque apud suos existimationis. Et sane ex quacunque hominum conditione suos habet Deus: *non multos* quidem *sapientes, potentes, nobiles*; 1 Cor. I. 26. at tamen ex iis *aliquos*. Quin admirabilem se hoc facto Divina præstiterit providentia, dubitare nefas est. Nam neque Apostolis humandi præceptoris provincia tam commode demandari potuit; ne Pharisæi ac sacerdotes non sepultum Christum dicerent, quem e sepulcro mentiti sunt furto sublatum: neque, quantumvis id voluissent Apostoli, vel a Pilato, vel a Judæorum senatu, valuissent impetrare. Magnorum virorum auctoritatem intercedere oportuit, ut honesto sepulcro Dominus conderetur.

III. Hi quo honore & affectu *vivum* prosecuti sunt Magistrum: eodem, aut majore etiam, prosequuntur *mortuum*, & quidem *ita mortuum*. In qua re sinceræ constantisque fidei ac amoris exemplum edunt: quæ tantum abest ut ignominioso Domini supplicio deliquium aliquod patiantur, ut ex adverso acrius se exserant. Vivo Jesu, Josephus *occultus erat discipulus, propter metum Judæorum*; Nicodemus ob eandem caussam *noctu veniebat*. Joh. XIX. 38. 39. Nunc Josephus τολμᾷ, & quanti Christum faciat apud Pilatum profitetur: Mar. XVI. 43. Nicodemus metu posito, prodit in publicum, superboque aromatum munere defunctum veneratur. Nimirum illud est quod dicitur: Cant. VIII. 6. 7. *Fortis est ut mors amor, durus ut sepulcrum zelus: prunæ sunt ignis, flammæque Divinæ. Aquæ multæ non possent extinguere hunc amorem, &c.*

IV. Et sane quo ditiores fuerunt atque honoratiores, eo illustrior eorum fides ac zelus est: quicquid enim in mundo magnum possidebant, facto hoc suo præsentaneo exposuerunt discrimini. Tanta erat collegarum in Christum acerbitas, tam immanis lymphatæ plebis furor, ut bonorum confiscatio, & capitis diminutio, & civium indignatio, prorsus iis extimescenda fuisse videantur. Et quis nescit, quantopere locupletum animus opibus suis ac honoribus constrictus esse soleat? Unde & a Domino observatum, nihil esse difficilius, quam ut dives aliquis salvus fiat, & in regnum cœlorum intret. Mat. XIX. 24. At magni hi viri, vere nunc magni, hoc quicquid est, Christo collatum, pro damno ac stercore reputant, lubentes certe Christo sacrificant, id operam dantes ut *in Deo, bonisque operibus, divites sint*. 1 Tim. VI. 18.

V. Observatu quoque dignum est, quod, quum Christus faventes sibi ex procerum virorum ordine aliquos habuerit, eorum tamen opera & intercessione ad mortem effugiendam noluerit uti: bene, ad honestam sibi sepulturam procurandam. Moriendum enim Christo prorsus erat, ut mortem aboleret: insepulto manendum non erat, ne post mortem superesse videretur maledictio.

VI. Sed nec illud omittendum, quod ipsa *Josephi* appellatio typi nos admoneat. *Josepho* illi nomen erat, qui Patriarcham Jacobum, parentem suum, vivum sustentavit, mortuum magnifice tumulavit. Gen. L. Et *Josepho* alicui Christi nascentis cunæ, adolescentis educatio curæ fuit. Nunc alteri rursus *Josepho* ejusdem mortui committitur sepultura.

VII. Hic impetratum a Pilato Christi corpus *mundæ involvit sindoni*. Mat. XXVII. 59. Id est linteo purissimo, pretiosissimo. Sic enim viri honorati sepeliri antiquitus solebant: involucris e serico, Mose Ægyptio teste, etiam Principi interdictis. Paullo splendidius Christi *mortui* quam *recens nati* corpus exceptum est: quia *natus* est, ut omnes pro nobis mortalis vitæ ærumnas subiret, *morte* autem sua perpessiones *consummavit*: hinc in sepultura initia aliquot gloriæ emicuerunt. Sed initia tantum, eaque sic satis tenuia. Totus enim hic splendor, *liberalitatis* erat *alienæ*.

Christi cadaver, honoris ergo, mundæ involutum sindoni est.

VIII. Ad *munditiem Josephi* accessit *magnificentia Nicodemi*, afferentis *mixturam myrrhæ & aloës ad libras fere centum*. Joh. XIX. 39. quæ vel *pollinctura* destinata erat, vel, ut alii malunt, *combustioni honorariæ*, proxima occasione faciendæ. Utrumque enim in usu apud Israëlitas fuit. Cadavera aromatibus condiendi morem ab *Ægyptiis* Israëlitas hausisse, verisimile est. Levi tamen inter utrosque discrimine. Nam *Ægyptii interius* etiam inungentes, viscera eximebant; ipsumque cerebrum extrahebant per nares: qualis conditura modus ταρίχευσις dicitur Herodoto. *Judæi* autem *exterius* solum ungebant: sed largiter, si defuncti id poscebat conditio. Quo tam copiosus Nicodemi apparatus pertinet: cui penitus immergi cadaver Christi potuit.

Addita e Nicodemo mixtura Myrrhæ & Aloës, vel ad pollincturam, vel ad combustionem.

IX. Sed & *combustioni* in solemnibus funeris faciendæ adhibita aromata fuisse, ex historia *Asæ* liquet 2 Chr. XVI. vers. ult. Qualis combustio *Joramo*, ceu indigno, negata. 2 Chron. XXI. 19. Non quod ipsa Judæi cadavera cremarent: ut Græci, ac Romani, & aliæ quædam gentes. Aperte *Tacitus: Hist: Lib.* V. *Corpora condere, quam cremare, more Ægyptio.* Imo vero non Ægyptio, sed avito. Quod ex iis constat quæ de Saræ sepultura, aliisque, Scriptura narrat. Sed super defunctis, inque honorem eorum, cremabant aromata. Quod Herodi Magno maxima cum pompa factum *Josephus* videtur innuere. *Antiq. lib.* XVII. *c.* X. & *Halos. lib.* I. *c.* XXI. ubi in illius exequiis *quingentos famulos aromata attulisse* testatur. Cui usui, nisi ut cremarentur? Ita disertim *Chronicon Regum sub templo secundo, fol.* 54. *col.* 2. *Quinquaginta servorum ejus circumdabant lectum, quisque instructus thuribulo aureo manu sua,* ושורפים עצי בשאים לרוב מאד, *& comburebant ligna aromatica magno numero, omnesque qui lectum cingebant in eum myrrham purissimam injiciebant.* Non solebat autem id honoris exhiberi nisi *Regi*, aut *Principi Academiæ*, uti est in *Abodha zara Cap.* I. De Rege notum est. De principibus affertur

 exem-

exemplum R. *Gamalielis Senis*, quo defuncto *Onkelos* proselytus septuaginta minarum Tyriarum pretium combussisse narratur, Nicodemus ergo in funere Jesu tantam myrhæ & aloës comportans copiam, eo illum pro *Rege*, & *Principe Doctore*, agnoscit.

Quam curam cadaverum a piis ad spem resurrectionis relatam fuisse, credibile est.

X. Neque cassa prorsus ratione fuit tam sollicita exequiarum cura, tamque enixum studium, ut defunctorum corpora quam diutissime conservarentur, bonumque spirarent odorem. Credibile est, sanctos id fecisse, non solum testando amori erga defunctum, sed etiam ob spem resurrectionis. Videtur quidem aliqua fidei infirmitas subesse, quod aromaticis unguentis a putredine præservare conentur, quem David cecinerat *corruptionem non esse visurum*. Ps. XVI. 10. constatque satis, eos non nisi confusos admodum de proxima Christi resurrectione habuisse conceptus. Quicquid tamen fecerunt, amoris fuit, & fidei, cum imbecillitate, mentisque caligine, luctantis. Non enim potuerunt penitus ignorare prædictionem de resurructione Christi post triduum; quæ ne hostibus quidem incognita fuit. Mat. XXVII. 63. Alienumque ab eorum pietate est, ut exequiarum officio falsitatis eam arguere animum induxerint. Modum interim complendi vaticinii ignorantes, eumque incuriosa fidei humilitate Deo committentes, partibus suis deesse noluerunt. Et quicquid illi animo agitaverint, nobis certe aromata ista, quibus Christi corpus involvitur, in mentem revocant suavem ac vivificum odorem, ex morte ejus & sepultura ad nos reduntantem. Jucundumque nobis est, hoc quoque adspectu ei occinere, *myrrha, aloë & cinnamomum sunt omnia vestimenta tua*. Ps. XLV. 9.

Judaicorum sepulcrorum forma.

XI. Ita pollinctum, vel saltem aromatibus instructum, Christi corpus monumento intulerunt, non nostro more arcæ inclusum, sed suis modo involutum linteis. Forma enim Judaicorum sepulcrorum a nostris haut paullum diversa fuit. Solebant illi, opulentiores nimirum, cavernam in petra excavare, quæ primo aream haberet in medio, ad ingressum, ab utroque autem latere speluncam, area quatuor cubitis depressiorem, quæ suas iterum haberet cavitates, sive loculos, כוכין Hebræis dictos (in quibus componebantur cadavera) numero fere octo, vel interdum tredecim, ut integra aliqua familia, distinctis foraminibus, in una spelunca condi possit. Vide sodes quæ ex *Bava Batra*, *Cap.* VI collegit *Lightfootus*, *in Centur. Chorograph. Matthæo præmissa Cap.* C. Neque negligenda hæc talia sunt, si intelligere velimus, quomodo fœminæ, & Johannes, & Petrus in monumentum Christi introivisse, & inclinata facie in sepulcrum despexisse dicantur. Omnes nimirum, in area stantes, deorsum spectaverunt in depressiorem illum locum, ubi ipsa cadaverum receptacula erant; quo tandem & Petrus descendit.

XII. Porro de sepulcro quinque notabiles circumstantiæ ab Evangelistis

istis annotantur. I. Quod fuerit *Alienum*; *Josephi*, non Christi. II. *excisum e Petra*. III. *Novum*, in quo nemo hactenus depositus erat. IV. In *horto*. V. *Eo loci ubi crucifixus* est Christus. Nihil horum est observatione nostra indignum.

XIII. In *alieno*, non suo, repositus est omnium Dominus sepulcro. Adeo eum ad extremum usque comitata paupertas est. Primulum natus, in non suis cunis vagiit. Vivens, *non habuit ubi* dormiturus *caput reclinaret*. Mat. VIII. 20. Mortuo, aliena liberalitas de monumento prospexit. Hæc est ea paupertas, qua nos facit divites. 2 Cor. VIII. 9. Et cur proprium haberet sepulcrum, qui per triduum duntaxat in sepulcro commoraturus erat? Quid ni alieno conderetur monumento, qui ob aliorum culpam mortuus in aliorum salutem sepultus est? Cur sepulcrum Christo contigerit alienum.

XIV. E solido *saxo excisum* monumentum erat; ne specie quadam mentiri Judæorum improbitas posset, discipulus Christi per occultos terræ meatus illapsos, cadaver clanculum extraxisse. E saxo excisum.

XV. *Novum* etiam, ne vel alium Christi loco, vel Christum alterius cujuspiam, prius inibi sepulti, merito aut virtute, suscitatum, fingat calumnia: neve infirmiorum aliquis simile quid Christo accidisse suspicetur, quale Moabitæ illi, qui in sepulcrum Elisæi projectus, tactis Prophetæ ossibus, mox revixit. 2 Reg. XIII. 21. Et novo sane sepulcro dignus erat, qui novum nomen ac honorem sepulcris sua morte peperit, ut sint κοιμητήρια dormientium olim excitandorum cubilia. Novum.

XVI. Nec de nihilo est, quod *in horto* fuisse hoc monumentum tradatur. Uti enim *in horto* sanguineum sudorem exsudans novissimæ passionis suæ initium facere voluit, ita quoque sepultura in horto extremum humilitationis suæ actum clausit: ut ostenderet passione & humiliatione sua reparari bona cœlestia, quæ, dum voluptati & ambitioni indulgent protoplasti in horto, sibi & posteris amiserant. Et ubi commodius quam in horto sepeliendus erat ille, qui instar virgæ Aaronicæ die tertio iterum progerminaturus erat; & cujus morti, sepulturæ, ac resurrectioni debemus, quod corpora nostra instar graminis reviresc entis ex terra iterum sint proditura? In horto.

XVII. Eo denique loci hic hortus fuit, *ubi crucifixus est* Christus. Joh. XIX. 41. Id est, in proxima vicinia, a supplicii loco, si tractus illius lustratoribus fidem adhibere fas est, centum & octo pedum spatio distans: ut hoc quoque modo Jesaiæ vaticinio sua constaret veritas, *posuit cum improbis sepulcrum ipsius*. Jes. LIII. 9. Qua de re mox uberius. Proxime locum crucifixionis.

XVIII. Non accidit hæc sepultura Christo *nisi secundum Scripturas*. 1 Cor. XV. 4. Quibus ea & *prædicta*, & *præfigurata* est. *Prædicta* Ps. XXII. 16. *In pulverem mortis deponis me*. Cujus quidem depositionis in pulverem *initium* videre est in *Gethsemane*, quando Christus æstu Divinæ iræ prope- Sepultura Christi prædicta Ps. XXII. 16.

propemodum exhaustus, *procidit in terram*: Mat: XIV. 34. sed *complementum* in *morte* & *sepultura*. Hoc enim vult dicere Dominus: per angores animi sui, & luctam spiritualem, inchoatam in horto, continuatam in cruce, factum esse, ut exhausto vitali succo, celerius solito ad mortem redigeretur, mortem, inquam, qua homines resolvuntur in pulverem, & qua functi, in pulvere sepulcri deponi solent. Recipimus hic interpretationem *Kimchii*. אני מוכן להשימני בקבר שהוא עפר מות, *ego paratus sum ut ponar in* SEPULCRO, QUOD EST PULVIS MORTIS.

Ps. XVI. 9. 10. XIX. Adde Ps. XVI. 9. 10. *Etiam caro mea habitabit secure*, vel *procumbet tuto*, placide in sepulcro quiescet, quia *non relinques animam meam in inferno*, vitam meam in potestate mortis; aut, *cadaver meum in sepulcro*. Nam & נפש aliquando *cadaver*, vel saltem *hominem mortuum*, & שאול *sepulcrum* notare, suo loco fusius docebimus. *Non dabis*, non sines, *Sanctum tuum videre corruptionem*: descendam quidem in imas partes terræ, ubi mortis aula & regnum est: tantum tamen in me tyrannus iste non valebit, ut ullam in corpore meo *corruptionem*, ullam putrefactionis notam, deprehendere cogar: quia חסידך sum, ὁ ὅσιός σου, qui & te perfecte dilexi, & quem tu benignitate summa prosequeris. Quæ Davidem, in persona Christi, de ejus sepultura, & resurrectione, cecinisse, Petrus evincit. Act. II. 29.

Jes. LIII. 9. XX. Sed nihil disertius illo Jes. LIII. 9. ויתן את רשעים קברו ואת עשיר במותיו., quod ad verbum sonat, & *dedit cum improbis sepulcrum ejus*, & *cum divite in mortibus suis*. Cujus vaticinii hæc potest esse διάνοια, ut prius membrum intentionem hostium Christi, alterum Dei consilium exponat. Videlicet populus prævaricator, de quo versu antecedenti, id animo agitabat, ut Christus defunctus, una cum latronibus probrose in scrobem aliquam, vel puteum facinorosum cadaveribus infamem, projiceretur. Id enim Hebræorum jura poscebant, de quibus *Sanhed*: *Cap*. VI. *Halacha* V. *Humatio interfecti a Synedrio non fuit in sepulcris patrum ejus: sed duo sepulcreta parata erant a Synedrio, unum occisis gladio & strangulatis, alterum lapidatis* [qui etiam suspendebantur.] & *combustis*. Illic sepeliendus ex more Jesus; neque aliter destinaverat populus. Aliter tamen Deus, qui Filium suum in morte cum *divite*, id est; viro primariæ dignitatis & opulentiæ, (nam vox עשיר dignitatem & ordinem Senatorium connotat. Eccl. X. 19.) qualis Josephus, esse voluit. Vel etiam ita exponi verba possunt, ut prorsus in sepultura Christi impleta sint. Cujus quidem sepulcrum in horto divitis Josephi fuit, attamen, uti modo ex Johanne observavimus, prope Calvariam, atque ita apud improbos: improbis etiam militibus, ut totidem impuris canibus, ad postulatum Judæorum, cinctum & custoditum.

Suspensio Christi e li- XXI. Quæ quum sensum facilem atque obvium fundant; nihil necesse

cesse est, ut *duplicem* hic *sepulturam* Christi prædici fingamus; *alteram*, *improborum*, insepultam, quæ est *suspensio in ligno*, alteram, *divitum*, in *inferioribus terræ*. Quasi Christus *cum improbis* sepultus dicatur, dum, sive vivus, sive mortuus, pependit in ligno. Cum *divite* autem, quum monumento Josephi conderetur. Frigida hæc sunt, nulloque simili scripturæ dicto fulta. Non enim quia *asini sepultura* est, jacere in agro, Jerem. XXII. 19. Idcirco *improbi sepultura* est, προσπηλιάζεσθαι, sive pendere usque ad vesperam in ligno: quum sacræ literæ sepulturam, etiam improbi, a suspensione in ligno distinguant: Deut. XXI. 23. Non ignoro equidem servi illud apud *Plautum in Milite*:

gno non est sepultura cum improbis.

—— Scio crucem mihi futuram sepulcrum.
Ibi majores mei siti sunt, pater; avus, proavus, abavus.

Sed comicæ ejusmodi facetiæ a severitate Divinorum vaticiniorum alienissimæ sunt: easque in re tragica, aut gravi historia, flagitiosas censeret tota Criticorum natio.

XXII. Illustris sepulturæ Christi TYPUS in JONA est. De quo ipse Dominus Mat: XII. 40. *Sicut enim fuit Jonas* ἐν τῇ κοιλίᾳ τȣ̃ κήτους, *in ventre ceti tres dies, & tres noctes, ita erit filius hominis in corde terræ tres dies, & tres noctes.*

Jonæ typus.

XXIII. Non est necesse ut per *cetum* hic *Balenam* intelligamus. Nam generale illud nomen est, & de quovis magno pisce usurpatur. Ut generica etiam appellatione דג גדול, *piscis magnus*, in historia Jonæ dicitur. Accedit, quod, experientia teste, Balenæ, utut magnæ belluæ, gulæ meatus ita angustos habeant, ut aditus vix semipedem pateat, & solidum hominem deglutire haut quaquam possint. Probabile itaque est, *Canem* aliquem fuisse *Marinum*, qualem *Carchariam nonnulli* ob *dentium asperitatem*, alii *Lamiam* aut *Lamnam* vocant, ἀπὸ τȣ̃ ἔχειν μέγαν λαιμὸν, ob *gulæ vastitatem*. Id genus belluas captas fuisse ajunt, in quarum ventriculo integri homines loricati reperti sint.

Cetus Jonæ non est Balena, sed Canis potius Marinus.

XXIV. Huc etiam *Herculis* fabula facit, à Cane *Carcharia*, quem Neptunus immiserat, absorpti: quem, quum toto triduo intus discerpsisset, amissa capitis sui cæsarie exiit. Unde & τριέσπερος Græco Poëtæ dictus, quod tribus diebus in ceto hæserit, quas *vesperas* rectius nuncupaveris, propter tenebrosum belluæ ventrem. Quæ ex sacra Jonæ historia, nugaci torsione, petita esse, res ipsa loquitur, & *Cyrillus* suis in Jonam commentariis observavit. Vide sodes *Grotium*, *de Verit. Relig. Christ. Lib.* I. §. XVI. *cum notis m.* 5. Et *Bocharti Hierozoic: Part.* II. *Lib.* V. *Cap.* XII.

Herculis τριέσπερος fabula hinc petita.

XXV. Jonas dum in visceribus piscis fuit, dicit se fuisse בבטן שאול *in ventre inferni*, aut *sepulcri*. Jon. II. 5. & בלבב ימים *in corde marium*. vers. 3. Atque ita repræsentabat Christum situm in corde terræ.

Cor terræ est sepulcrum.

Quod non significat infernum damnatorum, *qui in media esse terræ perhibetur*, ut ait *Hieronymus*, sed tale terræ receptaculum, quod supra, infra, & ab utroque latere, terram habet, aut simplicius, quod intra terram est. Sicut Tyrum *in corde marium* scriptura collocat, Ezech. XXVIII. 2. id est, in insula mari circumflua. Et *via navis in corde maris dicitur.* Prov. XXX. 19. ubi cœlum undique & undique pontus. Et mons arsit עד לב השמים, *ad cor usque cœli.* Deut. IV. 11. Absalom vixit בלב האלה *in corde quercus.* 2 Sam. XVIII. 14. id est simpliciter, usque ad cœlum, & in quercu, intra ramos ejus. Ita cor terræ est sepulcrum. *Crysostomus:* Οὐ γὰρ εἶπεν ἐν τῇ γῇ, ἀλλ' ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς. ἵνα καὶ τὸν τάφον δηλώσῃ, καὶ μηδεὶς δόκησιν ὑποπτεύσῃ. *Non dixit, in terra, sed in corde terræ: ut & sepulcrum denotet, & nemo apparentiam fuisse suspicaretur.*

Circa temporis analogiam doctis magnorum virorum subtilitatibus, præferenda videtur recepta simplicitas.

XXVI. Major difficultas est circa *temporis analogiam*; & ut tres dies illi cum tribus noctibus inveniantur, quos se, ad Jonæ instar, in corde terræ exacturum, Dominus prænunciavit. Sunt, tam ex Veteribus, quam Novioribus, qui ad subtilitates hic se vertunt. Observatum a Clar: *Cloppenburgio est*, qui tamen ipse ad simplicitatem magis inclinare videtur: *non inepte tridui initium statui in illa hora, qua, in cruce exaltatus Christus, e terra viventium sublatus fuit: ex qua hora ter visus est sol lucens, & ter fuerunt tenebræ, ante horam resurrectionis Christi: intervenientibus miraculosis tenebris.* Huc ducit *Ambrosii* rhetoricatio, *de Interpellat: Lib.* I. *Cap.* V. *Dixerat Dominus, quia tribus diebus futurus erat in corde terræ, & tribus noctibus. Dixerat hoc sol: servabat præceptum. Dubitabat ergo, dicens: quid facio? Orior, & dies est. Occido, & nox est. Si cursum meum servavero, demorabor mundi salutem. Festinemus igitur ad redemptionem nostram.* Post pauca. *Abbreviabo horas ubi adscenderit crucem. A sexta statim fiat nox: ne videam Domini passionem, sed fugiam parricidalis persecutionis spectaculum. Occidam, & erit nox horarum trium. Egrediar, & innovabo diem, ut sit horarum trium. Percussus* (lege, percursus) *est primus dies. Sequitur nox, secundo spatio suo. Sequitur similiter dies. Incipiet nox. Tertia resurget Dominus in nocte, & erit dies in lumine resurgentis.*

XXVII. Aliter paullo serius ac severus Theologus, *Guilielmus Teelingius*, qui, in *meletematis Catecheticis*, vernaculo sermone editis, monet, Christum dici posse in corde terræ fuisse, ex illo tempore, quo iræ Divinæ sensu tactus, ἔπεσεν ἐπὶ τῆς γῆς. Marc. XIV. 35. ut prima trium noctium censeri queat nox illa qua proditus est Christus, qua ineunte cœnam celebravit cum discipulis. 1 Cor. XI. 23.

XXVIII. Quas cogitationes Celeberrimus *Coccejus* hoc modo ampliavit. *Quod Christus dixit, se tres dies & tres noctes in corde terræ futurum, id, partim proprie & secundum literam, partim secundum analogiam, intelligendum est, de toto illo tempore humiliationis Christi a Cœna usque ad vesperam, qua*

se

se manifestavit discipulis, & in iis quasi denuo revixit. A Cœna in hora potestatis tenebrarum fuit, donec revera in terra conderetur: & tum ipse integre revixit, quum ii, qui ipsius erant, plerique revixerunt, & ex tristitia sua recreati sunt.

XXIX. Tribuat his quisque observationibus quantum volet. Nobis, etiamsi eruditas, & auctoribus suis non indignas, fateamur, recepta tamen plus placet simplicitas. Existimamusque, Christum non mathematice temporum momenta exputasse, sed, vulgari sermone usum, per tres dies & noctes tria νυχθήμερα denotasse, quorum pars, vel major, vel minor, ut vulgo fieri assolet, per Catachresin Synechdochicam, totius nomine venit. Exspiravit Christus, ut nos dicere consuevimus, die Veneris, circa tertiam pomeridianam, restantibus illius diei horis tribus usque ad occasum solem, quæ pro die censentur primo. Successit sabbathum integrum, a vespera ad vesperam: dies secundus. Insecuta mox tertia, sub cujus matutinum crepusculum resurrexit Christus.

XXX, Neque constat sane, Jonam solidum triduum, horarum LXXII. in ceto exegisse. Major fortassis etiam hac in parte analogia est, quam ex incerto præjudicio hactenus suspicati sumus. Posteaquam hæc scripsissem Divina ducente virgula in *Isidori Pelusiotæ* verba incidi; quæ ex *Lib.* I. *Epistola* CXIV. hic exhibebo. Τῶν τριῶν τῆς ταφῆς τοῦ κυρίου ἡμερονυκτίων αὕτη ἐστὶν ἡ διασάφησις. Γέγραπται. ὥσπερ ἦν ὁ Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας, οὕτως καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔσται ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας. Ὁ τοίνυν ἐπαγγειλάμενος τὸν τύπον πληρῶν Ἰωνᾶ, ἀκριβῶς αὐτὸν ἐπιστάμενος, ἐπειδὴ καὶ παρῆν Ἰωνᾷ, καὶ ῥιπτομένῳ εἰς τὸν βυθὸν, καὶ ἐκβραστομένῳ ἐκ τοῦ βυθοῦ, τοῦτον ἐπλήρωσεν ἀσφαλῶς, τοσοῦτον ἐν τῷ τάφῳ διατρίψας, ὅσον Ἰωνᾶς ἐν τῷ κήτει. *Trium Domini in sepulcro dierum hæc est explanatio. Scriptum est*: QUEMADMODUM Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ITA etiam filius hominis erit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. *Is igitur, qui se Jonæ typum expressurum receperat, quum eum exacte nosset, (quippe qui etiam Jonæ adesset, quum in profundum præceps ageretur, atque e profundo ejiceretur) eum quoque*, ACCURATE *explevit*, TANTO *temporis spatio in sepulcro commoratus*, QUANTO *Jonas in ceti ventre.* Deinde eam quoque interpretationem, claris & propriis expressam verbis, subjungit, quam Tmemate XXVI. ex Ambrosio dedimus: additis & aliis, quas hic referre nihil opus est.

Non constat, Jonam integrum triduum hæsisse in ceto.

XXXI. Nunc tandem sepulturæ Christi PRACTICOS videamus USUS. Facit I. ad *Informationem* A. Ut mortis Christi & insecutæ resurrectionis, semoto omni dubio, certi simus. Hinc non sine caussa a Marco annotatum, quod Pilatus, non nisi morte Christi probe explorata & cognita, Josepho eum tradiderit. Mart. XV. 44. 45. Sapienterque Divina intercessit providentia, ut non ab hostibus, qui vel semivivum sepulcro inferre

Praxis hujus articuli.

inferre non fuissent veriti, sed ab amicis, qui calidum spirantemque condere nequaquam voluissent, sepultus sit. B. Ut sciamus quicquid est vilitatis peccatis nostris debitæ, id Christum subiisse: ad extremum usque, in morte, & post mortem, humiliatum. Nam licet Christi sepultura multis modis gloriosa, & *somnus* ipsius in monumento *jucundus ei fuerit*, Jer. XXXI. 16. ob exantlatos hactenus labores, & præstantissimos, qui mox consecuturi erant, fructus; in se tamen pars exinanitionis, & humiliationis est, quod descenderit εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς Eph. IV. 9.

XXXII. II. Ad *Consolationem*. A. Sepultura Christi, expiationem peccatorum nostrorum morte peractam, & maledictionem abolitam, testatur & confirmat, ex typo Deut. XXI. 25. Nam sicut suspensio e ligno maledictionem adhuc exstantem & permanentem commemorabat; ita suspensi cadaveris sepultura, ejusdem abolitæ figura erat. Quarum rerum veritas & corpus in Christo est. B. Peccata nostra una secum sepelivit: tam quoad *Justificationem* ut tecta, & a conspectu Dei semota sint, ne ad nos accusandos *in lumine vultus ejus collocentur*. Ps. XC. 8. quam quoad *Sanctificationem*; *consepulti* enim *ei sumus per baptismum in mortem*, Rom. VI. 4. ut vetus noster homo paullatim prorsus aboleatur, & dominari in nobis ac vivere desinat. C. Mortem in ultimo quasi arcis suæ angelo & asylo prosequens, inde exturbavit, & sepulcra nostra sanctificavit, ut placida corporum nostrorum *dormitoria* sint: Jes. LVII. 2. donec expergiscamur, *in justitia vultum Dei visuri & satiandi imagine ejus*. Ps. XVII. 15.

XXXIII. III. Ad *Admonitionem*: ne ulla Christi vilitate offendamur; sed ad Josephi, Nicodemi, piarumque fœminarum exemplum, eum mortuum quoque & sepultum, summa animi veneratione prosequamur, viva fide ut unicum vitæ auctorem apprehendentes, sanctis suspiriis mane quærentes, absentem pie desiderantes, nosque ipsos cum omnibus quæ nostra sunt liberaliter ei offerentes. Quod certe longe ipsi futurum est gratius, quam quantivis pretii aromata, ipsumque adeo insanæ opulentiæ templum, ad monumentum ejus a Constantino exstructum miraque verborum pompa ab *Eusebio* celebratum. *De vita Constant. Lib.* III. *Cap.* XXIV. *& seq.*

EXERCITATIO XVIII.

DE

DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

BREVIARIUM.

1. 2. 3. 4. *Christum ad Inferos descendisse, nusquam in sacris diserte dicitur.* 5. *Neque in Symbolis antiquissimis.* 6. *Et quæ Symbola id habuerunt, ea plerumque de sepultura tacent.* 7. *Neque sine errore quodam ambo tandem juncta sunt.* 8. *Non tam inquirendum, quid antiquorum nonnulli eo dicto intellexerint, quam quid intelligere debuerint.* 9. 10. 11. 12. *Descensus Christi ad inferos qua* corpus *spectat*, sepulturam *notat*, *aut* statum mortis. 13. *Sed & ad* animam *pertinet.* 14. 15. 16. 17. *Non quasi Christus* localiter, *vel in* Tartarum *descenderit, vel in nescio quem* Limbum. 18. 19. 20. *Verum descensus iste metaphorice extremos illos angores notat, quos ante mortem, in anima corpore juncta, sustinuit.* 21. 22. *Angores Christi gravissimi fuerunt.* 23. 24. *Uti liquet, ex Partibus.* 25. 26. *Adjunctis.* 27. 28. *Effectis.* 29. *Omnibus tamen sine ullo crimine sanctissime defunctus est* 30. 31. 32. 33. 34. *Nec in precibus quicquam jure carpas.* 35. 36. 37. 38. 39. *Angoris Christi caussa.* 40. 41. *Usus hujus doctrinæ practici. I. Ad excutiendam securitatem.* 42. 43. 44. *II. Ad consolationem.* 45. *III. Ad Informationem.*

I. DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS tantum ferme Dissertationum est, quantum est muscarum quum caletur maxime. Earum autem copia & ubertas facit ut nostræ huic adstrictiori ac breviori esse liceat. Christum ad Inferos descendisse, nusquam in sacris diserte dicitur.

II. Atque id omnium *primo* observatum velim, phrasin hanc, *Christus descendit ad inferos*, αὐτολεξεὶ in Sacris Literis nuspiam reperiri. Dicitur quidem *descendisse*, dicitur *in inferis* fuisse, sed ita junctis verbis ut *descendisse ad inferos* prædicetur, nulli legimus.

III. *Descendisse* εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς *ad inferiores partes terræ*, Paulus scribit, Eph. IV. 9. Quibus verbis *totum exinanitionis* Christi *statum* complexus Apostolus videtur: cujus *initium* in *Nativitate*, *finis* in *Morte* ac *Sepultura*. Totum enim universum in duas distribuitur partes; *Superiores*, quæ *Cœli*, & *Inferiores*, quæ *Terræ* sunt. Christus igitur quum a Patre cœlo exiens humana se carne induit, ac in terra conspiciendum præbuit, ad inferiores mundi partes descendit. Et considerandum est,

est, an non hanc mentem habeat illud Jes. XLIV. 23. *Cantate cœli, quia Dominus fecit, clangite* תחתיות ארץ IMA TERRÆ, *fragorem edite montes cantu, silva &c.* Ubi cœlis, qui sursum sunt, opponuntur ima terræ, sive terra quæ deorsum est (conf. Jes. L. 2. Deut. XXXII. 1,) cujus terræ partes, montes & silvæ deinceps narrantur. Adde, quod Psaltes matris suæ uterum תחתיות ארץ *inferiores partes terræ*, metaphorice nuncupaverit. Ps. CXXXIX. 15. *Factus sum in abdito, artificiose, & velut phrygionico opere, confectus sum in* IMIS PARTIBUS TERRÆ. In quem locum non male *Jansenius*: *Tota mea substantia, quam habui in utero matris, loco magis abdito quam est nullum antrum terræ, non fuit occulta a conspectu tuo.* Sed non existimo hanc expositionem totam Apostoli mentem declarare. Nam si vocum emphasin attendamus: *imæ partes terræ* non solum *ipsam terram* notant, *summo cælo* oppositam, sed & *illas terræ partes*, quæ aliis ejusdem terræ partibus, id est, *terra viventium*, Jes. LIII. 8. depressiores sunt. Hic est locus mortis & sepulturæ. Ezech. XXVI. 20, *Faciam ut descendas cum descendentibus in foveam, ad populum antiquum, & collocabo te* בארץ תחתיות *in terra inferiorum partium.* Iterumque Ezech. XXXI. 14. *Omnes illi traditi sunt morti*, אל ארץ תחתית *ad terram imam, inter filios hominis, ad eos qui descenderunt in foveam.* Satis hinc Scripturæ usus. patet. Assentitur *Chrysostomus*: τὰ δὲ κάτω μέρη τῆς γῆς θάνατον φησί. *Inferiores autem partes terræ mortem vocant.* Sepulti etiam sub terra esse dicuntur. *Ignatius ad Trallianos*: τὸ σάββατον ὑπὸ γῆν, μένει ἐν τῷ μνημείῳ. *Sabbato sub terra mansit in monumento.* Totam Apostoli, ex nostro sensu, mentem, brevibus expressit *Theophylactus* δῆλον ὅτι ἄνω ὢν κατέβη, καὶ σαρκώμενος εἰς τὴν γῆν, καὶ θανὼν εἰς τὸν ᾅδην. *Planum est, quod, quum in supernis esset, descenderit, per incarnationem in terram, & per mortem ad inferos.*

IV. De mora Christi *in inferis* David cecinit: Ps. XVI. 10. *Non es derelicturus* נפשי בשאול τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου *animam meam in inferno.* Cujus vaticinii sensum Petrus pandit, Act: II. 29. 30. *Viri fratres, licet libere apud vos loqui de Patriarcha Davide, eum & obiisse & sepultum esse, & monimentum ejus esse apud nos ad hunc usque diem... Præscius locutus est de resurrectione Christi, non derelictam esse apud inferos animam ejus, neque carnem ejus sensisse corruptionem.* De singulis verbis mox videbimus.

Neque in Symbolis antiquissimis.

V. Deinde, id quoque notandum est, articulum hunc de descensu Christi ad inferos, in omnibus propemodum *antiquis symbolis* omitti. Quod prolixa exemplorum inductione comprobat *Molinæus* in *Thesibus*, & *Vossius Harm. Evang. Lib.* II. *Cap.* XIII. *Tmemate* IV. Antiquissimum omnium in quo reperitur, privatum *Athanasii* symbolum est. Si modo Athanasii: nam ut id, si non pro falso, saltem, quod falso proximum est, pro dubio habeamus, magnis à nobis rationibus impetravit idem

idem *Vossius*, ostendens, ante annum sexcentesimum symbolum illud vel omnino non fuisse, vel saltem non fuisse in Ecclesia notum. Vide eum *de Tribus Symbolis. Dissert.* II

VI. Denique & hoc dignum est animadversione, quod quæ symbola antiquitus articulum de *descensu Christi ad inferos* habuerunt, ea articulum *de sepultura* non habuerunt; & vice versa. Unde errore quodam factum esse Viri eruditi censent, ut, quum prius qui unum dicerent, alterum præterirent, ambo postea cœperint conjungi. Sane temporibus *Ruffini*, hoc est, circa annum quadringentesimum, ipsa Ecclesia Romana erat contenta meminisse solius sepulturæ. Aquilejensis vero Ecclesia habuit quidem utrumque in symbolo suo, sed, si ex Ruffini mente judicandum, unum idemque ambobus significari arbitrabatur. Prorsusque hic *Vossio* adstipulor, statuenti: *Orientales* per *descensum Christi ad inferos* primitus intellexisse quod *Occidentales* vocarent *sepulturam*.

Et quæ symbola id habuerunt, ea plerumque de sepultura tacent. Neque sine errore quodam ambo tandem juncta sunt.

VII. Quando vero hæc duo, idem notantia, tanquam diversa, jungi cœperint, solide nequit comprobari. *Erasmus* putat, id factum ab *Thoma Aquinate*, qui vixit anno CIↃ CCC LXV. Invenio tamen apud *Socratem Lib.* II. *Cap.* XLI editionis Græcæ, quod in Latina versione est XXXII. Arianos, Acacio addictos, numero quinquaginta Constantinopolim convenisse, ibique symbolum condidisse, in quo profitentur, se credere in Christum θανόντα, καὶ ταφέντα, καὶ εἰς τὰ καταχθόνια διεληλυθότα, ὃν καὶ ὁ ἅδης ἔπτηξε: *Mortuum, & sepultum, & qui subterranea penetravit, quem etiam infernus reformidavit.* Quo amplius aliquid quam sepulturam innuere videntur. Gesta hæc sunt circa annum CCCLIX.

VIII. Verum enimvero, etiamsi neque in Scriptura Divina, neque in antiquissimis symbolis, caput de descensu Christi ad inferos iis verbis inveniatur; pie tamen ille a nobis creditur & asseritur, modo sensu commodo. In quo investigando, non tam laborabimus, quid antiqui nonnulli iis verbis intellexerint, quam quid, congruenter analogiæ fidei, & scripturæ phrasi, intelligere debuerint. Neque multum morabimur, quo ordine hunc articulum in symbolo nunc locatum inveniamus, a quo eum antiquitus prorsus abfuisse jam jecimus, dummodo de re ipsa constet.

Non tam inquirendum, quid antiquorum nonnulli eo dicto intellexerint, quam quid intelligere debuerint.

IX. Quum ergo Christum ad inferos descendisse profitemur, partim id ad *corpus* referendum esse credimus, partim ad *animam*.

X. Quatenus ad CORPUS spectat, *Sepulturam* notat, vel *Retentionem corporis* in sepulcro, ac *in statu mortis*. Indubium enim apud omnes ingenuos est, vocem Hebraicam שאול, quam Græci ᾅδης reddunt, frequenter *sepulcrum* denotare, vel *statum* quorumcunque *hominum in morte*. Omitto alia quæ a viris Doctis magno numero sunt allata. Pro *sepulcri* notione peremtorium est Ps. CXLI. 7. *Dispersa sunt ossa nostra* לפי שאול

Descensus Christi ad inferos, qua corpus spectat, sepulturam notat, aut statum mortis.

juxta

juxta sepulcrum. Pro *conditione mortis.* Ps. XLIX. 15. *In* SCHEOL *ponentur bestiæ.* Hoc est, morientur morte pecudum: quæ nec sepeliri solent, & certe in inferum damnatorum, aut nescio quem limbum, non penetrant.

XI. Porro, uti SCHEOL, & ᾅδης, conditionem mortuorum atque sepulcrum notant; ita *in* SCHEOL, vel *ᾅδην ire*, aut *descendere*, significat, in eam conditionem & locum venire. Ita Hiskias, Jes. XXXVIII. 10. *Rescissis diebus meis ibo ad portas* SCHEOL, *accensebor mortuis, & sepultis, privor residuo annorum meorum.* Et Patriarcha Jacobus, Gen. XXXVII. 35. *Descendam lugens ad filium meum* SCHEOLAH, εἰς ᾅδην. Quod planissime de statu mortis dictum: sed nihil admodum obstat, quo minus etiam de sepulcro exponatur. Nam etiamsi non putaverit Jacobus, Josephum sepultum esse, in sepulcrum tamen veniens, ad Josephum, licet insepultum, venturus erat, una cum ipso, uti rebatur, futurus inter mortuos. Non illi *ad Patres ire*, vel, *iis aggregari*, dicuntur, qui uno iiscum conduntur tumulo: sed qui ad sepulcrum descendentes, etiam cum non tumulatis majoribus, in eandem mortis conditionem compinguntur. Ut taceam *Salomonis Jarchii* interpretationem, qui exponit, descendam in Scheol, אל בני, *propter filium meum.* Ut intelligatur mortis *caussa*, non *consortium.*

XII. Quicunque ergo, antiquorum Patriarcharum ac vatum sermone, Christi in sepulcro ac morte conditionem exprimere vult, is non elegantius neque efficacius id poterit, quam dicendo Christum ad inferos descendisse. Atque hic illius dicti ἀντοφυὴς, proprius, & literalis sensus est.

Sed & ad Animam pertinet.

XIII. Sed & ad ANIMAM referri posse monuimus: non eam tamen ob caussam, quia Ps. XVI. 10. scriptum est, *non relinques animam meam in inferno.* Nihil enim necesse est, id de ea hominis parte intelligere, quam nos *animam* aut *mentem* dicimus. Vox Hebræa נפש, qua Psaltes utitur, significat aliquando *animal*; sive *brutum*, Gen. I. 20. 21. sive *rationale.* Gen. II. 7. I. Cor. XV. 40. Huc spectant locutiones illæ, *quicunque occiderit animam.* Num. XXXI. 19. *Et moriatur anima mea.* Num. XXXIII. 10. Jud. XVI. 30. Hoc est, moriar ego. Eodem sensu exponi posset: *non relinques animam meam*, id est, *me*, Sed pressius. NEPHES significat etiam *animal mortuum*, sive *cadaver.* Num. XIX. 11. *Qui tetigerit mortuum*, לכל נפש האדם, *quodcunque cadaver hominis.* vers. 13. *Omnis tangens* במת בנפש האדם, *mortuum, cadaver hominis qui mortuus est.* Prætereo parilia sine numero. Quid igitur impedit, quo minus cum Venerabili *Beza*, in prima editione N. T. si non vertamus, saltem exponamus, *Non derelinques cadaver meum in sepulcro.* Nam

Nam per NEPHES aliquando *cadaver* notari, per SCHEOL *sepulcrum*, satis ex ante dictis constare arbitror.

XIV. Christum tamen, quoad *animam* quoque, ad inferos descendisse profitemur. At profecto non eo sensu, qui post Veterum nonnullos Romanensibus nunc allubuit: quasi anima Christi, per mortem a corpore separata, revera, proprie, localiter, subterranea quædam loca visitaverit: sive *Tartari*, ut iis quos æternæ pœnæ manent, ipsisque adeo Diabolis, regni sui potentiam, & victoriam de peccato reportatam, ostentaret: sive *Limbi* nescio cujus, qui ad marginem Tartari situs esse perhibetur, ut salutem a se partam patrum animabus annunciaret, easque secum inde educeret, in cœlum evehendas. Non quasi Christus localiter vel in Tartarum descenderit; vel in nescio quem Limbum.

XV. Nam ejusmodi animæ Christi ad inferos descensum, neque factum esse scriptura, ex qua sola sapimus, docet; neque ut fieret ullo pacto necessarium, aut conveniens erat. Christus moriturus, verbis veluti conceptis, atque solemnibus, spiritum suum in manus Patris commendavit. Luc. XXIII. 46. eadem procul dubio mente, qua ante eum David. Ps. XXXI. 6. post eum Stephanus. Act. VII. 59. quorum hunc saltem de suo ad inferos descensu ne quidem cogitasse, certum est. Adde, quod Christus eodem quo passus est die, latronem secum in Paradiso futurum pollicitus est. Luc. XXIII. 43. Sed paradisus non est apud inferos. Nec credibile est, Christi animam, deducta latronis anima in paradisum, statim ex eo excessisse, ad inferos descendisse, atque Patres inde evocatos revolando confestim in cœlum intulisse: unde mundi totius spatium, tam exiguo tempore, quartum emensa, appetente tertio die ad corpus remigraret.

XVI. Et cui usui illa animæ Christi ad *Tartarum* profectio? Tantine fuit ea victoriæ suæ apud damnatos ac diabolos ostentatio, ut excursionem ad terræ centrum quieti in coelis fruendæ præhabuerit? Num tempus quoque illud triumpho idoneum fuit, quo mortis adhuc vinculis constrictus victo quam victori videbatur similior? Et quis unquam imperatorem ad triumphum in carcerem abire vidit? Quid etiam tam terribile est anima Christi a corpore separata, ut tantam in inferis trepidationem generaret? Nonne efficacius id fecerit sensus iræ Divinæ intensior? An necesse erit, post ultimum judicium Christi animam perpetuo inferis adesse, cujus præsentia magis magisque excarnificentur?

XVII. Sed neque *Limbus* ille Patrum, quem in tartari confinio locant accurati inferorum metatores, uspiam gentium exstat; quum Deus ante Christi per passiones consummationem *multos filios in gloriam introduxerit*. Heb. II. 10. neque si exstaret, Christum in eum descendere, ad Patres extrahendos, opus fuit. Non postulavit id salutis ipsorum vel *Impetratio*, vel *Notificatio*, vel *Applicatio*. Non *illa*: quia jus

plene acquisitum erat morte Christi. Non *ista*: quia vis Spiritus Sancti, quæ sanctas animas illustrabat, & in spem rerum futurarum certissimam erigebat, facilius iis Evangelium revelare potuit quam anima Christi. Non *hæc*: uti enim Christi corpus die novissimo non detrudetur ad sepulcra, ut inde corpora fidelium educat: ita nihil necesse fuit, ut, si vel maxime in inferis piorum animæ fuissent, Christi anima ad eos penetraret: quum nullo negotio, vi Spiritus sui, uti tunc excitabit corpora, Rom. VIII. 11. ita nunc animas evocare potuerit.

Verum descensus iste metaphorice extremos illos angores notat, quos ante mortem, in anima corpori juncta, sustinuit.

XVIII. At quo tandem pacto Christum, quoad *animam*, ad inferos descendisse credimus? Non *proprie* profecto, sed *metaphorice*; neque tum, posteaquam per mortem a corpore suo sejuncta fuit, sed quum, corpori adhuc unita, cum horrendis anxietatibus luctaretur. Uti enim, qui beatissimos se & gloriosissimos prædicare volunt, se *ad astra venisse*, & *sublimi vertice sidera ferire*, jactant: quid ni *descendisse ad inferos* Christum illi dicerent, qui significare incredibiles illos angores volunt, quibus anima ipsius fuit exposita? Nihil enim frequentius est, quam ut quæ non nisi certo quodam loco contingere solent, ea, quamvis ab eo loco sejuncta, loci tamen ipsius nomine nuncupentur.

XIX. Neque abhorret Scripturæ stilus: quæ sicut *fastum* & imaginariam *felicitatem* Babylonii Monarchæ *adscensionem in cœlum*, ita ejusdem *ignominiosam* depressionem, *dejectionem ad inferos*, & *ad latera foveæ*, appellat. Jes. XIV. 13. 15. Adde Ps. LXXXVIII. 4. Ubi Heman de se, vel de Ecclesia, vel fortassis in persona Christi: *Saturata est malis anima mea, & vita mea ad* SCHEOL, *inferos, pertingit.* Iterumque vers. 7. *ponis me in sepulcro omnium infimo, in tenebrosissimis, in profundis locis.* Quæ non possunt aliter quam figurate de afflicti animi mœroribus intelligi. Non enim hæc querela est hominis mortui, ac sepulti, aut animæ separatæ, in subterraneis specubus laborantis; sed hominis vivi, ac præ æstu iræ Divinæ conturbati. Parilia inveniuntur Ps. XVIII. 5. 6. XXXI. 4. CXVI. 3. atque alibi passim.

XX. Neque hoc ad exquisitiorem pœnarum infernalium sensum requirebatur, ut in anima separata Christus affligeretur. Quandoquidem contra, ad exquisitiorem pœnam sensus, in extremo judicio corpora damnandorum reunientur animabus suis in inferno. Itaque exquisitior fuit ille sensus maledictionis in Christo, quando acerbitatem cruciatuum in corpore cumulavit *labor animæ*, Jes. LIII. 11. luctantis cum sensu iræ Dei. Uti acute observatum a Cl. *Cloppenburgio*. Nihil ergo flagitii a Catechesi nostra, aliisque commissum Theologis est, quando doctrinam longe utilissimam, & ex ipsis religionis penetralibus depromtam, de angoribus animi Christi, ad articulum de descensu ad inferos illustrandum adhibuerunt.

XXI. De istis porro Angoribus Christi tria nobis breviter claranda sunt. I. Eorum *Natura*, sive *Qualitas*. II. *Caussa*. III. *Utilitas* inde ad nos redundans. Sub *Qualitate* duo iterum complector, *Gravitatem* & *Sanctitatem*. **Angores Christi gravissimi fuerunt.**

XXII. *Gravitatem* colligere licet ex accurata Evangelistarum descriptione, quæ exstat Mat. XXVI. 37. 38. 39. Marc. XIV. 33. 34. 35. Luc. XXII. 42. 43. 44. Adde Heb. V. 7. 8. Ubi iterum signate observamus. I. *Partes*. II. *Adjuncta*. III. *Effectus*. Quæ singula agoniæ hujus gravitatem comprobant.

XXIII. *Partes* duæ sunt. I. *Tristitia* ex intuitu mali *præsentis*. Quæ emphaticis admodum enarratur vocabulis. Dicitur enim λύπη, qua anima Christi fuit περίλυπος, *undique tristis*, & quidem *usque ad mortem*. Mat. XXVI. 38. Ἀγωνία. Luc. XXII. 44. lucta cum dolore & anxietate, qualis est illius qui se ad acerrimum præparat certamen. Ἀδημονία. Mat. XXVI. 36. qua animus præ horrore concidit, & veluti sub doloris pondere fatiscit, & consilii inops est. *Etymologus* ἀδημονεῖν explicat per ἀλύειν, ἀπορεῖν, ἀμηχανεῖν. **Uti liquet, ex partibus.**

XXIV. II. *Metus*, ex consideratione mali *futuri*. Vocatur ea εὐλάβεια Heb. V. 7. quo nomine, tam apud exoticos, quam sacros scriptores, *timorem* designari, nemo mediocriter Græce peritus ignorare potest. Jos. XXII. 24. respondet Hebræo דאגה, quo anxietas notatur. I Sam. XVIII. 15. De Saule, καὶ εὐλαβεῖτο ἀπὸ προσώπου Δαυίδ. Hebr. יגר. Adde Act. XXIII. 10. εὐλαβηθεὶς ὁ χιλίαρχος, *tribunus veritus ne Paulus discerperetur*. Alia multa in hanc sententiam congessit *Chamierus Panstrat. Lib.* V. *Cap.* XVI. Marcus & Lucas θάμβος dicunt, quod est aliquid plus quam metus: percellit enim ita, ut pene det in stuporem ac mentem eripiat.

XXV. Utriusque vero, & *Tristitiæ*, & *Metus*, magnitudinem *Adjuncta* duo demonstrant. I. *Sudor sanguineus*, tanta copia prorumpens ut in grumos concresceret. Luc. XXII. 44. qui validum animi πάθος, & extraordinariam quandam sanguinis, a partibus exterioribus ad interiores, ab his vicissim ad illas, reciprocationem arguit, cujus æstu atque agitatione non cutis tantum atque carnis meatus, sed & ipsa vasorum oscula, & universa pæne corporis compages resolverentur. Cujus affectus non quidem nulla, rara tamen, in historiis exempla exstant: nec nisi in atrocissima mœsti animi trepidatione, diraque & insolita anxietate. Vide sodes Venerandi *Voetii* de hac re copiosissimam Dissertationem.

XXVI. II. *Angeli eum corroborantis præsentia*. Luc. XXII. 43. Corroborantis, inquam, non communicatione potentiæ, aut partem oneris, Christo impositi, in se suscipiendo; Christus enim *torcular calcavit solus*. Jes. LXIII. 6. Sed repræsentatione efficacissima, & brevitatis passionum, & promissi auxilii Divini, & gloriæ consecuturæ, respectu Dei, sui, electorum. Quantum autem hunc angorem fuisse opor- **Adjunctis.**

tuit, in quo Dominus a servo; Creator a Creatura, Deus ab Angelo solamen petiit?

Effectis.

XXVII. *Effectus* hujus angoris, fuerunt *preces* & supplicationes serventissimæ, quas cum clamore valido & lacrymis ter repetitis vicibus, Patri obtulit, pronus in terram procidens. Apostolis etiam præcipiens, ut, se paullo longius progresso, officio non deessent in vigiliis ac precibus. Quæ intensissimum dolorem, ex præsentis, vel imminentis, gravissimi mali apprehensione, arguunt.

XXVIII. Eodem facit apellatio *calicis*, quem Christus a se transferri petit. Eo enim vocabulo generatim in sacris notatur quæcunque sors sive bona, sive mala, a Deo homini assignata. Translatione, uti videtur, desumta a patribus familias, cuique assignantibus, quantum bibere debeat. Quod & apud Romanos facere solebant συμποσιάρχαι, sive *modimperatores*, vel *reges convivii*, qui, ut Horatius ait, *regna vini sortiebantur talis*: talorum enim jactu creabantur. Significat autem hic, non poculum *hilaritatis*, ut Ps. XVI. 5. & XXIII. 5. sed *calamitatis*: uti Ps. XI. 6. Jes. LI. 17. Ap. XVIII. 6.

Omnibus tamen sine ullo crimine Sanctissime defunctus est.

XXIX. Hactenus de dolorum *Gravitate*, nunc *Sanctitatem* videamus: quæ & in ipsis ostendenda *angoribus*, & in *precibus* inde ortis. Prius non est admodum difficile. Nam neque sensus mali præsentis, neque metus imminentis, neque dolor ex utroque ortus, per se malum morale, sive peccatum, est. Si quod in istarum rerum perpessione crimen est, id consistit, vel in mollitie animi fracti, nimis sua mala æstimantis, vel in desperatione eventus, ubi caussa bene sperandi est; vel in impatientia animi, & murmure adversus Deum. Atqui nihil horum, sed contraria omnia, in Christo deprehenduntur. Nam id quod sustinuit afflictionem pondus æstimatione omni gravius est. Ps. XC. 11. Et in gravissimis discriminibus fide inconcussa, omniumque tentationum victrice, ad promissionem eventus mentem reflexit; & quandocunque id fecit, semper speravit. Quod & hostium probabant insanæ sannæ, & ipse sanctissima professione testabatur. Ps. XXII. 9. 10. Ut & in cœna novissima. Mat. XXVI. 28. 29. ubi poculum distributum eo pacto fecit sacramentum effundendi sanguinis sui, in qua ἁμαρτιοχωρίᾳ bibendum ipsi erat poculum iræ: ut mox subjungat, fore, ut fructum vitis novum bibat cum suis Apostolis, in regno Patris sui. Tantum denique ab omni murmure abfuit, ut non potuerit se absolutius decreto numinis, & scripturarum vaticiniis, submittere. Joh. XVIII. 11. *An non bibam poculum, quod dedit mihi pater?*

Nec in precibus quicquam jure carpas.

XXX. Major difficultas in Christi *precibus* est, quomodo iis sua constet & *Sapientia*, & *Pietas*? Quæ enim sapientia est, tanto opere, ac ter repetitis vicibus, calicis illius translationem petere, quem tibi ex decreto Dei,

Dei, tuoque pacto, funditus ebibendum noris, & ad quem ebibendum ipse in mundum venisti? Quæ pietas etiam, tale voluntatis tuæ desiderium exponere, quod consilio ac voluntati Divinæ adversa fronte refragari videatur? Et qui pote est, ut hinc absfuerit error, quum, Christus ipse, dum se corrigit in posteriore orationis parte, in priore se modum excessisse fateatur? Sed nec hic nobis apologia pro Domino deest: qua profecto non indigeret, si nos ipsi ea qua par est sapientia ac pietate de actionibus ejus arbitraremur.

XXXI. Nimirum *tres* hic distincte *volitiones* considerandæ veniunt, binæ *Christi hominis*, tertia *Dei*: quæ in sua singulæ objecta, diversimodis quidem, sed sapienter omnes, & sancte, feruntur. *Prima* Christi, qua *veri hominis est*: appetitus nimirum ille naturalis, tendens ad bonum suum & immunitatem ab omni malo. Intellectus Christi vere & sapienter æstimabat diritatem malorum sibi imminentium, quorum jam sensu aliquo tangi incipiebat. Eam porro inclinationem naturæ hominis Deus ipse indidit, ut horreat ac refugiat mala, quatenus ea sibi novit incommoda esse. Neque Christus fratribus suis per omnia similis, atque adeo verus homo fuisset, nisi exhorruisset ad atrocia ista mala, qua talia. Hanc voluntatis suæ naturalem inclinationem exponit, quum petit, ut, si possibile sit, calix iste transeat, considerans eum ut injucundum admodum, atque amarum. Quæ inclinatio & *Sapiens* & *Sancta* est; quippe *Naturæ*, *Rationi*, & utriusque auctori *Deo*, consentanea. Eph. v. 29. *Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, imo enutrit ac fovet eam.*

XXXII. Cæterum præter illum adspectum *incommodi*, alium quoque mala Christi ingruentia habebant; videlicet rationem *medii*, *a Deo destinati*, ad promotionem gloriæ suæ in salute electorum, atque hactenus non mala erant, sed bona, atque appetibilia. Hinc orta *altera* Christi volitio, a priori diversa, non adversa. Quia objectum sub alia *σχέσει* nunc intellectui & voluntati obversabatur. Quod enim, *qua malum*, horrebat & aversabatur, idem illud *qua medium*, *Divinitus*, ad summi boni consecutionem *destinatum*, atque *Dei* ita *voluntati consentaneum*, ipse quoque volebat. Neque dubium est, quin & id *Sapienter*, ac *Sancte*. Sapientiæ est, media, licet difficilia, ad magni boni consecutionem lubenti animo adhibere, præsertim si hæc sola sint, & unice conducibilia. Sanctitatis est, affectus omnes *naturæ* subjugare ad *obsequium Dei*.

XXXIII. Non alienum a re præsenti est exemplum ab ægro petitum. Cui si quis offerat amarum absinthi laticem, vix est ut non exhorrescat ad pocula tetra medentum, malitque ea non haurire. Idem tamen, expendens potionem istam ad salutem sibi utilem fore, & gratias Medico agit, & magno fastidiosum haustum mercatur, & appetitum naturæ ad patientiam rationis domat. Eodem modo Christus poculum

sibi oblatum, *qua amarum* considerans, transferri expetit. Idem vero poculum attendens *qua salutare suis*, non vult illud non epotum transire. Atque ita *voluntate* sua *absoluta*, quæ *Rationis* est, ad omnes circumstantias attendentis, *voluntatem* suam *conditionatam*, quæ *Naturæ* est, malum qua incommodum refugientis, limitat; ut utraque *Divinæ* consonet.

XXXIV. Verum enimvero inanis & puerilis prorsus captiuncula est, errorem aliquem arguere ex correctionis formulis ἀλλὰ. πλὴν. quibus Evangelistæ Christum usum esse testantur. Quod enim ex *correctione Logica*, & *Ethica* concludi potest, male infertur ex *Rhetorica*. *Logica* pro *falso*, *verum*: *Ethica* pro *malo*, *bonum* reponit. *Rhetorica* autem non est emendatio ejus quod male dictum erat (male enim quicquam dici ars illa vetat) sed additio ejus quod expressius, & efficacius, & limitatius est, ac id quod magis indifferens, ac minus proprium est. Illius instar habemus 1 Cor. XV. 10. *Amplius laboravi quam omnes: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est.* Ubi correctio non verum pro falso reponit: sed id quod vere, attamen minus plene, dictum erat, exponit: & limitat. Nam & ipse laboraverat, sed sub præsidio Divinæ gratiæ. Pariliter & hic: correctio Christi non est emendatio erroris, sed remotio conditionis antea positæ, & declaratio diserta, quod *voluntatem* illam *conditionatam*, quæ, ex recto sui amore, perpessionum tristitatem refugiebat, *absoluta voluntate*, quæ omnibus rite pensitatis eligebat, *voluntati Patris* submitteret.

Angoris Christi caussæ.

XXXV. CAUSSÆ tanti in Christo angoris tres potissimum esse videntur. *Prima est ira maledictionis Divinæ*, ipsi ob peccata nostra jam incumbentis, & porro incubituræ, *gravitas*. Gal. III. 13. Jes. LIII. 6. 7. Premebant eum peccata non unius alicujus hominis aliqua, sed omnium electorum omnia, pro quibus, ex suscepto sponsionis officio, ad ultimum nunc sibi quadrantem satisfaciendum esse videbat. Videbat formidabile Dei tribunal, cui sistendus erat, *ut quæ non rapuerat solveret*: Ps. LXIX. 5. Judicem incomprehensibili vindicta armatum: Legem execrationum fulmina vibrantem; Justitiam ad extremum rigidam atque inexorabilem. In quas cogitationes quum tota Christi mens eo tempore defixa fuerit, fieri aliter non potuit quin gravissime iis angeretur. Nihil & *objecto* illo, quod Christo tunc ob oculos versabatur terribilius est: nihil etiam *efficacitate* ea validius, *qua* terribile illud objectum animo Christi *ingerebatur*.

XXXVI. *Objectum* ipsum quod attinet, in eo omnes horribilitatis numeros, quasi in unam collectos summam, inveniri, hoc pacto demonstrari potest. Maledictio singulis singulorum hominum peccatis denunciata, pœnam infinitam necessario in se includit, ob infinitudinem Majestatis adversus quam perpetrantur. Omnium autem electorum maledi-

maledictio Christo imposita fuit. Si quid igitur esse posset infinito infinitius, poena illa, quae Christo, subeunda proponebatur, excedebat infinitatem ipsam propemodum infinite. Quis enim vel sua peccata numerare, vel omnium electorum numerum inire queat; Et hoc est quod dicit Ps. XL. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meae ut non possim videre, multiplicatae sunt prae capillis capitis mei, & cor meum dereliquit me.* Iniquitates *suas* vocat, non quas commiserat, sed quas sponsione in se susceperat.

XXXVII. Porro non solum mens Christi sua sponte se ad objecti tam horribilis contemplationem appulit; sed & *Deus* ipse potentiae suae *efficacitatem adhibuit*, ut terrore isto penitissimae animi partes imbuerentur. Id enim flagitavit relatio judicis, ut tanti mali diritas menti Christi ab ipso numine objiceretur. Quae circa corpus fiunt, administrari possunt hominibus. Conscientia sensu doloris torqueri satis non potest, ut justitiae Dei satisfiat, nisi justitia ipsa Dei sese intus revelante. Ipse Deus *proprio filio non pepercit.* Rom. VIII. 42. ipse *percussit eum.* Zach. XIII. 7. coll. cum Mat. XXVI. 31. ipse *eum pro nobis peccatum fecit.* 2. Cor. V. 21. ipse הִפְגִּיעַ *fecit incurrere in eum*, quasi agmine facto, *peccata nostra.* Jes. LIII. 6.

XXXVIII. Accessit & *altera* angoris caussa, *subjectio ad potestatem tenebrarum.* Luc. XXII. 33. non quidem ad *victoriam*, at certe ad *vexationem* ac *luctam* gravissimam. Princeps hujus mundi, Diabolus, facultate a Deo impetrata, cum omnibus copiis suis infernalibus, in Christum movebat: Joh. XIV. 50. hominibus tanquam satellitibus suis, ad corpus, &, qua fieri poterat, animum, lacerandum, abutens. Sed ipse animo praesertim insidiabatur, quem ingestis inferorum cruciamentis territabat, si quo pacto fidem Christi tentationibus suis labefactare posset, atque ita salutem nostram intervertere, vel saltem eum qui illam procurabat pessimis vexare modis. Jus certe aliquod, per peccatum, in totum genus humanum acquisiverat, cujus respectu peccatores *captura justi* dicuntur. Jes. XLIX. 24. Proinde quum *redimendi* essemus *in justitia*, censuit Justus judex universi, ut, quicquid juris in electos peccatores Diabolus acquisiverat, id in Christum exerceret: mortis ei aculeum altissime cordi infigendo. Juxta sententiam in Paradiso pronunciatam, *Tu conteres ei calcaneum.* Gen. III. 15.

XXXIX. Sed nec *tertia* caussa defuit, quod nimirum in omnibus hisce difficultatibus *a Deo Patre suo derelictum* sese senserit, orbatus nunc suavissimae illius gratiae, qua antea toties ac tam jucunde gavisus erat, influxu, idque eo nunc tempore, quo, multo magis quam olim, ea indigebat. Hinc lugubris ille questus. Ps. XXII. 2. 3. Mat. XXVII. 36. Huc referendae sunt *tenebrae* in crucifixione Christi factae, analogae *tenebris exterioribus*,

terioribus, quibus damnatio, omnis consolationis exsors, comparatur. Mat. XXII. 13. Nihil enim in facris nostris frequentius est, quam ut mœroris tempora *dies tenebrarum & caliginis*, *dies nubis & obscuritatis*, dicantur. Joël. II. 2. Vid. Jes. V. 30. XIII. 10. II. Jer. XV. 9. atque alibi sæpe. Miraculosæ ergo hæ tenebræ, non in oculos solum Christi, sed & in animum incurrerunt; sensitque se a Deo, fonte lucis & lætitiæ, desertum, non minus quam terra solis lumine orbata erat.

Usus hujus doctrinæ practici. I. Ad excutiendam securitatem.

XL. Nunc tandem quem USUM nobis harum rerum meditatio præbere queat, expendamus. Et facit sane ad *excutiendum carnalis securitatis torporem.* Nusquam enim peccati atrocitas, & iræ Dei adversus peccatum severitas, luculentius, quam in Christo ad inferos descendente, cernuntur. Ito, peccator, ad montem Oliveti, vide Christum in pulvere volutantem, fortem illum ac magnanimum heroëm humi procumbentem, generosum illum de tribu Juda Leonem in terram prostratum: audi eum qui afflictarum mentium unicum solamen, atque adeo Deus lætissimæ exsultationis nostræ est, de mœrore, quo undique cinctus sit, lugubrem in modum conquerentem: vide grumos illos sanguinis, quibus, præ incredibili animi angore, sanctissimum corpus ejus deturpatur: audi deprecationes illas, cum lacrymis & clamore valido, surdo nunc Patri oblatas: & quære ex Christo, quænam demum tam immensæ anxietatis caussa sit, quum nullæ adhuc hostiles turmæ, nulla vincula, flagella nulla, non accusatores, non judices, non crux ulla præsto sit; sed ipse in horto amœnissimo, nec procul a fidis discipulis: discesque, peccata, illa ipsa quæ tu tam levia hactenus censuisti peccata, tantorum ei caussas esse dolorum. Ea, nunc Christo imposita, adeo eum presserunt, depresserunt, tantum non oppresserunt. Et quisquam præsumat, vel nullam, vel leviculam admodum pro iis expiationem aut satisfactionem sufficere? Non certe, homo, non satisfeceris Deo, *etiamsi cum holocaustis ante Deum venias*, *aut vitulis anniculis*, *aut millibus arietum*, *aut myriadibus torrentium olei*: non si vel *primogenitum pro defectione tua dederis*, *& fructum ventris tui pro peccato animæ tuæ.* Mich. VI. 6. 7. Vide, vide sodes, iterum atque iterum vide, quam acerba Christo acciderint, quum luenda ipsi Electorum incumbebant crimina.

XLI. Sed tu quis es, mortalium omnium stultissime, qui omnis cum Christo communionis prorsus exsors, sed prave securus, hilaria quotidie agitas, genio indulges, corpus ad mollitiem curas, nihil tibi denique vetitæ voluptatis reliquum facis? Quum Christum nunc plorantem audis, tu quoque *fleto*, *& ejulato propter ærumnas tibi superventuras*, Jac. V. I. *De risu* dehinc *dicito*, *insanit*: *& de lætitia*, *ecquid illa facit?* Eccl. II. 2. certus *ex risu etiam animum dolere*, *& finem lætitiæ mœrorem esse.* Prov. XIV. 13. Quid spumanteis mero pateras sectaris, quum illud

illud te Divini furoris poculum maneat, cujus *vinum est turbidum, plenum mixtione, ex quo fudit, cujusque fæces omnes omni improbi terræ exsugendo bibent?* Ps. LXXV. 9. Noli dubitare, *depluet* super te *Dominus prunas, ignem, & sulphur: ventusque procellosissimus portio calicis tui futurus est.* Ps. XI. 6. Quid in tuis tibi maleficiis plaudens oblatranti conscientiæ nescio quam offam objicis, omnesque inferorum, ad quos præcipitem te ferunt vitia, cogitationes, quantum pote, expectorans, cœlum tibi stulte polliceris? Quo tu te fastuosius in cœlos adscensurum jactas, eo tibi trucius responsabit Deus; *Imo vero in infernum dejicieris, ad latera foveæ. Deducetur in infernum fastus tuus, strepitus nabliorum tuorum, substernetur tibi lumbricus, & obteget te vermis.* Jes. XIV. 15. II. Quid tu tibi de precum tuarum exauditione imaginaris, ubi forte libuerit vacaveritque e doloris lectulo supplicia Deo dedicare? Ego jam exemplo Christi monitus, quid responsi accepturus sis, non vanus vates prædico. Hæc erunt irati Numinis non verba, sed fulmina: *Quandoquidem invitavi & renuistis, —— Ego quoque in calamitate vestra ridebo. —— Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane quærent me, nec invenient.* Prov. I. 24 —— 28. Atque ita te a Deo desertum, a Diabolo vexatum, a conscientia excarnificatum, occupabunt tenebræ desperationis, mox mortis, denique infernales, extremæ, æternæ. Utinam hæc, ex Christi patientis horroribus, non fallaci ratiocinatione, collecta, animos hominum carnaliter securorum valide percellant: antequam tempus gratiæ, & hora visitationis, ac salutis, ipsis aliud agentibus elabatur!

XLII. Iis autem qui Christi sunt eadem hæc anxietatum ejus meditatio prolixam *consolationis* materiam suppeditat. I. *Inferos pro iis Christus subit, ne ipsi eos subeundos haberent. Introivit in aulam validi illius armati,* Diaboli nempe, sed *validior illo; totamque armaturam ejus qua confidebat sustulit, & spolia ejus distribuit.* Luc. XI. 21. 22. O incredibilem Domini nostri pietatem! O amoris viscera! Ipse in profundissimam se infernalium dolorum abyssum induit, ut nos, per *sanguinem* sacratissimi *fæderis, vincti emitteremur e cisterna in qua nullæ aquæ,* nulla vel minimi solatii guttula est. Zach. IX. 11. Non est quod nunc ad insultus Diaboli trepidemus: dum ipse Christo calcaneum, ipsi Christus contrivit caput. Gen. III. 15. II. Ad Consolationem.

XLIII. II. *Cœlestem iis impetravit gloriam.* Ipse sanguineum propter nos profudit sudorem, ut in frigido mortis sudore intrepidus nobis ad Deum accessus detur. Ipse ex calice passionis fæces iræ divinæ bibit, ut poculum Divinæ gratiæ exuberans nobis sit. Ps. XXIII. 5. nobisque uberrime expleri liceat pinguedine domus suæ, & bibere de torrente deliciarum ejus. Ps. XXXVI. 9. Ipse cœpit pavere & contremiscere, ut nos coram Dei judicio imperteriti consistamus. Rom. VIII. 33. 34. Pro peccatis nostris in faciem procidit, ut nobis capita nostra

extollere liceat. Luc. XXI. 28. Ipse deprecationes suas quasi surdo Numini occinuit, ut nos in nostris, quas in nomine ipsius concepimus, semper exaudiamur. I Jo. V. 14. Ipse a Deo desertus est, ne nos unquam deseramur. Jes. XLIX. 15. Ipse denique quum ad inferos descenderit, hinc cœli nobis maxima porta patet. Et quo descensus ejus humilior fuit, eo subliminorem necesse est gloriam eam esse quam nobis meruit.

XLIV. III. *Fecit ut ne in ipsis quidem trepidantis animi angoribus solamen suis deesset.* Negari nequit, quin & piis nonnunquam sua tenebrarum hora sit, qua & a Diabolo vexentur, & terroribus inferorum excrucientur, & a Deo se relictos quiritentur: attamen & tum habent, quo se angoribus Christi Consolentur. I. Nihil enim ipsis accidit, quod non antea Domino; cujus imagini conformes illos esse par est in afflictionibus, ut & sint in gloria. Quid indecentius est, quam ut Christo, calicem illis suum propinanti, respondere abnuant? II. Omnis maledictionis aculeus per Christi angores ipsorum angoribus exemptus est; quibus non exponuntur a Deo, ut irato Judice, ad pœnam; sed ut Clementi ac Sapienti Patre, ad exercitium Fidei, Patientiæ, Spei Charitatis: *ut desiderium crescat, ut probetur affectus, ut amoris negotium exerceatur. Bernardus in Cant. Serm.* LXXV. *Non deserit, ut deseratur: sed deserit ne deseratur: & videtur deserere, quia non vult deserere.* III. Cum triumphato per Christum hoste res ipsis est. Neque potest non gloriosum iis esse certamen, ex quo *plus quam victores* prodibunt. Rom. VIII. 37. Post tenebras lux orietur. Mich. VII. 8. Sævam hanc tempestatem placida excipiet serenitas, eo jucundior, quo atrocior fulminum, nimborum, procellarum furor fuerit. Jes. LIV. 11. IV. Ipsa denique conditionis istius acerbitas, insequentia, tam gratiæ, quam gloriæ, gaudia, suaviora faciet. *Placet cunctis securitas; sed ei magis qui timuit. Jucunda omnibus lux; sed evadenti de potestate tenebrarum jucundior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat. Bernard. in Cant. Serm.* LXVIII.

III. Ad Informationem.

XLV. Tandem ex Domini exemplo *discito, quo te modo in angoribus istis constitutus gerere debeas.* I. Ne nimium secreta loca affectes, amica mœrori, qui sensim infelicis animi prava quædam voluptas fit. Sed postquam in abdito querelas tuas in Dei sinum effudisti, identidem ad familiares & necessarios tuos redi. II. Indefessus tunc esto in precibus: Ps. LXI. 3. quarum formulam quandam Ps. LXXVII. & LXXXVIII. CII. aliique exhibent. Aliam anxiæ illiusmodi animæ apprime idoneam, & supra modum patheticam, *Thomas Godwinus* dedit in aureo libello de *Filio lucis qui in tenebris ambulat. Part.* II. *Instructione* IX. III. Procul omni murmure, abnegato carnis ratiocinio, propriæque voluntatis impetu, totum te Deo trade, illiusque supremæ, sapientissimæ, optimæ voluntati vota semper tua submitte. Protestatus, desiderare quidem te,

ut,

ut, si fieri possit, calix iste removeatur: non tamen recusare, quin, si ita fatum ferat, totum ebibas; modo id gloriosum Deo, & tibi tandem salutare sit Mich. VII. 9. IV. Denique in patientia ac fide exspecta, ut is, qui Christi precibus exauditis tandem *ipsum metu liberavit*, Heb. V. 7. hactenus ut & vires ei ad dolores sustinendos suffecerit, & calamitatum omnium victorem effecerit; tuis quoque condolens ærumnis, sua te consolationum ubertate focilles. Mich. VII. 7. Jes. VIII. 17. Redibit enim, redibit aliquando, qui procul nunc stare videtur, & *medium fortassis orationis tuæ cursum interrumpens, animæ desideranti festinus se ingeret, cœlestis rore dulcedinis circumfusus, unguentis optimis delibutus, fatigatam recreabit, esurientem reficiet, aridam impinguabit, & inebriando sobriam reddet* uti propemodum *Augustinus, de scala Paradisi*, Cap. IV.

EXERCITATIO XIX.

DE

RESURRECTIONE CHRISTI.

BREVIARIUM.

1. 2. 3. 4. *Ejusdem Messiæ duplex status, alter* Humiliationis, *alter* Exaltationis, *distincte considerandus est.* 5. *Exaltationis subjectum Christus proprie secundum humanam, non nisi improprie secundum Divinam naturam est.* 6. *Exaltationis varii sunt gradus.* 7. 8. *Resurrectio Christi magnum fidei fundamentum est.* 9. 10. *Ejus natura exponitur.* 11. 12. *Gloria corporis Christi post resurrectionem magna quidem in terris fuit, non tamen consummata, qualis nunc est in cœlis.* 13. 14. *Resuscitatio Christi opus est toti Trinitati commune.* 15. *Ob certas tamen caussas frequentius Patri adscribitur* 16. 17. *Est in ea suscitatione Christi demonstratio Divinitatis ejus.* 18. 19. 20. 21. *Observationes circa* Tempus *resurrectionis.* 22. 23. *Quæ memorabilia fuerint in resurgendi* Modo. 24. *Resurrectionis Christi veritas confirmatur.* I. *Rei ipsius evidentia.* 25. II. *Testimonio Angelorum.* 26. III. *Crebris Christi apparitionibus.* 27. *Quæ ob prægnantes caussas non toti populo Judaico, vel etiam senioribus, factæ sunt.* 28. IV. *Apparitionibus, Sanctorum, una cum Christo suscitatorum.* 29. V. *Admirandis plurimis quæ Christum vivere testantur.* 30. *Nihil horum improbe ab Apostolis fictum esse, res ipsa clamat.* 31. *Nec veritati præjudicant nonnulla in circumstantiis* ἐναντιοφανῆ. 32. *Necessaria fuit Christi resur-*

rectio. 33. 34. 35. 36. 37. *I. Ut satisfieret Prophetiis.* 38. *II. Ut implerentur Typi.* 39. 40. *Quibus prophetiis ac typis non solum Christi resurrectio, sed illius tempus prædictum ac præfiguratum est.* 41. 42. *Quia resurrectionem Christi tam Patris, quam Filii gloria exigebat.* 43. 44. 45. *Utilitas ex resurrectione Christi ad nos proveniens.*

Ejusdem Messiæ duplex status, alter Humiliationis, alter Exaltationis, distincte considerandus est.

I. AB omni retro antiquitate *prænuncius qui in Prophetis erat Spiritus Christi declaravit passiones Christo eventuras, & gloriam illas consecuturam.* I Pet. I. 11. Duplex enim Messiæ conditio, altera *Humiliationis*, altera *Exaltationis*, arcanis vatum responsis & symbolicis typorum ænigmatibus, quodammodo delineata, disertiore alibi sermone exposita est. Fuit quum caneret vates: *adsurgit ut tenera planta, & tanquam radix e terra solitaria, non est forma ei neque decor &c.* Jes. LIII. 2. & seq. Sed & auditus est dicere: *ecce prosperabitur servus meus, extolletur, & elevabitur, & altus erit valde.* Jes. LII. 13. Est quum repræsentatur nobis Messias, *ut servus dominantium, quem contemnit quisque, quem abominatur gens.* Est quum idem describitur, ut *constitutus in lucem gentium, & salus Dei usque ad extremitatem terræ, cui reges assurgant, principesque honorem ei habentes se incurvent.* Jes. XLIX. 6. 7.

II. Quas conditionum vicissitudines quum parum scite a se invicem divellerent recentiores Hebræorum Magistri, *binos* nobis *Messias* commenti sunt; quorum alter, *Josephi* per Ephraimum filius, orso & producto aliquantisper salutis nescio cujus opere, male faustam vitæ sortem, &, ut illi loquuntur, חבלי משיח, *dolores Messiæ*, sanguinolenta morte claudens, lampada feliciori traditurus esset, Messiæ nimirum *Davidis* filio, qui domitis circumquaque hostibus, Israëlitisque avito solo restitutis, aurea reducet secula,

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

III. At orthodoxa veritas, uti *unum* duntaxat *Deum*, ita *unum* solummodo *Dei hominumque mediatorem* agnoscit. 1 Tim. II. 5. Sed *unum* illum *in statu duplici*, primum *vilitatis* ac perpessionum, quo salutem nobis *impetravit*, dein *sublimitatis* ac gloriæ, quo impetratam nobis salutem potenter *applicat.* De eodem canitur: *fecisti eum paullisper minorem angelis*, ut nimirum Dei beneficio pro omnibus mortem gustaret: *& gloria ac honore coronasti eum.* Ps. VIII. 6. Heb. II. 7. 8. 9. Unus est Zionis Rex, *justus ille ac salute præditus*, qui primum ad eam *pauper* venit, sed cujus deinde *dominatus protendetur a mari uno ad alterum, & a flumine usque ad fines terræ.* Zach. IX. 9. 10. Utrumque in nostro convenit Jesu: qui & *exinanivit se, forma servi accepta*; iterumque a Deo *in summam elatus sublimitatem est.* Phil. II. 7. 9.

IV. Utriusque status considerationem suavem oppido ac jucundam nobis

nobis esse par est. Nam uti in illo humiliationis, incredibilem Christi, ad imam se ærumnarum voraginem sua sponte demittentis, φιλαδελφίαν cernimus; ita alter, exaltationis, id nobis de Christo repræsentat, quod & illi grati gratulemur, & in quo ipsi nos serio exsultemus. Cui enim non jucunda accidat tam chari Fratris, Sponsi, Capitis, nuper cum tam denso ingruentium malorum agmine conflictantis, lætior quies, ac quasi triumphantis gloria? Gloria, quam non sibi a Patre accepit, sed communicandam cum Fratribus, Sponsa, Membris. Qui propterea *una cum Christo suscitati, unaque in cœlis collocati* esse, dicuntur. Eph. II. 6.

V. Exaltationis *proprie* dictæ subjectum Christus secundum solam *humanam* naturam est. Nam qua verus Deus, ob immutabilem beatitudinem, ac eminentissimam infinitamque perfectionem, decoratur indigitamento עליון, *Altissimi.* Ps. LXXXIX. 28. XCVII. 9. Atque hactenus in forma Dei proprie exaltari, sive altior fieri, non potuit, poteritve. In solam humanam naturam gloriæ incrementum cadit. Quia tamen tantæ altitudinis, quantam sibi Christus exaltatus vindicat, subjectum ἐπιτυχὲς merus homo esse non potest: ideo sub exaltationis nomine connotatur illustrissima Divinæ Majestatis Christi, antea se sub velo servilis formæ occultantis, in humanæ gloria naturæ patefactio, quam orat Joh. XVII. 5.

Exaltationis subjectum Christus proprie secundum humanam, non nisi improprie secundum Divinam naturam est.

VI. Cæterum sicut diversis humiliationis gradibus ad extremum tandem vilitatis terminum descendit: ita & suis quibusdam exaltationis gradibus ad summum gloriæ culmen evectus est. Gradus hi quatuor potissimum in Symbolo enumerantur. I. *Resurrectio e mortuis.* II. *Adscensio in Cœlum.* III. *Sessio ad dextram Dei Patris.* IV. *Reditus ad universale judicium* in nubibus cœli, qui ultimus & gloriosissimus Mediatori muneris actus erit.

Exaltationis varii sunt gradus.

VII. RESURRECTIO Christi magnum fidei nostræ fulcrum sive fundamentum est. *Si professus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo quod Deus eum suscitavit ex mortuis, servaberis.* Rom. X. 9. Eo nobis tibicine subducto, nihil fidei tutum remanet: quicquid de salute spei conceperamus prorsus una corruit. *Quod si Christus non est suscitatus ex mortuis, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris. Nempe & qui obdormierunt in Christo perierunt.* I. Cor. XV. 17. 18.

Resurrectio Christi magnum fidei fundamentum est.

VIII. De ea nunc Christi suscitatione dicturi, *quatuor* nobis capita explicanda sumsimus. I. Ejus *Naturam* ac *Modum.* II. *Veritatem* ac Certitudinem. III. *Necessitatem.* IV. *Utilitatem.*

IX. Ad NATURAM Resurrectionis Christi rite intelligendam necessariæ hæ observationes sunt. I. Quod corpus Christi in sepulcro ab omni corruptione præservatum sit, partim ob brevem in eo moram,

Ejus natura exponitur.

partim virtute aromatum, sed præcipue vi Divinæ ejus naturæ, quæ singulari cura invigilans ab omni id putrefactionis labe immune servavit. Ps. xvi. 10. II. Quod anima, Patri, dum corpore excederet, commendata, ac cœlo recepta, ibi, velut in Paradiso, ab omni labore suo suaviter quieverit: Luc. xxiii. 42. 46. III. Quod statuta vivificationis hora, & corpus, hactenus exanimum, Divinæ omnipotentiæ virtute, ita visceribus, sanguine, spiritibus, cæterisque partibus dispositum sit, ut aptum animæ domicilium foret: & anima e cœlo ad corpus inhabitandum regendumque evocata sit, restituta utriusque partis naturali atque essentiali unione. Hoc vocat D. Jesus *animæ* suæ *reassumtionem.* Joh, v. 17. 18. IV. Quod utraque pars præstantioribus qualitatibus, quæ novæ ac spirituali vitæ conveniunt, aucta atque ornata sit. Anima quidem, luce eximia, sanctitate splendidissima, gaudio ineffabili ac glorioso, ex charitate Dei ardentissima, illiusque jucundissimo sensu. Caro autem, novo gloriæ superindumento: hactenus saltem, ut ilico a resurrectione & *immortalis* fuerit, Rom. v. 9. Act. xxiii. 34. & *spiritualis* 1. Cor. xv. 44. 46. id est, liberata ab omni necessitate terrenarum vitæ animalis functionum, & comparata ad sanctas ac gloriosas functiones vitæ cœlestis.

Gloria corporis Christi post resurrectionem magna quidem in terris fuit, non tamen consummata, qualis nunc est in cœlis.

X. Non tamen gloria corporis Christi, dum in terris morabatur consummata fuit, qualis nunc est, postquam evectus est supra cœlos Phil. iii. 21. Etenim Christus eam aliquantisper obnubilari passus est, indulgens id discipulorum infirmitati, ut, dum iis cum per quadraginta dies conversabatur, non omni suo splendore visibiliter radiaret: quo eum ἀτενίσαι atque intueri possent. Nam cæteroqui splendorem illum multo minus oculis usurpare potuissent, quam Israëlitæ quondam radiantem faciem Mosis. 2. Cor. iii. 7.

XI. Sed & illud benignæ ac sapientissimæ συγκαταβάσεως fuit, quod, ad resurrectionis veritatem evidentius comprobandam, προσφάγιον aliquod flagitaverit: Joh. xxi. 5. quodque Apostoli *una cum eo ederint ac biberint.* Act. x. 41. Non enim id corporis conditioni mortali, aut nutritionis indigæ, sed liberæ radiorum gloriæ suppressioni tribuendum est. Præclare *Augustinus Epist.* xlix. *Futuræ resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibum sumere non potuerit; imperfectæ felicitatis, si cibi eguerit. Sed aliter absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens: illa, indigentia; iste, potentia.* Vult dicere; manducationem hanc fuisse non egestatis, sed potestatis: nec cibum in stomacho concoctum, sed absumtum; ut humorem solis calor absumit.

XII. Neque inglorium corpori Christi est, eritve, post resurrectionem gestasse, &, si volet, ad magnum novissimi judicii diem gestare, vulne-

vulnerum in manibus, pedibus ac latere spectabiles characteres; quippe qui pertineant ad gloriosum ex devicta morte triumphum.

XIII. CAUSSA resurrectionis Christi communiter *Deus* esse dicitur. Act. II. 24. III. 15. IV. 10. Rom. X. 9. atque alibi passim. Speciatim tamen resuscitatio hæc aliquando *Patri* adscribitur. Eph. I. 17. 19. 20. *Deus Domini nostri Jesu Christi. Pater ille gloriæ, exseruit præpollentiam roboris virium suarum in Christo, quum suscitavit eum ex mortuis.* Sed & alibi ipsi *Filio.* Joh. II. 19. X. 17. 18. Nec immerito: *Sicut enim Pater vitam habet in se ipso, sic dedit & Filio vitam habere in se ipso.* Joh. V. 26. Utrique communis est eadem Divina essentia, semper viva, semper actuosa, quæ fons est omnis vitæ viventium extra se, & maxime beatæ istius vitæ quam vivit natura illa quæ tam arcte Divinitati juncta est.

Resuscitatio Christi opus est Toti Trinitati commune.

XIV. Dubitari nequit, quin eadem virtus vivifica *Patris & Filii*, etiam *Spiritus Sancti* sit: non tamen memini in Scripturis legere, quod Spiritus Sanctus, id est, tertia Deitatis persona, Christum e mortuis suscitaverit. Nam Rom. VIII. 11. non Spiritui S. illud vindicatur, sed ei cujus Spiritus in nobis habitat: qui Pater est. 1. Pet. III. 18. Christus quidem *Spiritu vivificatus* dicitur: sed quum Spiritus ibi carni opponatur, convenientius est id de Divina Christi natura intelligere, penes quam est δύναμις ζωῆς ἀκαταλύτου. Heb. VII. 16. Eandem mentem habet 1. Tim. III. 16. *Justificatus est in Spiritu:* ut & Rom. I. 4. *Declaratus est Filius Dei in potentia,* κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, *secundum Spiritum sanctimoniæ* (ita enim verti malim quam *sanctificationis:* ea ἁγιασμὸς dicitur) *per resurrectionem ex mortuis.* Attamen quum Sp. S. jam a prima rerum genesi indigestam mundi molem incubando foverit: Gen. I. 2. & nominatim *Spiritus vitæ* dicatur: Rom. VIII. 2. quumque per eum Deus mortalia corpora nostra vivificaturus sit: ibi: vers. 11. præter omnem rationem illius vis atque ἐνέργεια a suscitatione Christi semoveretur.

XV. Dignum animadversione est, quod multo crebrius resuscitatio a *Patre* quam ab ipso *Christo* facta esse perhibeatur. Cujus rei duplex esse caussa videtur: *primo* ne obscuraretur Divina Christi ad gloriam vocatio: nam ne hunc quidem *honorem*, ut, semel mortuus, semper vivus, & vitæ princeps existeret, *sumere* sibi debuit, sed *vocatus* ab eo accipere, *qui dixit Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Heb. V. 4. 5. *Deinde*, ut appareret, hanc novæ vitæ gloriam, jure ei ac merito suo obtingere, ex sententia Patris, eum justificantis, illamque ei adjudicantis, ex quo satisfecerat judicio Divinæ damnationis. Qua de re ipse gloriatur, post brevem passionum moram futura se consolans gloria. Jes. L. 8. 9. *Propinquus est qui justificat me, quis contendat mecum? En, Dominus Jehovi auxiliaturus est mihi: quis est condemnaturus me?*

Ob certas tamen caussas frequentius Patri adscribitur.

XVI. Sive vero resuscitatio Christi ut a Patre, sive ut ab ipso Christo

Est in ea suscitatione

Christi demonstratio Divinitatis ejus.

sto profecta consideretur, utroque adspectu invictum nobis argumentum suppeditat pro æterna Christi Deitate, atque υἱότητι. Nam quum in suscitatione illa exseruerit se, uti modo ex Paulo audivimus, immensa Divinæ efficacitatis præcellentia, si ea Christus ipse in se excitando usus sit, infinita eum virtute instructum, & sic summi Dei æternum atque ὁμοούσιον Filium esse, claret; qui non minus quam Pater vitam in se ipso habeat.

XVII. Sed neque Pater ipsum excitare potuit, quin palam eum pro Filio suo agnosceret. Quum enim eo nomine a Senatu Judaico blasphemiæ postulatus, & ad mortem damnatus esset, quod intrepide se Filium Dei esse professus fuerat, Mat. XXVI. 46. 65. 66. *parem se faciens Deo.* Joh. V. 18. Pater eum ex ignominiosæ mortis claustro in dias luminis oras reproducens; Senatum Judaicum damnavit, Christum absolvit: veram fuisse Christi de se professionem, illa ex mortuis suscitatione manifestum faciens. Et sic omni modo Christus est *declaratus Filius Dei in potentia, per resurrectionem ex mortuis.* Rom. I. 4.

Observationes circa tempus resurrectionis.

XVIII. Circa resurrectionis TEMPUS quatuor observanda. I. Eam contigisse *Verno anni tempore*, ipso *Paschatis* festo, mense *Abib*, qui a *recenti spica* nomen habet, eo quod in calidioribus istis regionibus eo mense segetes ad vitam necessariæ maturescerent; quemque Deus *sacri anni primum* esse jussit. Exod. XII. 2. col. cum XIII. 4. Et revera D. Jesu e mortuis suscitatio, lætiora ecclesiæ, post longam sævamque hyemem, tempora attulit, novumque gratiæ annum inchoavit, *quo montes pacem populo protulere & colles propter justitiam: adeo ut ubicunque pugillus tritici in terra esset, in vertice montium, fructus ejus se commoveret, ut Libanus, & cives ut herba terræ florerent. Ps.* LXXII. 3. 16.

XIX. II. *Tertio* a morte & sepultura *die*: qui terminus sæpe a Christo prænunciatus, Joh. II. 19. Mat. XVI. 21. XX. 19. alibique crebro, ab Apostolis, resurrectione facta, diligenter notatus est; ad prædictionis veritatem demonstrandam. Placuit Deo tanti temporis in sepulcro mora, quod & longitudine sua certitudini mortis Christi sufficienter attestaretur, & brevitate sua attemperatum esset Dei consilio de Christo a corruptione præservando. Quomodo autem temporis illius ratio putanda sit, diximus Exercit. XVII. Tmemate XXVI. & seq.

XX. III. *Prima die Hebdomadis.* Mat. XXVIII. I. Qua uti cœpta est mundi lucisque creatio, ita sua ex sepulcro proditione novi mundi ac beatioris seculi Epocham eadem die ordiri Dominus voluit: quæ propterea a prima antiquitate Ecclesiæ Christianæ sacra, ac *Dominica* dicta, fuit. Ap. I. 10.

XXI. IV. *Primo* primæ diei *diluculo*, oriente sole, vel jam jam orituro: Mat. XXVIII. I. ut se ostenderet *cervam* illam *auroræ* esse, Ps.

XXII.

XXII. I. quæ nocte senescente, die vix dum emicante, a nexibus suis libera in campos exsiliit, & e latebris suis prodiens diem ex nocte attulit: quippe non solum *stella splendida, & matutina*, Ap. XXII. 16. sed & *sol justitiæ*. Mal. IV. 2. qui *illuminat eos qui sedent in tenebris, & in umbra mortis, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis*. Luc. I. 79.

Quæ memorabilia fuerint in resurgendi Modo.

XXII. In MODO resurrectionis memorabile est I. Quod facta sit cum *terræ motu*. Quod declarat *instabilium rerum, ut puta factitiarum, amotionem, ut maneant quæ sunt stabilia*. Heb. XII. 27. Quum enim moriente Christo *velum ruptum, & inimicitia in carne ipsius abolita*, Eph. II. 15. *deletoque in cruce chirographo*, Col. II. 14. resurgenti veluti apocha a Patre data sit: consequens fuit, ut ea quæ ad tempus διορθώσεως instituta erant quaterentur, locum factura perpetuis ac stabilibus. Quod symbolice isthoc terræ motu significatum est. II. Quod adfuerit *ministerium* gloriosum *Angelorum*. Nam quum πάλιν *rursum, induceret primogenitum in orbem habitabilem, dixit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Heb. I. 6. III. Quod *reliquerit* vestes sepulcrales in sepulcro, videlicet *linteamina. & sudarium seorsim involutum*. Joh. XX. 5. 6. 7. Quo significatum fuit, non egere Dominum ullis funebribus ornamentis, quippe qui induerit immortalitatem; & sublata per Christum pudoris caussa, resuscitatos, vestium loco, cœlesti gloria ornatum iri.

XXIII. Sed & confirmandæ veritati resurrectionis Christi hæc linteorum relictio non parum inserviebat: quod argumentum non ineleganter pro sua ætate *Sedulius* exposuit:

——— Fare, improbe custos,
Responde, scelerata cohors: si Christus, ut audes
Dicere, concluso furtim productus ab antro
Sopitus jacuit, cujus jacet intus amictus?
Cujus ad exuvias sedet Angelus? anne beati
Corporis ablator velocius esse putavit
Solvere contextum, quam devectare ligatum?
Quum mora sit furtis contraria. Cautius ergo
Cum Domino potuere magis sua lintea tolli.

Atque ita nunc insensibiliter devenimus ad *Alterum* tractationis nostræ Caput, de VERITATE ac CERTITUDINE Resurrectionis Dominicæ: porro nunc nobis adstruenda.

Resurrectionis Christi veritas confirmatur, I. Rei ipsius evidentia.

XXIV. Et primo quidem rei ipsius Evidentiam contemplemur: quæ etiam pervicacissimorum incredulitati edomandæ sufficit. Male sibi conscii Judæorum primates, & metuentes a vaticiniis Christi, instituerunt apud Pilatum, ut sepulcrum in diem tertium muniretur, ne qua vel vis vel fraus crucifixum inde eximeret. Ipsi profecti sepulcrum quam fieri potest sollicitissime muniunt, lapidem obsignant, custodiam apponunt.

Interim quum lucescere inciperet in tertiam a morte diem, ingenti tremore terra quatitur, cœlestis genius e sublimi descendit, saxum a sepulcri ostio devolvit, ipse saxo insidet. Tantus autem vestimentorum candor erat, ut nivem ipsam anteiret: tantus faciei splendor, ut fulgur potius quam fulgorem dixeris. Vident eum a Judaica improbitate appositi custodes, sed timore exanimati in terram procidunt. Interim, nemine prohibere auso, vivus prodit Jesus, eoque sese confert ubi primum suis apparere instituerat. Custodum aliquot paullatim ad se reversi in urbem properant, primariis sacerdotum ea quæ gesta erant narraturi. Impetrant ab invitis fidem. Attamen, quum primates ab aliis credi nollent, quod nimis quam verum esse animus iis dictabat, magna nummorum vi ad aliena ac frigida commenta milites corruperunt, ut mentirentur, discipulos nocte venisse, ac dormientibus custodibus, Jesum suffuratos esse. Mat. XXVIII. Hæc omnia, quæ non in angulo aliquo gesta sunt, sed in urbe totius Judææ frequentissima, nonne talia sunt, ut, si vera non essent, a nemine fingi aut divulgari potuerint, eo imprimis tempore ac loco, quibus gesta esse perhibentur, imo viventibus ac rerum potientibus iis quorum intererat ne vera existimarentur?

I. Testimonio Angelorum.

XXV. Accedit *Angelorum testimonium*, qui nequicquam frementibus militibus, vacuum Domini sepulcrum mulieribus ostentant, resurrexisse eum testantes, & in Galilæam præire, ubi eum visuræ sint. Mat. XXVIII. 6. 7. Luc. XXIV. 4. 7.

II. Crebris Christi apparitionibus.

XXVI. Sed quid validius crebris illis Christi redivivi *apparitionibus*? quibus fidem, etiam a maxime incredulis amicorum, extorsit. Has Petrus urget, Act. X. 40. 41. & Paulus. 1 Cor. XV. 5. 8. Eas *undenas* in sacra invenimus historia, ante Christi in cœlos adscensionem: *quinque*, ipso Resurrectionis die: & *sex*, sequentibus diebus, quarum tamen ordinem exacte ubique determinare non possumus. I. *Mariæ Magdalenæ* soli, apud sepulcrum. Marc. XVI. 9. Joh. XX. 14. 18. II. *Mulieribus*, a sepulcro regressis Mat. XXVIII. 9. 10. III. Duobus discipulis, *Cleopæ*, & ejus *socio*, euntibus Emmauntem. Luc. XXIV. 13. 31. IV. *Simoni Petro* soli. Luc. XXIV. 44. V. Apostolis, collectis in Jerusalem, excepto *Thoma*. Luc. XXIV. 26. Joh. XX. 19. Collegium hoc Apostolicum Marcus τοὺς ἕνδεκα, *Undenos*, cap. XVI. 14. Paulus, τοὺς δώδεκα, *Duodenos*, 1 Cor. XV. 5. vocat. Nam collegia prima sui institutione ad certum numerum restricta, ut *Septemvirorum*, *Decemvirorum*, & similia, postmodum, licet vel deficiente numero vel aucto, veterem appellationem retinent. Quomodo & Athenarum Rectores a Xenophonte vocantur XXX. postquam cæso Theramene non nisi undetriginta supererant. VI. Octiduo post *omnibus discipulis* insimul, *Thoma* etiam præsente. Joh. XX. 26. VII. Ad mare Tiberiadis, *septem discipulis* piscantibus. Joh. XXI. 1.

VIII. *Undecim discipulis*, in monte quodam Galilææ, ut constituerat iis Jesus. Mat. XXVIII. 16. IX. *Plusquam quingentis Fratribus simul.* 1 Cor. XV. 6. X. *Jacobo* seorsim. ib. vers. 7. XI. Ipso die adscensionis, *omnibus Apostolis* simul, in monte Oliveti. Post adscensionem in cœlos, *Stephano* quoque visus est. Act. VII. 55. & *Paulo*, 1 Cor. XV. 8. col. cum Act. IX. 3. 17. 1 Cor. IX. 1. & *Johanni* frequenter in Apocalypsi, quamvis ea visio magis *Ecstatica*, & *Emblematica*, quam *Corporalis*, & *Personalis* fuerit.

XXVII. Nec jure exegeris, ut Dominus se toti populo Judaico, in templo, aliave panegyri, vel saltem Pontificibus ac Senioribus populi, redivivum sisteret. Nam I. Ipsum actionum suarum Dominum esse par est, quarum rationem sibi soli constare sufficit. *Non respondet de omnibus rebus suis.* Job. XXXIII. 13. II. Populus Judaicus cum senioribus suis tempus gratiæ proterve spreverat: jam dies erat judicii, ac severitatis, & occultationis Divinæ faciei ab ipsis, juxta comminationem: Mat. XXIII. 39. *Dico vobis, nequaquam videbitis me ab hoc tempore, usquedum dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* III. Tempus erat dedocendi Seniores fastum illum, quo se efferebant super populum Dei, & docendi e contra conditionem Regni Christi Spiritualem prorsus ac cœlestem, quæ nec humana nititur auctoritate, nec humano indiget præsidio, aut patrocinio. Maluit Deus, per plebejos homines tantæ rei historiam mundo innotescere, quam per *Principes hujus seculi: ne fides nostra consisteret in sapientia*, vel auctoritate, *hominum, sed in potentia Dei*. 1 Cor II. 5. IV. Exercere Dominus suorum fidem voluit: juxta illud, *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Joh. XX. 29.

Quæ ob prægnantes caussas non toti populo Judaico, vel etiam Senioribus, facta sunt.

XXVIII. Sed & Sancti illi κεκοιμημένοι, qui *monumentis post resurrectionem Christi egressi, in civitatem Sanctam venerunt, & apparuerunt multis*, Mat. XXVII. 52. 53. invictum suscitati Christi argumentum suppeditant. Sive enim Veteres illi fuerint, ut Adam, Noah, Abraham cum Filio ac Nepotibus, David &c. sive recentiores, ut Simeon, Hanna, Zacharias, Johannes Baptista, aliive tum temporis noti; indubie de resurrectione Christi testati sunt, eamque suæ resurrectionis caussam agnoverunt. Ideo multis apparuerunt, *ut ex eorum resurrectione*, ait *Euthymius*, *alii certiores redderentur & de resurrectione illius* (nimirum Christi:) *cogitantes, quod qui hos suscitavit, multo magis se ipsum suscitavit.* Neque modo veritas resurrectionis Christi hoc argumento comprobata, sed & illius efficacia demonstrata est. *Euseb. Emissenus, Homil.* VI. *Pasch. Regrediens Christus post diem tertium fructus secum triduanæ peregrinationis viventibus reportavit, & ut omnes eum de inferis regredi crederent, testes secum ad superos & præcones subactæ mortis exhibuit.*

IV. Apparitionibus Sanctorum, una cum Christo suscitatorum.

XXIX. Taceo nunc visibilem effusionem Spiritus Sancti die Pentecostes, & dona linguarum, & miracula ab Apostolis in ejus nomine edita,

V. Admirandis plurimis quæ Christum vivere testantur.

edita, & Evangelii cursum, quod est *sceptrum roboris ipsius Zione emissum*, Psal. cx. 2. & efficacitatem Spiritus sui vivifici in cordibus electorum, & destructionem Idololatriæ, & eversionem Politiæ Judaicæ, & tutelam admirabilem fidelium, & terribilem hostium vindictam, invitis etiam pectoribus veras voces extorquentem: & quæ id genus plura facile amplificari atque urgeri possunt, ut argumenta Christi viventis, ac rerum in cœlo potentis.

Nihil horum improbe ab Apostolis fictum esse, res ipsa clamat.

XXX. Nec est quod quis contendat, ea quæ ex sacris literis produximus, improbe ab Apostolis conficta esse, vel cæco defuncti præceptoris amore, vel ambitione aut avaritia, vel ut captos superstitione animos consultis dolis ludificarent, vel si quam aliam ea comminiscendi caussam habuerint: quemadmodum *Philostratus* aliquis nescio quem *Apollonium Thyanæum* iis quos voluit coloribus affabre depinxit, & ut Semi-Deum aliquem morti exemptum immortali natura circumvestivit. Non enim profecto, ut ut simplices & ἀκέραιοι, fatui prorsus fuerunt Apostoli: ut quidvis sibi a Magistro, & de ipso, persuaderi paterentur, ea etiam quæ ipsa rerum lux mendacii argueret. Et in hoc negotio ipsi animum inducere nequiverunt, ut Magistrum resurrexisse crederent, nisi postquam irrefutabilibus indiciis debellata erat eorum incredulitas. Nec fieri potuit, ut contra animi conscientiam totam eam scenam commentitiis fabulis instruerent. Quænam enim hæc fuisset demens impudentia, de rebus eopse tempore & loco gestis, apud homines cuncta sollicite observantes, eosdemque rerum dominos, tam petulanter mentiri? Et quæ tandem mendacii merces? Non opes enimvero, non honores; sed contraria omnia, odium plebis & primatum, carceres, flagra, exsilia, mortes dirissimæ. Quæ omnia obsequioso hujus rei silentio redimere potuissent. Hæc ergo nostra est conclusio: *Scimus firmum esse testimonium eorum, qui de his testati sunt, & hæc scripserunt.* Joh. xxi. 24. Aliud certe Philostrati in Apollonio exornando institutum fuit, qui ita commentarium suum instruxit, ut appareat, maluisse eum, lectoribus industriæ atque eloquentiæ suæ admirationem, quam historiæ fidem facere. Qui si sacramento de singulis apud judicem respondere coactus fuisset, satius procul dubio duxisset, artem confiteri, & fictitio Heroi suo renunciari, quam illius caussa exquisitissimas subire pœnas.

Nec veritati præjudicant nonnulla in circumstantiis ἐναντιοφανῆ.

XXXI. Nolim etiam, contrarietates quasdam ex diversis Evangelistarum narrationibus ad totius historiæ fidem labefactandam objici. Nam, uti prudenter a Magno *Vossio* oservatum est, utile fuit, ita ἐναντιοφανῶς scribi ab Evangelistis. Opinio alioqui foret conspirasse eos, &, quod proverbio dicitur, de compacto rem gessisse, ut in velabro olearii solent. Ad hæc, factum id videtur, ad exercendam fidem & sedulitatem nostram. Nam si serio, ut convenit, pensiculemus cuncta, comi-

comperiemus, pugnam in iis eſſe nullam: eam vero, quæ eſſe videtur, non a ſcribentium, ſed legentium vitio, provenire. Quod de ſingulis oſtendere, Exercitationis hujus anguſtia non patitur.

Neceſſaria fuit Chriſti reſurrectio.

XXXII. Ad *tertium* nunc caput transeamus, quod de NECESSITATE eſt. Eam Dominus docet: Luc. XXIV. 26. *Nonne hæc* OPORTUIT *pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam?* Neceſſe autem fuit Chriſtum reſurgere. I. Ut ſatisfieret *vaticiniorum* oraculis. II. Ut complerentur *typorum* emblemata. III. Quia tam Patris, quam Chriſti, intererat, ut victor mortis declararetur.

I. Ut Satisfieret Prophetiis.

XXXIII. *Suſcitatus eſt tertio die ſecundum Scripturas.* 1 Cor. XV. 4. Quæ frequenter & luculente hanc rem prædixerunt. Pſ. XVI. 10. col. cum Act. II. 29-31. Pſ. XXII. 23. Ubi poſtquam preces D. Jeſu in paſſionibus, & paulo ante mortem, enarratæ fuerunt in hæc verba loquens introducitur: *Enarrabo nomen tuum fratribus meis*, (confer Mat. XXVIII 10. *Nunciate fratribus meis*) *& in media congregatione laudabo te.* Confer Act. XXVI. 22. Prophetæ & Moſes prædixerunt, *Chriſtum fuiſſe paſſurum, ac primum ex reſurrectione mortuorum, lucem annunciaturum huic populo & gentibus.*

XXXIV. Adde Pſ. CX. 7. *de torrente in via bibet. Via*, vitæ mortalis curſum notat. Ea torrente interſecatur & abrumpitur. Rapidus *torrens*, ſignificat vehementem perpeſſionum inundationem. *De torrente bibere*, eſt eo inundari, ac tantum non ſuffocari, ſic ut *aquæ ad animam perveniant*. Pſ. LXIX 2. Id poſteaquam Chriſtus fecerit, tum, imo עַל כֵּן *idcirco*, ex pacto Patris, ex condignitate antecedanearum paſſionum, ex merito ſtrictiſſime ſic dicto, *extollet caput*, emerget a torrente paſſionum & mortis, ſecumque emergere faciet membra corporis ſui myſtici, ut participent de ſua gloria, ſicut paticiparunt de paſſionibus.

XXXV. Adde Jeſ. LIII. 8. *Ex coarctatione & judicio*, ex poteſtate ſeniorum populi penes quos *judicium* erat, ex poteſtate *coercente* Romani præſidis, *ex anguſtia* omni, quam tam *Divini*, quam *Humani* Tribunalis judicium ei attulit, *aſſumtus eſt*, in gloriam nimirum. confer Pſ. XLIX. 16. *Et quis enarrabit*, mente concipiet, ſermone explicabit, דורו, id eſt, *tempus vitæ ſuæ*, quæ poſt mortem ſemel obitam æterna erit, & *familiam* ſubnaſcentium filiorum? conf. Pſ. LXXIII. 15. Eodem, niſi fallor, ſpectat verſus decimus: וַיהוָה חָפֵץ דַּכְּאוֹ הֶחֱלִי quod non male in hæc verba Celeberrimus Coccejus vertit: *Et Jehova volentem enervare ipſum infirmavit*, ſive, *ad impotentiam redegit.* חָפֵץ enim aliquando nomen eſt, formæ שָׁלֵם. Vide 1 Chr. XXVIII. 1. Is qui Chriſtum *enervare*, vexare, turbare, &, ſi pote, opprimere, voluit, Diabolus eſt; exercitus infernales, & ſimul gentes ac Judæos, in ipſum inſtigando. Eum Deus *ad impotentiam redegit*, κατήργησε, *abolevit*.

 Heb.

Heb. II. 14. השׁבית, *cessare fecit*. Ps. VIII. 3. ut Christum in morte retinere non potuerit. Porro, *ubi posuerit satisfactionis pretium animæ ejus*, (Christi) *videbit semen*, ipse vivet, & viventes filios conspiciet, *prolongabit dies*, tam ipse, quam semen ejus, *& beneplacitum Jehovæ in manu ejus*, utriusque, Christi & seminis ipsius *prosperabitur*.

XXXVI. Et quid obstat, quo minus huc referamus Zophon: III. 8. *Quapropter præstolamini me, ait Jehova*, ליום קומי לעד *ad diem, quo surgam in perpetuitatem*. Describitur hoc capite conditio Hierosolymæ posterioris, & παρουσία Filii Dei in carne, & qualitas temporis illius, vide vers. 5. 6. 7. *Jehova justus*, is, qui & servus Dei justus, Jes. LIII. 11. & Jehova justitia nostra, est. Jer. XXIII. 6. *in medio ipsius erat. Non faciebat injustitiam*. Sic Jes. LIII. 9. *Matutinis singulis judicium suum edebat in lucem, non desiderabatur*, prædicabat doctrinam de vera justitia, eamque confirmabat testimoniis prophetarum, & operibus plane Divinis. *Docebat interdiu in templo: & totus populus Diluculo veniebat ad eum, ut eum audiret in templo*. Luc. XXI. 37. 38. *At nesciebat injustus pudere*. vide Mat. XXIII. 37. Dein memorantur judicia Dei in gentes, ad commonefactionem Judæorum. Et sane ante adventum Christi Ægyptus debellata erat per Persas: Palæstini edomiti per Græcos: Moabitarum oppida Græcis erepta possederunt Judæi: Iidem Idumæos subjugarunt: Romani, omnes. Tum Deus ἀνθρωποπαθῶς ita loquens introducitur, vers. 7. *Dixi, Certe timebis me, &c*. Conf. Mat. XXI. 37. *Postremo misit ad ipsos Filium suum, dicens: Reverebuntur Filium meum*. Denique convertit se Filius Dei ad suos, quos jubet patienter exspectare resurrectionem suam, quæ erit לעד, *ad æternitatem*, quo sensu ea vox venit Jes. IX. 5. LXV. 18. Vidit hoc *Aberbenel*, qui exponit קימה נצחית, *Resurrectionem perpetuam*. In sequentibus prædicitur, id quod resurrectionem Christi consecuturum erat, videlicet effusio severitatis ac iræ Dei in Hierosolymam, & conflagratio totius terræ, idque per Gentes in Imperium unum, Romanum nempe, congregatas atque associatas: & deinde conversio gentium per prædicationem Evangelii. Quæ prolixius aliquanto repetere visum est, ut lucem aliquam præclaro huic vaticinio, a paucis observato, in usum Auditorum meorum, fœnerarem. Plura in eundem sensum exstant, de quibus nunc dicere non vacat.

XXXVII. Id unum præterire non possum, quod ut attenderemus Paulus fecit. Nimirum Jes. LV. 3. his verbis Deus electos compellat. *Inclinate aurem vestram & venite ad me: audite & vivet anima vestra: & pangam vobiscum fœdus æternum*, חַסְדֵי דָוִד הַנֶּאֱמָנִים *gratias Davidis Fideles*. Colon illud ita explicat & applicat Apostolus: Act. XIII. 34. *Quod suscitaverit eum ex mortuis, non amplius reversurum in sepulcrum, ita dixit: Dabo vobis firmas illas Davidis beneficentias*. *David* hic, ut sæpe in Prophetiis,

tiis, *Christum* significat. De eo dictum erat: 2. Sam. VII. 15. *Benignitas mea non amovebitur ab eo.* & Psl. LXXXIX. 29. *In seculo servabo ei benignitatem meam.* Is autem fidelibus a Deo nominatur uti typus omnium benedictionum, promissarum foedere æterno, in quibus vita beata totius hominis est, quæ suscitationem ex mortuis supponit. Hoc enim ea verba volunt: *Dabo vobis gratias Davidis fideles:* id est, concedam vobis firma illa, stabilia, solida, ac vere beatifica bona, quæ in Messiam contuli. Nullum autem bonum plene beat, nec tam augusto nomine dignum est, a quo resuscitatio corporis sejuncta sit. Consequenter Christum quoque ex mortuis suscitavit Deus. Vis Apostolici argumenti manifesta erit ad quamvis conscientiam, si ad formam syllogisticam, uti Celeberrimus Interpres præivit, hoc modo redigatur. Quem Deus nominat typum omnium benedictionum, atque ita etiam resuscitationis ad vitam æternam, illum resuscitavit ex mortuis, non moriturum amplius. Atqui Christum, sub nomine Davidis, facit typum omnium benedictionum, & resurrectionis ex mortuis: quando dicit, *Dabo vobis gratias Davidis fideles.* Ergo eum suscitavit ex mortuis non moriturum amplius.

XXXVIII. *Vaticiniis* de resurrectione Christi, *Typi* accesserunt. Taceo nunc *Historicos* illos, quos alii observarunt, in *Josepho* ex carcere, *Daniele* ex spelunca leonum, *Sociis* ejus ex fornace ardente, mirabiliter ereptis, & ad maximas dignitates evectis. Unum solummodo *Legalem* exhibere nunc lubet. Levit. XIV. 4-7. In purgatione leprosi jubetur sacerdos sibi sumere duas aviculas mundas; quarum altera erat jugulanda, sic ut sanguis funderetur in vas testaceum super aquam vivam; alteri vero intinctæ in sanguinem aviculæ jugulatæ liber in agrum volatus permittebatur. Isto tum sanguine adspergebatur leprosus. Utraque avicula Christum notabat, sed in statu diverso. *Aviculæ* comparatur Christus, propter alacritatem in exsequendis Dei mandatis, & πολίτευμα coeleste, & quod de loco in locum fugere cogeretur ad evitandas hominum insidias. *Mundæ* autem aviculæ, id est, quæ edi poterat, quia Christus & in se sanctus est, & cibus fit peccatoribus ad vitam. Avicula *mactanda*, notat mortem Christi. Fusio *sanguinis* super *aquam vivam*, non residem, repræsentat passioni ac morti conjunctam obedientiam Christi in charitate non languida, sed scaturiente. Altera avis *viva*, *intincta sanguini*, & sic *dimissa*, Christum ex mortuis redivivum significat, *per proprium sanguinem* in coelum evolantem. Heb. IX. 12. Sanguis autem Christi mortui, sed & redivivi, (ut applicare nobis eum posset,) lepram nostram spiritualem expurgat.

II. Ut implerentur Typi.

XXXIX. Cæterum non ipsa solum resurrectio, & illius *tempus prædictum* atque *præfiguratum est*. *Prophetiam* habemus Hose. VI. 2. *Vitæ resti-*

Quibus prophetiis ac typis, non

solum Christi resurrectio, sed illius Tempus prædictum ac præfiguratum est.

restituet nos post biduum: die tertio excitabit nos & vivemus coram ipso. Non diffiteor id quod res ipsa loquitur, oraculum hoc ad Ecclesiam pertinere, quæ corpus Christi mysticum est: ita tamen ut in capite primum & literaliter veret. Ea fidelium sagacitas est, ut non subsistant in liberationibus externis, sed per eas meditationibus suis ad spirituales adscendant, & per has ad ipsum fontem, qui Christus est, ex morte redivivus. Est in illa Christi suscitatione exemplar eorum quæ obtingunt Ecclesiæ. Sicut ergo ille post biduum vitæ restituendus, tertio die excitandus erat; ita sibi Ecclesia pollicetur, fore, ut post biduum, id est, interjecto pauxillo tempore, lætioribus auspiciis ex calamitate sua resurgat. Nec emphasi caret, quod se Christo in resurrectione jungat. Idem facit Apostolus Eph. II. 9. *Christi* ergo *resurrectionem* hic considerat, ut mysticæ *suæ resurrectionis* ad statum beatiorem *radicem* & *exemplar*. Et præfinitionem *tridui*, uti *instar brevis moræ*, quam in calamitatibus exactura erat.

XL. Nec desunt *Typi*. Non quod quemquam tertio post mortem die, sive in veteri, sive in novo Testamento, suscitatum legamus (hoc enim soli, quantum constat, Christo proprium mansit) attamen figuras hujus rei habeamus, in *Patriarcha*, *Rege*, *Propheta*. In ISAACO, qui tertio post præceptum de eo mactando die patri Abrahamo velut e morte redditus est. Gen. XXII. 4. Heb. XI. 19. in HIZKIA, qui itidem tertio post mortis sententiam die in templum adscendit. 2. Reg. XX. 5. in Jona. Mat. XII. 40.

III. Quia resurrectionem Christi tam Patris quam Filii gloria exigebat.

XLI. Denique resurrectionem Christi flagitabat, tam *Patris* quam *Filii gloria*, quam obscuratam manere jus ac fas Dei non sinunt. De *Patre* signanter Apostolus: Rom. VI. 4. ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς, non solum *ad gloriam Patris*, aut *cum gloria Patris*, sed *per gloriam Patris*, ea id exigente, & sic quasi operante. *Finis* enim non *effecti* solum, sed & *caussæ* rationem habet. Nimirum intererat Gloriæ Patris, ut Filius, qui, ob confessionem Divinissimæ veritatis, injuste a Judæis condemnatus erat, justificaretur; utque promissiones omnes, quæ ex optimæ fidei pacto ei debebantur, postquam conditiones absolutissime implesset, non minus exacte ei præstarentur. Id ni fieret, qui salvæ manerent Patris *Justitia* & *Veritas*? Hoc ipse Jesus urget Joh. XVII. 4. 5.

XLII. De *Filio* per se clarum est. Is morte sua mortem mortisque principem vicit, eumque, dum sepulcro conditur, in extremo regni sui angulo prosecutus, prorsus profligavit. Heb. II. 14. Idcirco *fieri* omnino *non poterat ut ipse a morte detineretur*. Act. II. 24. Habebat in se, qua *verus Deus & vita æterna*, I, Joh. V. 20. *vim indissolubilis vitæ*. Heb. VII. 16. Eam sese in Mediatore, jam per passiones consummato, exserere oportuit. Non poterat aliis esse, quod dicitur Jes. IX. 6. *Pater*

ter

ter æternitatis, nisi id primum esset sibi. Denique talis declarari ac publice demonstrari debuit, qualis est revera, Victor ac Triumphator mortis; id autem qua ratione fieri poterat, nisi resurgendo? ut *novissimus in pulvere staret*, hoste fugato. Job. XIX. 25. Hinc duo illa junguntur: Ap: I. 5. *Primogenitus ille ex mortuis, ac Princeps Regum terræ.* Iterumque versu. 18. *Ego sum qui vivo, sed fui mortuus, & ecce vivo, in secula seculorum, Amen. Et habeo claves inferorum & mortis.*

XLIII. Nunc denique UTILITATEM expendamus, quæ ex Christi resurrectione ad nos redundat. Ea *triplex* potissimum est. I. *Justificatio nostri.* Rom. IV. 25. *Traditus propter offensas nostras, suscitatus ad nostri justificationem.* Deus enim Filium suum e mortis vinculis a carcere, in quem ob debita nostra conjectus erat, manumittens, apocham ei dedisse existimandus est, ipsoque facto declarasse, justitiæ nunc suæ ad ultimum quadrantem esse satisfactum. Quum Christus suscitatus est, eo ipso *justificatus est in Spiritu.* I Tim. III. 16. Non potuit autem justificari, quin nos simul justificaremur in ipso. **Utilitas ex resurrectione Christi ad nos proveniens.**

XLIV. II. *Sanctificatio* nostri. Col. II. 12. *Cum eo suscitati estis, per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis.* Hinc dicuntur fideles *cum Christo resurrexisse*, spiritualiter. Col. III. I. & *coalescere cum eo resurrectionis assimilatione: ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & illi nova vita ambulent.* Rom. VI. 4. 5. Hæc est *vis illa resurrectionis* Christi, de qua Paulus. Phil. III. 10. Ipse enim ex terra prodiens, non factus modo est, uti primus Adam, *anima viva: sed Spiritus vivificus.* I Cor. XV. 45. Vitam non sibi solum accepit, sed & suis: neque modo, ut cum Patre viveret, in cœlis; sed & per Spiritum, in fidelibus. Gal. II. 20. Sicut animales spiritus, e cerebro, per nervos, in totum corpus dispertiti, vitam motumque extremis etiam membris communicant: pari ratione Spiritus vitæ qui in Christo, ut capite, ac fonte, est, arcanis meatibus ad singula mystici corporis membra defluit, novæ in iis, quæque Christo digna sit, vitæ auctor. Nam uti fideles *membra corporis ejus.* Eph. V. 30. ita & *unus* cum eo *Spiritus* sunt. I Cor. VI. 17. Ipseque *eorum vita est.* Col. III. 4.

XLV. III. *Glorificatio* nostri in resurrectione beata. Hanc ex Christi resurrectione deducit Apostolus. I Cor. XV. 12. 13. I Thes. IV. 14. Et merito. Christus enim *primogenitus frater* noster est, nos illius *cohæredes.* Rom. VIII. 17. Si ille ergo vitam & immortalitatem hæreditario jure a Patre accepit, illiusdem nos quoque hæreditatis, nostro loco atque ordine, consortes esse oportet: ut quemadmodum ille *principium & primogenitus ex mortuis* est, Col. I 18. id quoque sit *inter multos fratres.* Rom. VIII. 29. *Primitiæ Christus: postea qui sunt Christi, in adventu ipsius.* I Cor. XV. 23. Præterea, Christus *Caput* nostrum est,

nos illius *membra*. Idcirco non existimaret se integrum vivere, nisi & nos viveremus cum ipso. Hinc ex sua vita ad nostram nos argumentari docuit. 1 Joh. XIV. 19. *Ego vivo, & vos vivetis.* Præiverat Jobus, Cap. XIX. 25. 26. 27. Ad hæc, Christus *secundus Adam* est, a quo non minus *vita* ad suos promanat, quam a *primo mors* ad omnes. 1 Cor. XV. 22. *Sicut enim in Adamo omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Denique, quum idem Spiritus, per quem Deus Christum e mortuis excitavit, in nobis quoque habitet, ecqua dici potest ratio, cur non idem quoque in nobis operetur? Rom. VIII. 11. *Si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis in vobis habitat; is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis.* Nimirum Deus per Spiritum suum auctor suscitationis Christi fuit, quum per omnipotentem suam virtutem in qua vitæ fons est, tum virtute exactissimæ sanctitatis, qua humanam Christi naturam exornavit, omnemque corruptionis caussam, peccatum videlicet, ab ea arcuit. Ps. XVI. 10. Idem quoque in fidelibus efficiet. Primo sanctificando, id est, ad vitam spiritualem excitando animas, deinde etiam corpora, ad vitam gloriosam: quippe quæ, pro sua quoque parte sanctificationis fuere subjecta. Nihil facilius est quam hæc ad Consolationem amplificare: id interim identidem inculcando, non posse sibi quenquam polliceri ex resurrectione Christi gratiam lætæ justificationis, & gloriosæ resuscitationis, nisi & experiatur vim illius ad vigorem vitæ spiritualis.

EXERCITATIO XX.

DE

ADSCENSIONE CHRISTI IN COELUM.

BREVIARIUM.

1. *Summa capita hujus Exercitationis.* 2. 3. *Adscensionis definitio.* 4. 5. 6. 7. *Adscensio personæ Christi competit, proprie quidem secundum solam humanam naturam: sed & figurate, secundum Divinam.* 8. *Observationes circa* tempus *adscensionis.* 9. *Quæ cur facta sit quadragesimo a resurrectione die* 10. *Cur loquente cum suis Jesu.* 11. *Atque adeo, benedicente iis.* 12. *Difficultates circa* locum *adscensionis expenduntur, & removentur.* 13. 14. 15. *Veterum de miraculis hujus loci incertæ narrationes.* 16. *Cur ab Oliveti monte adscendere Dominus voluerit.* 17. *Adscendit autem in supre-*

supremum cælum. 18. *Quod non est Deus, neque ubique, sed determinatus locus in altissimis.* 19. *Quo D. Jesus corpore suo continetur.* 20. *Est itaque adscensio non disparitio, aut glorificatio corporis Christi, sed motus localis.* 21. *Cur Christus* & a Patre *sursum* sublatus, & ipse adscendisse *dicatur.* 22. 23. *Budæi* κρίσις *circa vocem* ἀναλήψεως *laudata.* 24. *Nubes adscendenti Christo subserviens, Divinæ est argumentum Majestatis.* 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Adscensionis Christi* Veritas *confirmata.* 32. Necesse *fuit Christum adscendere.* 33. 34. 35. *I. Ut satisfieret* prophetiis. 36. 37. 38. *II. Ut implerentur* typi. 39. *III. Quia intererat Dei* Patris. 40. *Et* Christi. 41. *Sed* & nostri *quoque.* 42. *Qui plurimum ex Christi adscensione* utilitatis *percipimus: non solum quia Charitas jubet ei* συγχαίρειν. 43. *Sed & quia nostrum hic agitur commodum: tam quoad* consolationem. 44. *Quam quoad* sanctificationem.

ALter Exaltationis Christi gradus est ADSCENSIO In COELUM: in cujus tractatione eandem quam nuper insistentes methodum, quatuor hæc capita exponemus. I. Illius *Naturam Modumque.* II. *Veritatem* ac certitudinem. III. *Necessitatem.* IV. *Utilitatem.* Summa Capita hujus Exercitationis.

II. Quum *adscensionem Christi* dicimus, intelligimus *secundum illum exaltationis gloriosæ gradum, quo quadragesimo post resurrectionem die, corpus jam glorificatum, e terra, & nominatim ex monte Oliveti qua parte Bethaniam spectat, per aërem & visibiles cœlos, spectantibus discipulis, in supremum cœlum intulit: mansurus ibi in gloria usque ad novissimi judicii diem.* Adscensionis definitio.

III. Attende hic I. *Subjectum.* II. *Tempus.* III. *Locum,* IV. *Caussam.*

IV. SUBJECTUM Adscensionis est *Persona Christi* θεανθρώπου, *proprie* quidem, quoad *naturam humanam*, in corpore & anima, quæ humana natura e vicinia corporum inferiorum in viciniam corporum superiorum translata est: sed & *figurate,* quoad *Divinam*; cujus adspectu sicuti *descendisse in terram* dictus, quando præsentem se hominibus ostendit in assumpta carne: Joh. VI. 41. 50. 51. XVI. 28. ita & *in cœlum adscendisse* dici potest, quatenus gloriæ suæ splendorem coruscare facit in ea carne quæ in cœlum nunc subvecta est. Huc retulerim Pauli illud: Eph. IV. 9. 10. *Illud autem, Adscendit, quid nisi quod & descendit prius in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & is, qui adscendit.* Non de omni *adscendente* verum est, eum *prius descendisse.* Moses primo adscendit in montem, & postea descendit. Sed Christum necesse fuit primum descendere antequam adscenderet. Est enim ἐκ τῶν ἄνω, Joh. VIII. 23. ὁ ἄνωθεν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος. Joh. III. 31. quod & Psalmus LXVIII. indicat, ubi com. 8. 9. 12. *Deus & Dominus* vocatur. Porro *descendit* Christus, *non carne*, quam utique cœlo non detulit, sed *manifestatione* Adscensio personæ Christi competit, proprie quidem secundum solam humanam naturam; sed & figurate, secundum Divinam.

Deitatis suæ, in carnem, quam ex Maria virgine adsumsit. Pariter, *idem ille qui descendit, is est qui & adscendit,* eandem Deitatem multo luculentius nunc demonstrans in carne ad thronum gloriæ translata.

V. Hinc & de adscensione Christi Ps. VIII. 2. *Jehovæ, Domino nostro,* cujus *nomen ingens est in tota terra,* accinitur, אשר תנה הודך על השמים, *Quod est collocare Majestatem tuam supra cælos.* Nihil horum non emphaticum est. הוד *Hod,* si vim & originem vocis attendas, significat *claritatem* & evidentiam, quæ efficiat הודות *Hodoth, fateri,* tantum esse in re, quantum est in nomine rei. הוד מלכות, significat dignitatem & Majestatem quæ est in rege, efficiens הודות, ipsi parere, voluntati & edicto ejus assentiri & obtemperare: quod acute profecto a Celeberrimo Interprete observatum est. Istiusmodi *Hod*, Claritas ac Majestas, nemini magis quam summo numini competit, virtutes suas patratione magnificorum operum demonstranti. Ps. CXLVIII. 13. Habac. III. 3. Eam *Majestatem* suam *posuerat olim Deus in terra,* quum habitaret inter *Cherubim super propitiatorio.* Exod. XXIX. 43. Lev. XVI. 2. Psal. LXXX. 2. Deinde *Hierosolymam* totam *solium gloriæ fecit.* Jer. III. 17. non in adyto solum intimoque sanctuario sedem habens: sed passim in tota urbe, & ubivis per plateas Hierosolymæ conspiciendum se in carne audiendumque præbens. Cæterum per adscensionem Christi Majestas Dei collocata est *supra cælos*: nusquam illustrius micans, quam in carne Christi, gloria & honore coronata. Ps. VIII. 6.

VI. Nec ausim iis refragari qui eandem rem arcanis ænigmatum symbolis Ezechieli præmonstratam arbitrantur. Cap. X. Videbat nimirum *gloriam Jehovæ desuper Cherubino se levare ad limen domus,* quæ domus *implebatur nube, & atrium splendore gloriæ Jehovæ.* vers. 4. *Gloria Jehovæ* est *gloria unigeniti a Patre, pleni gratiæ & veritatis.* Joh. I. 14. Ea fuerat antea *super Chrerubinis.* Id est in cœlo. Ezech. I. 26. Inde se levavit procedens *ad limen Domus,* sicuti Rex aliquis qui e throno suo surgens ad portam palatii se ostentat, clementer sui copiam populo faciens. Interim *domus implebatur nube*, quod significare potest habitationem Dei in populo sub specie humili: ita tamen ut per nubem istam radii Divinæ Majestatis emicarent, *atrio impleto splendore gloriæ Jehovæ.* Fuit enim in παρουσίᾳ Christi μεγαλειότης, καὶ τιμὴ καὶ δόξα 2 Pet. I. 19. 17. Eaque in sermonibus prorsus cœlestibus, & factis quibus nihil unquam simile auditum, toti se manifestavit populo. Cæterum eandem gloriam mox videt Ezechiel *exeuntem de limine domus, & stantem super Cherubinis.* vers. 18. Hæc est adscensio Filii Dei e terra in thronum suum. A quo tempore nullum est sanctuarium terrenum, ubi gloria Dei habitet ac quærenda Israëli sit; sed Christus statim invenitur in propatulo, obvius gentibus undiquaque affluentibus, sine templo manufacto. Et hoc est quod

quod vidit Ezechiel in ſymbolo *gloriæ Dei Iſraëlis ſtantis ad oſtium portæ domus Jehovæ orientalis ſuper Cherubinis ſuperne.* verſ. 19. Erat templum ſitum in parte Orientali urbis, eique oppoſitus erat mons Oliveti. Conſequenter id quod ad oſtium portæ Orientalis templi erat, omnium adventantium patebat conſpectui. Et certe hæc duo jungi debuerunt: ut *gloria Dei collocaretur ſupra cœlos, & nomen ejus ingens eſſet in tota terra,* uti modo ex Pſ. VIII. 2. audivimus. Quæ omnia eo adduximus, ut doceremus quo pacto etiam *quoad Divinam naturam* Chriſtus dici queat adſcendiſſe: nimirum quatenus Deitatem ſuam antea demonſtratam in terra, dum uti filius hominis inter homines verſabatur, nunc glorioſiſſime exſerit in carne cœlo illata.

VII. Attamen adſcenſio in ſignificatione ſua propria, prout motum localem notat, ſoli *naturæ humanæ* competit: & quidem nominatim *corpori. Corporis* enim Chriſti illatio in cœlos, definit ac diſcernit eam de qua agimus adſcenſionem ab ἀναλήψει *animæ* Chriſti ſeparatæ in cœlum, antegreſſa reſurrectionem ex mortuis. Iſta, quamvis beata, glorioſa tamen non cenſetur: quia conjuncta erat cum deſcenſione ignominioſa corporis in ſepulcrum.

VIII. Circa TEMPUS adſcenſionis obſervandum. I. Quod facta fuerit *quadrageſimo a reſurrectione die.* Act. II. 3. II. *Eapſe hora* qua comiter *cum diſcipulis loquebatur,* jamque in eo erat ut *iis benediceret.* Luc. XXIV. 50. 51. Neutrum ſterile myſteriorum eſt. Obſervationes circa tempus adſcenſionis.

IX. Sæpiuſcule ſe ſuis redivivum ſiſtere, & prolixo ſatis tempore iiſcum converſari Dominus voluit, ut reſurrectionis ſuæ veritatem confirmatiorem iis faceret, quippe cujus teſtes præconeſque futuri erant per totum orbem habitabilem; atque de myſteriis regni cœleſtis uberius eos inſtrueret. *Quadrageſimus* autem præciſe dies non inconcinne contenditur cum tempore præſentationis ſui in templo. Quemadmodum enim *quadrageſimo a nativitate die* parentes eum Hieroſolymam adductum Domino in ſacra æde ſtiterunt. Luc. II. 22. col: cum. Levit. XII. 2. 4. 6. Ita & *quadrageſimo a reſurrectione,* quæ altera quaſi nativitas eſt, die in templo, ἀχειροποιήτῳ, ad Patrem cœleſtem acceſſit. Accedit quod in *Moſe* & *Elia,* qui comites ei quondam in ſacro monte adſtitere, idem dierum numerus conſecratus ſit. *Moſes* enim *quadraginta diebus* ſine cibo cum Deo converſatus, & non ſolum non enectam macie corporis habitudinem; ſed inſolito prorſus decore, qui adſpectantium oculos præſtringeret, ſplendentem inde reportans, Exod. XXXIV. 28. 29. inſtar aliquod Iſraëlitis exhibuit corporis glorificati, in terra tamen hactenus commorantis. Et ſicut *Elias,* e ſomnio excitatus, virtute cibi ab Angelo ſibi allati, *quadraginta dierum* iter per deſertum abſolvit, donec perveniſſet ad montem Dei Horebum; Deum illic in ſymbolo viſurus, atque auditurus. Quæ curſa ſit quadrageſimo a reſurrectione die.

 1 Reg.

1. Reg. XIX. 5. 8. ita & Dominus Jesus excitatus ex somno mortis, qui, ob eximia commoda inde ad suos redundantia, suavis ipsi fuit; Jer. XXXI. 26. & angelorum ministerio ornatus, per desertum hujus mundi, & speciatim per Judæam inculto heu! deserto simillimam, quadraginta dies obambulavit, antequam in cœlestis Zionis montem se reciperet, æternum adfuturus Patri.

Cur loquente cum suis Jesu.

X. Sed nec illud prætereundum, quod *loquens adhuc* cum suis Jesus *avulsus ab iis sit.* Act. I. 9. Plane quemadmodum euntibus & colloquentibus inter se Elia & Elisæo currus igneus cum equis igneis repente separationem fecit inter utrumque. 2. Reg. II. 12. Adeo ad extremum usque sedulum se Dominus in erudiendis ac consolandis discipulis suis præbuit. Et sicuti vix duodecennis puer docere cœperat, ita nec in cruce destitit; inque eopse opere novissima eum in terris hora deprehendit. Pulchre ad magistri exemplar Calvinus, qui hortantibus amicis ut ægrotus ab omni dictandi vel saltem scribendi labore abstineret: *Quid ergo,* inquiebat, *vultis me otiosum a Domino deprehendi?*

Atque adeo benedicente iis.

XI. Ultimus Christi in terris actus *benedictio discipulorum* fuit. Ita enim Lucas Cap. XXIV. 52. *Sublatis manibus benedixit iis. Et factum est dum ipse benediceret:* &c: Manuum elevatio ritus erat precantium: benedictio autem orationis species est. Alias manus capiti alterius imponebantur pro quo fiebant preces. Gen. XLVIII. 14. Rogabant enim, quemadmodum ipsi manu sua alium protegerent, sic Deus ut protegeret eundem in viis suis. Id autem fiebat, sicubi unus alterve foret: sin major foret coetus, compendio studebant: multarumque impositionum loco erat protensio manuum super capita coetus. Levit. IX. 22. *Tum attollens Aaron manus suas versus populum, benedixit iis.* Eum quoque morem, tum in initio, tum in fine cujusque conventus, usurparunt Christianorum Episcopi. Et in antiquis Constitutionibus quæ sub Clementis nomine leguntur, χειροθεσίαι καὶ εὐλογίαι μικρὰ καὶ μεγάλη, numerantur inter ἔργα ἱερατικά. Vide sodes *Grotium* & *Vossium.* In hoc actu discedendum sibi Dominus existimavit. Partibus suis qua *Propheta* jam erat defunctus, qua *Sacerdos* se ipsum *obtulerat*, nunc piissimus Pontifex *benedictionem* suis impertitur: mox *ingressurus in adytum*, ut fusi vim cruoris repræsentet Patri, utque *Regali* decorus magnificentia in Throno gloriæ considead. Non modo in orbem habitabilem adveniens benedictionem secum intulit; sed & recedens benedictionem post se reliquit. Adeo semper sibi simile benedictum illud semen est: & in recessu non minus quam accessu exoptatissimæ benedictionis scaturigo.

Difficultates circa locum adscensionis expenduntur, & removentur.

XII. LOCUS duplex hic attendi debet. I. *Unde* discesserit Christus. II. *Ubi* appulerit. *Priorem* Sacræ literæ cum quadam loquendi diversitate adsignant. Act. I. 12. dicitur, Apostolos mox post Christi adscensionem

sionem *reversos esse Hierosolymam a monte qui vocatur Oliveti, qui est prope Hierosolymam distans itinere Sabbati.* Iter autem Sabbati constanter definiunt juris Hebræorum consulti per אלפין אמין *bis mille cubitos*, sive, ut alii id exprimunt, אלפין פסיעות בינוניות *bis mille mediocres passus*: qui juxta calculum *Bezæ* ac *Ludovici de Dieu* constituunt *quinque stadia*: quot stadiis ab Hierosolymà montem Oliveti distare auctor Josephus est *Antiqu: Lib.* XX. *cap*, VI. At, Luc. XXIV. 50. narratur ductos fuisse discipulos ἕως εἰς Βηθανίαν. *in Bethaniam usque*, unde in coelum adscenderit. Porro Bethania distat Hierosolymis *stadiis quindecim*: Joh. XI. 18. id est itinere Sabbati triplicato; si Bezæ supputatio non fallat. Cujus ἐναντιοφανείας difficilis profecto solutio est. Non lubet nunc in variarum me induere examen sententiarum, quæ apud suos singulæ auctores videri possunt. Id dicam quod probabilissimum videtur, tollendæque difficultati maxime idoneum. Observandum itaque. I. Vere dixisse Josephum, *montem Oliveti quinque stadiis* distare Hierosolyma, ubi nimirum mons in altitudinem aliquam incipit adsurgere: imas enim montis radices adhuc propiores urbem esse, ac vix quingentis passibus, interfluente Cedronis torrente, distare, illi quoque testantur qui nostris temporibus in regionibus istis peregrinati sunt. II. Accuratius *iter Sabbati* definiri, non *quinque stadiis*, sed *septem cum dimidio*, quemadmodum Syrus pro itinere Sabbati habet, איך שבעא אסטדין *quasi septem stadia*. Qua de re videri possunt *Drusius* & *Lightfootus*, Viri harum rerum callentissimi. Iter ergo Sabbati extendit se ad notabilem alitudinem montis Oliveti, ab radicibus ejus non minus longe fortassis distantem, quam radices ab Hierosolyma. III. *Duplicem* fuisse *Bethaniam*; *alteram*, *oppidum*, sive vicum, aut castellum, ultra montem Oliveti situm, *quindecim ab Hierosolyma stadiis*, de qua Joh. XI. 18. *alteram*, tractum sive *partem montis Oliveti*, contiguum Betphage. Sicut enim בירת פגי *Betphage* tractus Oliveti fuit Hierosolymæ proxime adjacens, ita dictus ob *grossos* illic nascentes; ita etiam בירת היני *Bethania* ejusdem montis tractus est, a *dactylis* ibi frequentibus nuncupatus. Porro ubi Betphage desinebat, ibi incipiebat Bethania. Vide sodes *Lightfootum in Cent. præmissa Matthæo*, *cap.* XXXVII. & *Decade Chorogr. præmissa Marco. cap.* IV. IV. Christum in coelum adscendisse, non ex *vico Bethaniæ*, sed *ex tractu aliquo Oliveti*. Non enim eum selegit locum ubi incolas multos sive alios adscensionis suæ testes haberet, sed in partem aliquam montis solitariam discipulos adscivit, solos istius demigrationis testes futuros. Quibus observatis tollitur omne ἐναντιοφανὲς.

XIII, Narrant Veteres, locum illum in quo postremum institerant Divina vestigia, quum in coelum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuisse, quando Basili- *Veterum de miraculis hujus loci incertæ narrationes.*

Basilicam ubi struebat Imperatrix Helena. Si quidem quæcunque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum esse perhibetur, ut vestigia impressa cernantur. Et quum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat, & eandem adhuc sui speciem, impressis signata vestigiis terra custodiat. Ita *Sulpitius Severus.* Addit *Hieronymus*, *de locis Hebraicis*: *Denique*, *quum Ecclesiæ*, *in cujus medio sunt*, *rotundo schemate & pulcherrimo opere conderetur*; *summum tantum cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi & concamerari potuit*: *sed transitus ille a terra ad cœlum usque patet apertus.* Meminerunt etiam ejus rei *Optatus Milevitanus*, *Paulinus*, & *Beda*, quorum verba *Baronius* exhibet, *ad Ann:* XXXIV. §. CCXXXVII. & *seq.* Nec his contenti Geographi & peregrini terræ sanctæ, asserunt, vestigia illa etiamnum inter Turcas visa, & quidem conversa ad occidentem, ne scilicet Catholica Romana Ecclesia nihil hinc pro se haberet: quippe ad quam, ut dilectam præ cæteris sponsam, ultimum se in terris Christus convertit. *A Lapide ad Act.* I. 12

XIV. *Casaubonus* miraculum illud de impressis Christi vestigiis, ob tot scriptorum consensum, & in his magni Hieronymi, fide dignissimum esse existimat. Mihi, ut verum fatear, secus videtur. Neque dubito, quin hæc una sit ex fabulis illis quas posterior ætas, contra superiorum seculorum fidem, vel confinxit, vel arripuit. Etenim, uti judiciose notavit *Hornius*, *Eusebius* quum exactissime structuram templi in monte Oliveti describat, nullo verbo hujus miraculi meminit, haut quaquam prætermissurus rem, si fuisset vera, apprime memorabilem, & confutandis Ethnicis magnum usum præbituram. Prætermittunt etiam silentio *Socrates*, *Theodoretus*, *Sozomenus*, & fabularum Pater *Nicephorus*: qui tamen de crucis inventione tam splendide nugantur. Confer quæ diximus *Exerc.* XVI. *Tmemate* X. & *seq.* Quæ vero etiamnum monstrantur peregrinantibus vestigia, ea meras maleferiatorum hominum offucias esse res ipsa loquitur. Nec recens fabella antiquæ consonat. Hæc, vestigia arenæ impressa dictat. Illa, saxo. Nec vestigia nunc cernuntur, sed vestigium unius modo pedis, in parte aliqua rupis. Altero una cum saxo cui institisse dicitur a Turcis in fanum aliquod suum translato. *Della Valle Itin. Lib.* I. *cap.* XXXVII. Adeone nunc vestigiorum suorum securum factum esse Dominum, ut quum olim Augustissimæ Basilicæ, a pia Imperatrice in honorem ejus structæ, concameratione tegi ea noluerit, nunc earum partem alteram in fanum Pseudo-Prophetæ dicatum transferri patiatur?

XV. Originem erroris invenisse se credit *Hornius*, in iis *Eusebii* verbis

bis qua exſtant *Lib.* III. *de Vit. Conſt. Cap* XLII. ubi de Helenæ in Judæam adventu agens, dicit, ὡς δὲ τοῖς βήμασι τοῖς σωτηρίοις τὴν πρέπουσαν ἀπεδίδου προσκύνησιν. *poſt quam autem Servatoris noſtri veſtigia debito cultu venerata eſt.* Quæ in genere de Judæa dicta, ubi Chriſtus verſatus eſt, inſcite fortaſſis Oliveti monti applicata ſunt, unde Chriſtus adſcendit. Et certe paululum aliquid ad natales fabulæ ſufficit, quæ, ut ut improbabilis, inſanum quantum temporis tractu creſcit. Mihi tamen magis allubet opinari, ex Zachariæ vaticinio figmenti quæſitam occaſionem. Apud illum enim invenimus: cap. XIV. 4. *ſtabunt pedes ejus illo die in monte Olivarum.* Quod profecto nimis literaliter ad hanc rem traxit *Baronius.* vel ex Pſ. CXXXII. com. 7. *adoravimus ubi ſteterunt pedes ejus.* Ita enim citat, & huc refert *Paulinus.* Superfluum eſſet oſtendere, quam hæc aliena ſint.

XVI. Illud utilius obſervabimus, hunc præ cæteris locum Chriſto unde adſcenderet placuiſſe. I. Ut quemadmodum humanæ imbecillitatis maximique erga nos amoris argumentum præbens, in Olivarum monte cum ira Dei colluctans, ſanguineum ſudavit ſudorem: Luc. XXII. 39. ſic ex eodem in cœlum migrans, certum Deitatis ſuæ axhiberet ſpecimen. II. Ut idem locus ad ſummam Chriſto gloriam quaſi gradus eſſet, qui ignominiæ & paſſioni initium dederat: utque ubi cum inferorum fuerat luctatus copiis, inde victor ſuper omnes evolaret cœlos. Quod & nobis exemplo eſt, ne triumphi glorioſis gaudiis niſi per & poſt certaminis moleſtias potiri præſumamus; neve deſperemus inde nos evectum iri ad regnum, quo abducti modo ſumus ad conflictum.

Cur ab Oliveti monte adſcendere Dominus voluerit.

XVII. Locus *quo* adſcendit Chriſtus, eſt *cœlum ſupremum.* Act. I. 11. *Sublatus eſt in cœlum.* 1 Pet. III. 21. *Quum abiiſſet in cœlum.* Heb. IV. 14. *Jeſus Pontifex maximus pertranſiit cœlos,* viſibiles nimirum. Heb. VII. 26. *Altior cœlis factus.* Eph. IV. 10. *Adſcendit ſupra omnes cœlos.*

Adſcendit autem in ſupremum Cœlum.

XVIII. *Cœlum* illud non eſt *ipſe Deus,* nec *converſatio,* aut *gloria,* aut *beatitudo cœleſtis*: ſed *eſt domus Patris,* Joh. XIV. 2. & *locus habitationis ejus.* 2 Chron. V. 21. Deut. XXVI. 15. Non eſt *ubique,* ſed *in altiſſimis;* SURSUM *receptus eſt in cœlum.* Marc. XVI. 19. Habetque ibi corpus Domini Jeſu ſuum determinatum Ubi. Joh. XIV. 3. *proficiſcor paraturus vobis Locum, ut ubi ero ego, & vos ſitis.* Col. III. 1. *Quæ SURSUM ſunt quærite, UBI Chriſtus eſt.*

Quod non eſt Deus, neque ubique, ſed determinatus locus in altiſſimis.

XIX. Eſtque ita cum corpore ſuo in cœlo, ut cœlo contineatur; non utique tanquam carcere, ſed tanquam auguſtiſſimo palatio. Act. III. 21. Ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, *quem cœlum capiat oportet uſque ad tempora reſtitutionis omnium.* Ita enim, & bene, verba Lucæ interpretatus eſt *Nazianzenus, Orat.* II. de Filio. Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρι τοῦδε, καὶ ὑπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως.

Quo D. Jeſus corpore ſuo contineatur.

XX. Quum igitur ſcriptura tam diſertim enarret, terminum *a quo,* & *ad*

Eſt itaque Adſcenſio

non disparitio, aut glorificatio corporis Christi, sed motus localis.

ad quem, ac *viam qua* adſcenderit Chriſtus, eamque adſcenſionem videntibus factam eſſe diſcipulis teſtetur; merus ſtupor eſt, *motu hoc locali* ſepoſito, adſcenſionem Chriſti neſcio qua *diſparitione* aut *glorificatione corporis* definire. Aliud eſt diſparere, aut glorificari; aliud adſcendere. Illa ab hoc, ut antecedentia ab eo quod conſecutum eſt, diſtinguuntur. Luc. XXIV. 31. Mat. XVII. 3. Nec eſt quod prætexant immenſam ſupremi cœli ab hoc noſtro terrarum orbe diſtantiam, ad quam emetiendam annorum aliquot centuriis opus ſit. Nam jubente Deo ultra quam nos cogitare valeamus accelerari motus poteſt; & corpus Chriſti, a reſurrectione ſua, non animale fuit, quale ſuo pondere gravatur; ſed ſpirituale, & ſpiritui obſequens, ut protinus ibi ſit, ubi ſpiritus velit.

Cur Chriſtus & a Patre ſurſum ſublatus, & ipſe Adſcendiſſe dicatur.

XXI. CAUSSA adſcenſionis, eſt omnipotens *virtus*, tam *Patris*, quam *Filii*. Utrique enim diſtinctim attribuitur. Eſt ubi *Pater Filium evexiſſe*, & *adſumſiſſe*; eſt ubi *Filius* ipſe *adſcenſiſſe*, dicatur. Utrumque ſuam habet emphaſin. *Altero* ſignificatur *voluntas* Patris; *altero*, *δύναμις καὶ ἐξουσία* Chriſti: & quia *utrumque* dicitur, ſignificatur *unitas Patris & Filii*. De Patre dicitur. Act. II. 33. *Dextra Dei ſurſum ſublatus eſt.* Iterumque cap. V. 31. *Hunc Deus dextra ſua ſurſum ſublatum conſtituit Principem ac Servatorem.* Scilicet non ipſe ſibi Chriſtus hunc honorem tribuit, ut ante præſtitutum tempus in cœleſte irrumperet ſacrarium; ſed exſpectavit donec aſſumeretur a Patre. Deus, *Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem.* Phil. II. 9. & ſicuti ſuſcitando ex mortuis apocham ei dedit in ſolutionis plenariæ teſtimonium; ita nunc omnibus legationis ſuæ partibus defunctum a peregrinatione in patriam, cœleſtemque aulam, revocat.

Budæi xpíσιs circa vocem Ἀναλήψεως laudata.

XXII. Inſignis eſt vox Ἀναλήψεως, qua frequenter in hoc negotio tam ſacri quam Eccleſiaſtici Scriptores utuntur. Luc. IX. 51. *Quum implerentur dies* ἀναλήψεως αὐτοῦ. Marc. XVI. 19. Ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν. Act. I. 11. Οὗτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν. & verſ. 22. Ἕως τῆς ἡμέρας ἧς ἀνελήφθη ἀφ' ἡμῶν. I Tim. III. 16. ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. *Irenæus* adſcenſionem Chriſti vocat, ἔνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν. Ipſumque Adſcenſionis diem Græci dicunt Ἀναλήψιμον. Eſt autem ἀναλαμβάνειν, ut erudite annotatum a *Budæo*, *reſumere* & ἀναλαμβάνειν τὸν παῖδα apud Demoſthenem contra Neæram opponitur τῷ ἀποκηρύττειν, ſicut apud Latinos *Agnitio* liberorum eſt contraria abdicationi. Cenſet ergo ἀνάληψιν ſignificare *agnitionem Chriſti, a Patre velut antea abdicati.* *Beza* id repudiat tanquam argutiam inanem. Nos tamen cum magnis auctoribus utraque manu amplexamur. Nam & genio linguæ convenit, & doctrinam præbet eximiam. Ante triginta tres annos miſſus erat a Patre Filius ad opus redemtionis; in quo perficiendo ita laboravit corpore & animo ut videretur a Deo derelictus, & quaſi neglectim habitus; ſed in adſcenſione Chriſti ipſo facto declarat Pater ſe ipſum pro Filio ſuo agnoſcere, &

& honore ac gloria coronatum velle. Eſt ergo in hac ἀναλήψει δικαίωσις Chriſti. 1 Tim. III. 16.

XXIII. Sed & alibi Chriſtus ipſe *adſcendiſſe* dicitur. Huc pertinet Ἀναβάσεως vocabulum. Joh. XX. 17. Eph. IV. 8. 9. 10. Cui geminum eſt verbum πορεύομαι, ab ipſo Chriſto frequentatum. Joh. XIV. 2. 3. 12. 28. & in hiſtoria adſcenſionis repetitum Act. I. 10. 11. Significant illa, Chriſtum, utentem jure ſibi per obedientiam & perpeſſiones quæſito, viam ſibi in cœlum inveniſſe. In *reſurrectione ex mortuis demonſtratus* erat *Filius Dei* ἐν δυνάμει. Rom. I. 4. *data ei* pariter *omni poteſtate in cœlo atque in terra.* Mat. XXVIII. 18. Ea igitur nunc poteſtate utitur, & uti Filius Dei glorificatus, nullius amplius peccati, ut ita dicam, reatu impuratus (Paulus dixit, χωρὶς ἁμαρτίας, Heb. IX. 28.) qui arcere eum paterna domo poſſet, aut exeſſe vel procul ſtare juberet: ſed e contra omnibus ex Patris voto, ſuoque pacto, conſummatiſſime peractis, illiuſque rei in ſuſcitatione ſui ſolemne nactus teſtimonium, lætus alacriſque ad Patrem contendit; ultroque ſe pandentibus cœli portis, debitum ſibi gloriæ thronum occupat.

XXIV. Illud quoque in adſcenſione Chriſti notabile fuit; quod *nubes eum* ὑπέλαβε *ſuſceperit, & abduxerit ab oculis* ἀτενιζόντων *diſcipulorum.* Act. I. 9. Id ſcilicet Jehovæ Deo, qui magnus eſt valde, ut decoris ac Majeſtatis Divinæ ſymbolum aliquod, attribuitur, *quod diſponat denſas nubes in vehiculum ſuum, itans ſuper alis venti.* Pſ. CIV. 3. Quod igitur Chriſtus nube vectus cœlum adſcendit, id Divinam ejus arguit Majeſtatem. *Ubique creatura creatori ſuo præſtat obſequium: aſtra indicant naſcentem, patientem obnubunt: nubes recipiunt adſcendentem: redeuntem ad judicium comitabuntur: Beda in hunc locum.* Sic ſolet Deus jucundiſſima ſuorum in contemplatione cœleſtis gloriæ ſpectacula, obducta nube, veluti ſipario, repente intercipere; dum nondum tempus eſt *per ſpeciem ambulandi, ſed per fidem.* 2 Cor. V. 7. Et prudenter humanæ curioſitati imponit fibulam: dum permittit diſcipulis, ut adſcendentem quidem conſpiciant Jeſum; in cœlos autem intrantem non cernant. Aliquid videri par fuit, ne prætextum haberet incredulitas; omnia, nefas; quo ſuum eſſet fidei exercitium, in mirandis, non rimandis, interioris ſacrarii arcanis.

Nubes adſcendenti Chriſto ſubſerviens, Divinæ eſt argumentum Majeſtatis.

XXV. VERITATEM adſcenſionis Chriſti luculente confirmant, teſtimonia I. *Apoſtolorum,* quorum numerus ſufficiens, ſanctitas ſupra calumniam, & fides certiſſimo ſenſuum indicio, ad quod in hac & ſimilibus rebus paſſim provocant, ſubnixa. Act. I. 9. 10.

Adſcenſionis Chriſti Veritas confirmata.

XXVI. II. *Sanctorum Angelorum,* qui & vere ab Apoſtolis viſum eſſe Jeſum quum adſcenderet, atque ita uti adſcenderat e cœlo aliquando rediturum, prædicant. *ibidem.*

XXVII. III. *Stephani*, qui *plenus Spiritu Sancto*, *intentis in cœlum oculis*, *vidit gloriam Dei*, & *Jesum adstantem ad dextram Dei*; idque morti proximus læto vultu hostibus nuntiavit. Act. VII. 55. Prorsus credibile est, Stephanum *oculis corporis* tale quid vidisse, qualia sæpe viderunt Prophetæ in *visionibus spiritus*; nominatim Johannes in Apocalypsi, qui vidit Thronum, & sedentem in eo, & Agnum tanquam mactatum. Ap. V. 1. 6. *Conspiciebat* autem Stephanus *cœlos apertos*: id quod & in baptismo Christo. Mat. III. 16. Mar. I. 10. Hoc ad minimum significat, remotionem impedimentorum, quæ visum remorabantur quo minus ad ea penetraret, quæ geruntur in cœlis. Deo autem qui videntes & cœcos myopes, & perspicaces facit, quique homines eam artem docuit, ut longinqua tanquam propiora, parva tanquam magna sistere obtutui queant, & per tubos opticos ea oculis objiciant, quæ cæteroquin extra visionis sphæram sunt; facile fuit aciem oculorum Stephani ita miraculose intendere, ut, non obstante immenso propemodum intervallo, ea cerneret quæ in cœlo apparebant.

XXVIII. IV. *Pauli*; qui non semel Dominum sibi visum narrat. 1 Cor. IX. 1. XV. 8. eodem nimirum modo quo eum vidit Stephanus. Act. IX. 3. 4. 17. XXII. 6. 7. 8. 9. 14. Multa illa lux derepente *e cælo* ei circumfusa fecit ut oculos eo verteret, unde tam insolitus affulgebat splendor: ibi conspicabatur *Justum illum*, & *audiebat vocem ex ore illius*, Non est existimandum, Christum, cœlo relicto, in Pauli gratiam, ad aërem terræ proximum descendisse: id enim repugnat Act. III. 21. aut angelum Paulo visum, qui Christi personam ac vices gereret: nefas enim est vel angelos, vel alias quascunque creaturas usurpare verba Dei. Alterutrum ergo necesse est, vel Paulum Christum vidisse *in symbolo*, quemadmodum Israëlitæ Deum viderunt in Sinai: vel, per miraculosam facultatis videndi elevationem, ipsum *Christi corpus* conspexisse in cœlo. Quod omnino innuere videtur, quum se iis aggregat qui Christum e mortuis redivivum, in corpore utique, non in symbolo solum, conspicati sunt. Et certe *in cælis* eum vidit, quando in Paradisum raptus, *audivit ineffabilia verba*, quæ majorem vim habebant ac virtutem, quam ut humano sermone explicari possent; quæque nisi in paradiso audiri non conveniat, quippe reservata futuro seculo, & *quæ non licet homini loqui*; hoc est, quæ nudo homini dicere fas non est: tantæ videlicet præstantiæ, ut qui ea loquebatur major homine agnoscendus sit. 2 Cor. XII. 4. Non enim sine caussa tautologia in Apostoli verbis est statuenda. Ea ut vitetur, convenientissimum est, *prius* coli membrum ad *audientem* referri, cui verba ea fuerunt ἄῤῥητα; *posterius* ad *loquentem*, cujus tanta erat præcellentia, ut nisi Deo omnibus ita loqui nefas fuerit.

XXIX. V. *Johannis*. Ap. XII. 1. 2. 6. *Et signum magnum visum est*, emble-

emblema eximium rerum præſtantiſſimarum. *In cœlo*, unde revelationes omnes contingebant Johanni, & quo ad eas conſpiciendas juſſus erat adſcendere. Apo. IV. 1. *Mulier*, Eccleſia Teſtamenti Veteris. *Amicta ſole.* Non ut altera illa, quæ amicta eſt purpura & cocco, & inaurata auro & lapidibus pretioſis & margaritis. Ap. XVII. 4. ſed radians luce Divini verbi, accenſa a Filio Dei: qui eſt vera lux, Joh. I. 9. hodie & heri idem. Hebr. XIII. 8. *Et luna ſub pedibus ejus*, generoſo animo terreſtria, caduca, & tranſitoria calcans. Luna enim, planetarum infima, continuiſque obnoxia mutationibus, inſtabilitatis mundanæ inſtar eſt. *Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Regina eſt Eccleſia & Regis filia. Pſ. XLV. 10. 14. Hinc coronata viſitur. Stellæ duodecim, ſunt Patriarchæ, Prophetæ, Sancti XII. tribuum. Nam XII. tribus ante Chriſti nativitatem in unum coaluerant Rempublicam: & quotcunque olim ex ſingulis tribubus ſancti fuerunt, ii ad decus & ſplendorem Eccleſiæ illius faciunt. *Et uterum gerens*, virtute Divinarum promiſſionum de Meſſia ex populo Iſraëlitico naſcituro. *Clamabat parturiens, & cruciata ad pariendum.* Parturitio ſpem & exſpectationem fidelium ejus temporis ſignificat. Act. XXVI. 6. 7. Clamor, preces ardentes, quibus adventum Meſſiæ urgebant. Cant. VIII. 1. Cruciatus, oppreſſionem Eccleſiæ, partim per Herodem, juratum regni Meſſiæ hoſtem; partim per Phariſæos & Scribas, qui ponderoſis Eccleſiam oneribus gravabant, obſcurata interim & ferme ablata doctrina juſtitiæ & gratiæ Chriſti: quibus rebus deſiderium Meſſiæ in fidelibus acuebatur. *Et peperit filium marem.* Chriſtus, robuſtus ille heros, natus eſt tandem, ſecundum ſpem & exſpectationem fidelium. *Qui paſturus erat omnes gentes virga ferrea.* Suos hoſtium poteſtati eripiens; hoſteſque comminuens, dracone etiam coacto regnum ei in gentes concedere. ET RAPTUS FUIT FILIUS EJUS AD DEUM ET THRONUM EJUS. Poſt acerrimos cum dracone conflictus, ex morte & inferno, ſive ſepulcro, virtute Patris cœleſtis, raptus eſt ad Deum, ſuſcitatus ex mortuis adſcendit in cœlum, & conſedit ad dextram Dei, regnaturus in gentibus. Quæ paullo altius repetenda fuerunt, ut tam præclari emblematis mentem non ignoraremus.

XXX. VI. *Spiritus e cœlo miſſi.* Act. II. 33. *Itaque dextera Dei ſurſum ſublatus, & promiſſum Spiritum Sanctum adeptus a Patre, effudit hoc quod vos nunc cernitis, & auditis.* Spiritus enim niſi Chriſto ad Patrem profecto venire non poterat. Joh. VII. 39. XVI. 7.

XXXI. VII. *Magnorum & admirandorum operum* poſt adſcenſionem patratorum, quæ gloriæ ſuæ confeſſionem invitis hoſtibus extorſerunt. Mat. XXVI. 66. *Quin etiam dico vobis, Ab hoc tempore videbitis Filium hominis ſedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli.* Viderunt hoc, quum Spiritu in Apoſtolos effuſo Hieroſolyma tota

 ſtupuit,

ſtupuit, auditis eorum concionibus, conſpectiſque miraculis. Viderunt, quum Paulus, unus ex perſecutoribus, ipſum e cœlo fulgurantem, ſeque compellantem, vidit & audivit. Viderunt, quum juſtiſſima ſeveritate templum ac rempublicam ipſorum everſum venit. Deſcenſus enim *in nube*, iram quandoque & vindictam notat, ut recte obſervavit *Maimonides*. Vide Jeſ. XIX. 1. Viderunt denique, quum Chriſtus Evangelio, veluti triumphali curru, vectus in campeſtribus, & *decore ſuo proſpere equitans cum verbo veritatis*, Pſ. XLV. 5. regnum quaquaverſum per gentes omnes diffudit. In quibus, & conſimilibus operibus, eſt ſpectatio adventus ipſius in nubibus appropinquantis.

Neceſſe fuit Chriſtum adſcendere.

XXXII. Sed & NECESSE fuit Chriſtum adſcendere in altum. *Nonne hæc* OPORTUIT *pati Chriſtum*, & *introire in gloriam ſuam*? Luc. XXIV. 26. I. Ut ſatisfieret *Prophetiis*. II. Ut implerentur *typi*. III. Quia id & *Dei Patris*, & *Chriſti*, & *noſtri* plurimum intererat.

I. Ut ſatisfieret Prophetiis.

XXXIII. PRÆDICTIONES hujus rei, & frequentes & diſertæ ſunt. Nos brevitatis gratia binas modo ex ſacris canticis, unam ex Jeſaia exponemus. Pſ. XLVII. 6. *Adſcendit Deus cum clangore Jehova cum voce tubæ*. Fieri equidem poteſt, ut veteres Pſalmum hunc cecinerint, quum inferretur Arca in Zionem vel in templum: (quanquam hæc mera conjectura eſt) attamen per illationem arcæ in ſedem ſibi deſtinatum de re longe nobiliore admoniti ſunt. Significabat ea Chriſti in cœlos ἀνάληψιν. De hoc vaticinatur Pſaltes. Ea facta *cum clangore*, & *cum voce tubæ*: tam *antecedente*, nam fama Chriſti ex mortuis ſuſcitati, non Hieroſolymam modo, ſed & Judæam compleverat univerſam; quam *concomitante*, facta enim eſt gaudentibus, plaudentibus & teſtantibus angelis; uti & *conſequente*; nam præconium Apoſtolorum, Spiritu Chriſti repletorum, & cætera illa magnifica Chriſti opera, de quibus modo diximus, cujuſvis tubæ voce efficaciora ſunt. Atque hæc Chriſti adſcenſio, ſi quæ alia, cantici, jubili, effuſiſſimæque fidelium lætitiæ, cauſſa & materia eſt.

XXXIV. Memorabilis quoque in hanc rem Pſalmus LXVIII: eſt in quo poſt multa emblematica ad Chriſtum & Eccleſiam pertinentia, oratione ad Meſſiam converſa in hunc modum Pſaltes canit. verſ. 19. *Adſcendiſti in altum*. Tu, qui ad ſalutem generis humani procurandam e cœlo in terram olim deſcendiſti, nunc abſoluto redemtionis opere cœlum poſtliminio repetis: ideoque fruſtra eſt, quod *montes ac cacumina*, id eſt *Regna*, *populi Diœceſes*, ſibi invicem inſidientur, non profuturis conteſtationibus ſingulæ ſibi thronum Dei vindicantes. In cœlo eum habet. Inde gubernat Eccleſiam. *Captivam abduxiſti captivitatem*. De domitis hoſtibus illuſtrem in modum triumphaſti: ſuperboque inimico ſpolia ſua ademiſti. Jeſ. XLIX. 24. 25. Mat. XII. 29. Pro exemplo Paulus

lus sit: quem Christus *in triumpho circumduxit*, 2. Cor. II. 14. (id enim significat vox θριαμβεύειν. Vide coll. II. 15.) tanquam insigne castrorum hosticorum spolium, imo antesignanum: qui aliquando ad sanguinem usque contra Christum insaniverat, & inter primos in acie contra ipsum steterat. Eum mundo ostentavit, ita καταδεδουλωμένον, ut nullum mancipium magis Domini sui esse potuerit, quam Paulus Christi: qui & ipse *se stigmata Christi in corpore suo ferre* profitetur. Gal. VI. 17. ut servi olim, tam in Oriente, quam apud Romanos, literati erant, id est notis Dominorum suorum inusti. Vide *Lips. Elect. Lib.* II. *Cap.* XV. *Accepisti dona.* Data tibi a Patre potestas est in omnia: ut ex spiritualium ac cœlestium opulentia thesaurorum nihil non Ecclesiæ impertireris, quod ei ornandæ atque amplificandæ idoneum est. Neque in tua saltem persona condigna meritis præmia nactus es: sed & *In hominibus*: quum enim illi tui sint, a Patre tibi dati, a te redempti, membra corporis tui mystici; nihilque ipsis detur nisi virtute tuæ satisfactionis ac meriti; & quidquid iis datur, ad tui, ceu capitis, gloriam ac decus redundet; tu accipis in iis, ut operæ tuæ pretium, quidquid illi accipiunt tui caussa. Confer Act. II. 33. *Atque etiam refractarios*, scilicet, accepisti: id est Judæos, olim rebelles, pro hæreditate tua habebis; ut quum pridem, justo Dei judicio, *habitaverint siticulosam*, vers. 7. omnis gratiæ ac consolationis expertes, nunc *habitent* יָהּ *decentiam*; sive *pulcritudinem Jehovæ.* יָהּ enim aliquando abstracte usurpatur, ut Ps. LXXXIX. 9. estque a יָאָה Jer. X. 7. quod *decentiam* notat. Porro habitare pulcritudinem Jehovæ, est adjungi Ecclesiæ Christi: ubi amœnitatem Jehovæ videre & frui datur. Vel si cui id minus placeat, in hunc sensum vertat, *ad habitandum*, id est, ut tu in iis habites, per gratiam & Spiritum, O JAH JEHOVA, DOMINE, DOMINE. Atque ita hic luculentum oppido de adscensione Christi, illiusque fructibus, habemus vaticinium; quod Apostolus quoque exponit. Eph. IV. 9.

XXXV. Adde Jes. LIII. 8. *Ex coarctatione & judicio* לֻקָּח *adsumtus est.* Prorsus vox Hebræa respondet Græcæ μεταλήψεως, de qua nuper, significatque hic adsumtionem in locum ac gloriam cœlestem. Ita & de Henocho Gen. V. 24. איננו כי לקח אותו אלהים *Non erat amplius, quia adsumserat eum Deus.* Et discipuli Prophetarum Bethelitæ 2. Reg. II. 3. Elisæo dicebant, *num nosti* כי היום יהוה לקח את אדניך *Jehovam hodie adsumturum Dominum tuum desuper capite tuo?* adde vers. 5. 9. 10. Nec abludit id quod modo ex Apocalypsi audivimus, ἡρπάσθη πρὸς τὸν Θεόν.

XXXVI. Nobilissimus Christi in cœlos adscendentis TYPUS, fuit *Pontifex Maximus*, semel quotannis, decimo die mensis septimi, cujus Calendæ annum vulgarem, sive civilem, inchoabant, cum fuso victimæ II. Ut implerentur typi.

ctimæ cruore, intra velum, in sanctum sanctorum intrans, intercessurus pro populo. Levit. XVI. Ita & Dominus Jesus, in initio anni gratiæ & libertatis, fuso sanguine suo, rupto velo carnis suæ, in sacrarium non manu factum, sed cœleste, viam nobis initiaturus, intravit: ut virtutem satisfactionis suæ Patri repræsentans continuo pro nobis intercederet. Heb. IX. 24. & VI. 19. 20.

XXXVII. Eodem ducit *Mannæ* in urna sive cistula aurea depositio coram facie Jehovæ, ut ibi servaretur, omnis corruptionis, & putrefactionis expers. Exod. XVI. 32. 33. 34. Quo significabatur, eum qui descendit e cœlo, ut esset panis vitæ peccatoribus sine ipso indubie morituris, iterum in cœlum adsumtum iri, ut nulli amplius infirmitati obnoxius, in immarcescibili gloria æternum apud Patrem vivat.

XXXVIII. Adde *Henochi* & *Eliæ* raptus. Gen. V. 24. 2. Reg. II. quorum ille sub *promissione*, iste sub *lege* in cœlum translati sunt; sicut Christus sub *gratia*, in exemplar fidelium omnium ætatum. Observanda interim ingens inter Christi adscensionem illorumque raptum differentia. Illi enim nulla sua potentia, nullo suo jure, sed potentia Dei ac virtute meritorum Christi, & futuræ illius adscensionis, quæ virtus jam ab initio se cœpit exserere, gratiose a Deo in cœlum translati sunt: Christus autem sua potentia ac potestate, & jure tam Deitatis suæ, quam altero, Mediatorio, per passiones quæsito, in cœlum, velut in sua, ipse adscendit. Hinc clarorem accipit Christi illud Joh. III. 13. *Nullus adscendit in cœlum, nisi qui descendit e cœlo: Filius hominis qui est in cœlo.* Præterea illi non gustata morte translati sunt; quippe quibus non incumbebat pro peccatis satisfaciendi officium: Christus vero adscendit, morte obita, & dum moriebatur morte victa, dum resurgebat triumphata; quippe cui non nisi *purificatione peccatorum nostrorum* prius *per se ipsum facta, considendum fuit ad dextram Majestatis illius in excelsissimis. Heb.* I. 3.

Quia intererat Dei Patris,

XXXIX. Et interfuit profecto Dei PATRIS, ut unigenitum Filium, *delicias suas quotidianas*, Prov. VIII. 30. qui tot jam annis velut exsul in terris egerat, domi tandem amplexaretur: utque legatus ille honorarius, omnibus rite peractis, a tam diuturna peregrinatione, rationem redditurus, in aulam reverteret. Exigebat gloria justitiæ ejus, ne Filio unice dilecto tam insignis obedientiæ, operæque tam exacte navatæ merces, non nisi in cœlo pendenda, interverteretur. Jes. XLIX. 5. 6. 7.

Et Christi.

XL. Intererat CHRISTI, ut jure sibi parto gauderet, fortiterque ac feliciter prostratis hostibus, triumphali curru vectus, ringentibus diabolis, plaudentibus angelis, stupentibus impiis, accinentibus fidelium choris, non Romam aliquam aut Capitolium, sed Hierosolymam cœlestem, Templumque sine manu factum, lætus ac gloriosus intraret; post prolixum animæ suæ laborem suaviter ibi quieturus. Apoc. III.

21. Abſolverat ſane omnes officiorum ſuorum partes quibus, defungendum illi in ſtatu humiliationis erat ſed reſtabant in ſingulis officiis aliqua, quæ niſi in cœlo geragi non poterant. Ibi qua *Propheta* Cathedram erigendam habebat, ut Spiritu ſuperne radiante intus ſuos erudiret. Joh. XVII. 7. 13. Ibi qua *Sacerdos* habebat comparere coram facie Dei; idque tam præciſa neceſſitate, ut *ſi in terris remanſiſſet, ne quidem Sacerdos noſter eſſe potuerit.* Heb. VIII. 4. Oportuit enim eum aut omnibus numeris eſſe Sacerdotem, aut prorſus non eſſe Sacerdotem. Porro id quoque Sacerdotis eſt (ſummi nimirum, de quo agimus) intra velamen ingredi, ad intercedendum pro populo. Hinc *talis nos decuit Pontifex, qui* poſtquam ſemet ipſum obtulit, *ſublimior cœlis factus ſit.* Heb. VII. 26. 27. Ibidem *regni* Thronus occupandus erat, ut Angelos in circuitu Throni magna voce jubilantes audiret: *Dignus eſt Agnus ille mactatus, qui accipiat poteſtatem, & divitias, &c.* Apoc. V. 12. ut hoſtes, nequicquam ferocientes, ex alto deſpiciens derideret. Pſ. II. 4. ut denique ex arce illa validiſſima invincibilibus ſuppetiis ſuos tutaretur, ampliſſimiſque donis munifice ornaret. Jeſ. LVII. 15.

XLI. Intereſt & NOSTRI, qui hoc pacto ab omni rerum terrenarum cogitatione ac ſtudio eramus abducendi. Tale eſt ingenium carnis, ut externis intenta præſidiis mentem ad cœleſtia minus evehat, relictiſque potioribus circa minutiora occupetur. Ipſi pro exemplo Apoſtoli ſint, qui quamdiu Dominum corporaliter ſecum habebant, vix aut ne vix quidem a corporalis ac mundani regni exſpectatione poterant abduci. Voluit igitur Dominus corporis ſui conſpectum ac præſentiam nobis auferre, ne in externo illo & corporali hæreremus; ſed in meritum ac Spiritum ejus reſpicientes non niſi cœleſtia ac ſpiritualia meditemur. Idcirco etiam amantiſſimis ſui non permiſit poſt reſurrectionem amplexus, & oſcula, aut ſimilia ſuetæ familiaritatis officia: Joh. XX. 17. ut paullatim diſcerent corporis præſentia carere, Spiritu contenti. Sed & Noſtri quoque.

XLII. Sed præter hæc omnia, dici profecto non poteſt, quantum UTILITATIS ex Chriſti in cœlum adſcenſione ad nos redundet. Non dicam nunc, aliter fieri non poſſe, quin tam ſplendida Regis ſui inauguratione, tam ſuperbo triumpho, omnes ipſius fideles ſubditi valide afficiantur. Quid iis jucundius contingere queat, quam ut Dominum ſuum tot nuper tantiſque indigniſſimarum calamitatum fluctibus obrututum, ipſoque Orci gurgite propemodum ſubmerſum, nunc novo ſpiritualis corporis ſplendore coruſcum, nimbos ac ſæva tonitrua, ſolem ipſum celſiſſimaque aſtra, ſub pedibus calcare, cœliſque omnibus ſublimiorem, gratulantibus angelis & juſtorum conſummatorum ſpiritibus, parem Patri Thronum occupare, cernant? Lætus Iſraëli dies ille erat, quo arca Domini in civitatem Davidis deportabatur, & in taber-

Qui plurimum ex Chriſti Adſcenſione Utilitatis percipimus: non ſolum quia Charitas jubet ei συγχαίρειν.

naculum quod ei tetenderat. Levitæ gestare eam humero; Principes eorum, agnatos suos cum instrumentis musicis, nabliis, citharisque ac cymbalis comitari; Israëlitæ omnes deducere cum clangore & sono buccinæ tubarumque; Rex ipse David, paludatus pallio byssino, gestire palam ac tripudiare; omnium ora in lætissimas resolvi cantus: *Vidimus incessus tuos, o Deus, incessus Dei fortis, Regis mei, in sanctuario: Praecedebant cantores, post fidicines, in medio puellarum tympana pulsantium. In congregationibus benedicite Deo, Domino e scaturigine Israëlis.* Ps. LXVIII. 25. 26. 27. col. cum 1 Chr. XV. Quid tamen illa arcæ in civitatem Davidis deportatio, nisi rudis admodum adumbratio erat Christi in cœlum adscendentis? quæ quum tam mirifice Israëlitas commoverit, in quod nos exsultantis animi gaudium erumpere par est, dum non umbram cupide prospectamus, sed rem ipsam tanquam præsentem usurpamus oculis? *Adscendit Deus cum clangore, Jehova cum sono buccinæ. Psallite Deo, psallite; psallite Regi nostro, psallite. Nam Rex totius terræ est Deus, psallite psalmo didascalico.* Ps. XLVII. 6. 7. 8. Quo die Salomo ungebatur in Regem Israëlis, tam profusa erat populi lætitia, tam impensus plausus, tam sonorus tibiarum strepitus, *ut finderetur terra præ voce eorum.* 1 Reg. 1. 40. At quanto nobis lætior iste illuxit dies, quo Salomonis antitypus ac Dominus solemniter regnum capessivit? Tunc angelis, tunc piis omnibus cœli terræque incolis, junctis manibus plaudendum, junctis oribus canendum fuit: *Jehova regnat, exsultet terra; lætentur regiones plurimæ. Jehova regnat, commoveantur populi: insidet Cherubinis, nutet terra. Jehova Zione magnus, etiam altus supra omnes populos.* Ps. XCVII. 1. XCIX. 1. 2. Hæc enim sacra carmina, isti accommodata tempori, jam dudum Ecclesiæ fatidicus præivit Spiritus. Enimvero non amat Christum Regem, cui volupe non est gloriosum ejus triumphum lætis canticis celebrare. Joh. XIV. 28.

Sed & quia nostrum hic agitur commodum: tam quoad consolationem,

XLIII. Sed aliud præterea nunc agitur. *Nobis, nobis illa Christi adscensio conducit.* Joh. XVI. 7. Uti nobis natus, nobis vixit, nobis passus, nobis mortuus est; ita & nobis resurrexit; nobis in cœlum adscendit. Et idcirco quidem I. Uti pro nobis *oraret*, id agendo ut virtus omnis ac valor satisfactionis suæ nobis imputetur. Rom. VIII. 34. Videtur aliquando tam procul a nobis remotum esse cœlum, precumque nostrarum tam debilis sermo, ut vix sperare audeamus, eum medias emensum nubes, supremi numinis aures feriturum esse. At quanto istud solatio est, quod advocatum in cœlo habeamus, rerum nostrarum uti gnarissimum, ita enixe satagentem, qui propinquus numini ac familiaris & necessarius, nunquam caussam nostram non agit; &, uti in omnibus exauditur, ita quicquid vult indubie pro nobis obtinebit. 1 Joh. II. 1. II, Ut *locum* nobis *paret*. Joh. XIV. 2. Jam olim is paratus erat immu-

immutabili æternoque Dei decreto: structus & instructus a jactis mundi fundamentis: Mat. xxv. 34. acquisitus nobis Christi patientis, morientis, & ad inferos descendentis merito: id solum restabat, ut nostro quasi loco ac nomine eum possessum inlessumque iret. Nam velut *præcursor noster ad interiora velaminis pro nobis ingressus est.* Heb. vi. 20. & nos *UNA collocati sumus in cœlis in Christo Jesu.* Eph. ii. 6. III. Ut sua inde in nos dona, auro contra non cara, profunderet. Arca fœderis in sedem suam introducta impertitus est David *toti multitudini Israëlitarum, tam viris, quam fœminis, tractam panis, & frustum carnis, & lagenam vini.* 2 Sam. vi. 19. Sed longe potiora a Christo in cœlum suscepto exspectanda fuere: non panis, aut caro, aut vinum, corpori solum sustentando idonea; sed vis vivifica *suæ carnis* nuper Patri oblatæ, & *frumentum* illud cœleste, *quod juvenes, mustum* mysticum, *quod virgines facundas facit.* Zach. ix. 17. Ipse Christus oleo lætitiæ supra consortes uberrime delibutus, non guttulas ejus aliquot in suos stillat, sed pleno eos imbre proluit. Joel. ii. 21. Jes. xliv. 3. Non ut hujus seculi Reges argenteos fortasse vel aureos aliquot nummos coronationis suæ festo die in populum projiciunt, quos pauci, & audacissimi plerumque, sibi rapiunt; ita & suos minutiis quibusdam ac veluti crepundiis contentos esse jubet: sed ea omnibus largitur, quæ non insigni auro Ophirio, aut Sardio pretioso, aut Sapphiro, aut nitidissima gemma, aut Topazio Æthiopico æstimari queant. Job. xxviii. dona nimirum Sacro-Sancti sui Spiritus, qui est *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & potentiæ, Spiritus scientiæ & reverentiæ Jehovæ.* Jes. xi. 2. *Spiritus* denique *Adoptionis, per quem clamamus abba Pater.* Gal. iv. 6. IV. Ut inde aliquando rediens *eo nos assumat,* ubi nunc ipse est. Joh. xiv. 2. xvii. 24. O quam beata erit illa dies, qua anima nostra ex ærumnosi hujus corporis ergastulo emancipata, ab angelis supra lunam, solem, ac sidera omnia, in superbum maximi Regis palatium, ad cœlestium gaudiorum fruitionem, placide deportabitur! At quanto hac beatior illa est, qua corpus, jam gloriosum, jam spirituale, ac cœleste factum, animæ reunietur; nosque in corpore & anima una cum beatis omnibus *rapiemur in nubes, in occursum Domini in aëra,* ut Patriarcharum Angelorumque misti choris, *semper cum Domino simus.* 1 Thes. iv. 17.

XLIV. Fieri non potest, quin is qui hanc spem fovet ea ad eximiæ & sublimioris alicujus sanctitatis studium excitetur. Cujus in ipsa Domini adscensione habet. I. *Caussam Exemplarem.* Christianorum est jugiter *intueri in fidei ducem ac consummatorem Jesum, qui pro proposito sibi gaudio sustinuit crucem, ignominia contemta, & ad dextram throni Dei consedit.* Heb. xii. 2. Is igitur quum relicto inferioris mundi luto supera petierit, noster, ut modo audivimus, *Præcursor,* quis dubitet, quin

Quam quoad sanctificationem.

quin eadem nobis premenda sint vestigia? Quumque non aliter eum nunc sequi valeamus, quam precibus, desiderio, suspiriis, conatibus, animique sursum tendentis nisu; sic saltem nec eum destituamus, nec desimus nobis. II. *Caussam Procatarcticam.* A. Ubi Thesaurus, ibi Cor. Non tam ibi est anima, ubi animat, quam ubi amat. Corpora suis feruntur ponderibus; gravia deorsum, sursum leviora. Animæ pondus amor est; eo fertur, quocunque fertur. Si itaque, uti par est, sincero ardentique amore Jesum prosequamur; amor iste alas animæ addet, quibus sursum evolans, ad Dominum tendet, ut, quantum pote, familiari ejus commercio, in cœlestibus meditationibus, orationibus, sanctisque mentis elevationibus, potiatur. Non potest, nec vellet etiamsi posset, Jesum cœlo deducere; cupit tamen cum ipso uniri, ipso frui: quid restat ergo, quam ut, spretis seculi insidiosis voluptatibus, generosæ sanctitatis nisu ad astra eat? B. Quam indignum foret facinus, si capite in cœlis auri instar purgatissimi rutilante, membra arcani corporis in pulvere terræ, spurcitie peccati, fœdoque orci cœno, turpiter sese volutarent? Hoc esset Christum in monstrum transformare, Colosso Nebucadnetzaris geminum, cujus caput quidem ex auro erat; sed pedes partim ex ferro, partim ex luto cœnoso. C. Si Christus præiverit, locum nobis in domo Patris paraturus, gloriamque tam illustri loco dignam, quam indecora foret abjecti animi humilitas, in apinis, tricis, quisquiliis hujus mundi hærere, eas ambire, iis distrahi, vel abstrahi etiam a quæsitione tantarum rerum, quas cum Christo apud Deum adservari nobis credimus? Col. III. 1. 2. III. *Caussam hyperphysico influxu efficacem.* Christus caput est: fideles singuli, membra mystici corporis. Propter arctissimam unionem, Spiritus e capite in membra defluit. 1 Joh. VI. 13. Is, uti e cœlo venit, ita quibus datur eos in cœlum evehit: sicut solares radii terram calefacientes vapores sursum elevant. Facit autem id Spiritus paullatim, & certis quibusdam gradibus. I. Evehit fideles, sanctis *desideriis* & *conatibus*: quo referri solet Cant. III. 6. *Quænam est illa quæ adscendit ex deserto, velut* suffumigata *excitatis fumis, suffumigata myrrha & thure,* præstantiore *quam omnis pulvisculus aromatarii?* II. *Animam ipsam,* a corpore sejunctam, reapse in cœlum transfert, ad diem usque judicii Christo præsente fruituram. III. Denique & *totum hominem* transferet, ubi Christus est. Atque hunc ordinem servat Dominus, ut non nisi a primo gradu transitus detur ad altiores. Fallitur quisquis se cœlo receptum iri præsumit, qui non se Spiritu Christi ad sublimia ac coelestia quærenda impelli sentit, & impulsum sancto vitæ instituto comprobat.

EXERCITATIO XXI.

DE

SESSIONE CHRISTI AD DEXTERAM DEI PATRIS.

BREVIARIUM.

1. 2. 3. *Jucunda fidelibus est meditatio gloriæ Christi.* 4, 5. 6. *Falluntur, qui locum ad sinistram eo, qui ad dextram est, priscis honoratiorem fuisse contendunt.* 7. 8. 9. 10. *Non tamen, quia Christus Patri dexterior, ideo major.* 11. Sessionis *vocabulum quam emphasin habeat.* 12. *Cur Stephanus Christum* stantem *viderit.* 13. *Sessionis ad dextram Dei definitio.* 14. *Quæ significat summam Christi gloriam.* 15. 16. 17. *Eamque Christo propriam.* 18. 19. 20. *Tam respectu* personæ. 21. *Quam* officii. 22. *Regnum Christi duplex.* 23. *Regnum Mediatorium, pro disparitate naturarum, diversimode Christus adiit.* 24. *Idque vel Universale est, vel Particulare.* 25. *Quod certo tempore eximio sibi modo Christus vindicabit.* 26. *Regni illius quis terminus.* 27. *Regia Christi dignitas in cætera quoque munera derivatur.* 28. 29. 30. 31. *Summa hæc Christi exaltatio, cur aliquando Patri attribuatur, alibi ipsi Christo.* 32. *Tendit ea I. ad gloriam Patris.* 33. 34. 35. *II. Ad validam Ecclesiæ consolationem.* 36. *III. Ad terrorem impiorum.* 37. *IV. Ad ingenerandos nobis affectus tanta tanti Regis gloria dignos.*

I. QUi in animo Christum diligit, ei multis nominibus jucundam esse necesse est meditationem immensæ illius gloriæ qua auctum eum atque ornatum Pater voluit. Non potest fidelibus illustrius splendidiusve, aut gratius etiam spectaculum contingere, eo ad quod invitantur Can. III. 11. *Prodite & spectate puellæ Zionis, Regem Salomonem, cum corona quam curavit ei mater ejus, die sponsaliorum ejus, & die lætitiæ animi ejus.* *Rex Salomo,* Dominus *Jesus* est, Caput Ecclesiæ, Filius Davidis, Princeps Pacis, Sapientia suprema. *Dies Sponsaliorum* ejus, est *tempus Testamenti Novi*, confirmati ac consignati sanguine Mediatoris; quo testamento initiato in terris, ipse coelos conscendit, ut, Spiritu gratiæ ac libertatis inde misso, perpetuo cum Ecclesia cohabitaret. Idem vocatur *dies lætitiæ animi ejus.* Nam & ipse tunc, post exantlatos molestissimos labores, *oleo gaudii inunctus est præ consortibus suis.* Ps. XLV. 8. & occasionem nactus magnitudinem *Jucunda fidelibus est meditatio gloriæ Christi.*

 gratiæ

gratiæ & misericordiæ suæ luculentissimis in suos beneficiis explicandi, quorum fruitione supra quam dici potest exhilarentur. Non potest autem non lætari Christus, quum dilectos suos gaudio perfundit, facitque ut jucundentur in bonis suis. Jes. LXII. 5. *Corona* capiti ejus imposita, sublimem Regni cœlestis gloriam notat, ad quam pertinet multitudo fidelium subjectorum, qui ipsi sunt להתפאר, *ad ornandum se.* Jes. LX. 21. Eam gloriam sine dubio dedit ei Deus Pater: sicut & Salomo regnum suum Patri debebat Davidi. Hic tamen corona a *Matre* curata dicitur: quia uti Bathseba impensis atque accuratis precibus coronam filio suo ambiverat; ita etiam *Ecclesia, ex qua Christus est secundum carnem*, Rom. IX. 5. quæque ipsum spe & exspectatione *concepit ac peperit*, Apoc. XII. 2. id in primis votis suis habuit, ut, defunctus acerrimis certaminibus, quiete ac gloriose in mediis hostibus dominaretur. Præterea eos quoque parit verbo fidei qui sunt *gloria Christi.* 2 Cor. VIII. 23. Ad eam coronam *spectandam*, devotarum mentium piis meditationibus, invitantur *Filiæ Zionis*; id est fideles omnes, quotquot in toto mundo pertinent ad regnum illud Christi quod ipsi in Zione datum est. Jubenturque eum in finem *prodire*, egredi e mundo *& populis suis*, Ps. XLV. 11. ex se ipsis quoque & ratiociniis carnis, oculis animisque ab omnibus aliis rebus ac personis abductis: quippe qui in unius Christi contemplatione abunde reperturi sint quod ad plenissimam satietatem sufficiat.

II. Nos itaque, tam blandæ obsecundantes invitationi, in illius nunc gloriæ pia meditatione deliciemur, quam Scriptura Christo attribuit, quum eum AD DEXTERAM DEI PATRIS CONSEDISSE testatur. Quicquid enim ad seriam rerum indaginem Divinæ veritatis cultores stimulare potest, id in illustri hac materia concurrere comperimus. Ut sublimitas & fructus ejus est singularis; sic ejusdem quoque magna est difficultas, variis veterum & recentium Theologorum controversiis agitata. Intendamus ergo animum, ne a genuina gravissimi dogmatis mente aberremus. Et primo quidem *voces* consideremus, inde ad accuratiorem *rei* meditationem progressuri.

III. *Phrasin* quod attinet, non tam expendendum videtur, quid *dextra* significet (id enim exiguam quæstioni huic lucem adferet) quam quid notet ALICUI AD DEXTRAM ESSE. Inquirendum præterea, an qua emphasis in SEDENDI voce lateat.

Falluntur, qui locum ad sinistram eo qui ad dextram est priscis honoratiorem fuisse contendunt.

IV. Non desunt qui existiment, per sessionem Christi ad dexteram Dei designari gloriam quæ Divina aliquanto sit inferior; ea inducti ratione, quod apud antiquos is qui ad sinistram esset potior censeretur eo qui ad dexteram est. Primus, quod sciam, cui id in mentem venit, *Antonius Nebrissensis* est: cui quum nihil incongruentius & magis indecorum videretur, quam quod Filius priorem locum occupet, quem, tametsi

tametsi natura Patri æqualis, qua Filius tamen, & qua homo, ei cedere debuit, in eam suspicionem incidit, alium fuisse apud antiquos sedendi ordinem, quam qui sit nostris temporibus; & conquisitis veterum aliquot testimoniis evicisse se arbitratur, quod qui ad sinistram est locus, dignitate judicatus fuerit præstantior. Vide ejus *Quinquagenas. Cap.* XXXIX. Idem postea, additis novis argumentis, tuitus est *Goropius Becanus Hieroglyph. lib.* III. *p.* 41. *& seq.* *Baronius* etiam novam opinionem novo paxillo suspendit, in honorem Pontificis sui Romani, cujus legatos in antiquis conciliis ad lævam aliquando sedisse constat. Quod ne Sacræ sedi præjudicet, contendit, apud Romanos, in sacris, sinistrum potiorem semper locum habitum esse, dexterum vero posteriorem. *Ad annum* CCXIII. *Sect.* VI. Iterumque *ad Annum* CCCXXV. *Sect.* LVI. *& seq.* Sed rationes a Becano adductas, nihil minus quam ratas; stipulas potius ac paleam esse, quæ primum examinis ignem non ferant, invicte ostendit *Lipsius Elect. Lib.* II. Cap. II. Confer *Turnebum. Advers. Lib.* XIV. *Cap.* XXIV. *& Lib.* XVIII. *Cap.* XXIX. & *Casaubonum, ad Sueton. Nero. Cap.* XIII. ubi istam παραδοξολογουμένην falsæ ridet. *Baronium* autem ipsa rei evidentia revellit. Vult enim cum *Theodoreto*, Episcopum illum qui in concilio Nicæno primam sedem in dextro ordine occupabat, & Imperatorem adfatus est, Eustathium Antiochenum fuisse. De qua re nunc non disputo. Id unum observo; *Felicem*, Pontificem Romanum, *Epistola ad Zenonem Augustum de depositione Petri Antiocheni*, Eustathium ut præsidem Nicæni concilii laudare. Ita enim ille: Καὶ Εὐσταθίου τοῦ ὁμολογητοῦ, καὶ ΠΡΟΕΔΡΟΥ τῶν ΤΙΗ ἁγίων πατέρων ἐν Νικαίᾳ ἀθροισθέντων. *Eustathiique confessoris, ac* PRÆSIDENTIS CCCXVIII. *Sanctorum Patrum, qui in Nicæn convenerunt.* Id si verum est, certe prima sedes in dextro ordine, quæ præsidis fuit, non potuit inferior censeri altera aliqua in sinistro ordine.

V. Quicquid de *Romanis* sit; de *Hebræis* certe constat, dexteram partem sinistra fuisse honoratiorem. Hinc Apostolus δεξιὰν τῆς μεγαλωσύνης, *dexteram Majestatis* nuncupat Heb. I. 3. & *dextram throni Majestatis illius.* Heb. VIII. I. *Vir dextræ Dei* dicitur, Ps. LXXX. 18. qui in maximo apud Deum amore atque honore est. *Cor sapientis est ad dextram ejus, & cor stolidi ad lævam ejus.* Eccl. X. 2. Ille dextra, hic sinistra sequitur; ille honesta, utilia, præstantia animo agitat, hic contra. Josephus filios patri Jacobo benedicendos offerens, ita eos pro ætatis ratione collocavit, ut Menasse, qui major erat, Israëli a dextera: Ephraim, minor, a sinistra esset. Gen. XLVIII. 13. Job, ubi adolescentium adversus se fastum exagitat, על ימין פרחח יקומו, *ad dexteram*, inquit, *adolescentes consistunt.* *Job.* XXX. 12. id est; eo nunc deventum est, ut imberbes adolescentuli se mihi, licet seni & honoratiori, proterve ante-

ponere

ponere non verecundentur. Denique Christus electos ad dexteram suam statuet, in signum honoris & amoris, hircos ad sinistram, in testimonium contemtus & ignominiæ. Mat. xxv. 33. Et quid opus est in re clara multa congererere? Ad Hebræorum autem morem Sacros scriptores respexisse, non puto anxie probandum.

VI. Veteres Christiani pro confesso id sumunt. *Basilius*: ἡ δεξιὰ χώρα δηλοῖ τὸ τῆς ἀξίας ὁμότιμον. *Dexter locus significat parem dignitatis atque honoris præstantiam. Chrysostomus ad Hebræos* 1, Εἰ γὰρ ἐλάττωσιν ἤθελε δηλῶσαι, οὐκ ἂν εἶπεν ἐκ δεξιῶν, ἀλλ' ἐξ ἀριστερῶν. *Si voluisset innuere minorem esse, non dixisset, a dextris; sed a sinistris. Theophylactus ibidem.* Ἐκάθισε, καὶ ἐν δεξιᾷ, καὶ ἐν ὑψηλοῖς, ἵνα τὸ ὁμότιμον αὐτοῦ δειχθῇ τὸ πρὸς τὸν Πατέρα. *Sedet, idque ad dextram, & in excelsis, ut æqualis cum Patre honoris esse commonstretur. Maximus Taurinensis in Homil. de S. Pentecos. Pater Christo Filio throni sui offert* SUBLIMEM *consessum, &* HONORIS GTATIA, *ad dextram suam illum æterna sede constituit.* Id ergo ratum fixumque esto: ad dextram alicujus sedere dignitatis atque honoris argumentum est.

Non tamen, quia Christus Patri dexterior, ideo major.

VII. Quid tum? inquies: num Christus, quia Patri dexter, Patre major est, & honoratior? Ita quidem *Socinus* cum *Schlichtingio* suo delirat, dictans, Christum *aliquo modo, & secundum quid, in honoratiore loco nunc sedere quam ipse Deus.* Nec abludit *Maldonatus, ad Ps.* cx. asserens, phrasin illam significare, *non solum Christum æqualem esse, sed etiam majorem; administratione scilicet regni; non autem re ipsa.* Sed nihil cogitari potuit ineptius. *Quum* enim Scriptura *dicit omnia* Christo *esse subjecta, palam est hoc dici excepto eo qui subjecit ei omnia.* 1 Cor. xv. 27 Et quum Divina Majestas atque ὑπεροχὴ prorsus infinita sit, nihil vel mente concipi, vel cogitatione fingi potest, quod ullo adspectu Deo sit præstantius, aut superius. Indigna quoque res est, eos nunc Christo gloriam Divina quodammodo majorem attribuere, id est vanam, & qualem nunquam sibi ipse arrogavit; qui cæteroquin in eo depreciando, & vera sua gloria spoliando, toti sunt. Bene, is quem modo laudavi, *Maximus Taurinensis: Cur autem ad dextram Filius esse dicatur, moveat aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus non sit, ubi plenitudo est divinitatis: tamen ideo ad dextram sedet Filius, non quo præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur.*

VIII. Sed quid tandem sibi vult, Quod Christus Patri dexter statuatur, quum honoratior Patre non sit? Ad cujus nodi solutionem a Viris doctissimis observatum est, ubi quis ad dextram regis, honoris gratia, collocatur, non tam ad personam regis attendendum esse, quam ad thronum; ac thronum ipsum considerandum esse ut bilaterem, qui sedem habeat non ad dextram solum, sed & ad sinistram; ita quidem ut dextri lateris sedes honoratior sit illa sinistri, utraque tamen sublimior ipsa regis

gis sedes in medio throno. Medius enim locus omnium honoratissimus est. Vide *Voss. Harm. Evan. Lib.* III. *Cap.* VI. §. VII. Pertinet huc ambitio filiorum Zebedæi, per matrem rogantium, ut alteri ad dextram Christi regis, alteri ad sinistram, sedere daretur. Mat. XX. 21. Adde *Suetonii* illud, *Tibe. Cap.* VI. *Dehinc pubescens, Actiaco triumpho, currum Augusti comitatus est sinisteriore funali equo, quum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur.* Dexterior equus, ut honoratior, Marcello dabatur, quippe cui Augustus imperium destinaverat: qui tamen Augustus ipse, medium, hoc est, summum locum tenebat, Primus igitur locus medius est, proximus dexter.

IX. Addunt viri eruditissimi, non esse necessarium ut tertius aliquis, qui sinisterior, regi adjungatur; concipitur enim sedem ibi vacare qui occupari queat. Cujus rei exemplum habemus in Salomone, qui matrem Bathsebam honoris gratia dextero lateri adsidere jussit. 1 Reg. II. 19. Nam si jussisset occupare latus sinistrum, vacante sede lateris dextri, visus fuisset unum præferre matri cui is locus reservaretur. Nunc proximum illi a rege honorem defert. Christus igitur Patri dexterior est: quia Pater consideratur ut medium thronum insidens, cui proximus dignitate est Christus, qua Mediator. Hinc dicitur *Sedere in Throno Patris*: non utique excluso Patre, aut supra eum; sed cum Patre. Apoc. III. 21. Quippe cujus dignitas Mediatoria in statu exaltationis ad Divinam proxime accedit.

X. Acute hæc quidem sunt a Viris doctissimis observata: attamen hypothesibus istis, & quæsitis forsan subtilitatibus, sine incommodo carebimus, modo id simpliciter teneamus; quum fieri non possit, ut quisquam rege in suo regno major sit atque honoratior, quem dexteriorem sibi rex facit, eum quidem honoratissimum esse cupit, non tamen sibi ipsi anteponit. Ad dextram summi esse, est summi honoris secundum summum; aut, si res ita ferat, honoris etiam æqualis. Nec opus est cogitare de sede vacua a sinistris. Psalmo XLV. 10. *Regina ad dextram Regis stat.* ubi nihil de lævam claudentibus. Nero apud *Suetonium Cap.* XIII. Tiridatem Armeniæ Regem *juxta se latere dextro collocavit.* Quocum judiciose contendit *Casaubonus Eunapii* illud *in Ædesio*: Καὶ εἰς τοσοῦτόν γε ἐξίκετο σοφίας καὶ δυνάμεως, ὡς ὁ μὲν βασιλεὺς ἐκλάκει τὸ ὑπ᾽ αὐτοῦ, καὶ δημοσίᾳ σύνεδρον εἶχεν, εἰς τὸν δεξιὸν καθίζων τόπον. Claudius apud eundem *Suetonium*: *Cap.* XXIV. *Aulo Plautio ovationem decrevit, ingressoque obviam progressus, & in Capitolium eunti, & inde rursus reverentis, latus texit,* id est *Eutropio* interprete, *lævus incessit*; non utique depreciando Plautio, quod Becanus vellet, sed extollendo: absit tamen, ut supra se. Unde liquet, Principes eos quos honoratos cupiebant quantum fieri poterat maxime, ad dextram suam collocasse, sine consideratione

loci tertii, cujus adspectu princeps medius esset. Ad eum morem explicandum est, quod Christus Patri dexterior dicatur: videlicet eum a Patre *evectum esse in summam sublimitatem, ac donatum nomine quod est supra omne nomen.* Phil. II. 9. Jesaias dixit Cap. LII. 13. ירום ונשא וגבה מאד *Supervehetur, & extolletur. & sublimis erit valde.*

Sessionis vocabulum quam emphasin habeat.

XI. Inquiramus nunc quæ vis in SESSIONIS vocabulo lateat. Significat id I. *Honorem. Ministrorum* est *adstare: Domini, considere.* De *illis* vide 1 Reg. X. 8. Dan. VII. 10. Unde Angeli vocantur קָאֲמַיָּא Dan. VII. 16. & הָעֹמְדִים Zach. III. 7. ADSTANTES. De *hoc* Dan. VII. 9. *Videbam, donec solia abjecta sunt, & Antiquus dierum* SEDIT. Adde 1 Reg. II. 19. & Esth. I. 14. *Septem principes videntes faciem Regis,* היושבים ראשנה SEDENTES PRIMO LOCO *in regno.* Job. XXIX. 25. SEDEBAM *primarius.* Christus ergo Patrem adsidens, honorem habet angelis omnibus superiorem. *Cui enim Angelorum dixit: Sede ad dextram meam? Heb.* I. 5. II. *Potestatem judicialem* ac *regiam.* Mat. XIX. 28. SEDEBITIS *in Thronis duodecim* JUDICANTES *duodecim tribus Israëlis.* Ap. XVIII. 7. SEDEO REGINA. Sic etiam de Christo. Zach. VI. 13. *Reportaturus est decorem, &* SESSURUS *ac* DOMINATURUS *in solio ejus.* Adde Jes. XVI. 5. III. *Quietem,* post exantlatos labores. Gen. XVIII. 1. Mich. IV. 4. Joh. IV. 6. Beata hæc & gloriosa Christi quies aperte satis indicatur in allocutione Patris, quando Christo sedere jusso, quod reliquum est operæ in triumphandis inimicis sibi sumit. *Sede, donec posuero.* Ps. CX. 1. IV. non turbatam longi temporis in eodem loco *commorationem.* 1 Reg. II. 38. *Sedit Simeï Hierosolymis diebus multis.* Act. XVIII. 11. Ἐκάθισε, *Sedit itaque illic annum & sex menses.* Sic & Christo sua gloria constans ac perpetua erit. *Oportet enim eum regnare usque quo omnes inimicos supposuerit pedibus ejus.* 1 Cor. XV. 25.

Cur Stephanus Christum stantem viderit.

XII. Non repugnat sessioni huic quod Stephanus Christum viderit ADSTANTEM *ad dextram Dei.* Act. VII. 56. Non enim crasse de corporis habitu cogitandum, sed de re quæ per istum habitum designatur: quæ est quies Christi gloriosa ac plena potestatis. Stantis autem specie conspicatus eum Stephanus est, ut significaretur Christi, in ea gloria constituti, parata promtitudo, ad Stephanum tuendum ac firmandum, spiritumque ejus suscipiendum. Confer Mich. V. 3. Dan. XII. 1. *Gregor. Mag. Homil.* XXIX. *in festo Adscens. Considerandum nobis est, quid est quod Marcus ait:* Sedet a dextris *Dei; & Stephanus dicit:* Video coelos apertos, & Filium hominis stantem a dextris Dei. *Quid est, quod hunc Marcus* SEDENTEM, *Stephanus vero* STANTEM, *se videre testatur? Sed scitis, Fratres, quia sedere judicantis est, stare vero, pugnantis vel adjuvantis. Quia ergo Redemtor noster adsumtus in*

cœlum,

cœlum, & nunc omnia judicat, & ad extremum judex omnium veniet, hunc post adsumptionem Marcus sedere describit: quia post adscensionis suæ gloriam judex in fine videbitur. Stephanus hunc in labore certaminis positus stantem vidit, quem adjutorem habuit: quia ut iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cœlo illius gratia pugnavit.

XIII. His de *vocibus* ac *phrasi* præmissis, *rem* ipsam nunc expendamus; quam ex antedictis in hunc modum explanamus. Sessio Christi ad dextram Dei Patris, *est summa ipsius & propria in persona & Regio potissimum officio gloria, post adscensionem in cœlos a Patre sibi collata, ab ipso summo jure occupata, ad Dei Patris gloriam, & perfectam Ecclesiæ salutem.* Sessionis ad dextram Dei definitio.

XIV. Dubium non est quin *summa* Christi gloria hoc dicto exponatur, quam certis quibusdam gradibus consecutus est. *Primo* enim dum in humili adhuc conditione esset, radii quidam gloriosæ Majestatis subinde emicuerunt. 2 Pet. I. 16. 17. *Deinde* exaltatus est ex conditione mortali, ad immortalem, in *Resurrectione*: quæ est glorificationis *initium*. *Postea* ex immortali quidem, sed hactenus terresti, ad cœlestem, in *Adscensione*: quæ est gloriæ *progressus*. *Denique* in cœlis id est consecutus ut ad dextram Dei sederet. Mat. XVI. 19. *Sursum raptus est in cœlum, ac sedit ad dextram Dei*: in qua re glorificationis *apex* & *coronis* est. Heb. VIII. I. *Consedit ad dextram throni Majestatis illius in cœlis.* Quæ significat summam Christi gloriam:

XV. Neque *summa* modo hæc gloria, sed & uni Christo *propria* est. Transcendit enim longe angelorum omnium, Heb. I. 5. nedum hominum, dignitatem. Eph. I. 20. 21. *Collocavit ad dextram suam in cœlis, longe supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro.* Id est, supra omne illud quod excelsum atque gloriosum est, tam inter *homines* quam inter *angelos*, tam in *prisco seculo T. V.* cujus *extremi dies* Apostolo hæc scribente fluebant, quo seculo magnum erat nomen *Mosis, Prophetæ, Pontificis Maximi*; quam in *seculo T. N. quod futurum* ab Apostolo vocari potuit, respectu παραδοκίας, *exspectationis* veterum, & quia templo ad huc stante nondum Ecclesia plena sua libertate utebatur. In eo seculo maxime claret, nomen Christi esse διαφορώτερον. Sed & ad *futurum seculum gloria* hæc extendenda, ut innuatur, Christum multo sublimiorem omnibus angelis esse, quibuscunque etiam titulorum eminentiis gaudeant: & si quæ sint adhuc iis nominibus augustiora angelorum vocabula, quæ illis adsociati in futuro demum noscemus seculo, iis quoque Christum imperitare. Eamque Christo propriam:

XVI. Hactenus ergo uni Christo propria est hæc gloria, ut cum nulla eam *creatura* partiatur. Quod enim fideles *in throno Christi sessuri* dicantur, Ap. III. 21. vel *ad dextram ejus stare*; Ps. XLV. 10. id intelligendum est de eorum communione cum Christo, per quam fit ut in gloria

Christi tanquam in sua gloria lætentur, ipsique pro suo modulo gloriam nanciscantur, Christi gloriæ quam in natura humana possidet quodammodo similem, neutiquam parem. Qua mente *Divinæ* etiam *consortes* dicuntur *naturæ*. 2 Pet. 1. 4. Quidquid fideles habent, non potest excedere eam præstantiam quam creaturas, Dei beneficentia beatas, habere par est. Id quod Christo datur, dignum est Filio Dei unigenito & ὁμοουσίῳ, dignum officio isto, ad cujus consortium non-Deus admitti non potest.

XVII. Sed numquid eam cum *altera Divina persona* communem habet? Respondeo, eam qua de agimus gloriam *Oeconomicam* esse, quæ Christo *qua Mediatori* competit. Sicut ergo Meditationis officium ex tribus Deitatis personis solus suscepit Filius: ita etiam gloria ea, quæ muneris bene obiti præmium ac merces est, soli competit Christo. Nusquam Scriptura dicit, Spiritum Sanctum ad dei dextram sedere. Interim, quatenus gloria hæc involvit ὑπεροχὴν Deitatis, ac τὸ ἰσότιμον, *paritatem honoris* cum Patre, fundatam in unitate Divinæ essentiæ, eo adspectu a gloria Patris ac Spiritus Sancti separari nequit. Hactenus est communio ejusdem gloriæ ac throni. Luc. IX. 26. Ap. III. 21. Servata tamen distinctione; non *gradus*, multo minus *speciei*, sed *ordinis* tantum; qui esse potest inter eum, qui honorem dat, sive qui aliquem omnibus subjectis pari secum honore afficiendum esse ostendit, & inter eum, qui eo honore afficitur, aut æquo cultu honorandus declaratur.

Tum respectu Personæ; XVIII. Gloria hæc bimembris est: alia ratione *Personæ*; alia ratione *Officii*, ac potissimum *Regii*. Utramque eleganter complexus est Zacharias: Cap. VI. 13. *Reportaturus est decorem, & Sessurus ac dominaturus in solio ipsius*: scilicet Jehovæ.

XIX. Gloria *personæ* attendi potest, partim ratione *Naturæ Divinæ*; partim ratione *Naturæ Humanæ*. Illa nihil est aliud quam Divinæ Majestatis Christi, ex humanæ naturæ gloria relucentis, illustrissima assertio, vindicatio ac patefactio. Nam ut Filius Dei, sub humilis humanæ naturæ velo, suam, in terris, contexerat gloriam; adeo ut raræ solum illius; & a plerisque despectæ, emicuerint scintillæ: sic contra, & carne in gloriam subvecta, solis instar, discussa humilis ac obscuræ conditionis nube, illustri ac sublimi suo fulgore, emicuit; & Filium hominis esse Filium Dei, ac verum Deum, luculenter ac gloriose declaravit, ac declarat. Quam etiam postulavit Christus solenni hac oratione: Joh. XVII. 5. *Glorifica me, tu Pater, ea gloria apud Te, quam habui apud Te, priusquam hic mundus esset.* Hoc est, me esse filium tuum æternum & unigenitum gloriose declara. Quod præcipue in collocatione ad dextram, tanquam glorificationis fastigio, comperitur.

XX. Gloria *humanæ naturæ*, consistit in summa *perfectionis excellentia*, tam quoad *animam*, quam quoad *corpus*; & *gaudio* gloriosissimo propter

ter *utriusque perfectionem*. Perfectio *animæ*, est scientiæ illius & potentiæ ad summum usque gradum amplificatio: quæ sanctitati pristinæ (quæ ab ortu fuit ac mansit perfecta) accessit. *Corporis* vero perfectio, summum robur ac pulcritudinem, formam ac splendorem eximiam, complectitur. De qua Phil. III. 21. Qua etiam ratione sessionem Christi ad dexteram Dei oculis percipi posse, Sacræ literæ attestantur. Mat. XXVI. 64. Act. VII. 56. Hæc perfectionis suæ scientia ac sensus gignit *gaudium* gloriosum & ineffabile, de quo ipse in hæc verba gloriatur: Ps. XVI. 11. *Scire facies me semitam vitæ: Satietas gaudiorum est cum vultu tuo: delectationes sunt in dextera tua in seculum*. Vide sodes *Gomari* Theses, quibus totam hanc personæ Christi gloriam exactissima accuratione delineavit.

XXI. Gloria ratione *Officii*, notat administrationem gloriosissimam Regni Christi. Ideoque quod a Psalte *sedere ad dexteram* vocatur, Ps. CX. 1. illud ab eodem *Dominari*, vers. 2. a Paulo, *Regnare* exponitur. 1 Cor. XV. 25. Quod habet ἀντίθετον ad oppositum *Ministrare*, in statu humili. Mat. XX. 28. Pertinet huc Petri illud: Act. II. 36. *Certo sciat ergo tota domus Israëlis, quod Deus hunc fecerit Dominum & Christum. Fecerit*, id est, *patefecerit*, vindicata ei & asserta coram omnibus creaturis ea præstantia ac potestate, quæ Uncto Dei digna est, ex qua pateat Dominium ejus supra omnia. Vel *Fecerit*, etiam revera. Non quoad Dominii *initium*: nam *natus* est *Dominus*. Luc. II. 11. & in profundissima humilitate mansit *Dominus Gloriæ*. 1 Cor. II. 8. Sed quoad dominii *gradum summum*, & perfectionem gloriosam. Quam Officii.

XXII. *Regnum* Christi duplex est. I. *Divinum*, sive *Essentiale*, quod cum Patre ac Spiritu Sancto commune habet. II. *Mediatorium*, sive *Personale*; quod habet qua Θεάνθρωπος. Non tamen ita accipienda hæc distinctio, quasi Dominium istud Christi Mediatoris in Ecclesiam, quatenus involvit plenitudinem potestatis, & nomen supra omne nomen, in quo omne genu flectendum, in re differat a Regno Divino, aut dicat Majestatem Regni inferiorem regno Dei Altissimi. Tale enim est hoc regnum, ut importet solidam demonstrationem veræ Deitatis Christi, & τὸ ὁμοούσιον ac ἰσότιμον cum Patre: verbo, ut non possit competere non-Deo. Jes. XXXIII. 22. *Nam Jehova vindex noster, Jehova Legislator noster, Jehova Rex noster*. Regnum Christi duplex.

XXIII. Aditio *regni Mediatorii*, pro diversa ratione disparium naturarum in persona Christi diversa quoque est. Si *Divinam naturam* attendas, est vindicatio & demonstratio potestatis illius, quam filius Dei, homo factus, jure suo, habet, ab æterno habuit, & æternum habebit, in omnia. Ut enim regni sui gloria, ad tempus humiliationis, se quodammodo exinanivit; non privatione aliqua Dominii, quod a Deitate inseparabile est, sed illius sub forma servi velatione: sic contra re- Regnum Mediatorium, pro disparitate naturarum, diversimode Christus adiit.

regnum accepisse dicitur, deposita servi specie; non novæ potestatis, qua antea caruerat, accessione, sed pristini regni, quod perpetuo habuerat, revelatione, atque confirmatione illustri: quà ab omnibus, Dominus, licet carne vestitus, agnoscatur. Sin *humanam naturam* spectes, aditio regni significat usum gloriosum potestatis illius maximæ, finitæ tamen, ac Deo subordinatæ, quæ Christo homini data est longe supra omnes creaturas; cui, propter unionem hypostaticam cum τῷ λόγῳ parem nec habent, nec habere possunt, eminentissimæ angelorum classes, *ut inter omnes primas teneat.* Col. I. 18.

Idque vel Universale est, vel Particulare.

XXIV, Porro *Regnum Mediatorium*, vel *Universale* est, qua omnibus creaturis summa potestate imperat, cum certo tamen ad Ecclesiam respectu, quatenus in illius commodum creaturis omnibus utitur. Mat. XXVIII. 11. Eph. I. 20. 21. 22. Phil. II. 9. 10. 11. I. Cor. XV. 27. Heb. II. 8. Vel *particulare*: quod est suprema ac gloriosa construendi ac conservandi Ecclesiam, ex omnibus gentibus collectam, potestas. Ps. II. 8. CX. I. 2. 3. Eph. I. 22. *Constituit eum caput super omnia ipsi Ecclesiæ.*

Quod certo tempore eximio sibi modo Christus vindicavit.

XXV. Eam potestatem eximio modo sibi asseret Christus, quando vindicato populo Iraëlitico, Antichristo sede sua deturbato, & corruptis corruptoribus terræ, ad vocem tubæ septimæ voces magnæ in cœlo audientur, *dicentes: Facta sunt regna mundi Domino nostri & Christi ejus, & regnabit in secula seculorum.* Et viginti quatuor seniores dicent: *Gratias tibi agimus, Domine Deus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venit: quia accepisti potentiam tuam magnam & Rex factus es.* Apoc. XI. 15. 16. 17.

Regni illius quis terminus.

XXVI. Sessurus est Christus ad dexteram Patris, id est, regnum hoc Oeconomicum obtenturus, *usque quo omnes inimicos supposuerit pedibus ejus. Deinde erit finis, quum tradiderit regnum Deo ac Patri.* Nam *postquam subjecta fuerint ei omnia, tunc & ipse Filius subjicietur ei qui subjecit ipsi omnia, ut Deus sit omnia in omnibus.* I. Cor. XV. 24. 25. 27. Quæ qua mente dicta sint, haut indiligenter exposuimus *Exercit.* X. *Themate* XXXIX. & *seq.*

Regia Christi dignitas in cætera quoque munera derivatur.

XXVII. Sciendum autem, dignitatem hanc regiam in reliqua etiam Christi munera derivari. *Prophetiam* enim nunc exercet *Regiam*, per potentem Spiritus S. cum prædicatione ministrorum cooperationem; atque, ubi postularet utilitas, per subsequentia signa miraculosa. Mar. XVI. 20. *Illi profecti prædicarunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.* I. Thes. I. 5. *Sacerdotium* quoque *Regium* exercet, dum non humiliter, sed gloriose, ut Rege dignum est, caussam nostram in cœlis agit, *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedechi.* Ps. CX. 4. Heb. VII. 24. 25. 26. Zachar. VI. 13. *Erit* SACERDOS IN SOLIO EJUS.

XXVIII.

XXVIII. Summus hic exaltationis Christi gradus aliquando ad *Patrem* ut caussam refertur, aliquando ad ipsum *Christum*. Est enim ubi *Pater* dicitur Christum *ad dexteram suam collocasse*. *Eph.* I. 20. Huc pertinet Act. II. 33. *Dextra Dei exaltatus*. & v. 31. *Hunc Deus dextra sua sursum sublatum constituit Principem*. Heb. II. 7. *Gloria & honore coronasti eum, constituisti eum super opera manuum*. Est etiam ubi *Christus* dicitur *consedisse ad dextram Dei*. Mar. XVI. 19. Heb. II. 7. VIII. I. & gloriam illam suo jure sibi sumsisse. Zach. VI. 13. וישא הוד *& accipiet Majestatem*. Summa haec Christi exaltatio, cur aliquando Patri attribuatur, alibi ipsi Christo.

XXIX. Neutrum caret sua emphasi, Pater enim id Christo dedit, ex pacto convento, secundum *justitiam*; quae exigit, ut exaltatio Christi gloriosa humiliationi spontaneae exacta proportione respondeat. Haec autem quum ad infimum se demiserit gradum, conveniens est ut illa quoque ad summum pertineat. Jus hoc Christo partum docent verba illa Ps. II. 8. *Pete a me*, ex pacto convento, *& dabo gentes in possessionem tuam*. & Jes. LIII. 21. לכן IDCIRCO *portionem ei dabo inter multos*, תחת אשר EO QUOD *effudit ad mortem animam suam*. Ps. XLV. 8. *Amasti justitiam, odisti iniquitatem* (haec fuit obedientia Christi) על־כן, PROPTEREA *unxit te, o Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis*. Haec non est unctio *gratiae*, in terris, sed *Gloriae*, in coelis. Metaphora ab hilaribus festisque conviviis desumta. Conf. Ps. XXIII. 5. Jes. LXI. 3. Luc. VII. 47.

XXX. Quando alibi hujus gloriae datio *gratiae* imputatur, ut Jes. XVI. 5. והוכן בחסד כסא, *& stabilitus est in gratia thronus*. & Phil. II. 9. Ἐχαρίσατο *gratiose largitus est nomen supra omne nomen*; duo docentur: primo exaltationem Christi, non minus quam humiliationem, esse ex gratia erga eos qui Christi sunt; dein, Deum magna amoris propensione Filio collatione hujus gloriae gratificatum esse. Nam χαρίζεσθαι, *Hesychio* interprete, est δρᾶν τὰ κεχαρισμένα, *grata facere*. Nequaquam autem *gratiae* vocabulum hic torquendum ad depreciationem *juris*, quod Christo quovis optimo nomine competit. Id enim Apostolus eo ipso loco luculente asseruit. Et quidem *duplum*: alterum, *naturale*, fundatum ἐν τῷ ὁμοουσίῳ (fuit enim ἐν μορφῇ θεοῦ, id est verus Deus, & ut talis etiam manifestatus ac cognitus: *nec existimavit esse raptum* τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, hoc est, credidit, ut res est, posse se sine sacrilegio & injusta invasione Divinae gloriae, aequalitatem cum Deo palam profiteri, licet, rebus sic ferentibus, eam ad tempus dissimulaverit. vers. 6.) alterum, *quaesitum*, fundatum in spontanea obedientia, juxta pactum. *Factus obediens* &c. QUA PROPTER *etiam Deus eum* ὑπερύψωσε. vers. 8. 9. *Vigilius Lib.* V. *contra Eutych: An forte negabunt, Domino Jesu Christo ob meritum passionis & mortis haec omnia fuisse collata? Legant Apostolum dicentem de ipso: Humiliavit*

liavit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: PROPTER QUOD *& Deus ipsum exaltavit &c.*

XXXI. Christus autem ipse *consedisse* dicitur, quatenus jure suo utens, post exantlatos labores, placide quiescit: gloriamque optimo sibi jure debitam, ac prorsus suam, occupat, asserit, vindicat, & ad Patris gloriam, suorumque salutem, convenienter conditioni cœlesti, magnifice ostentat.

Tendit ea I. ad gloriam Patris.

XXXII. PATRIS GLORIA hic agitur, quæ ab illa Filii separari nequit. Phil. II. 12. *Omnis lingua profiteatur Jesum Christum esse Dominum, ad gloriam Dei Patris.* Quippe *Veritas* ac *Potentia* Dei, ex præpotenti ac constanti promissæ sessionis præstatione; *Justitia*, ex debita præmii ac gloriæ tributione; *Gratia*, ex humanæ Christi naturæ longe supra omnes angelos evectione, nostræque salutis eo modo procuratione, elucescit. Nec hoc tantum. Sed Pater honorari non potest, neque ab homine peccatore pro Patre agnosci, nisi in Filio. Joh. XIV. 13. *Ut glorificetur Pater in Filio.* Gloria Dei est, non tantum quod is cognoscitur æternus, perfectus, potens, creator, hominis bonum, & finis, dignus obedientia, & cultu; sed etiam, quod is cognoscitur, amatur, honoratur, ut Deus, justitia, justificator sanctificator, glorificator peccatoris. Hæc autem gloria Deo non datur, nisi in Filio, primum humiliato, dein exaltato.

II. Ad validam Ecclesiæ consolationem.

XXXIII. Sed & NOSTRA hinc SALUS pendet. I. Universa hæc capitis nostri gloria ad nos redundat. Quum enim Christus ipse, quantus quantus est, noster sit; illius quoque gloriam nostram esse necesse est. Eph. I. 22. 23. *Constituit eum caput super omnia ipsi Ecclesiæ, qua est corpus ipsius, & complementum ejus qui omnia implet in omnibus.* Quod, uti judiciose a Celeberrimo interprete observatum est, hunc habet sensum: Dedit illum Ecclesiæ caput, per puod Ecclesia constitueretur supra omnia. Ecclesia, inquam, quæ *corpus ipsius est*, data nimirum & conjuncta Christo, ut eam vivificaret & in ea viveret per Spiritum suum. *Et plenitudo ejus qui complet omnia in omnibus*, id est completum Dei, quod compleatur non solum a Deo, sed & Deo; ut scilicet Deus sit in ea omnia, & non sint in ea sicuti nunc, aliud caro, aliud spiritus; aliud vivens, aliud moriens; sed omnia in incomprehensibilem gloriam ac gaudium convertantur. Vel etiam plenitudo qua compleatur ipse Christus, uti ad capitis perfectionem cætera corporis membra faciunt, & capitis gloria a gloria membrorum separari nequit. Id enim agit Apostolus ut ostendat, eandem virtutem Deum exserere erga nos, quam exseruit in Christo collocando ad dextram suam. Et sane eodem nos ducunt verba Ps. VIII. 5. 6. 7. Quod enim ibi de *Filio hominis* dicitur, non tantum de Christo, sed & de Ecclesia oportet intelligi: quanquam de Christo, ut capite,

capite, de Ecclesia, ut corpore. Nam de quo homine dicendum fuit, eum indignum fuisse ut visitaretur a Deo, de eodem, postquam visitatus fuit a Deo dicendum est, quod gloria & honore coronatus sit. Quod tam ad corpus quam ad caput pertinet. Quemadmodum ergo Filio hominis Capiti, ita etiam Filio hominis corpori, omnia subjici debent. Et hoc est quod Christus dicit, Ap. III. 21. *Qui vicerit tribuam ei ut sedeat in throno meo.* &c. Non exiguum huic loco clarorem adfert observatio *Ludovici de Dieu*: nimirum thronum Regis apud Orientales amplum & latum esse lecticæ instar, fulcris aliquantulum supra terram evectum, ac tapetibus ornatum; adeo ut præter sedem Regi propriam, alii quoque, quos honore adficere cupit Rex, in eodem throno sedes habere queant. Conferri possunt quæ de septem thronis Magni Mogol, imprimis amplissimo illo quem Tamerlanes inchoavit, curiose annotat *Johannes Baptista Tavernier*, αὐτόπτης, *Itiner. Part.* II. *Lib.* II. *Cap.* VIII.

XXXIV. II. In ista constitutus gloria continuo pro nobis *intercedit*: nec dubium quin semper exaudiendus. Postquam Salomo matrem ad dextram suam considere jussisset, nihil frustra petituram spospondit. 1 Reg. II. 20. Multo minus fieri potest ut cassæ Christi, ad Patris dextram considentis, preces sint: quippe qui *sustineat omnia verbo suo potente, & purificatione peccatorum nostrorum per se ipsum* prius *facta* tum demum *consederit ad dextram majestatis. Heb.* I. 3. Hanc consolationem egregie inculcat Apostolus. Heb. VIII. 1. 2.

XXXV. III. Ex isto gloriæ throno *jus* populo suo *dicet* caussamque ejus adversus quoscunque hostes fortiter ac feliciter *tuebitur*, quippe qui *dominatur inter medios hostes.* Ps. CX. 2. Jes. XVI. 5. *Et stabilietur benignitate solium cui insideat constanter in tentorio Davidis, judex & procurans jus & promtus ad justitiam.* Adde Ps. VII. 8. 9. 10. XLV. 5. 6. 7. Frustra sunt impiorum hominum, & infernalium dæmonum, nefanda adversus Ecclesiam molimina. *Sedens in cœlis ridet, Dominus subsannat eos.* Ps. II. 4. Nequicquam frementibus improbis, frendentibus Diabolis, regnat, æternumque regnabit Jesus; qui *ut inane tollet omne imperium, & omnem auctoritatem & potestatem.* 1 Cor. XV. 24. Regnat etiam in & cum Christo Ecclesia, quæ *una cum ipso in cœlis collocata*, Eph. II. 6. vanas hostium iras ex alto dispicit: ac

Celsior exsurgit pluviis, auditque ruenteis
Sub pedibus nimbos, & sæva tonitrua calcat.

Jehova regnat celsitate indutus: Jehova robore accingit se, etiam stabilitur orbis habitabilis, ne dimoveatur. Stabile est solium tuum ab illo tempore; inde a seculo tu regnas. Utut attollant flumina, o Jehova attollant flumina sonum suum &c. Ps. XCIII.

XXXVI. Valida quoque est consideratio gloriæ hujus, qua nunc crea- III. Ad terrorem impiorum.

creaturas omnes supereminet Jesus noster, ad TERROREM IMPROBIS incutiendum. Huic fini ipse eam allegabat: Mat. XXVI. 64. Confer Jes. II. 10. 11. 19. Act. IV. 3. 4. Ps. XCVII. 1-5. *Jehova Regnat-Nubes & caligo circumstant eum-Ignis ante eum procedit, & inflammat circumquaque hostes ejus. Perlustrant fulgura ejus orbem habitabilem &c.* Aperite tandem oculos mortalium vesanissimi, & excutite torporem illum quo hactenus obriguistis. Hic est ipse ille Jesus, quem tam neglectim ac contemptim habuistis, cujus verbum sprevistis, cujus servos ludibrio ac contumeliis affecistis, cujus subditos oppresistis, cujus gratiam proterve rejecistis, de quo dixistis, nolumus hunc regnare super nos. Hic jam superbo Divinæ Majestatis throno insidens æternum capessivit regnum, virgam ferream manu sua gerens, qua totam terram cum æneo & ferreo suo robore, cum splendore aureo atque argenteo, non secus comminuet quam figulina vascula: & contundet tanquam pulverem coram vento, friabitque tanquam lutum platearum. Agnoscite & colite tanti regis Majestatem & horrescite e conclavibus vestris. *Colite Jehovam cum reverentia, & exsultate cum tremore. Osculamini Filium, ut non irascatur, & pereatis in via, quum exarserit vel minimum ira ejus.* Ps. II. 11. 12.

IV. Ad ingenerandos nobis affectus tanta tanti Regis gloria dignos.

XXXVII. Denique omnibus nobis, qui in animo credimus Christum ad Patris dextram sedere, ingenerare debet tanti Regis gloria I. SANCTAM REVERENTIAM. Si enim exigui quidam splendoris hujus radii, per tenues quasi rimulas emicantes, tanto stupore pios perculerint spectatores: Gen. XXVIII. 17. Luc. V. 8. quanta nos reverentia tangi par est, qui integro inaccessæ illius lucis fulgore velut circumfundimur? Si talem eum intentis fidei oculis conspiciamus, qualis conspectus Johanni est; Ap. I. 13-17. mirum ni & nos ad pedes ejus sacri horroris pleni concidamus. II. AMOREM DOMINII Christi in cordibus nostris, quod tam gloriosum est in cœlis. O quam alacriter ei aperiendæ sunt urbium, ædium, animorum nostrorum portæ! Ps. XXIV. 7. 10. III. CONTEMTUM RERUM TERRENARUM, ac desiderium cœlestium. Videmus enim in capite nostro Christo, *quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis.* &c. Eph. I. 18. 19. 20. Cui tanta proposita sunt præmia, quique nunc eorum arrhabonem ac primitias habet in Spiritu gloriæ quo donatus est; eumne fas est circa minutias hujus seculi ac mera rerum ludibria pueriliter ineptire? Quin generosa mente scenicum hunc mundi apparatum despicimus? nihil quippe habentem quod nostra sit dignum ambitione: adspirantes interim & anhelantes ad βραβεῖον illud cœleste, amarantinam illam gloriæ coronam, qua redimiti ad dextram Monarchæ nostri Jesu æternum quieturi ac triumphaturi considebimus. Votis etiam occupantes & accelerantes illam toties sacris oraculis promissam

missam gloriosam manifestationem regni Christi in terris, atque felicia ea tempora, quibus

—— redeat concordia, virtus,
Cumque fide pietas alta cervice vagetur.

Aut, ut sacri potius vatis carminibus utar, quibus *montes pacem populo proferant, & colles propter justitiam: ut quum descendit pluvia super sectam herbam; quum imbres, irrigatio terræ: quibus denique floreat justus, & amplitudo pacis; donec non sit luna.* Ps. LXXII. 3. 6. 7.

EXERCITATIO XXII.

DE

REDITU CHRISTI AD ÆTERNUM JUDICIUM.

BREVIARIUM.

1. *Doctrina æterni judicii ex fundamentalibus est.* 2. *Quatuor universalia Dei judicia in genus humanum.* 3. 4. 5. *Æterni judicii certitudo.* 6. *Deus generatim, judex est.* 7. 8. 9. 10. *Et speciali appropriatione, Christus.* 11. *Auctoritate non aliena, sed sua, & summa.* 12. 13. *In demonstratione maximæ gloriæ.* 14. 15. *Cum tuba Dei.* 16. *Et numeroso angelorum comitatu.* 17. *Qui sua Christo præstabant ministeria.* 18. 19. *Sancti homines proprie loquendo non erunt adsessores Christi in judicio.* 20. *Nequidem Apostoli.* 21. 22. *Boni angeli an judicandi sint, non liquet: de malis, constat.* 23. *Homines omnes judicabuntur.* 24. *Super omnibus actionibus suis.* 25. 26. 27. *Num peccata piorum in judicio etiam publicanda sint.* 28. 29. *Caussæ cognitionem, non operosam, attamen exactam;* 30. 31. 32. 33. *Excipiet sententiæ pronunciatio.* 34. *Hanc, exsecutio.* 35. *Locus judicii erit in aëre & nubibus.* 36. 37. 38. 39. *Quæ de valle Josaphati a nonnullis huc trahuntur, parum solida sunt.* 40. 41. 42. *De tempore quæ notanda sint.* 43. 44. 45. *Praxis hujus articuli.*

I. PRincipibus sacratissimæ religionis nostræ elementis, ac fundamentalibus articulis, accenset Apostolus doctrinam de ÆTERNO JUDICIO. Heb. VI. 2. Quod quum novissimus Regni Christi actus, & luculentissima Divinæ illius gloriæ demonstratio, & spei Christianæ anchora, & validum carnalis securitatis antidotum, furentiumque cupiditatum frenum, & solicitæ pietatis incenti- Doctrina æterni judicii ex fundamentalibus est.

 vum

vum sit; non minori profecto quam cætera omnia accuratione ac diligentia pertractandum nobis est.

Quatuor universalia Dei judicia in genus humanum.

II. Publica atque universalia totius humani generis judicia *quatuor* Scriptura memorat. *Primum* in Paradiso, in generis humani parentes. Gen. III. 8. &c. *Alterum* in mundum antediluvianum. Gen. VI. 3. *Tertium* in societatem humanam ad Babylonicum flagitium in campis Sinear congregatam. Gen. XI. 5. 6. 7. *Quartum* denique novissimum illud, de quo nunc agimus: quod omnium maxime universale erit, in omnes sine exceptione homines, non vivos solum, sed & mortuos. 2 Tim. IV. 1.

Æterni judicii certitudo.

III. Judicaturum aliquando de universis ac singulis Deum colligi potest. I. *Ex libro communis Providentiæ.* Hic enim bonorum malorumque fata commixta, ac confusæ vices sunt. Eccl. IX. 2. Imo imperante florenteque nequitia, virtus non solum præmiis caret, verum etiam scelelatorum pedibus subjecta calcatur, & loco facinorum supplicia luit. *Premit insonteis Debita sceleri noxia pœna: At perversi resident celso Mores solio; sanctaque calcant Injusta vice colla nocenteis. Latet obscuris condita virtus Clara tenebris; justusque tulit Crimen iniqui.* Ps. LXXIII. 3. Laboraret autem Divina justitia, nisi mutatis aliquando rerum vicibus, dies aliquis piorum atque impiorum vastum discrimen igne liquido liquidius demonstraret. Mal. III. 16. 17. 18. *Tunc timentes Jehovæ frequenter prædicant, alter apud alterum: enimvero attendit Jehova & audit, atque conscriptum est in libro commentarii coram eo, pro timentibus Jehovæ, & cogitantibus de nomine ejus. Hi erunt mei, ait Jehova exercituum, quo die ego confecturus sum peculium. Tunc conversi videbitis inter justum & improbum quid intersit, inter colentes Deum & eum qui non colit ipsum.* II. *Ex libro Conscientiæ*, quæ suis hic judicandi vicibus functa, reos omnes ad tribunal Dei citat, iterum ibi ac severius judicandos. Rom. II. 15. 1 Joh. III. 20. III. *Ex libro Scripturæ*, quo tota hujus judicii scena, pro majestate supremi judicis superbe instructa, cum omni suo apparatu exhibetur. In quibus plurima sunt quæ natura prorsus ignorat, alia quæ non nisi imperfecte ac confuse docet.

IV. Quatuor hic expendenda. I. JUDEX. II. JUDICANDI. III. SENTENTIA. IV. Circumstantiæ LOCI ac TEMPORIS.

V. In JUDICE consideranda I. PERSONA. II. GLORIA. III. COMITATUS.

Deus generatim judex est.

VI. JUDEX, Deus est, nulla Divinarum personarum exclusa, quarum una scientia, voluntas, potestas, sententia est. Eccl. XI. 9. *Cognosce fore, ut propter hæc omnia adducat te Deus ipse in judicium.* & XII. 14. *Omne opus Deus ipse adducet in judicium.* Et Paulus memorat *diem iræ, & justi judicii Dei.* Rom. II. 5. prædicatque *Deum judicem omnium.* Heb. XII. 23. Nimirum Deus, eo ipso quia Deus est, hoc est

est ens infinite perfectum, creaturarum rationalium Rex & *Legislator* est. Jac. IV. 12. Ideoque & *judex*, secundum legem istam de actionibus hominum cogniturus, & vel præmia vel pœnas secundum legis sanctionem distributurus. *Qui reddet unicuique secundum opera sua.* Rom. II. 6.

VII. Sed speciali oeconomia judicium attribuitur CHRISTO: de qua re plurima & notabilia in utriusque instrumenti tabulis testimonia exstant. Jes. XVI. 5. Messias nuncupatur *Judex, & procurans jus, & promtus ad justitiam.* Eodem retulerim illud Cap. XXXIII. 22. *Jehova judex noster, Jehova legislator noster, Jehova Rex noster, ipse salvabit nos.* Omnia enim hæc, epitheta sunt Messiæ sospitatoris: qui uti a Deo inunctus est in Regem Zionis, ita etiam legem tulit in panegyri Israëlis: Act. VII. 38. secundum quam Israëlem judicabit totumque orbem terrarum. Ezech. XXI. 27. promittitur venturus אשר לו המשפט *cujus est jus*, vel *judicium*; qui & jus habet ad coronam incorruptibilem atque inalienabilem, domui Davidis promissam, &, quia Rex est, potestatem habet judicium exercendi in omnes. Neque de alio interpretor illud Michæ IV. 14. *Virga percutiunt in maxilla judicem Israëlis.* Nam & Christo hanc injuriam illatam esse ex Evangelio constat; & quis præter eum judex Israëlis dici potest, qui a Judæis percussus sit, & in cujus vindictam Romani rempublicam destruxerint? Nam de destructricibus eorum legionibus hoc commate agitur. Eodem pertinet Ps. LXXII. 1. *O Deus, judicia tua Regi da, & justitiam tuam Filio regis.* Ubi Chaldæus non prorsus incommode: למלכא משיחא ברידה דדויד מלכא *Regi Messiæ, Filio Davidis Regis.* Sed satius est cogitare ὄνομα διαφορώτερον, ut denotetur Rex, ἰδίως καὶ ἐξόχως, qui non hæres est ullius hominis in regno suo, sed Filius veri regis, Patris Dei. In Testamento novo creberrime idem inculcatur. Vide Act. XVII. 31. Rom. II. 16. 2 Cor. V. 5. 2 Tim. IV. 1. Et speciali appropriatione, Christus.

VIII. Imprimis memorabile est Christi illud: Joh. V. 22. *Pater non judicat quenquam, sed judicium omne*, vel *totum, dedit Filio.* Cui repugnare videtur alterum illud ejusdem Christi: Joh. VIII. 15. *Ego non judico quenquam*, & vers. 50. *Est qui quærat & judicet*, nimirum Pater. Conciliationis hæc est ratio. Pater non judicat quenquam I. Seorsim a Filio. II. In forma visibili. III. Ut Rex Oeconomicus Ecclesiæ. Non tamen idcirco omni se judicandi potestate, vel exercitione etiam, abdicavit. Filius enim *venit in nomine Patris.* Joh. V. 43. *neque potest a semet ipso operari, nisi viderit Patrem operantem.* vers. 19. ideoque Pater judicat per Filium; *Deus, per virum quem definivit.* Act. XVII. 31. *Dominus per Jesum Christum.* Rom. II. 16. Quando autem Christus negat se quenquam judicare, id ita intelligendum est. I. Ut non sit minister condemnationis, qualis erat Moses 2 Cor. III. 9. *Non enim misit eum Deus, ut judicet mundum;*

mundum; sed ut mundus servetur per eum. Joh. III. 17. II. Ut non judicet seorsim a Patre. Id enim innuunt verba sequentia vers. 16. *Et si judicem vero ego, judicium meum verum est: quia solus non sum, sed ego & Pater, qui me misit.* Confer. vers. 28. *A me non facio quicquam, sed quemadmodum me docuit Pater meus, sic loquor.*

IX. Exponenda etiam ratio est, cur Patri placuerit omnem judicandi potestatem in Filium transcribere, quæ edisseritur Joh. v. 27. *Et auctoritatem ei dedit etiam judicium exercendi,* Ὅτι EO QUOD *Filius hominis est.* Cujus αἰτιολογίας hic est valor. I. Quia Filius Dei voluntaria κενώσει filius hominis factus est, ut per ea quæ in assumta carne faceret & pateretur, hostes regni Dei destrueret, salutemque impetraret suis; æquum fuit ut judicium quoque exerceret in debellatos hostes, & quam suis impetraverat salutem eam iis adjudicaret. Hinc victoria ipsius & judicium consociantur. Ap, XIX. II. II. Quia Filius Dei, in forma Filii hominis, legi se subjecit; & judicandum condemnandumque se improbis hominibus stitit, uti temere sibi arrogatæ Divinæ Majestatis reum: conveniens est ut versa rerum vice, legis Dominus demonstretur, & iniquorum suorum judicum judex; asserta ei non ementitæ Deitatis gloria. Huc provocabat, quum reus ac sordidatus, ad Judaici consessus tribunal staret. Mat. XXVI. 64. *Augustin. Serm.* LXIV. *de Verb. Dom. Sedebit judex, qui stetit sub judice. Damnabit veros reos, qui factus est falsus reus.* III. Quia Filius hominis est, poterit in ea natura ab omnibus conspici, & judicium exercere ὁρατῶς καὶ ἀκουστικῶς. Apoc. I. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt. Augustin. lib. I. de Trin. Cap.* XIII. *Ita dictum est, Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio: ac si diceretur, Patrem nemo videbit in judicio vivorum & mortuorum, sed omnes Filium, quia & Filius hominis est, ut possit ab impiis videri.*

X. Judicium exercebit Christus secundum *utramque naturam: Divina* conferente infinitam majestatem, scientiam, potentiam: *Humana* actus judicandi visibiliter & audibiliter exercente.

Auctoritate non aliena, sed sua, & summa.

XI. Non faciet id Christus auctoritate aliena, delegata, ut tabellio aliquis, & interpres alterius: sed sua, summa, autocratorica. In nomine quidem Patris omnia facit, ut ostendimus thes. VIII. tum quia Filius est, & non nisi a Patre operatur, tum præcipue quia communi Trinitatis consilio, cujus principium a Patre ut prima persona est, œconomiam muneris mediatorii suscepit. Attamen quum eadem sit Christi & Patris uti Deitas, ita etiam voluntas, quicquid Christus in exercitio muneris sui facit, id facit auctoritate quoque sua, Divina nimirum illa, & summa, quam cum Patre communem habet. Et hoc certe quod nunc tractamus ἀποτέλεσμα Divinam majestatem involvit, aut supponit;

neque

neque patrari potest a non-Deo. Sine dubio gloriam Dei non alienabilem adstruunt illa Dei verba Jes. XLV. 23. *Per me juravi, prodiit ex ore meo justum verbum, quod non revocabitur; mihi incurvatum iri omne genu, juraturam omnem linguam.* Ea autem Christo, & judicio per Christum exercendo applicat Apostolus Rom. XIV. 10. 11. *Augustinus U. S. Filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea quia Filius Dei est. Et rursus; Filius Dei judicaturus est, non tamen in ea forma apparens, in qua Deus est, æqualis Patri: sed in ea, in qua Filius hominis est.*

XII. Gloria Christi ad judicium venientis erit longe maxima. Magna fuit quum legem ferret in monte Sinai. Exod. XIX. Deut. XXXIII. 2. Sed major erit, quum secundum legem illam judicaturus est. *Cujus vox tunc concussit terram: nunc autem denunciavit, dicens: adhuc semel ego concutiam non solum terram, sed etiam cælum.* Heb. XII. 26. In demonstratione maximæ gloriæ.

XIII. Consistit illa I. *In splendore Divinæ majestatis*, illustrissimis radiis in humana etiam natura effulgente. Mat. XXV. 31. *Quum autem venerit Filius hominis in gloria sua, tunc sedebit in throno gloriæ suæ.* Ac ne quis gloriam Divina ac infinita minorem suspicetur, dicitur, Christum *venturum in gloria Patris sui.* Mat. XVI. 27. Mar. VIII. 38. non quam, veluti alienam, a Patre, ad tempus mutuetur, sed quam, διὰ τὸ ὁμοούσιον, rapinam non ducens τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, cum Patre communem habet. Unde vocatur δόξα αὐτοῦ καὶ τοῦ Πατρὸς Luc. IX. 26. Ita Patris, ut æquo jure sua sit. Divina autem gloria ista μέλλει ἀποκαλύπτεσθαι 1. Pet. V. 1. in assumta carne. Usurpabitur enim cunctorum oculis. Mat. XXVI. 64. *Videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ & venientem in nubibus cæli.* Mat. XXIV. 30. *Omnes tribus terræ videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum potentia & gloria multa.*

XIV. II. In magnificentia vocis ac tubæ, quæ adventum ejus comitabitur. 1. Thes. IV. 16. *Ipse Dominus descendet e cælo, ἐν κελεύσματι CUM HORTATIONIS CLAMORE*, quo jubebit & faciet vivos attendere seque ad judicium accingere. CUM VOCE ARCHANGELI, id est, ea jussionis suæ efficacitate qua se demonstret principem Angelorum esse, eosque convocatos secum adducat. Unum enim solummodo Archangelum Scriptura tradit; qui Christus est, מלאך האדון *Angelus Dominus.* Mal. III. 1. *Caput omnis imperii ac potestatis.* Col. II. 10. *Per quem & Angeli conditi sunt.* Col. I. 16. & de quo dictum est, *adorent eum omnes Angeli Dei.* Heb. I. 6. cui denique ipsi *Angeli & potestates ac virtutes subjectæ sunt.* 1. Pet. III. 22. CUM TUBA DEI, qua ut Deus excitet mortuos. Joh. V. 28. Cum tuba Dei.

XV. Alibi quoque hujus TUBÆ mentio est. Mat. XXIV. 31. 1. Cor. XV. 51. Per quam quid intelligendum sit, non uno modo explicant secretioris sapientiæ consulti. Sunt qui proprie eam interpretantur, his

his inducti rationibus. I. Quia sine necessitate non est recedendum a litera. II. Quia in promulgatione legis clangor tubæ vehementer strepentis auditus fuit. Exod. XIX. 16. Quidni idem futurum esse credamus in judicio secundum istam legem ferendo? III. Quia in Hierichuntis excidio vox tubæ Divino jussu insonuit. Jos. VI. 5. Unde infertur ut probabile, idem quoque futurum quando Hiericho h jus mundi corruet. Alii metaphoram subesse malunt: quam tamen exponunt diversimode. Nonnulli de tonitruis, qualia Deo publice loquente adhibita sunt. Exod. XIX. 16. Joh. XII. 29. Alii de articulata voce, ab Angelis in aëre formanda, qualis illa Mat. XXV. 29. *Ecce Sponsus venit, exite in occursum ejus.* Nobis simplicissimum, & scripturæ stilo convenientissimum videtur, uti intelligamus de efficacissimo, omniaque pervadente, & virtutem suam in omnibus ostentante, Christi imperio. Nam patefactio virtutum Dei in judiciis, ad quam cum stupore homines cogantur attendere, per clangorem tubæ in Apocalypsi designatur. Ille autem jussus Christi tubæ comparatur. I. Quia uti sonorus admodum tubæ vehementiori spiritu inflatæ clangor est, ita imperium hoc Christi vim suam longe lateque exseret; non per omnem modo terrarum orbem, sed & ad defunctorum receptacula, & inaccessas inferorum specus penetrans: unde & σάλπιγξ φωνῆς μεγάλης dicitur, II. Quia tuba convocari solebat Israëlitica panegyris. Num. X. 1. 2. Tunc autem convocabuntur omnes incolæ terræ. III. Tuba etiam festi dies indicebantur. Lev. XXIII. 24. Num. XIX. 1. Cæterum hic dies toti Ecclesiæ erit festivissimus.

Et numeroso Angelorum comitatu.

XVI. III. *In frequenti Angelorum stipatu.* Ita enim prophetavit septimus ab Adamo Enochus, dicens, *Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis.* Jud. vers. 14. Et Paulus narrat *revelationem Domini Jesu de cœlo cum Angelis suis potentibus.* 2. Thess. I. 7. Quorum illustris comitatus quin ad gloriam Domini, tot cœlestis aulæ satellitibus cincti, plurimum facturus sit, eccui potest esse dubium? Certe ita nos arbitrari ipse Dominus jussit. Mat. XXV. 31. *Quum venerit Filius hominis cum gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit in throno gloriæ suæ.* Et Luc. IX. 26. *Filius hominis veniet cum gloria sua & Patris, sanctorumque angelorum.*

Qui sua Christo præstabunt ministeria.

XVII. Sed præter hoc alia tunc Christo *ministeria* præstabunt. I. In judicandorum congregatione. Mat. XXIV. 31. *Mittet angelos suos & cogent electos ejus a quatuor ventis, a cœlorum extremo ad eorum extremum.* Hinc junguntur *adventus Domini nostri Jesu Christi, & nostri ad eum aggregatio.* 2. Th. II. 1. angelorum videlicet ministerio patranda. Mat. XIII. 27. II. In congregatorum separatione, Mat. XIII. 49. *Ita erit in consummatione seculi, prodibunt angeli, & segregabunt malos e medio justorum.* III. In impiorum ad locum supplicii detrusione. Mat. XIII. 41. 42. *Mittet Filius*

Filius hominis angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula, & eos qui dant operam transgressioni legis; projicientque eos in fornacem ignis. IV. In piorum ad cœlum subvectione. 1 Thes. IV. 17. *Rapiemur cum iis in nubes, in occursum Domini in aëra, & ita semper cum Domino erimus.* Quem raptum piorum tam judicandorum, versus Christi gratiosum tribunal, quam judicatorum, in cœlum, Angelorum factum iri opera, exinde colligimus, quod iidem Angeli piorum animas, a corporibus morte sejunctas, in cœlum deferunt. Luc. XVI. 22. Quid ni consimile officium præstare credamus integris eorum personis.

Sancti homines proprie loquendo non erunt Adsessores Christi in hoc judicio:

XVIII. Quæsitu dignum est, num sancti quoque homines Christi in hoc judicio futuri sint adsessores? Ita quidem multi opinantur, propter illud Pauli dictum 1 Cor. VI. 2. 3. *An ignoratis sanctos mundum judicaturos? An ignoratis fore ut Angelos judicemus?* Sed dubitare liceat, an illatio ea satis sit solida. Nolim profecto eos exagitare, qui dicunt sanctos mundum judicaturos esse locutione quadam impropria, quatenus id facient in Christo capite suo, cui adunati sunt per spiritum & fidem, & cujus gloria, quantum ejus fieri potest, cum membris communicatur. Confer Eph. II. 6. Ap. II. 26. 27. II. Sententiæ Christi approbatione Ap. XIX. I. 2 III. Virtutum suarum exemplo, quo pacto & minus mali pejores condemnaturi sunt. Mat. XII. 41. 42. IV. Sui justificatione. Nam piorum absolutio impiorum erit condemnatio. Confer Heb. XI. 7. Attamen scriptura pios potius ut judicandos a Christo, quam ut illius in hoc judicio adsessores, aut subordinatos judices describit. Frequenter quidem promittitur ut cum Christo regnent, nuspiam ut cum eo in die judicii judicent.

XIX. Nam Pauli locum necesse non est ut de novissima die, aut futuro seculo interpretemur. *Sancti judicarunt mundum*, quando Christiani facti sunt Magistratus & judices, tempore Constantini Magni, & deinceps. Id quum sanctos, Apostolo hæc scribente, maneret, indignum iis erat super rebus minutulis coram infidelibus litigare. Poteratque Apostolus de futuro hoc sanctorum judicio, uti de re nota loqui: quum Daniel olim vaticinatus sit, fore ut post deleta quatuor imperia, quæ gravi ecclesiam mundumque tyrannide presserunt, *judicium consideat, & dominatus* ultimo Regum ablatus, una cum amplitudine regnorum quæ sub toto cœlo sunt, *populo sanctorum excelsorum detur.* Dan. VII. 26. 27. Quod quo tempore impletum, implendumve sit, nunc definire nihil attinet: id suffecerit observasse, tempus designari quo sancti sub Christo Rege ac præside, in hoc seculo, sub cœlo, judicent, amplumque dominatum habeant. Et credibile est ad hoc Danielis vaticinium Apostolum, dum hæc scribebat, respexisse. Sed & *Angelos judicant* Sancti: I. Quando demonstrant, eos quibus gentes hactenus servierant,

non esse Deos, neque bonos genios, sed spiritus nequam, sive malos dæmonas. II. Quando verbo & sanguine suo eos vincunt, & vim eorum coërcent. Ap. XII. 10. 11. III. Quando orationibus suis eos corporibus obsessorum ejiciunt. Marc. XVI. 14. Quod diu etiam post Apostolorum tempora in Ecclesia viguisse, alibi docuimus.

Nequidem Apostoli.

XX. Sed an non Apostolis saltem hæc attribuenda dignitas est, ut Christi in novissimo judicio adsessores sint? quum ipse Dominus dicat: Mat. XIX. 28 *In regeneratione, quum sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis vos etiam in thronis duodecim judicantes duodecim tribus Israëlis,* Verum ne hic quidem de universali judicio sermo esse videtur, quoniam solarum mentio est tribuum Israëlis. Et jam inde a sui in cœlum adscensione, consedit Dominus in throno gloriæ, ad dexteram Patris. Tempusque occupati regni, & effusi Spiritus merito παλιγγενεσία dicitur: initium quippe seculi novi, *quo novum cælum, novaque terra creata*, Jes. LXV. 17. & *nova facta sunt omnia.* 2 Cor. V. 17. Neque necesse est *judicandi* vocem in strictissimæ significationis proprietate sumere: sæpe enim tantum valet quantum *præesse*, μεταλημπτικῶς, quia plerumque præsides juri dicundo vacant. unde מדינה Hebræis *præfectura* dicitur: ut erudite observavit Grotius. Sensus ergo est: proximum mihi Regi honorem occupabitis. Sumta translatione a veteri statu regni Israëlitici, in quo οἱ φυλάρχαι proxime ad regiam Majestatem accedebant, & in publicis cœtibus juxta ejus solium sedebant in sellis curulibus: ita tamen ut Principibus Judæ & Josephi τὰ πρωτεῖα obtingerent. Quo credibile est Zebedæi uxorem respexisse, quum ea filiis suis deposceret. Confer Luc. XXII. 29. Ubi & alterum additur, adsessuros ipsos mensæ regiæ, quod esse solebat maximorum procerum. Describitur ergo improprio sermone Apostolorum præ cæteris omnibus Israëlitis dignitas, tam in regno gratiæ quam gloriæ. Conf. Ap. IV. 4. Vide sis *Molin. Vat. Lib.* II. *Cap.* V. & *Hammond. Dissertat.* III. *quæ* est. *de omnibus Evangelii periochis. Cap.* II. Ubi multa erudita in hunc sensum. Si tamen judicandi proprietatem urgere velis, non abnuerim connotari validum Apostolorum ministerium ad plenam covictionem infidelium ac refractariorum. Nam sicuti secundum Apostolorum doctrinam, Christi nomine prædicatam, judicium latum est in rebellem Judæorum gentem, quod hic significari videtur: ita secundum idem Evangelium omnes judicabuntur die novissimo. Conf. Joh. XII. 48. Rom. II. 16.

Boni Angeli an Judicandi sint, non liquet: de malis constat.

XXI. Ad alterum nunc transeamus caput, quod de JUDICANDIS est. Ubi & *personæ* attendenda sunt, & *opera.* Personæ sunt creaturæ rationales, *Angeli*, & *Homines.* Angelorum quum *boni* alii, alii *mali* sint, de illis quæritur, num & judicandi sint novissimo die? Quod quidem ego non ausim adfirmare I. Scriptura id nusquam docet.

II.

II. Describuntur passim ut Christi judicis comites atque satellites. III. Jam judicati sunt, & confirmati in statu consummatæ beatitudinis, qui ipsorum respectu non videtur capax incrementi: nisi quatenus gloriam Dei illustrius emicantem conspicient in operibus gloriæ, quam hactenus factum est in operibus naturæ vel gratiæ.

XXII. De angelis *malis*, constat ex 2 Pet. II. 4. & Jud. vers. 6. Nunc quidem propter rebellionem suam cœlo deturbati, ac tartaro velut carcere inclusi, *vinculis æternis tenebrarum constricti asservantur*. Quibus *vinculis*, præter virtutem irati Dei, qua constricti tenentur ne evadere supplicium ejus queant, commode intelligitur miserabilis quæ incumbit illis male agendi necessitas, ex vehementi amore mendacii atque injustitiæ, & ineluctabili odio Dei atque hominum: quibus accedit perpetuus conscientiæ ad flagellum Dei trepidantis horror. Jac. II. 19. Ea vincula *æterna* dicuntur, quia ubi sint semper eos & ubique misere urgent, durabuntque ad novissimi judicii diem, non tollenda tunc, sed aggravanda. Additur epithetum *tenebrarum*: quia nulla lucis, vel honestæ, vel jucundæ, scintilla iis inest. Cæterum quum sceleribus necdum suis modum terminumve ponant, citabuntur olim ad tremendum severissimi judicis tribunal: & post latam justissimæ pœnæ sententiam, semper inclusi orco, ex quo nunc singulari Dei dispensatione ad tempus emittuntur; privatique insana illa voluptate, quam ex noxa piis illata & perturbatione rerum Dei quasi percipiunt, incredibilem iræ Divinæ atrocitatem, sine remissione, æternum experientur atque persentiscent. Id sibi impendere non ignorant. Hinc querela ista: Mat. VIII. 29. *Quid nobis tecum, Jesu, Fili Dei vivi? venisti huc vexatum nos ante constitutam tempus.* Adde Ap. XX. 10. *Et Diabolus qui seducebat eos conjectus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia illa & pseudo-propheta, & torquebuntur die ac nocte in secula seculorum.*

XXIII. Præter Angelos judicandi sunt *homines*, & quidem *omnes*. Quod patet. I. Ex nota universalitatis. Jud. vers. 14. Rom. XIV. 10. 11. 12. 2 Cor. V. 10. II. Ex collectivi nominis usurpatione: *totius orbis*. Gen. XVIII. 25. Act. XVII. 31. III. Ex singulorum distributione. Judicabit Deus *pium* & *impium*. Eccl. III. 17. *Magnos & pusillos*. Ap. XX. 12. *Vivos & mortuos*. Act. X. 42. 2 Tim. IV. 1. **Homines omnes judicabuntur:**

XXIV. Ea super quibus judicabitur, sunt *omnes* in universum *omnium actiones*. Eccl. XII. 14. FACTA. Rom. II. 6. 2 Cor. V. 10. Ap. XX. 12. 13. DICTA. Mat. XII. 37. tam *inania*, vers. 36. id est bonæ frugis expertia, quæ neque ad Dei gloriam neque ad proximi faciunt ædificationem: quam *dura*. Jud. vers. 15. id est arrogantia ac sæva: 1 Sam. II. 3. sive adversus Deum, de quibus Dan. VII. 25. XI. 36. sive adversus proximum. Ps. XII. 3. 4. 5. COGITATA. Eccl. XII. 14. Rom. II. 16. 1 Cor. IV. 5. **Super omnibus actionibus suis.**

XXV.

Num peccata piorum in judicio etiam publicanda sint.

XXV. Lubet hic nonnullis sciscitari, an peccata piorum & salvandorum æque ac impiorum in judicio publicanda sint. Sed profecto quæri id facilius a nobis, quam decidi potest. Non desunt in utramque partem probabilia argumenta, Pro ajente hæ rationes stant. I. Generalia sunt quæ modo protulimus Scripturæ effata de omnibus omnium operibus. II. Justitia judicis exigere videtur, ut omnia caussæ momenta expendantur; non minus ea quæ contra eos, quam quæ pro iis sunt. III. Piorum peccata in sacrorum librorum monumentis æternitati transcripta sunt: quid ni eadem in novissimo rememorentur judicio? IV. Præsertim quum eorum manifestatio in majorem Divinæ clementiæ ac meritorum Christi laudem cedat: quorum effectum est virtute, ut tot tantorumque criminum labe impurati non modo recipiantur in gratiam, sed & consortes constituantur regni. V. Neque id dedecori piis est, qui Divinæ misericordiæ salutem suam lubentes debent, nihilque sibi gloriosum autumant, quod a Divina est sejunctum gloria, in qua omnis eorum φιλοτιμία prorsus absorbetur. VI. Denique uti hæc sententia pietatis studium acuit, & a peccando absterret; ita altera illa securitati fomentum oblique saltem suppeditare videtur.

XXVI. Verum tamen nec negans pars suis destituta argumentis est. I. Pro ea facit descriptio processus judicialis quæ exstat Mat. xxv. ubi non malorum operum, sed solummodo bonorum, a piis patratorum, memoratio est. II. Promissio Dei, quod *nolit recordari peccatorum nostrorum amplius*: Jes. XLIII. 25. Jer. XXXI. 34. sed *projecturus ea post tergum suum*; Jes. XXXVIII. 17. & *mersurus profundo maris sit.* Mich. VII. 19. Quæ vero a conspectu suo removit, qui id sibi placere potis est, ut ea in conspectum producat angelorum atque hominum, amicorum & hostium? Aut qua specie quæ omnibus oceani undis obtecta olim voluit, nunc iisdem eruta in celebratissima universi totius panegyri quibusvis patere jubebit? III. Officium Christi. Ipse est ἱλαστήριον. Rom. III. 25. Id Hebraice dicitur כפורת, *opertorium.* Ergo non propalabit suorum peccata. *Advocatus.* 1 Joh. II. 1. qui clientium crimina non detegit. *Amicus* suorum. *Charitatis* autem *est operire delicta.* Pro. x. 12. IV. Norma judicii non erit Lex, peccata detegens; sed Evangelium, ea tegens. V. Concipi vix potest quomodo ea peccatorum propalatio non sit incussura fidelibus pudorem; & quo pacto conveniat cum gloriosa illa Ecclesiæ conditione, qua *Deo sistetur sancta & inculpata, sine macula, aut ruga, ullave simili deformitate.* Eph. v. 27.

XXVII. Haut inscite hæc, & speciose utrimque dicuntur: quum tamen non desit quod singulis rationibus obtendi queat, modestius tutiusque est quæsiti hujus determinationem in eum reservare diem qui docebit omnia.

XXVIII.

XXVIII. Ad SENTENTIAM, de qua tertio loco nobis dicendum erat, tria pertinent. I. *Caussæ cognitio.* II. *Sententiæ pronunciatio.* III. *Exsecutio.* Caussæ cognitionem, non operosam, attamen exactam.

XXIX. *Caussæ cognitio* non erit operosa. I. Propter Judicis omniscientiam. Mal. III. 5. Joh. II. 25. Heb. IV. 13. II. Propter conscientiæ lumen, quod nihil homini occultum esse patietur. Hoc modo *Dominus illustraturus est res tenebris occultatas, & manifesta faciet consilia cordium.* I. Cor. IV. 5.

XXX. *Sententiæ pronunciatio* duplex est: *Absolutoria & Condemnatoria.* Illa narratur ut præcessura. I. Ut pateat, judicem ad condonandum quam condemnandum proniorem esse. II. Ad majus Electorum gaudium, qui jam absoluti securius & lætius reliqua spectabunt. III. Ad acriorem impiorum dolorem. In utraque sententia erit tam *commemoratio operum*, sive bonorum, sive malorum: quam *assignatio præmii* vel *pœnæ.* Excipiet sententiæ pronunciatio.

XXXI. Sententia *absolvens* tota erit *gratiosa*, *juxta Evangelium* stricte dictum. 2. Tim. I. 18. *Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum die illo.* Quod patet. I. Ex consideratione operum, quæ licet multis maculis turpata tam magnificis tamen verbis a judice laudabuntur ut ipsi id sancti non sine admiratione audituri sint; tanti ea a Deo fieri animum advertentes, quæ sibi tantilla videbantur. II. Ex consideratione præmii, quod non in ulla vel operum vel personarum dignitate fundatur, sed in Electione, Amore Patris, Adoptione: quæ omnia gratuita sunt. III. Ex consideratione σχέσεων quas bona fidelium opera ad præmium habent. Quippe quæ memorabuntur, I. Ut documenta fidei & unionis fidelium cum Christo, & adoptionis, & amicitiæ cum Deo, & sanctificationis illius sine qua nemo Deum videbit. II. Ut indicia enixi istius studii, quo posthabitis hujus seculi commodis, & spretis voluptatibus carnis, quæsiverunt regnum Dei & justitiam ejus: quam quæsitionem Deo dignam frustrari dignum Deo non est. III. Uti effecta Divinæ gratiæ, quibus sapientissima proportione respondebit communicatio Divinæ gloriæ, quando sua ipse dona coronatum veniet.

XXXII. Sententia *condemnatoria* pronunciabitur *secundum legis ἀκριβοδίκαιον.* Rom. II. 12. *Quicunque etiam sine lege peccaverunt, sine lege quoque peribunt: & quicunque in lege peccaverunt, per legem damnabuntur.*

XXXIII. Non immerito quæritur, cur nullorum hic operum mentio fiat præter illa misericordiæ erga Christum, quum nec illorum patratio videatur posse imputari, nec illorum defectus exprobrari, multis hominum millibus qui nihil unquam de Christo audiverunt, aut occasionem habuerunt Christo in membris suis benefaciendi. Tanti hæc difficultas nonnullis qua Veterum qua Novorum visa est, ut in animum indu-

induxerint negare, quod hic Christi sermo delineationem universalis judicii contineat. Nobis ita videtur: universale judicium hic describi diserta commatis 32. verba evincunt. *Et cogentur coram eo omnes gentes.* Adde, Scripturam non nisi unius judicii in ultimo Christi adventu peragendi mentionem facere. Id autem prorsus universale fore, invicte nuper probavimus. Nuspiam docetur, aliud tribunal erectum iri iis quibus Evangelium prædicatum est, aliud iis quibus non est prædicatum. Eodem die revelationis justi judicii Dei reddetur unicuique secundum opera sua: tam iis qui sine lege peccaverunt, quam qui in lege. Rom. II. 5. 6. 12. Non tamen quicquid ad universale judicium pertinet, ex hoc uno Christi sermone disci potest. Contendenda alia scripturæ testimonia sunt; ex quibus demum simul sumtis id omne conficitur quod de hac re nos condocefacere Spiritus Dei voluit. Quæ hic a Christo memorantur, exempli duntaxat gratia allegari credibile est. Quis enim existimet, nihil in hoc judicio expendendum esse, etiam circa eos quibus prædicatum est Evangelium, præter illos charitatis effectus vel defectus circa afflictos pios? Quod autem talia potissimum Christus allegaverit, id ex catechesi veterum Hebræorum esse videtur: cujus rudera exstant in Paraphrasi Chaldaica Ecclesiastis ad cap. IX. vers. 7, אמר שלמה ברוח נבואה קדם יי עתיד מרי עלמא למימר לכל צדיקיא באנפי נפשיה אזל טעם בחדוא לחמך דאתותב לך על לחמך די יהבתא לעניא ולחשיכא דהוו כפן ושתי בלב טב חמרא דאצטנע לך בגן עדן חלף חמרך דמזגתא לעניא דהוו צחי׃ *Dixit Salomo in Spiritu prophetiæ a conspectu Domini: Futurum est ut Dominus mundi dicat singulis justis in facie uniuscujusque: Vade, gusta in lætitia panem tuum, qui repositus est tibi propter panem tuum quem dedisti pauperi & humili qui erat esuriens, & bibe corde jucundo vinum quod repositum est tibi in paradiso, pro vino tuo quod miscuisti pauperi & humili qui fuit sitiens.* Amavit autem Dominus Jesus in concionibus suis eas adhibere formulas quas pridem ex sapientum suorum ore pietatis sectatores audiverant: ut prolixa exemplorum inductione a viris eruditissimis comprobatum est.

Hanc executio. XXXIV. Pronunciationem sententiæ mox excipiet *Executio.* Mat. XXV. 46. *Et abibunt isti ad supplicium æternum: justi vero ad vitan æternam.* Si verborum Christi ordinem sequamur, ab impiis executio incipiet; sententiæ pronunciatio a piis: quorum uti hoc ad majorem impiorum terrorem, ita illud ad majus piorum gaudium facit. Ps. LVIII. 11. *Lætabitur justus quum videbit ultiouem.* Utrisque attribuitur *æternitas*, vel *supplicii*, vel *vitæ* quæ vere vita est. Supplicium non *damni* solum erit, sed & *sensus*: *abibunt* enim *in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Mat. XXV. 41. conf. Ap. XIX. 11. XX. 10. Vita consistet in consummatissima Dei cognitione, amore, fruitione, & gaudio inde orto. Utrumque futu-

futurum est æternum: alterum sine spe intermissionis aut remissionis; alterum sine metu amissionis.

XXXV. *Circumstantiæ* sunt *Loci* ac *Temporis*. LOCUS communiter designatur per *aërem* & *nubes*. 1. Thess. IV. 16. 17. Mat. XXIV. 30. Cur ibi? I. Ut locus ille, omnium conspectui expositus, amplissimum magnificentiæ Divinæ Amphitheatrum sit. Ap. 1. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.* II. Nubes non semel proponuntur ut regalis Thronus, & *Currus* Dei quo vehitur. Ps. CIV. 3. Christus ergo in nubibus veniens eo ipso se Dominum gloriæ esse comprobabit. Mat. XXVI. 65. cujus gloriæ præludium fuit in transfiguratione Christi, quando *nubes lucida obumbravit ipsum.* Mat. XVII. 5. III. Filius Dei *legem* promulgans in *nube* venit. Exod. XIX. 9. Quid ergo convenientius, quam ut secundum legem istam *sententiam* pronunciaturus, iterum in *nube* veniat? Locus judicii erit in aëre & nubibus.

XXXVI. Non contenta communi hac loci designatione ulterius inquirit humana curiositas, in quo tractu terræ omnium hominum ad ultimum judicium congregatio futura sit? Et definire audet *vallem Josaphati*, cui mons oliveti immineat, unde Dominus in cœlum adscendit. Quæ Pontificii, aliquantulum interpolata a Judæis mutuati sunt. Fundamentum hujus opinionis est Joëlis vaticinium Cap. III. 2. *Congregabo etiam omnes gentes, & deducam eas in convallem Josaphati, ut disceptem cum eis ibi.* Iterumque commate 12. *Excitabuntur & adscendent gentes istæ in convallem Josaphati: nam ibi sedebo ad judicandum omnes istas gentes undique.* Cui *Christophorus a Castro* addit Act. I. 11. *Hic Jesus qui sursum receptus est a vobis in cœlum, ita veniet quemadmodum spectastis ipsum adscendentem in cœlum.* *Cornelius* vero *a Lapide* adjungit etiam rationem, quod justum sit ut Christus ibi gloriæ suæ majestatem ostendat, ubi summam ignominiam sustinuit; ibique judicet, ubi judicatus est. Quæ de valle Josaphati a nonnullis huc trahuntur parum solida sunt.

XXXVII. Cæterum nihil horum non ἄκυρον est. Nam, ut a *Cornelii* ordiar ratiocinatione, etiamsi Divinæ processum Sapientiæ, ita omnia ordinantis ut primis extrema conveniant, attendere nostri sit officii, quando suum nobis consilium revelavit: a modestia tamen nostra perquam est alienum, ut ipsi nobis nescio quas convenientias fingamus secundum quas agendum Deo sit. Nisi ergo prius de Dei voluntate constet, temere id genus ratiunculas conquirimus. Nihil autem de voluntate Dei quod hanc rem attinet ex allegatis testimoniis concludi potest. Certe Act. I. 11. non agitur de τόπῳ, sed de τρόπῳ adventus Christi.

XXXVIII. Et quæ ex Joëlis tertio capite inferuntur, meræ hariolationes sunt. I. Incertum est an vallis Josaphat sit nomen proprium, an appellativum; imo posterius & rei ipsi, & phrasi prophetiarum ænigmaticæ, magis videtur esse consentaneum. II. Si detur esse nomen proprium, incertum remanet, quis terrarum tractus ita nuncupatus sit. Multi existimant illam vallem designari in qua Josaphati hostes perierunt,

ipse-

ipseque Dominum laudavit, & ubi dixerat, *Deus noster, an non judicium exerciturus esses in illos?* 2. Chr. xx. 12. Verum ea vallis *Benedictionis* quidem dicitur vers. 26. nusquam, sive in scriptura, sive a Corographis, *Josaphati.* Et certum est, eam procul satis ab Hierosolymis sitam esse. Quippe propinquam isti loco ubi clades hostium contigit, quorum congregatio erat in Hazezon Thamar, quæ est Engedi. vers. 2. quo profecti sunt Israëlitæ per desertum Thekoa, vers. 20. quod, Hieronymo teste 12. milliaribus Hierosolymis distat: uti post partam victoriam & peractas gratias iter ingressi sunt ut redirent Hierosolymam, vers. 27. Fieri itaque non potest ut credamus eam vallem adjacere Oliveto. Alii ergo suspicantur denotari locum Hierosolymam inter & montem olivarum: qui *Josaphati* diceretur, vel a *sepulchro Josaphati* in eo sito, vel a *fabricis* quibusdam *Josaphati*, puta arcum triumphalem in victoriæ suæ memoriam ibi erectum. Sed eorum hoc, incertum omnique auctoritate destitutum; illud, prorsus falsum est. Sepultus enim est Josaphatus in civitate Davidis. 1. Chr. xxi. 1. non extra Hierosolymam, in valle aliqua. Cornelii autem a Lapide error Tartessia muræna grandior est, quam vallem *Josaphat* vult esse vallem *Cedron*, & simul in ea ponit *Gehennam*, sive vallem filiorum Hinnom. Nam vallis Cedron fuit ad orientem Hierosolymæ inter templum & olivetum, uti constat. At vallis filiorum Hinnom erat ad meridiem. Jos. xv. 8. III. Ubi & qualiscunque sit vallis ita dicta, non potest sufficere tot millenis hominum myriadibus quot sistendi sunt judicio. Nam quod Cornelius ille noster hariolatur, vallem illam longissime protendi posse, vicinis complanatis: tum etiam reprobos solos in terra constipandos esse, sanctos non in terra, sed altius & judici vicinius in aëre, alios pro meritis supra alios, quasi in tabulato aërio excelsius consessuros, ea febricitantium insomnia, aut delirantium suaviludia sunt: non Evangelii oracula.

XXXIX. Sed quod caput rei est, non agitur apud Joëlem de ultimo judicio. Quod, ut alia omittam, ex eo perspicuum est, quia post hoc judicium, a versu 17. describitur status Ecclesiæ gloriosus in terra. Quid ergo? Continet hæc prophetia enarrationem illustris alicujus vindictæ Dei in hostes Ecclesiæ Testamenti Novi: non absimilis ei quæ contigit tempore Josaphati. Ad eam enim historiam alluditur: hac mente. Quemadmodum Moabitæ, Ammonitæ, & filii montis Seir expeditionem susceperunt adversus Judæam, Rege Josaphato, ac pervenerunt ad vallem benedictionis, ubi ad cantum Israëlis veluti œstro quodam perciti mutuis vulneribus corruerunt, ita ut manifesto appareret Jehovam judicem, ac vindicem populi sui esse, ita etiam Deum admirabili sua providentia res gubernaturum esse, ut gentes quæ Ecclesiæ vicinæ & non uno nomine ei quodammodo cognatæ sunt, consilium suscipiant contra

tra Ecclesiam ab earum communione segregatam, & ingrediantur terminum Ecclesiæ, eamque in tantas redigant angustias, ut quemadmodum Josaphatus consilii inops fuit ita etiam Ecclesia imparem sese tantæ multitudini hostium fateatur. Fore tamen ut Deus in illo consilio & conatu gentes eas opprimat, ac inter se committat, ut se mutuo oppugnent, & vires suas consumant; & hoc facto demonstraturum; se in lite ista, quam temere moverunt Ecclesiæ, judicem esse, quam litem pro Ecclesia decidet, ut lætis ab ea canticis celebretur.

XL. De TEMPORE notandum. I. *Diem certum a Deo definitum esse*, Act. XVII. 31. Rom. II. 5. eumque fore diem seculi novissimum, quo futura est mortuorum resurrectio, & consummatio omnium. 1 Cor. XV. 23. 24. 2 Pet. III. 10. 12. II. *Eum esse hominibus incognitum, neque inquirendum.* Christus id prohibuit. Act. I. 7. Paulus non duxit necessarium de eo scribere. 1 Thes. V. 1. Ne angelis quidem cœlestibus de eo constat: nec ipsi Christo constitit, secundum humanam naturam, in statu humiliationis. Mat. XXIV. 36. Marc. XIII. 32. Noluit autem Deus eum nobis cognitum esse, ut in sancta perpetuo versaremur solicitudine. Mat. XXIV. 42. De Tempore quæ notanda.

XLI. III. *Ita quandoque Apostolos jam suo tempore de ultimo die locutos esse, quasi proxime instaret.* 1 Cor. X. 11. Philip. IV. 5. Jac. V. 8. 9. 1 Pet. IV. 5. 1 Joh. II. 16. Imo est ubi Apostolus se iis annumerare videtur, quos dies iste vivus deprehendet. 1 Cor. XV. 52. 1 Thes. IV. 14. Quod tamen non ita est intelligendum, uti *Grotius* commentatur, quasi existimaverint Apostoli tam prope novissimi judicii diem esse, ut ipsis viventibus venturus sit. Nam præterquam quod id non conveniat cum sacrarum infallibilitate literarum, quas Apostoli non στοχαστικῶς scripserunt ex sua conjectura, sed πληροφορηθέντες & acti a Spiritu Sancto; multa prædixerunt Apostoli quæ intra vitæ suæ spatium absolvi non posse sciverunt, & de sua ipsi morte & quæ post eam eventura essent locuti sunt. Act. XX. 12. 2 Tim. IV. 6. 2 Pet. I. 14. Et expresse Paulus monuit, non tam prope esse diem Domini, neque in eam mentem interpretanda esse sua verba. 2 Thes. II. 2. quamvis in suis locutionibus eorum quandoque personam in se suscipiat qui eo die victuri sunt; quibus quæ eventura sunt, ea *figura quadam transfert ad semet ipsum.* 1 Cor. IV. 6. Vide simile κοινώσεως exemplum 1 Pet. IV. 3. Quod autem de die Domini ut tam propinquo loquantur, id, si non aliquando exponi debeat de judicio Dei in rebellem gentem Judaicam, idcirco fieri videtur, quia secundum Dei computationem, & si tempora nostra cum æternitate contendantur, *mille anni sunt sicut unus dies.* 2 Pet. III. 8.

XLII. IV. *Christum notas quasdam temporum in Scriptura expressisse*, & monuisse de insignibus quibusdam in Ecclesia mutationibus, quæ

remotius vel propius ultimum ejus adventum antecessuræ sunt. Qualia sunt. I. Scena Antichristi structa, instructa, destructa. II. Israëliticæ gentis salutaris restitutio. III. Gentium populorumque conversio, major fortassis atque illustrior, quam quæ visa est hactenus. IV. Totius Ecclesiæ sancta & gloriosa in terris conditio: & quæ id genus plura nunc per species persequi nobis non licet.

Praxis hujus articuli.

XLIII. Ad PRAXIN veniamus. Et primo utilis est hujus articuli consideratio *ad excutiendam hominibus securitatem*, & ingenerandum animis horrorem, quo ad tam illustris ac terribilis diei memoriam contremiscentes tota mente ad Deum se convertant. Audite & expendite hæc qui *securi* hactenus criminibus vestris indormivistis, & cuticulam curantes profanos Israëlitarum istorum mores æmulati estis, de quibus Amosi VI. Veniet, veniet olim ille dies quo risus vester cum ejulatu commutabitur. Jac. V. 1 —— 5. Audite *profani irrisores*. 2 Pet. III. 4. 10. Audite *homines carnales*, qui in longum hæc tempus rejicitis. 1 Thes. V. 3. Audite *injusti fidelium oppressores*. Mat. XXIV. 48. & seq. Audite *scelerati hypocritæ*. Rom. II. 16. Audite *obtrectatores fratrum*. Ps. L. 20. 21. Audite *injusti quæstores*. Luc. XVI. 2. Audite quotquot *immorigeri* hactenus fuistis *Evangelio*. 2 Thes. I. 8. Heb. II. 2. 3. Audite denique *omnes improbi*, quibus curæ non fuit vitam vestram ad amussim Divinæ voluntatis exigere: Veniet aliquando ille dies quo omnium factorum, dictorum, cogitatorum, rationem Deo reddere cogemini. Omniscius erit Judex, judicium severum, condemnatio terribilis, executio promta. Horrescite igitur, pavete, contremiscite.

XLIV. Sed quam terribilis hæc judicii dies impiis est; tam *optata* votisque omnibus expetenda *est piis*. Hic aliquando innocentia oppressa languet sub calumnia improborum: sed ibi proferetur in lucem. Mich. VII. 9. 10. Videbunt ibi luxuriantes olim improbos, justo nunc traditos exitio, & delectabuntur judiciis Domini. Ps. LIII. 8. 9. Ap. XVI. 5. 6. 7. Ipsis vero dies erit consummatæ felicitatis. Os accusantium ipsos obturabitur. Rom. VIII. 33. 34. Judex Amicus ipsorum est, & Paracletus, & Sponsor; ipse pro iis condemnatus injuste, ne juste unquam condemnari possint. Sententia gratiosissima pariter & gloriosissima erit. VENITE, nullus timor, nulla vos criminum conscientia deterreat, accedite intrepide: BENEDICTI PATRIS, cara Deo soboles, mihi a Patre dati, a me redemti, multisque pridem beneficentiæ Divinæ muneribus aucti atque ornati. POSSIDETE REGNUM PARATUM VOBIS A JACTO MUNDI FUNDAMENTO. Ex humili illo servitutis statu ad libertatem gloriosam transite, & regni mei consortes non ejus solummodo fruimini bonis, sed & mecum in throno considete, immarcessibilis gloriæ corona redimiti.

dimiti. Videat mundus quam solidum vobis præparaverim gaudium: videat, & intabescat eo destitutus. Plenum nunc & consummatum humanæ sortis bonum possidete, quod toties hostes vestri impetivere, & cujus exspectatio in animis vestris tot olim dubitationum insultibus concussa fuit. Videte quam solicite id vobis servaverim, non obstante vestra quum infidelitate tum infirmitate. Nunc omnes abstergite lacrymas, omnis obliviscimini moeroris. INTRATE IN GAUDIUM DOMINI VESTRI, nulla iterum tristitiæ mistura taminandum. O dulcis sententia, quæ fide jam præcepta ineffabilem gignit lætitiam! 1 Pet. 1. 8.

XLV. Denique *accuratum* nobis hic dies ingenerare debet *studium pietatis*, & exactam attentionem ad omnes actiones nostras. 2 Pet. III. 10. 11. 12. *Veniet sicut fur in nocte dies ille Domini: quo cœli cum stridore præteribunt, elementa vero æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt exurentur. Quum igitur hæc omnia dissolvenda sint*, QUALES OPORTET ESSE VOS IN SANCTIS CONVERSATIONIBUS ET PIETATIS OFFICIIS! *Exspectantes & properantes adventum diei Dei.* O si semper illud animo nostro obversaretur, omnium aliquando actuum nostrorum reddendam esse Deo rationem, quam anxie nobis caveremus à peccatis! quam diligenter id faceremus, quod factum vellemus novissime! quanto studio rationes nostras componeremus quotidie, ne imparatos nos dies ille offenderet! VIGILATE ITAQUE, QUIA NEQUE ILLUM DIEM, NEQUE ILLAM HORAM SCITIS, QUA FILIUS HOMINIS VENIET. Mat. XXV. 13.

EXERCITATIO XXIII.

DE

SPIRITU SANCTO.

BREVIARIUM.

1. *Cypriani pia ad Spiritum preces.* 2. 3. Spiritus *vox non una semper mente de Deo usurpatur.* 4. *Tertia persona electe* Spiritus *dicitur, non propter* Essentiam *simplicissimam, sed ob* processionis modum. 5. 6. Sancti *epithetum ad Oeconomiam pertinet.* 7. Personalitas *Spiritus Sancti adstruitur.* I. Ex proprietatibus. 8. II. Ex apparitionibus. 9. III. Et Operationibus. 10. IV. *Quia personis pari loco & ordine jungitur.* 11. *Non*

 obstat

obstat personalitati Spiritus, quod eo baptizemur. 12. *Vel quod* Virtus Dei *vocetur, si modo ita vocetur.* 13. *Uti nec quod hominibus* dari, *aut ab illis* accipi *dicatur.* 14. *Nec per Spiritum S. designatur Doctrina Evangelii.* 15. *Spiritum Sanctum verum ac summum Deum esse probatur.* 16. 17. 18. 19. 20. 21. *I. Ex Divinis* nominibus. 22. 23. 24. *II. Ex* Attributis 25. 26. 27. 28. *III. Ex* Operibus. 29. 30. 31. 32. 33. *IV. Ex* Honore & cultu. 34. *Spiritus S.* persona divina est, *a Patre & Filio* distincta. 35. *Ad praxin hujus articuli facit, ut agnoscamus Spiritum S. nobis a Deo datum esse.* 36. *Qui uti novæ in fidelibus vitæ auctor est.* 37. *Ita & Christo eos quam arctissime unit.* 38. *Omniumque bonorum ejus participes facit.* 39. *Ac suavissime consolatur.* 40. *Qua Spiritus gratiæ operationes a quibusvis aliis per insita sibi κριτήρια discernuntur.* 41. *Spiritus gratiæ nunquam prorsus amittitur.* 42. *Nostra ergo Spiritum S. officia.*

Cypriani pius ad Spiritum preca.

I. QUandoquidem SACER Dei SPIRITUS omnis humanæ auctor est sapientiæ: Job. XXXII. 8. imprimis mysticæ illius ac salutaris, quæ nos Christianos facit: 1 Cor. II. 10. quippe cujus beneficio & scripturas habemus, 2 Pet. I. 21. ex quibus omnia cognoscimus; & adapertos mentis oculos, quibus cognoscimus; Eph. I. 17. ipsum à nobis non rite cognosci, non pie agnosci, plus quam nefas esset. Videri autem non potest, nisi suo lumine; nec cognosci agnoscive, nisi suo munere ac dono. Unde & dissertationem hanc nostram eadem ordiri prece juvat, qua sermonem suum de Spiritu Sancto *Cyprianus*, vel quisquis sermonis istius auctor est. *Adesto Sancte Spiritus, & paraclesim tuam exspectantibus illabere cœlitus: sanctifica templum corporis nostri, & consecra in habitaculum tuum: desiderantes te animas tua præsentia lætifica: dignam te habitatore domum compone: adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circumda varietatibus virtutum: sterne pavimenta pigmentis, niteat mansio tua carbunculis flammeis, & gemmarum splendoribus, & omnium charismatum intrinsecus spirent odoramenta: affatim balsami liquor fragrantia sua cubiculum tuum imbuat, & abigens inde quidquid tabidum est, quidquid corruptelæ seminarium, stabile & perpetuum hoc faciat gaudium vestrum, & creationis tuæ renovationem in decore immarcessibili solidet æternum.*

Spiritus vox non uno semper mente de Deo usurpatur.

II. Nonnulla hic *præcognoscenda*, alia distincte *probanda* sunt. *Præcognita* tria sunto. I. Quotuplici *significatu* vox *Spiritus* in Divinis veniat. II. Cur *tertia persona* electe SPIRITUS dicatur. III. Cur ei nominatim elogium SANCTI attribuatur.

III. *Spiritus* quando de Deo dicitur, sumitur vel οὐσιωδῶς, vel ὑποστατικῶς, vel μεταφορικῶς. Οὐσιωδῶς, quando de Deo prædicatur quoad *essentiam* omnibus personis communem: uti Joh. IV. 24. Ὑποστατικῶς, quum uni alicui

personæ

personæ attribuitur: idque vel *secundæ*; Marc. II. 8. I Cor. XV. 45. Rom. I. 4. I Tim. III. 16. I Pet. III. 18. 19. vel *tertiæ*. Mat. XXVIII. 19. I Joh. V. 7. Μετωνυμικῶς, quum *effecta* quædam aut *dona* notat: ut Joh. VII. 39. Ubi spiritus significat dona illa, de quorum effusione vaticinatus erat Joël, aliique Prophetæ. Ita enim Hebræi dicere solent, Spiritum Sanctum sub templo secundo non fuisse. Eodem retulerim dictum id discipulorum Johannis: Act. XIX. 2. Ἀλλ' οὐδ', εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν, ἠκούσαμεν.

IV. Quando *tertia* persona electe SPIRITUS vocatur, non fit id ob eam rationem quæ illi cum Patre & Filio communis est, nimirum propter *essentiam simplicissimam*, cogitantem, omnisque imperfectionis corporeæ expertem: sed I. Propter *processionis suæ modum*. Nam רוח, πνεῦμα, *Spiritus*, proprie *flatum* significat. Gen. VIII. I. Joh. III. 8. Ἐκπόρευσις autem Spiritus Sancti, quæ indicibilis & incomprehensibilis nobis est, exspirationi alicui comparatur. Ps. XXXIII. 6. *Spiritus oris Dei*. Job. XXXIII. 4. *afflatus omnipotentis*. Confer Jes. XI. 4. 2 Thes. II. 8. Cui rei respondet symbolum a Christo usurpatum, Joh. XX. 22. II. Propter *operationes suas*: tales enim ei adscribuntur, quæ flatui & spiritui sunt propriæ, movere, vivificare, focillare. Joh. III. 8. Act. II. 2. ac facere ut & nos spiritus simus. Joh. III. 6.

Tertia persona electe Spiritus dicitur, non propter Essentiam simplicissimam, sed ob processionis modum.

V. SANCTI ἐπίθετον ei nominatim additur, *non cum exclusione Patris aut Filii*. Nam & *Patri* tribuitur; Joh. XVII. 11. & *Filio*. Luc. I. 35. Act. IV. 27. *Non* etiam *quadam* ὑπεροχῇ, quasi hæc persona aliis *sanctior* sit. Nam omnibus ex æquo adscribitur. Jes. VI. 3. Et Divina Sanctitas, quum infinita sit, comparationis gradus non admittit. Sed quia secundum operationum Divinarum oeconomiam *Sanctificatio* fidelium ei attribui solet. I Cor. VI. 11. 2 Thes. II. 13. Sed nec illud ita accipiendum, quasi non & Pater & Filius nos sanctificent. Nam sanctificatio, *Dei* opus est communiter. Exod. XXXI. 13. Ezech. XX. 12. XXXVII. 28. & speciatim *Patris*: Joh. XVII. 17. col. cum vers. 11. ac *Filii*. I Cor. I. 30. Sed hæc est dispensatio operationum Dei, ut quamvis ejusdem voluntatis communi consilio, ejusdemque potentiæ eadem efficacitate peragantur, nonnulla tamen singulis personis speciali quadam appropriatione vindicentur. Spiritui autem sancto, qui Spiritus Filii, & tertia persona est, ea nominatim attribuuntur quæ consequuntur meritum Filii. In quibus regeneratio & sanctificatio nostra est.

Sancti epithetum ad oeconomiam pertinet.

VI. His *præcognitis* tria de Spiritu Sancto distincte *probanda* sunt. Quod sit I. *Persona*. II. *Divina persona*. III. *Divina persona a Patre & Filio distincta*.

VII. PERSONAM esse Spiritum Sanctum probatur. I. Ex *proprietatibus personalibus*: quæ sunt *intellectus* & *voluntas*. *Intellectum* Spiritui Sancto Paulus attribuit I Cor. II. 10. 11. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates*

Personalitas Spiritus Sancti adstruitur. I. Ex proprietatibus.

tes Dei. Quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei. Ad hominem hæc transferre Spiritu Dei præditum, putidum hæreticorum commentum est. Spiritus enim Dei ab hominibus eo præditis uti passim distinguitur; 1. Pet. 1. 11. 2. Pet. 1. 18. ita & hic. NOBIS *retexit ea Deus* PER SPIRITUM SUUM. Accedit quod Spiritus Dei ita se habere dicatur ad arcana Dei, ut Spiritus hominis ad hominis cogitata. Quæ autem est analogiæ concinnitas, si hominem aliquem eodem modo comparatum esse dicamus ad ea quæ sunt Dei, quo modo mens hominis comparata est ad ea quæ hominis sunt? Adde, tam penitam cognitionem profunditatum Dei augustiorem esse quam ut in mortalium aliquem cadat: quod suo loco mox probabimus. De *voluntate* Spiritus eadem ad Corinthios Epistola agitur. Cap. XII. 11. *Omnia hæc agit unus idemque ille Spiritus, distribuens privatim singulis sicut vult.* Notandum autem est, Spiritum hoc capite distingui, uti *donantem* a *donis*; v. 4. plane sicuti *Dominus* distinguitur a *ministeriis*; v. 5. & *Deus* omnia agens, a suis *operationibus.* v. 6. Adeo ut prorsus hic innuatur personarum Trinitas: nimirum Pater, qui absolute Deus dici solet, Filius, qui Dominus vocatur, 1. Cor. VIII. 6. & Spiritus Sanctus.

II. Ex apparitionibus. VIII. II. *Ex apparitionibus personalibus.* Mat. III. 16. *Vidit Spiritum Dei descendentem quasi columbam, & venientem super ipsum,* Luc. III. 22. *Descendit Spiritus Sanctus corporea specie, tanquam columba supra eum.* Quod autem e cœlo venit & corporea se specie induens conspiciendum præbet, quomodo persona non sit, quis concipiat? Personas spirituales, angelos nimirum, ita descendisse, ac mortali conspectos esse forma, frequenter in sacris legimus. At qualitatem aliquam spiritualem descendisse, aut visibilem aliquam speciem suscepisse, nusquam deprehendimus. Nam quod ex Jac. 1. 17. inferunt de iis quæ substantiæ non sunt improprie quandoque dici quod de cœlo descendant: eademque adumbrari posse externa quadam specie, quemadmodum factum est læta illa pentecoste, ubi facultas diversarum linguarum vigidique sermonis concessa Apostolis, adumbrata est specie diversarum ignitarumque linguarum; Act. 11. 3. id argumentationis nostræ vim neutiquam infringit. Non enim profecto negamus, Dei dona, quæ non semper substantiæ sunt, e cœlo descendere; id unum urgemus, nihil unquam aliunde venisse corporea specie indutum, quod persona non sit. Dispertitæ linguæ Apostolis instar ignis insidentes, non proxime atque immediate notabant facultatem linguarum, sed personam Spiritus Sancti facultatis istius auctorem, *qui dabat iis effari*, uti exponitur v. 4.

IX. III. Ex *operationibus personalibus*, Quales memorantur Act. VIII.
III. Ex Operationibus. 39. XIII. 3. Rom. VIII. 26. Et alibi passim. Nec est quod excipiant adver-

adversarii, per meram fictionem personæ Spiritui Sancto talia attribui, qualia alibi attribuuntur charitati. 1. Cor. XIII. aut peccato. Rom. VII. 11. aut literæ legis. 2. Cor. III. 6. Nam præterquam quod nulla hic figuræ illius indicia sint, quæ manifesta sunt alibi; est ubi Deus quasi data opera cavit, ne talem nobis personæ fictionem, ubi de Spiritu Sancto sermo est, imaginari possemus: uti 1. Cor. XII. 9. ubi Paulus charismata quædam *spirituum* nomine designaverat, mox tamen v. 11. ad *unum Spiritum* charismatum istorum diribitorem, veluti ad veram personam, cuncta refert. Neque unquam, ut opinor, ostendent adversarii, tales operationes, quales locis a nobis allegatis memorantur, ut *rapere* aliquem, *dicere separate mihi quos ego vocavi ad opus*, *intercedere pro aliquo*, competere non personis.

XIV. Ex eo quia *personis pari loco atque ordine jungitur, nulla discriminis nota.* Ita Mat. XXVIII. 19. Apostoli jubentur baptizare non minus in nomine Spiritus Sancti quam Patris & Filii. Quid autem est alicujus nomine aliquid facere nisi id facere illius auctoritate & jussu? Ea porro auctoritas hic proponitur ut æqualis, vel una potius trium eorum. Quemadmodum ergo Pater & Filius ea phrasi auctores baptismi esse designantur, ad eundem modum & Spiritus Sanctus. Qui si persona non esset, quomodo ad eum referri posset institutio baptismi? Excipiunt quidem Pneumatomachi, etiam eas res quæ personæ non sunt in eadem orationis periodo personis jungi: uti Act. XX. 32. Paulus Ecclesiam *Deo* commendat, & *verbo gratiæ ipsius*, quod est Evangelium. Conf. Act. XIV. 3. Addunt etiam nomina non personarum jungi nomini personæ. Ap. III. 12. *Inscribam ei nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei.* At respondemus nos: I. Nusquam dicitur aliquid fieri in nomine ejus rei quæ persona non est. II. Non quia λόγος τῆς χάριτος alibi Evangelium significat, ideo necesse idem ea Phrasi significari Act. XX. 32. Nam pro circumstantiarum varietate, & diversa rei exigentia, variant sæpe verborum significationes. Non displicet nobis *Francisci Gomari* observatio, per *sermonem gratiæ Dei Christum* hic intelligi: qui & ὁ λόγος *sermo* apud Johannem ex Catechesi veterum Hebræorum nuncupatur, & λόγος τῆς χάριτος, *sermo gratiæ* ab effectu dici potest, quemadmodum 1 Joh. 1. 1. λόγος ζωῆς: (quasi etiam phrasi *Deum omnis gratiæ* Petrus dixit, 1 Pet. 1. 10. & *Spiritum gratiæ* Paulus. Heb. X. 29.) & denique *sermo gratiæ Dei*, quia qua mediator favorem Dei nobis conciliavit & annuntiavit. Hæc ut de Christo ita interpretemur potius quam de Evangelio, suadet Apostolici sermonis concinnitas. Longe enim convenientius esse videtur Ecclesiam Christo commendari, quam Evangelio; quod commendari solet Ecclesiæ. 1 Tim. 1. 18. 2 Tim. II. 2. Si tamen omnino de Evangelio exponere velis, impropria ista locutio hunc habebit

IV. Quia personis pari loco & ordine jungitur.

bit sensum, ut fideles commendentur Deo, docturo & consolaturo eos per præconium gratiæ: atque ita Evangelium Deo sociabitur, uti caussa instrumentalis principali. Cui in testimonio isto, ex quo nunc argumentamur, nihil est simile. III. Non urgemus, illud omne personam esse, cui nomen attribuitur, aut cujus nomen nomini personæ jungitur, sed id in cujus nomine aliquid fieri dicitur, & quidem eodem modo quo id fit in nomine eorum qui sine dubio personæ sunt.

Non obstat personalitati Spiritus, quod eo baptizemur:

XI. Instes fortasse, si persona id esse videatur in cujus nomen baptizamur, *id quo* baptizamur persona esse nequit: quemadmodum nec aqua qua baptizamur persona dici potest. Quum ergo Christi fideles *Spiritu Sancto baptizari* dicitur, Mat. III. 11. Act. I. 5. I. Cor. XII. 13. parumne liquet, Spiritum Sanctum personam non esse? Respondeo: si ulla huic argumentationi sequela insit, eadem illatione conficies, quemadmodum vestis quæ nobis circumponitur, aut panis quo vescimur, persona non est; ita nec Christum, quem induere jubemur. Rom. XIII. 14. Gal. III. 27. & quo ceu pane vitæ alimur, Joh. VI. 41. personam esse. Baptizari Spiritu Sancto, quid aliud est, si propriis uti verbis malimus, quam gratia & donis Spiritus Sancti locupletari? Quid autem obstat quo minus is persona esse censeatur, cujus in nos gratia & dona conferuntur? Adde, ne nos quidem velle quotiescunque Spiritus Sancti vox in sacris occurrit, toties ea personam designari; quum haut illubentes fateamur, aliquando metonymice per eam significari dona Spiritus. Id ergo si & hic obtinere demus, quum Spiritu Sancto dicimur baptizari, qua specie inde concludes idem intelligi debere quum in ejus nomen baptizari dicimur? quandoquidem tanta est phraseos diversitas.

Vel quod virtus Dei vocetur, si modo ita vocetur:

XII. Opponunt adversarii, Spiritum Sanctum passim in sacris literis *virtutem Dei* vocari: in quem finem proferunt Luc. I. 35. Luc. XXIV. 49. coll. cum Act. I. 4. 5. 8. Act. X. 48. unde inferunt, eum personam non esse. Cæterum ea illatio prorsus imbellis est. Nam & Simon Magus a suis dictus est, ἡ δύναμις Θεοῦ ἡ μεγάλη. Act. VIII. 10. & Christus, Dei δύναμις vocatur. I. Cor. I. 24. Hebræi vero vocem הגבורה, quæ *potentiam* significat, epithetis Dei annumerant. מה השיב משה לפני הגבורה. *Quid respondit Moses coram potentia*, id est Deo? scribitur in *Cod. Sabbat.* Videri de hac re possunt *Elias* in *Tubi* ad vocem גבר. *Buxtorf.* in *Lex. Talm.* Ex hac consuetudine existimant nonnulli Evangelistam Marcum locutum esse. Mar. XIV. 62. *Videbitis Filium hominis sedentem* ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, *a dexteris potentiæ*: quod Hebræi dicerent לימין הגבורה. Non potest igitur personalitati Spiritus Sancti obstare; si quando virtus Dei vocatur. Sed nec hoc probant adversarii quod vocetur ita. Si enim recte rem putemus, videbimus omnibus locis allegatis

allegatis Spiritum Sanctum & potentiam distingui. Luc. I. 24. *Spiritui Sancto*, uti personæ Divinæ, adscribitur *virtus altissimi*, uti proprietas, per quam, & secundum quam operatur: quippe quæ est ἡ δύναμις τοῦ πνεύματος. Luc. IV. 14. Similiter Luc. XXIV. 49. *virtus ex alto* non notat immediate Spiritum Sanctum, sed magnitudinem illam animi qua instruendi erant Apostoli, cujus originem Spiritum S. esse innuitur, dum dicitur ex alto venire. Huc nos ducit Act. I. 8. Ἀλλὰ λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, id est, virtutem quam nanciscemini a superveniente vobis Spiritu. Ad eundem modum Act. X. 38. innuitur primum caussa, *Quem unxit Deus Spiritu Sancto*: tum effectus, & *virtute*.

Uti nec quod hominibus dari, aut ab illis accipi dicatur.

XIII. Sed neque illud validius est, quod adversus Spiritus S. personalitatem ex eo argutantur, quod hominibus *dari*, vel ab iis *accipi* dicatur. Luc. XI. 13. Joh. XIV. 16. 17. Rom. V. 5. Ioh. XX. 22. Nam I. Deus ipse semetipsum nobis dat in *mercedem amplam valde*: Gen. XV. 1. & *portio* sive *peculium* fidelium est. Thre. III. 24. Ier. X. 16. II. Christus etiam a Deo *datus*, Ies. IX. 6. Ioh. III. 16. a fidelibus *acceptus* dicitur. Ioh. I. 12. Col. II. 6. atque ita quidem ut *in cordibus ipsorum habitet*. Eph. III. 17. prorsus ut de Spiritu Sancto. III. In iisdem etiam locis ubi Spiritus Sanctus donum dicitur, aliquando uti persona describitur, & ab effectibus suis distinguitur. Ut Rom. V. 5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Cujus pericopæ hæc est mens: *Spiritus S.* datus est nobis, ut non minus noster sit, quam Pater, aut Filius nostri sunt: atque ita totius individuæ Triados communione, reddamur beati. Per Spiritum S. id est virtute & opera illius, habemus in *cordibus nostris*, sive sentimus & reipsa experimur, *charitatem* Dei, eam imprimis qua nos enixe diligit, & quidem *effusam*, sive uberrimam. Hoc enim ad consolationem, a qua denominatur Spiritus S. potissimum pertinet, quod charitatem Dei gustandam nobis sentiendamque exhibeat. Similiter Gal. IV. 6. de persona Sp. S. dicitur, *emisit Deus Spiritum filii sui*; sicut vers. 4. de persona Filii, *emisit Deus Filium suum*. Porro is Spiritus qui a Deo missus est ut in cordibus nostris sit & operetur, is *clamat*, id est, ita facit nos clamare, ut noster clamor ipsius vox sit. Tam aperte hic persona describitur, ut Crellius ad prosopopœiam confugere cogatur, cui simile schema exstet Cap. III. 8. *scriptura prævidet*. Verum nihil ibi simile. Scriptura prævidet, quia Spiritus Scripturam dictans prævidet. Ibi metonymia est, non prosopopœia.

Nec per Sp. S. designatur doctrina Evangelii.

XIV. Absurditatem omnem superat, quod per Spiritum Sanctum intelligi *doctrinam Evangelii* velint, cui per prosopopœiam operationes personales attribuantur. 2 Cor. III. 6. *Qui etiam fecit ut idonei essemus ministri novi pacti, non literæ, sed spiritus: nam litera occidit, Spiritus autem*

vivificat. Eodem torquent 2 Cor. XII. 3. *Nemo potest Jesum dicere Dominum nisi per Spiritum Sanctum.* Quasi mens Apostoli esset, neminem probe Jesum pro Domino agnoscere, nisi id ei per Evangelium reveletur. Quemadmodum & illi qui Evangelium recipiunt, *in Spiritu esse* dicuntur. Rom. VIII. 9. Sed si rem amamus dicere, quid est Scripturas petulanter στρεβλοῦν, si hoc non est? Singula testimonia videamus. Si daremus 2 Cor. III. 6. per Spiritum, Evangelii doctrinam metonymice intelligi, id quod Evangelio ibi improprie tribuitur in genere caussæ exemplaris, id personæ Spiritus S. proprie tribuendum est in genere caussæ efficientis principalis. Sicuti etiam id quod tribuitur literæ legis, eadem analogia tribuendum est personæ legislatoris. Jac. IV. 12. Sed non videtur necesse, ut eo deveniamus. Non vocat Apostolus legem literam, Evangelium Spiritum; sed docet in lege esse literam, in Evangelio Spiritum, ita ut qui ministrant legi, ministrent literæ; qui Evangelió, Spiritui. Literam vocat id quod primo ac per se non potest hominem convertere, aut spem vitæ facere peccatori, nedum ut eum vivificet. Per Spiritum intelligit, & personam illam, & gratiam illius vivificantem, quæ sine involucris panditur in Evangelio, & per illud est efficax. Certe vers. 3. Spiritum a doctrina distinguit, quum Corinthios vocat *Epistolam Christi*, *scriptam non atramento*, *sed Spiritu Dei vivi.* Quam autem obtrudunt interpretationem commatis tertii; 1 Cor. XII. ea audax perversio est. *In spiritu loqui*, est loqui ita ut docet & movet Spiritus. conf. Act. II. 4. Spiritus autem toto hoc capite non doctrinam Evangelii notat, sed eum per *quem datur sermo sapientiæ & cognitionis*, & qui auctor est fidei. vers. 8. 9. Et Rom. VIII. 9. *in spiritu* vivere dicimur quando per efficacem personæ Spiritus S. operationem vivimus vitam novam ac spiritualem: simili phrasi, qua naturæ universalis beneficio, dicimur *in Domino vivere*, qui ipse dat omnibus vitam & halitum & omnia. Act. XVII. 25. 28.

Spiritum Sanctum verum ac summum Deum esse, probatur:

XV. Asserta hactenus PERSONALITATE Spiritus Sancti, nunc eum DIVINAM Personam, verum Jehovam, supremumque Deum esse, demonstratum eamus. Et quid ni iisdem uteremur argumentorum classibus, quibus Divina sese veritas fortiter hactenus ac feliciter tutata est? Cui in Sacris Divina adscribuntur *Nomina*, *Attributa*, *Opera*, Divinus item *honor* cultusque, eum pro vero Deo agnosci Deus ipse jubet. Non enim tam suæ prodigus gloriæ est, ut ea quæ diximus omnia cum non-Deo communicet. Neque adeo communicare potest. Attributa enim Dei ab essentia ipsius revera non distinguntur. Operationes autem attributorum istorum quædam quasi emanationes sunt, & viva indicia. Honor & cultus quid nisi pia agnitio est Divinæ illius excellentiæ quæ tam stupendis se exerit operibus? Nomen autem Dei, impri-

mi

mis Jehovæ illud, omnia hæc significatus sui plenitudine complectetur. Porro nihil horum est, quod non Spiritui Sancto competere videamus.

I. Ex Divinis nominibus.

XVI. Ut a NOMINIBUS ordiamur: fatemur equidem nusquam disertim totidemque verbis scriptum exstare, Spiritus Sanctus est summus ille Deus: attamen ex Sedula Scripturarum collatione invicte colligimus, eum qui alicubi Spiritus Sanctus, eodem loci, vel in loco parallelo, Jehovam & Deum nuncupari; eaque de Spiritu Sancto dici, quæ citra controversiam de Jehova prædicantur, & de non-Jehova prædicari non possunt. Neque necesse est, omnia, etiam momentosissima, Theologiæ mysteria exsertis verbis exponi: quum sapientia nostra ex *συγκρίσει πνευματικῶν* hauriri debeat. 1 Cor. 11. 13.

XVII. Expendamus primo Psalmi xcv. mysteria. Is qui se vers. 9. 10. 11. a Judæorum majoribus *in deserto tentatum probatumque* dicit, postquam *experti essent opus suum:* qui *fastidio habuit generationem* illam, qui *juravit non ingressuros esse in requiem suam;* eum nemo, opinor, negaverit summum Deum esse. Idem ille est qui vers. 7. & 8. dicit, *Hodie si vocem ejus*, scilicet Filii Dei, qui Deus noster, & Rex magnus supra omnes Deos, & supremus animarum pastor est, *audieritis, ne obduretis animum vestrum.* Nam ab ultimo membro versus septimi usque ad Psalmi finem continua ejusdem personæ oratio refertur. Subsumo nunc: atqui Spiritus Sanctus is est cujus tota est hæc oratio. Id enim Apostolus nos docet Heb. III. 7. *Qua propter, sicut dicit* SPIRITUS S. *hodie si vocem ejus audieritis &c.* Et profecto Spiritus officium est *de Christo* Rege *testari*, Joh. xv. 26. eumque *glorificare*. Joh. xvi. 14. Unde indeclinabili sequela colligitur, Spiritum Sanctum eum esse Jehovam quem tentarunt Israëlitæ in deserto, & qui magnificis operibus suis justaque in rebelles vindicta se Deum Israëlis esse asseruit. Quod excipiunt adversarii, Spiritui Sancto ea verba attribui non quasi ex ipsius persona pronunciata, sed ex persona Davidis, impulsu Spiritus: id ex tota sermonis *συναφείᾳ* refellitur. Non enim quæ dicuntur in Davidem conveniunt, sed in solum Deum. Nec potuisset etiam David Spiritus S. impulsu sacra ea canere, nisi Sp. Sanctus esset Jehova. In eo enim cujus impulsu loquuntur vates, omnis dictorum auctoritas fundatur: quæ quum Divina sit, non nisi in Deo fundari potest. Considera sodes Petri illationem 2 Pet. 1, 19. 20. 21. Ubi omnem Prophetici sermonis firmitudinem, auctoritatemque, qua ad fidem & obedientiam obligamur, in eo fundat, quod acti a Spiritu S. locuti sint sancti Dei homines.

XVIII. Aliud addamus. Jehova, & quidem solus, Israëliticæ expeditionis per desertum dux fuit. Deut. xxxii. 12. *Jehova solus duxit eum, nec fuit cum eo Deus fortis alienigena.* Quod quum dicimus, clarum est de supremo nos & autocratorico ducatu loqui, ne quis nobis

Mosen objiciat, qui sub Deo, uti illius minister, populum ex Ægypto duxit. Porro eum Jehovam Israëlitæ exacerbarunt sua rebellione. Exod. XVIII. 7. Hæc autem omnia Spiritui Sancto Jesaias vindicat. Jes. LXIII. 14. *Ut jumentum in convallem descendens Spiritus Jehovæ quiete egit eum.* & vers. 10. *Ipsi rebellarunt, & dolore affecerunt Spiritum Sanctitatis ejus.* Quid aliud hinc inferri potest, nisi Spiritum S. ipsum illum esse Jehovam, cui tam parum acceptam tulerunt Israëlitæ liberationem suam, cujus tamen universa gloria ei debebatur.

XIX. Non minus etiam in hac quam nunc dicemus observatione valoris est. Quem Jesaias vidit celso insidentem solio, adstantibus superne Seraphinis; quem Regem illum, Jehovam exercituum vocat; ex cujus ore hæc verba audivit: *I. dic populo isti, audite indesinenter, at ne intelligatis, pinguefac cor populi istius &c.* is, nemine inficiante, verus & supremus Deus est. Jes. VI. Ubi ergo probavero Spiritum S. eum esse qui hæc Jesaiæ dixit, nihil ad Deitatem ejus adstruendam ultra desiderari posse videtur. Id autem Paulus docet. Act. XXVIII. 25. 26. *Bene sane* SPIRITUS S. LOCUTUS *est per Jesaiam prophetam patribus nostris, dicens, Vade ad populum istum, & dic, Auditu audietis &c.* Potuitne quicquam dici disertius? Potuit, inquiunt. Non enim ait Paulus, Spiritum Sanctum hæc dixisse *Jesaiæ*, sed *per Jesaiam patribus.* Quasi per Iesaiam ea dicere potuerit, nisi prius dixisset Iesaiæ. Imo vero ea verba, quæ Spiritui S. attribuit Apostolus, *Abi, vade ad populum istum & dic*, non proxime neque immediate ad Patres, sed ad Iesaiam, directa sunt. Ejusdem subtilitatis est, quod hac argumentandi ratione confici posse cavillentur, Spiritum Sanctum esse Christum: quippe cui, ex nostra quidem interpretatione, eadem verba attribuantur Ioh. XII. 41. In quo profecto fugit eos ratio. Confici potest ac debet ex horum locorum collatione, Spiritum Sanctum unum eundemque cum Christo Deum esse: eandem personam esse, confici non potest. Id enim quod hic dicitur tale est, ut nisi Deo competere non possit. Non est tale, ut nisi uni personæ competere non possit. Imo plurium hunc sermonem esse, qui tamen unus Deus sint, ipsa Dei apud Iesaiam phrasis innuit. *Quem* MITTAM? & *quis iturus est* Nobis? Ies. VI. 8.

XX. Adferri etiam in hanc mentem solent novissima Davidis dicta 2 Sam. XXIII. 2. 3. *Spiritus Jehovæ* דבר בי *locutus est in me & sermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Israëlis, mihi locuta est rupes Israëlis.* Ubi is qui primum *Spiritus Jehovæ* vocatur, dein *Deus Israëlis*, & *rupes Israëlis* ex multorum sententia dicitur. Verum enimvero quod citra invidiam liceat, aliter paullo instituere hic nobis lubet. Non putamus comma tertium ita exegeticum esse secundi, ut Deus & rupes Israëlis eandem personam notent, qui antea Spiritus Iehovæ dictus est.

Con-

Convenientius videtur per *Deum Israëlis*, *Patrem* intelligere; per *rupem Israëlis*, *Christum*, qui Israëlem sustentat, & eum sibi tanquam fundamento inædificandum suscepit; per *Spiritum Jehovæ*, *tertiam personam*. Atque ita totam hic invenimus Trinitatem, & de Spiritu Sancto ea quæ Deitatem ipsius invicte arguunt. Quando David dicit, *Spiritus Jehovæ locutus est mihi*, vel *in me*, vel *per me*, quomodocunque vertere libeat: ostendit se pro fiduciæ suæ fundamento habere, non Samuelis, non Nathanis, non Gadis verba, qui instrumenta erant, sed Spiritus Sancti dicta, qui & per eos sibi locutus erat, & virtute majore ac plane Divina se animo ejus insinuaverat, & ex ista fidei πληροφορίᾳ loqui fecerat ad alios. Unde tale exsurgit argumentum: qui *principaliter* locutus est Davidi, in Davide, per Davidem, is est verus & summus Deus. Atqui Spiritus S. Ergo. Majorem propositionem ipse nobis præformavit Crellius. Assumtio ex eo confirmatur, quia se linguamque suam Spiritus illius instrumenta esse fatetur. Cujus autem instrumenta vates sunt, is oraculorum princeps caussa est.

XXI. Validissimum pro Sp. Sancti Deitate argumentum Petrus nobis suppeditat Act. v. 3. 4. Ubi id de Spiritu Sancto tradit, quod ostendebat mendacium Ananiæ teterrimum gravissimumque esse peccatum. Nihil autem peccato illi exaggerando aptius est, quam observare, non commissum illud esse adversus nudos homines, quales Apostoli erant, sed adversus Spiritum Sanctum. Porro, nihil magis arguit, mendacium Spiritui Sancto dictum gravissimum esse peccatum, quam hæc altera observatio, eum qui Spiritui Sancto mentitur ipsi Deo mentiri. Quæ Apostoli illatio non procederet, si Spiritus Sanctus non esset Deus. Duo hic excipiunt adversarii: ac primo quidem, Ananiæ dici quod *mentitus* sit *Deo*, non dici quod *mentitus* sit *Spiritui Sancto*: sed quod *mentitus* sit *Spiritum Sanctum*. In Græco enim exstare, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod significare potest, vel *simulare Spiritum Sanctum*, ut Erasmus aliique, vel *fallere Spiritum Sanctum*, ut Piscator cum aliis: neque fortuitam esse hanc casuum mutationem, ne quis Deum eum vocari arbitraretur qui modo Spiritus Sanctus dictus fuerat. Deinde, etiamsi nostra valeret interpretatio, non magis inde inferri posse Spiritum Sanctum esse Deum, quam Apostolos esse Deum ex consimili argumentatione Pauli 1 Thes. IV. 8. *Proinde qui nos adspernatur non adspernatur hominem, sed Deum.* Responsio nostra hæc est. I. Græci suum ψεύσασθαι construunt indiscriminatim cum dativo vel accusativo. E multis exemplis quatuor hæc sufficiant. Jes. LVII. 11. Τίνα εὐλαβηθεῖσα ἐφοβήθης καὶ ἐψεύσω με; *Euripides in Iphigenia*: Ἡμᾶς δ᾽ ὁ Φοῖβος, μάντις ὤν, ἐψεύσατο. *Josephus Antiq. Lib.* III. *Cap.* X ψευσαμένη τὸν ἄνδρα ἐπὶ

τοῖς γάμοις, καὶ τὸν Θεὸν ἐπὶ τοῖς ὅρκοις. *Herodianus Lib.* II. *Cap.* X. Πρὸς δὲ τῶν ἐκεῖ στρατιωτῶν, ὡς ἐψεύσαντο οὐκ ἔτι πιστεύονται. In quibus omnibus testimoniis non potest ea vox cum accusativo constructa, aliam quam mentiendi imponendique significatum habere. II. Erasmi expositio prorsus aliena est. Non enim ista pretii interversione de qua agitur simulare Ananias poterat se Spiritum Sanctum habere. Tum etiam ipse Petrus exponit aliter commate 9. *Quid est cur convenerit inter vos ut tentaretis Spiritum Domini? Fallere* autem *Spiritum Sanctum*, quemadmodum Piscator interpretari maluit, id est operam dare ut fallas, vel nihil aliud est quam mentiri, vel etiam aliquanto plus. Hæc ergo est Apostolicæ demonstrationis constructio, quicunque id operam dat, ut mendaciis suis Spiritum Sanctum fallat, quod tu Anania facis, illius peccatum atrocissimum ac plane Diabolicum est: is enim non hominibus mentitur, sed Deo. III. Non sequitur sane ex allegato Pauli testimonio Apostolos Deum esse: sed docetur, contemptum sermonum quos Apostoli dictante Dei Spiritu prædicabant in ipsum Deum recidere. Sicut & hic mendacium Ananiæ, quo fucum facere Apostolis conabatur, ultimo in Spiritum Sanctum redundabat, qui consequenter Deus est. Si enim voluisset Petrus dicere, Ananiam mentitum esse Apostolis, per Apostolos Spiritui Sancto, per Spiritum Sanctum Deo, sic ut Spiritus, veluti medium quoddam inter Deum & Apostolos, a Deo distinguatur, dixisset; non mentitus es hominibus, non Spiritui Sancto, sed Deo.

II. Ex Attributis.

XXII. Sed & ex ATTRIBUTIS Dei nonnulla libemus, quæ Sancto Dei Spiritui Scriptura vindicat. Ubi primo occurrit ÆTERNITAS, de qua Paulus Heb. IX. 14. *Christus per* SPIRITUM ÆTERNUM *se ipsum obtulit inculpatum Deo.* Longe mihi videtur concinnius ut vocem Spiritus de tertia hic persona quam de Divina Filii natura exponamus. Distincte enim hic designatur, primo *Sacerdos*, qui Christus est, potissimum secundum Divinam naturam, sive ut cum Apostolo nostro dicam, *secundum vim indissolubilis vitæ.* Heb. VII. 16. tum *victima*, qui est idem Christus, præcipue secundum humanam naturam, in qua passus est & mortuus. Heb. IX. 13. & denique *mysticus ignis*, qui est Spiritus Sanctus, sanctificans victimam, & gratam præstans Deo. De Sacro igne coelitus delapso, vide Levit. IX. 23. 24. Is asservandus in ara jugi Sacerdotum cura erat, ne exstingueretur. Levit. VI. 12. Hoc sensu *æternus* dici quodammodo poterat, quemadmodum & Romani *æternos Vestæ* suæ *ignes* laudabant. Is autem sacer ignis Sancti Spiritus erat symbolum: & *ignis* vocatur, Dan. VII. 10. & flammas Divinæ caritatis excitat, Cant. VIII. 6. 7. &, quod hic imprimis attendi meret, victimas omnes Deo gratas facit. Rom. XV. 16. *Ut oblatio gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum.* Porro quæ in Sacro igne symbolica duntaxat æternitas

tas erat, ea in illius antitypo, Spiritu Sancto, vera est ac solida: non modo quia quoad operationes gratiæ suæ exstingui eum nefas est: 1 Thess. v. 19. sed cum maxime quia uti in initio jam existens Mosi memoratur. Gen. 1. 2.

XXIII. Æternitati succedat IMMENSITAS. Psal. cxxxix. 7. *Quo irem a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugerem?* Non ausim explodere observationem Anonymi in Catena Græca ad hunc Psalmum. τὸ πνεῦμα αὐτοῦ φησὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, πρόσωπον δὲ τὸν μονογενῆ υἱόν. *Per Spiritum ipsius, Spiritum Sanctum intelligit: per faciem autem, unigenitum Filium.* Videamus quî hæc firmari possint. Omnino videtur *facies Dei* aliquando *Filium* notare. Promiserat Deus daturum se Israëlitis viæ ducem, *Angelum in cujus medio nomen suum sit.* Exod. xxiii. 20. Deinde irritatus fœda Israëlitarum μοσχοποιΐα, se quidem cum iis iturum negat, sed *Angelum* missurum, qui inimicos promissæ terræ incolas expellat. Exod. xxxiii. 2. 3. Exoratus autem a Mose, iterum tandem pollicetur fore *ut facies sua* præcedat, ibid. vers. 14. Quid hic *facies Dei* aliud est quam idem ille *Angelus in cujus medio nomen Dei est?* Adde Mal. iii. 1. *Ecce ego missurus sum Angelum meum,* Johannem Baptistam, *qui expediat viam* לפני *faciei meæ.* Quæ autem est Dei facies, eum præeuntem insecutura? *Repente veniet in templum suum Dominus quem vos quæritis, & Angelus fœderis quo vos delectamini.* Alia mitto, brevitatis caussa. Ratio autem denominationis illius manifesta est: quia nimirum Dei gloria ac pulcritudo illa quæ amabilis est peccatori nusquam clarius conspicitur nisi in Christo. Joh. xiv. 9. *Qui vidit me, vidit Patrem.* Non est hæc observatio otiosa. Si enim *facies* Dei sumenda hic *personaliter* est, idem omnino est statuendum de *Spiritu.* Et sic totius adorandæ Trinitatis docetur immensitas: quoad *essentiam* vers. 8. שמה אתה. *Ibi tu Scientiam.* vers. 3. 4. 5. *potentiam,* & efficacem operationem.

XXIV. Adde OMNISCIENTIAM. 1 Cor. ii. 10. 11. *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunditates Dei. Quis enim hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui est in eo? Ita enim quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei.* Observa, I. Spiritum Dei nosse simpliciter *omnia.* II. Etiam *profunditates Dei*: abditissima Essentiæ, Perfectionum, Consiliorum Divinorum arcana. III. Ea nosse tam exacte quasi qui magna cura *scrutatus* sit. Conf. Jer. xvii. 10. Ps. vii. 10. IV. Secretissima Dei consilia nosse, *uti sua ipsius* consilia, quemadmodum mens hominis ea novit quæ hominis sunt. V. Hæc omnia scientiæ prorsus Divinæ argumenta esse. Profunda humani cordis nosse solius Dei est. 1 Reg. viii. 39. quanto magis profunda Dei? Rom. xi. 33. Liberrimam denique VOLUNTATEM & OMNIPOTENTIAM Spiritui Paulus attribuit, eo loco quem supra excussimus 1 Cor. xii. 11.

III. Ex operibus.

XXV. Ab Attributis Divinis ad OPERA transeamus. Ubi primo occurrit CREATIO. Ea utique Deo se Auctori asserit. Jes. XL. 26. 28. *quum* Dei solius, & quidem immediatum opus sit. Jes. XLIV. 24. Job. IX. 18. Spiritui autem Sancto adscribitur: tam *Macrocosmi*, quam *Microcosmi* respectu. De *Macrocosmo* invenimus Gen. I. 2. *Spiritus Dei incubabat superficiei aquarum.* Similitudo est ab avibus desumta, quæ nido incubant & pullos fovendo excludunt. Confer. Deut. XXXII. 11. Ad eundem modum Dei Spiritus informi illi massæ incubans, sua illam virtute tot pulcherrimarum creaturarum fœtam reddebat. *Basilius Hexaëm. Hom.* II. Συνέθαλπε καὶ ζωογόνει τὴν τῶν ὑδάτων φύσιν, κατὰ τὴν εἰκόνα τῆς ἐπωαζούσης ὄρνιθος. Consentiunt Talmudistæ in *Chagiga. Cap.* II. *Fol.* 15. כיונה מרחפת על בניה ואינה נוגעת. *Instar columbæ quæ incubat pullis suis, neque tangendo lædit.* Similia habet *Salomo Jarchi in h. l.* Fortassis metaphoræ huic ortum debet symbolica Ægyptiorum Theologia de mundo ut ovo a Deo prodeunte. Adde Job. XXVI. 13. *Spiritu suo cælos ornavit.* *De Microcosmo* apud eundem Jobum exstat Cap. XXXIII. 4. *Spiritus Dei fortis fecit me, & afflatus omnipotentis vitam indidit mihi.*

XXVI. REGENERATIO etiam solius Dei est. Est enim nova creatio quæ voluntatis jussu peragitur. Jac. I. 18. Est & actio Dei immediata, si efficientiam realem spectes. Nam media non nisi moraliter agunt. Sed & hæc Divini Spiritus est. Joh. III. 5. 6. *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu non potest introire in regnum Dei.* Ubi *aqua* vel eandem rem notat cum Dei *Spiritu*, ut Jes. XLIV. 3. vel *baptismum*; quem *lavacrum regenerationis* Apostolus nuncupat Tit. III. 5. qui tamen quum non nisi moraliter agat, omnem suam virtutem a Dei Spiritu habet. Vel fortassis *aqua* id hic significat quod generationis nostræ *naturalis* est *materia*, ut Jes. XLVIII. 1. *qui ex aquis Judæ prodierunt.* Præter quam generationem *naturalem*, qua ex *aqua* nascitur *homo*, alia exigitur *supernaturalis*, qua ex *Spiritu* nascitur *Spiritualis homo.* Omnia eo tendunt, ut regenerationis nostræ initium Dei Spiritum esse agnoscamus. *Renovatio Spiritus Sancti.* Tit. III. 5. *Spiritus vivificat.* 2. Cor. III. 6.

XXVII. Similiter SANCTIFICATIO solius Dei est. Ezech. XX. 12. XXXVII. 28. Sed & Spititui vindicatur. Ezech. XXXVI. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, quo faciam ut in statutis meis ambuletis, & jura mea observetis, facientes ea.* 1. Cor. VI. 11. *Sanctificati estis per Spiritum Dei nostri.* 2. Thes. II. 16. *Per Sanctificationem Spiritus.* Porro aliter nos Sanctificat Spiritus, aliter verbum: ne quis & Spiritum instrumentalem sanctificationis caussam esse existimet. Omnis enim verbi efficacia moralis ab hyperphysica Spiritus efficacitate pendet. Hinc Spiritus cum suis operationibus verbo quidem jungitur, sed a verbo tamen distinguitur. Jes. LIX. 21.

XXVIII.

XXVIII. Denique MIRACULA sua virtute patrare, solius Dei opus est. Ps. LXXII. 18. *Deus Israëlis facit mirabilia solus.* Sed & ea Spiritus sanctus sua virtute facit. Rom. XV. 19. *Virtute signorum ac prodigiorum, virtute Spiritus Dei.* Adde 1 Cor. XII. 9. 10. Imo & Christus quicquid hac in parte fecit, fecit virtute Spiritus, quæ & sua est. Mat. XII. 28. *Per Spiritum Dei ego ejicio dæmonia.*

XXIX. Sequitur ut de Divino illo HONORE ac cultu agamus qui Spiritui sancto debetur. Et primo quidem *adorationem* religiosam sumamus, cujus, quicquid obnitantur alii, erga Spiritum præstandæ *præcepta*, præstitæ *exempla*, in sacris literis habemus. Ac *præceptum* quidem exstat Mat. IX. 31. *Rogate Dominum messis, ut emittat operarios in messem suam.* Dominus messis, qui operarios extrudit, Spiritus Dei est, ut colligimus ex Act. XIII. 2. ubi præcepti hujus invenimus executionem. *Illis autem suum ministerium obeuntibus Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus, separate mihi Barnabam & Saulem ad opus ad quod eos advocavi.* Ad preces Prophetarum ac Doctorum Ecclesiæ Antiochenæ respondet Spiritus: quam ob rem? nisi quia ab iis invocatus. Isque Spiritus, ut Dominus, pro sua auctoritate declarat, quid Barnaba ac Saule fieri velit: seque eum esse asserit, qui ad ministerium eos vocavit. IV. Ex Honore & cultu.

XXX. Neque exempla desunt. Pauli illud notissimum est. 2 Cor. XIII. 13. Ubi sicut *gratiam* a *Domino Jesu Christo*, & *charitatem* a *Deo Patre*, ita & *communicationem sui* a *Spiritu sancto* petit. Non abludit Johannis votum Ap. 1. 4. 5. *Johannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia: Gratia sit vobis & pax a Qui, & Qui erat, & Qui venturus est: & a* SEPTEM SPIRITIBUS *qui in conspectu throni ejus sunt: & a Jesu Chisto, qui est fidus ille testis.* Ad cujus loci intelligentiam expendendum I. Quid septem Spiritus notent. II. Quo modo eos Johannes invocet. Non designantur hic per *septem Spiritus* Spiritus quidam *creati*, sive *Angelici*, sive *humani*; sed *tertia Deitatis persona*: quod tam ex consideratione antiqui symboli, quod alluditur, quam ex sacræ Apocalypsios stilo, colligimus. Alluditur ad candelabrum aureum cum septem suis lampadibus in Tabernaculo Mosis. Eo enim nos ducunt verba Apoc. Cap. IV. 5. *Septem lampades igneæ ardentes ante thronum, quæ sunt septem Spiritus Dei.* Nimirum *Tabernaculum* symbolum erat *Ecclesiæ*; *Candelabrum*, *Spiritus sancti*, unde Ecclesiæ omnis sua lux. Id in se *unum* erat, *septem* tamen lampadibus distinctum. Spiritus sancti *una* persona est, sed gratia ejus abundantissima, & consummatissima. Nam septenarius numerus multitudinis ac perfectionis symbolum est. Septem illæ lampades continentis operis erant, ex ipso lychnucho prodeuntes. Exod. XXV. 31. Gratiæ Spiritus sancti ei, ut ita dicam, essentiales sunt, & ex omnisufficientia Divinitatis ejus prodeunt. Propterea ab iis denominatur, *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ &c.* Jes. XI. 2. Sed & ipse Apocalypsios stilus huc non ducit.

Vocantur enim septem hi Spiritus *Spiritus Dei.* Ap. IV. 5. Quo nomine creatum ullum spiritum in sacris dici, non memini. Collocantur inter Patrem & Filium, ut ejusdem dignitatis. Dicuntur *cornua* & *oculi Christi* Ap. V. 6. Nimirum Spiritus sanctus *Christi Spiritus* est Gal. IV. 6. Rom. VIII. 9. Qui sub *cornuum* emblemate proponitur, propter δύναμιν Spiritus passim prædicatam; & *Oculorum*, vel propter scientiam, vel quia intuitus Christi est intuitus amoris, & amor in datione Spiritus. Rom. V. 5. Denique, nunquam legimus Spiritus hos Deum adorare, quod faciunt animalia & seniores. Sed e contra invocantur a Johanne: qui honor creatis spiritibus non convenit. Ap. XIX. 10. XXII. 9. Quomodo autem invocat Johannes? Pari modo, pari cultu quo Patrem & Filium, ut auctorem cum Patre ac Filio gratiæ & pacis, sine ulla discriminis nota.

XXXI. Accedit & alterum quod in nomine Spiritus *baptizemur.* Mat. XXVIII. 19. Qui honor plane Divinus est. Nam is in cujus nomen baptizamur. I. Agnoscitur verus Deus, sacramentorum auctor, Ecclesiæ Dominus ac legislator, quod præter Jehovam nemo est. Jes. XXXIII. 22. II. Ei confidimus; ut qui rem sacramento significatam conferre ac præstare potest. Quod iterum solius Dei est. Quis enim non-Deus præstabit nobis Dei gratiam, communionem, fruitionem; quæ sacramentis obsignantur? III. Ei nos sacramento dedimus in obsequium. Estenim in baptismo *stipulatio bonæ conscientiæ ad Deum.* 1 Pet. III. 21. Atque hic rursus honor amplior est quam ut in creaturam cadat. Hinc Paulus tanta eum a se sollicitudine removet. 1 Cor. I. 13. *Num in nomen Pauli baptizati fuistis.*

XXXII. Adde quod Spiritui sancto in *Templum* consecremur. 1 Cor. III. 16. *An nescitis vos Templum Dei esse, & Spiritum Dei habitare in vobis.* VI. 12. *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, qui est in vobis.* Templum autem solius Dei ædes est; *domus ædificata nomini Jehovæ,* 1 Reg. V. 3. 4. *sanctuarium Jehovæ.* Jes. LXIII. 18. *solium gloriæ & excelsi.* Jer. XVII. 12. Et in templo cultus soli Deo sacer exercetur. Ps. XXIX. 9. Neque est quod excipias, fideles nonnisi metaphorice templum dici. Id enim si verum esset, servanda tamen analogia erat. Quemadmodum ergo domus a Salomone exstructa templum erat propter Divinitatis inhabitationem quam שכינה Hebræi dicunt: ita & fideles propterea Spiritus templum sunt, quia ille uti Deus in illis est atque habitat. Verum enimvero fideles magis proprie templum sunt quam Hierosolymitanum illud. Quippe quod figura duntaxat erat illius rei, cujus veritas in Christo primum, tum & in fidelibus est. 2 Cor. VI. 16. Eph. II. 21. 22.

XXXIII. Neque omittenda videtur Religiosa illa *obedientia* quam ut Spiritui sancto deferamus Apostolus urget. Heb. III. 7. 8. 9. *Quapropter sicut dicit Spiritus ille sanctus, Hodie si vocem ejus audiveritis, ne obdurate corda vestra, sicut in exacerbatione illa, in die tentationis in deserto, ubi tenta-*

tentaverunt me patres vestri &c. Merito indignatur Dei Spiritus, non fuisse sibi eum sacræ obedientiæ honorem delatum, qui Majestati suæ debebatur. Sed & peccatum aliquod memorari in sacris literis videmus, quod singulari modo in Spiritum sanctum illiusque œconomiam committitur, tantique a Deo æstimatur, ut suprà cætera irremissibile esse dicatur. Mat. XII. 31. 32. Heb. X. 26. 29. Si autem Spiritus sanctus summus ille Deus non est, quæ caussa dici potest, cur peccatum quod adversus ipsum committitur tantæ diritatis atque atrocitatis esse censeatur? Non tamen hinc intuleris, Spiritum sanctum majorem ac digniorem Deum esse quam Pater sit aut Filius. Deum esse, jure concludimus, quippe adversus quem electe & κατ' ἐξοχὴν peccetur. Majorem Patre ac Filio Deum esse, concludere non possumus, quum infinitas Deitatis disparitatem omnem excludat. Quod autem peccatum adversus eum commissum nunquam remittatur, non ex eo procedit quod Patre aut Filio dignior sit: sed ex natura peccati, quo proterve ac pertinaciter rejicitur ea Dei gratia oblata, cognita, agnita, sine qua non est salus: & malitiose iis resistitur Spiritus sancti operationibus, quibus ille solis peccatores Deo ad salutem unit.

XXXIV. Atque ita Spiritus sancti *supremam Deitatem* satis nos confirmasse arbitramur; nunc quod restabat, ostendamus eam PERSONAM Divinam esse a Patre & Filio DISTINCTAM. Huc facit. I. *Distincta recensio.* Hagg. II. 5, 6. *Ego vobiscum sum, dictum Jehovæ exercituum, cum* VERBO *&c:* & SPIRITU MEO *stante in vobis.* Mat. XXVIII. 19. 2 Cor. XIII. 13. II. *Trium enumeratio.* 1 Joh. V. 7. III. Diserta *distinctionis particula.* Joh. XIV. 15. 16. *Ego vero rogabo Patrem, &* ALIUM *paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, nempe Spiritum illum veritatis.* Huc etiam viri Doctissimi referunt Zachariæ illud Cap. IX. 12. גַּם הַיּוֹם מַגִּיד מִשְׁנֶה אָשִׁיב לָךְ, quod vertunt, *Etiam hodie indicem alterum reddam tibi. Index* dici potest Spiritus sanctus ab officio, quod est *indicare* occulta. Joh. XIV. 26. XVI. 13. *Alter*, distinctus a Christo, qui prior est missus, de quo com. 9. *Reddendus*, partim quia jam inde a Zachariæ temporibus extraordinaria Spiritus sancti missio ad Christum usque cessavit, partim quia dandus erat loco Christi ad Patrem profecti. Proprietates autem characteristicæ Spiritus sancti sunt, I. *Spiratio passiva* a Patre & Filio. II. *Tertius ordo subsistendi.* III. *Tertius ordo operandi.* Confer *Exercitationem septimam.*

Spiritus S. persona Divina est a Patre & Filio distincta.

XXXV. Hæc quidem nobis de Spiritu Sancto ex vero cognoscenda, & sincero pietatis affectu agnoscenda sunt: at tamen fides in Spiritum S. quam in Symbolo profitemur plura complectitur. Non subsistit ea fides in frigida *personæ* Divinæ contemplatione; sed pergit ad *œconomiam* mysticæ *inhabitationis* in fidelibus, & arcanæ virtutis quam in cordibus eorum exserit. De quibus rebus porro nunc nobis disserendum

Ad praxin hujus articuli facit, ut agnoscamus Spiritum Sanctum nobis a Deo datum esse.

dum erit, ut doctrinæ hujus medullam ac nucleum teneamus. Hæc ergo fidelium prærogativa est, quod Spiritu a Deo donati, in intimo eum animorum suorum penetrali exoptatissimum incolam habeant. I. Cor. II. 12. *Nos enim non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo: ut sciamus qua Deus est nobis gratificatus.* Idque adeo est universaliter verum, ut *qui Spiritum Christi non habet is neque Christi sit.* Rom. VIII. 7. Opera porro danda est, ut quotquot Spiritus illius facti sumus participes, illum etiam in nobis habitare sciamus. *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti, qui est in vobis, quem a Deo habetis?* I. Cor. VI. 19. Hac enim re ignorata fieri non potest, ut nostræ cum Deo ac Christo unionis, in qua omnis salutis nostræ cardo vertitur, certi simus. I. Joh. IV. 26. *Per hoc cognoscimus, nos in ipso habitare, & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis.* Non poterit autem id certius cognosci, quam ex diligenti animadversione earum operationum quibus se Spiritus ut Spiritum gratiæ & Christi conscientiis approbat. Unde eadem opera colligetur, quanta sit Divini illius doni præstantia.

Qui uti novæ in fidelibus vitæ Auctor est,

XXXVI. Operationes istæ Spiritus hæ sunt potissimum. Sicut in mundi primordio aquis incubando novæ iis vitæ semina indebat, unde tam concinnæ motuum vices, tam variæ creaturarum species prodierunt; ita postquam se electorum insinuavit mentibus, novæ in iis, spiritualis ac Divinæ vitæ auctor est. Joh. VI. 63. *Spiritus est quod vivificat.* Incipere autem vita illa videtur a nova luce in mente per Spiritum accensa. 2. Cor. IV. 6. qua & nos ipsos cognoscimus cum omni criminum nostrorum atrocitate, & quem ea inducunt reatu, & mundi in malo jacentis vanitatem, & creaturarum omnium ad nos beandos impotentiam, & Evangelicarum revelationum Divinam veritatem, quodque rei caput est, Christi Domini ad salutis nostræ consummationem omnimodam sufficientiam, & Dei in Christo amabilitatem, & virtutis denique, quæ Dei imago est, decoram pulcritudinem. Quia vero intellectum inter ac voluntatem nexus est arctissimus, hinc eodem Spiritu auctore ii in voluntate motus excitantur, qui istis intellectus ideis respondeant. Profunda nimirum nostri coram Deo humiliatio, & dolor de admissis criminibus in quantum ea Divinæ adversantur sanctitati, & contemtus mundi, & sancta de nobis ipsis omnibusque creaturis desperatio, & viva Evangelii fides, & fames sitisque Christi illiusque quæ in solo Christo est gratiæ, & vehemens Dei in Christo amor, atque ardens virtutis studium, quo Deo quantum fieri potest evadamus simillimi. Quæ omnia dum in mente virtutem suam exserunt, evenire aliter non potest, quin eandem virtutem cum corporis etiam membris communicent, quæ sese sistunt *arma* ac *serva justitiæ ad sanctimoniam.* Rom. VI. 19. Atque ita novus quasi gratiæ mundus per Spiritum Sanctum

in

in homine producitur, qui secundum meliores motus regulas gubernatus, vegetique plenus vigoris, generosis vitæ actionibus auctorem suum Spiritum refert. Rom. VIII. I. Gal. V. 25.

XXXVII. Porro id quoque facit Spiritus ut fideles non inter se solum, sed & *cum Christo*, *unum sint*. I. Cor. XII. 13. *Etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus*, illud videlicet corpus, quod Christum esse modo monuerat Apostolus. Spiritus Christi, suavi quidem, sed tamen invicta, &, ut numero dicam, lubentifica virtute sua nostrum spiritum versus Christum trahit, ad eum apprehendendum & amplectendum. Christus etiam gratiæ suæ communicatione ad nos descendit; atque in hoc mutui amoris jucundissimo congressu fit mystica ac spiritualis unio, &, si ita loqui fas sit, commixtio, ut fidelis anima quasi dissolvatur & liquescat in Domino Jesu, & *unus cum ipso Spiritus* fiat. I. Cor. VI. 17. Gloriabatur olim sponsa, *se dilecti sui, & dilectum suum* esse. Cant. VI. 3. Sed ecce majus hic quippiam quam *meum* aut *tuum*. Non *unio* tantum mediante Spiritu, sed & *unitas*. Unitas adeo nos Christo uniens, ut in ea instar quoddam sit perfectissimæ illius unitatis trium in eadem Divina essentia personarum. Joh. XVII. 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* O Divini amoris in hac spiritus sancti operatione elucentis stupendum miraculum! Ita & Christo eos quam arctissime unit:

XXXVIII. Nam & illud hinc sequitur, ut Christi participes facti, *participes* quoque simus *omnium bonorum* ejus. Si nos Christi sumus per Spiritum, quæcunque Christi, eadem etiam nostra sunt. I. Cor. III. 22. 23. Ipse in se suscepit quæ nostra erant. Nostrum autem nihil erat præter peccatum & miseriam. Jes. LIII. 4. Ut quæ sua sunt nostra faceret, conferenda nobis per Spiritum; ex iis quæ Christi sunt sumentem quod nobis det. Joh. XVI. 14. Ita nobis Christus dicit, quod Pater ille filio: Luc. XV. 31. *Fili tu semper apud me eris. Omne meum tuum est.* Domine Jesu! Omne tuum nostrum! Nunquid ergo pauperculi nos homunciones, thesaurorum tuorum omnium, & immensæ illius opulentiæ gratiæ tuæ consortes erimus? Quid ni, Domine? si tu noster sis per Spiritum tuum, cur non & tua? Omniumque bonorum ejus participes facit:

XXXIX. Porro Spiritus iste consolator fidelium est; idque non uno modo. I. Quatenus Divini iis amoris *sigillum* est. Eph. I. 13. *Postquam credidistis obsignati estis Spiritu illo promissionis Sancto.* Emphasim suam habet, quod *Spiritus promissionis* dicatur: non eo solum nomine quia ipse promissus est, sed potissimum quia ipsius est promissiones Evangelii intimare, inscribere, obsignare in cordibus fidelium. *Obsignatio* autem quum sit similitudinis quæ in sigillo est expressio in re obsignata, qua dignoscitur illius esse cujus impressum signum gerit, vel Ac suavissime consolatur.

qua instrumento alicui plena conciliatur fides; quid hic per obsignationem intelligemus aliud, quam communicationem efficacem Divinæ illius lucis, puritatis, sanctitatis, justitiæ, bonitatis, gaudii, quæ in Spiritu sancto est; quibus rebus evincitur hos tales Dei esse peculium, quod sacrum sibi & inviolabile præstabit; quibusque certi redduntur de reliquis promissionibus Divinæ tam gratiæ quam gloriæ. 2. Cor. I. 21. 22. *Qui confirmat nos vobiscum, & qui unxit nos, Deus est; qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.* II. Et hic alter modus est quo nos consolatur Spiritus, dum *arrha est hæreditatis nostræ.* Eph. I. 14. Arrha autem est pars pretii in antecessum dati, ut de toto secuturo constet. Ac credibile est respici hic ad desponsationis ritum, ubi sponsus sponsæ nummum annulumve dat, in testimonium communionis omnium bonorum. Habemus ergo in Spiritu I. non *sigillum* tantum, sed & *primitias*, Rom. VIII. 23. quæ non *spem* modo plenæ messis, sed illius *gustum* etiam exhibeant. III. Aliter quoque nos exhilarat Spiritus, dum *docet ea quæ nobis a Deo donata sunt.* I. Cor. II. 12. Id facit arcano ad spiritum nostrum: & cum spiritu nostro, testimonio. Rom. VIII. 16. Et sane sola vox spiritus est, quæ animum ærumnarum suarum onere pressum erigere valeat. Etiamsi & hominum aliquis & angelorum linguis loqueretur, non accedente interno Spiritus instinctu, miser consolator, audiet. Unum autem Spiritus verbum plus valet quam milleni omnium Prophetarum, Evangelistarum, Apostolorum, imo ipsius Domini Jesu externi sermones, sejuncti ab interno Spiritus alloquio. IV. Denique quum facta verbis multo potiora ac potentiora sint, iis quoque non sinit se ἀμάρτυρον Spiritus Dei, fideles quasi manu apprehensos in conclavia & ad osculum Regis deducens, vel etiam in locum convivii ubi pro vexillo amor est, eaque eos cœlestium mulcens dulcedine deliciarum, quas terrestres animæ nec sapiunt nec capiunt, & quæ Mannæ absconditæ symbolo eleganter proponuntur, ob hanc præter cæteras rationem, quia nemini notæ nisi cui gustatæ.

Quæ Spiritus gratiæ operationes a quibusvis aliis per insita sibi κριτήρια discernuntur.

XL. Neque difficile admodum fidelibus est, modo eam quam debent diligentiam attentionemque adhibeant, has Spiritus gratiæ operationes, ab illusionibus carnis aut mali dæmonis, vel etiam communioribus operationibus Spiritus non sanctificantis, dignoscere. Huc facit illud Domini: Joh. XIV. 17. *Spiritum veritatis mundus non potest recipere, quia non conspicit eum, nec novit eum: vos autem nostis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit.* Dignoscuntur autem hæ operationes, tum ex *se ipsis*, si singulæ considerentur, tum ex *ordine* illo quo sapienter nectuntur, & σχέσει quam aliæ ad alias habent. Ea singulis inest claritatis, majestatis, efficaciæ præstantia, ut non magis lux meridiana solem, quam illæ Spiritum

ritum auctorem arguant. Dum *sanctificat* fideles, purioris iis indit virtutis studium, quam quævis gentilium probitas, aut fucata Pharisæorum sanctitas; quæ uti pro principio sui amorem habent, ita in ipsum hominem male desinunt: Spiritus autem adeo animos afficit ut sui amplius esse nolint, sed abnegatis malesuadæ carnis cupiditatibus, Dei se esse meminerint, secundum cujus voluntatem atque exemplar, & ad cujus gloriam omnia sua comparata esse velint. Dum *consolatur*, ea se suavitate mentibus insinuat, quæ uti jucunditate sua omnia superat, ita nihil terrenæ admistum habens fæcis, tantum abest ut gravet animum, ut potius limpidiorem eum, & ad Dei ministerium alacriorem reddat. Et quum omnium agit remississime, tum tamen vitam spiritualem inter tot malorum dæmonum insidias, & lethalia peccatorum venena, tuetur atque conservat: eosque fidelibus animos addit, ut ne quidem in maxima debilitate sua victoriam hosti concedant, sed vel prostrati de genubus pugnam redintegrent. Breviter, ea est Spiritus in omnibus istis operationibus efficacia, ut facultates animæ extollat ad ea meditanda, desideranda, conanda, agenda, quæ eorum qui Spiritu destituti sunt vires plane superant. Eo etiam *ordine* operatur, ut consolationes suas non nisi contritis corde, ac serio de peccatis dolentibus, concedat. Jes. LVII. 15. nunquam etiam blanditiis suis animos demulceat, quin simul eos ad Dei amorem, gratitudinis solicitum studium, quæsitissimæ pietatis praxin acuat. Quæ ubi eo modo atque ordine juncta sunt, non est quod quis de Spiritu sibi donato dubitet.

XLI. Sed & hoc non parum doni hujus præstantiam auget, quod amitti iterum non possit. Joh. XIV. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Nimis quam chara ac desiderata Apostolis erat D. Jesu præsentia. Sed quantumvis ea chara esset, carendum tamen ea aliquando fuit. Imo *expedivit iis ut abiret* Dominus, quo ille succederet Advocatus, qui & plura præstaret, quam præstiterat præsentia carnis Christi, & non esset abiturus in æternum. Joh. XVI. 7. Et cur abiret? An vi expulsus? Atqui Spiritus Dei est: cui non potest prævalere spiritus mundi, atque inferorum. An quia male a fidelibus habitus? Sane contristatur nonnunquam eorum peccatis: sed & tum vicissim eos contristat, ut ad salutarem poenitentiam compunctis maneat signaculum ad diem redemtionis. Eph. IV. 30. Secedit quidem ad tempus quoad influxum consolationum suarum, & concessionem alacritatis in vita Spirituali; semper tamen remanet, ut fons vitæ, & vinculum unionis cum Christo. Est *unctio manens*. I. Joh. II. 27. & *fons aquæ salientis in vitam æternam*. Joh. IV. 14. Ex quibus omnibus liquet, quantam nobis charitatem præstiterit Deus Spiritum suum largiendo.

Spiritus gratiæ nunquam prorsus amittitur.

XLII.

Nostra erga Sp. S. officia.

XLII. Verum enim vero nostra quoque nobis erga hunc Dei Spiritum constare debent *officia*. I. Quandoquidem Spiritus S. summus ille Deus est; Scripturas, ejus instinctu prolatas, reverenter admodum habeamus, non minus quam si Deum ipsum præsentem, & e cœlo nos alloquentem audiremus. Omnis quæ prophetis atque Apostolis infertur contumelia, in Spiritum Dei redundat. Act. VII. 51. Jes. LXIII. 10. II. Internas illius compellationes, suasiones, convictiones, debita reverentia recipiamus: nec quicquam contra agere audentes, nec cessare ubi nos excitat. Hoc enim esset *Spiritum Sanctum contristare*, præbendo ei caussam indignationis, efficiendoque ne solitas nobis delicias faciat, ac Spiritum lætum se exhibeat. Eph. IV. 30. III. Ignem illum sacrum solicite custodiamus, ne extinguatur, tam in nobis, quam in aliis. 1 Thess. V. 19. sed potius ἀναζωπυρῶμεν. 2 Tim. I. 7. IV. Ei nos in templa consacremus, eaque sancta ac munda servemus. 1 Cor. III. 16. 17. VI. 19. 20.

EXERCITATIO XXIV.

DE

ECCLESIA, ET COMMUNIONE SANCTORUM, AC FIDEI NOSTRÆ CIRCA UTRAMQUE OPEROSITATE.

BREVIARIUM.

1. 2. *Christus & Ecclesia, quum stabili connubio juncti sint, in meditationibus nostris non sunt divellendi.* 3. 4. 5. *Voces* Συναγωγὴ, Ἐκκλησία, Πανήγυρις, *exponuntur.* 6. *Ecclesiæ definitio, per singulas partes explicata.* 7. *Duplex Ecclesiæ forma est.* 8. *Sicut duplex vocatio.* 9. *Duplex fides.* 10. *Duplex sanctitas.* 11. *Duplex communio fœderis gratiosi.* 12. *Altera Ecclesiæ forma externa, & visibilis, altera interna ac mystica est.* 13. *Ad mysticam Ecclesiam non pertinent nisi electi, & vere fideles.* 14. *Illiusque regimen soli Deo in Christo* ἀμέσως *competit.* 15. *Externæ Ecclesiæ œconomos Deus præstituit, qui ab illius communione arcere non possunt, quotcunque fidem ac resipiscentiam verbis profitentur, nec factis aperte refellunt.* 16. *Hinc in externa ista Ecclesia mali misti bonis.* 17. *Tria Ecclesiæ Epitheta.* 18. *I. Sancta.* 19. *II. Catholica, quæ vox neque in Sacris exstat,* 20. *Et* πολύσημος *est.* 21. *III. Christiana.* 22. *Cur dicamus*, Credo Ecclesiam, *non*, In Ecclesiam. 23. *Profitemur eo verbo fidem de Ecclesiæ perpetuitate.* 24. *Cujus diversæ periodi, Deique circa eas mirabilis*

œcono-

oeconomia, religiose nobis attendenda sunt. 25. *Sed & communio nobis cum Ecclesia colenda est.* 26. *A qua non est quod nos absterreant naevi quidam, aut aliorum crimina.* 27. *Modo veram se Christi Ecclesiam esse probet, Evangelicae veritatis professione.* 28. *Quae nullibi intemeratior est, quam in eorum coetu, qui Reformati dici solent.* 29, 30. *Quicquid de illius novitate inepte vociferentur Romanenses.* 31. *Ad solidam salutis spem requiritur interna communio cum Ecclesia mystica,* 32. 33. 34. 35. *Cujus attributa quaedam & gnorismata enarrantur.* 36. *Illius longe beatissima conditio, fidelibus ad consolationem suam meditanda est.* 37. *Quippe cujus singuli pro sua portione participes sint.* 38. 39. *Fides de Ecclesia nostrae erga eam pietatis officia infert.* 40. *Articulus de* Communione Sanctorum, *quum fere idem sit atque ille de* Ecclesia, *in multis priscorum Symbolis omittitur.* 41. *Sancti dicuntur Deus, Angeli, Homines.* 42. *Illi omnes quidem communionem inter se aliquam habent.* 43. *Attamen in Symbolo potissimum de Sanctorum hominum communione agitur: quae vel coelitum est inter se:* 44. *Vel eorum, qui in terris degunt, cum coelitibus:* 45. *Vel Sanctorum in terra degentium inter ipsos.* 46. 47. 48. *Praxis hujus articuli.*

I. NUllum enimvero *conjugium* vel reipsa dari, vel mente fingi potest, quod & *pulcrius*, & *arctius* copulatum, & mutuo *amore jucundius* sit, eo quod intercedit inter *Deum & populum suum*, inter *Christum & Ecclesiam.* Hic *pulcritudo* & venustas omnes suos numeros habet. In Christo quidem ea consummatissima est, quippe cui accinitur Ps. XLV. 3. יפיפית מבני אדם, *multo pulcrior es filiis hominum*: ubi ea radicalium literarum in Hebraea voce geminatio significationis intensionem auget. In Ecclesia vero tanta, ut is cui judicium competit de ea pronunciet: *Ecce pulcra es, Amica mea, ecce pulcra es, oculi tui columbini sunt.* Imo *tota pulcra es, Amica mea, & vitium in te existit nullum.* Cant. IV. 1. 7. *Unio* autem tam hic *arcta* est, ut vix ulla inveniri quiverit similitudo quae illi exprimendae sufficiat. Matrimonium, quale in hominibus est, individuam vitae societatem, humani juris periti dixerunt. Scriptura definit, *duos unam carnem fieri.* Gen. II. 24. quo certe nihil dici potuit proprium magis, atque efficacius. Atqui hic amplius aliquid est: Nam *qui Domino adhaeret*, non unum solummodo cum ipso corpus, *ex carne ejus & ex ossibus ejus*; Eph. 5. 30. sed & *unus cum ipso Spiritus est.* 1. Cor. VI. 17. Et quis dubitet quin inter tam pulcros, tam bene junctos, dulcissima *mutui amoris* reciprocatio sit? Hic profecto illud obtinet: *Quam pulcher es, & quam amoenus, o amor, in deliciis!* Cant. VII. 6. Non est ergo committendum nobis, ut quae tot sibi nexibus implicita sunt ea in meditationibus nostris divellantur: sed postquam de *Deo*, *Christoque*, & utriusque *Spiritu*, disseruimus;

Christus & Ecclesia, quum stabili connubio juncti sint, in meditationibus nostris non sunt divellendi.

nunc nobis de ECCLESIA agendum est, quam Elegit PATER, Redemit FILIUS, SPIRITUS autem Christo unitam obsignat ad diem plenissimæ vindicationis.

II. Quatuor hic exponenda veniunt. I. *Nomen.* II. *Res ipsa.* III. *Epitheta.* IV. *Fidei* nostræ circa Ecclesiam ita descriptam *operositas.*

Voces Συναγωγή. Ἐκκλησία. Πανήγυρις, exponuntur.

III. Græca vocabula, quæ consimilis admodum significationis sunt, tria occurrunt, Συναγωγὴ. Ἐκκλησία, Πανήγυρις. Συναγωγὴ respondet voci Hebraicæ עדה, & plerumque in Novo Testamento significat cœtus Judæorum, qui hic & illic, in variis locis atque urbibus, religionis caussa habebantur. Et quemadmodum *Curiæ* nomen, quod primum hominibus imponebatur, qui de Republica curam una suscipiebant, traductum est ad locum in quo illi congregabantur, & βουλὴ apud Græcos non senatum modo significat, sed etiam locum in quo senatus habetur: idem accidit voci *Synagogæ*, uti manifestum ex Luc. VII. 5. aliisque locis innumeris. Vix tamen unum in Sacro codice inveniri viri Doctissimi observarunt, ubi ea vox *Christianorum societatibus* denotandis adhibeatur. Paulus quidem Hebræos hortatur *ne desererent* τὴν ἐπισυναγωγὴν αὐτῶν. Heb. x. 25. Sed ibi cum Hebræis agens, eorum se locutionibus accommodat; nec tamen eadem prorsus voce utitur: neque ἐπισυναγωγὴ idem ibi valet quod *Ecclesia.* Ecclesiam enim *Dei* aut *Christi* dicere Apostoli solent *horum* vel *illorum* Ecclesiam dicere non solent. Notat ergo ipsam fidelium *collectionem*, sive *coïtionem*: sicuti & 2 Thes. II. I. Ubi bene Beza transtulit, *aggregationem.* Jacobus solus meminit τῆς συναγωγῆς Christianorum. Jac. II. 2. Ubi tamen an *locum conventus* intelligat, an *conventum* sive coïtionem, an *cœtum* qui convenit in unum; non libet nunc scrupulosius anquirere. Sed & is Judæos potissimum alloquitur, quibus rem gratam facturum se putavit, si eam vocem usurparet, quæ apud ipsos & frequens erat, & honorata.

IV. Christus tamen & post eum Apostoli Ἐκκλησίαν dicere maluerunt. Quæ vox ex Græcis desumta moribus, & Judæorum deinceps applicata institutis, tandem Christianis singulari modo propria evasit. Derivatur nimirum *Ecclesia* ab ἐκκαλεῖν, *evocare*, & sic appellabatur in Rebuspublicis Democraticis cœtus *populi* (nam *Optimatium* coïtio συγκλησία vel βουλὴ dicebatur) præconio aliquo publico evocati, & in certum quendam locum collecti, ut in commune consulerent. Ad eam similitudinem, a Græcis Veteris Instrumenti Interpretibus, Ἐκκλησία dicta est illa Israëlitarum societas, quæ ex omnibus Judææ partibus, ad festa solemnia, & ad publicas ac celebres religionis actiones, in unum locum, statis quibusdam temporibus, convocabatur. In Hebræo respondet vox קהל. Ἐκκλησίας autem appellatio Christo atque Apostolis ad fidelium cœtum designandum magis allubuit quam quævis alia;

tum

tum quod esset ad eam rem significandam accommodatissima, tum quod discriminari hoc nomine Christianos suos a Judæis volebant, qui sibi potissimum vindicabant nomen *Synagogæ*, denique ut gentibus sese accommodarent, qui posthac longe maximam populi Dei partem facturi erant. Nam συναγωγὴ vox est inter Græcos raro usitata, Ἐκκλησίας autem vocabulum longe notissimum, & habet nescio quid populare, & quod hominum mentes conciliare aptum natum est. Denotat enim quorumvis hominum promiscuam multitudinem, non inconditam quidem illam & confusaneam, sed talem tamen ut nullus ab ea ob conditionis humilitatem excludatur. Quo facit Apostoli illud 1 Cor. 1. 26. *Cernitis* τὴν κλῆσιν *vocationem vestram* (unde Ecclesiæ nomen) *fratres, vos videlicet non esse multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles. Verum quæ stulta sunt mundo elegit Deus &c:*

V. Non est etiam negligendum nomen Πανήγυρις, quod Apostolus usurpat Heb. XII. 26. quodque significationem habet ab illa ἐκκλησία aliquantulum diversam. Scilicet quando populus convocabatur ut de rebus ad rempublicam spectantibus *deliberarent*, sive decernerent, ea coitio, uti monuimus, ἐκκλησία dicebatur. Quum autem, ut in Panathenaticis, populus invitabatur ad *spectaculum* aliquod solemne, tum conventus ille dicebatur πανήγυρις, & si qua tum habebatur oratio, ea dicebatur πανηγυρικὸς λόγος. Fidelium ergo cœtus *Ecclesia* dici potest, quatenus conveniunt ut de rebus ad regnum Dei pertinentibus, id est spiritualibus ac cœlestibus, agant: *Panegyris* autem, quatenus invitati atque admissi sunt ad spectaculum longe maximum, virtutum Divinarum in Christo relucentium; quo spectaculo ne cœlestes quidem genii satiari possunt.

VI. Satis nunc pro instituto nostro de *vocabulis* præfati ad *rem* ipsam accedamus. Finimus itaque Ecclesiam, quod sit *Societas hominum credentium & sanctorum, a Deo per verbum Evangelii ex universo generi humano, ad communionem gratiosi in Christo fæderis vocatorum.* Nihil in hac definitione frustra a nobis esse positum, singulorum verborum declaratio docebit. Quum Ecclesiam *societatem* dicimus, ostendimus eam *multitudinem* esse, 1 Cor. X. 17. *multi sumus.* Sed multitudinem eorum qui inter se *juncti* sunt. *Unum corpus nos illi multi sumus.* Adde 1 Cor. XII. 14. *Corpus non est unum membrum, sed multa.* Corpus autem Christi est Ecclesia. Col. 1. 18. Ad *Homines* hunc cœtum restringimus. *Angeli* enim, etiamsi *conservi nostri* sint, Ap. XIX. 10. eundem nobiscum habentes Dominum, & *filii* ejusdem familias, Job. 1. 6. ejusdemque beatitudinis, quæ in communione Dei consistit, participes; unde & nos *accessisse* dicimur *ad Angelorum myriadas*, Heb. XII. 22. tamen totum illud quod sunt, alio atque nos modo ac titulo sunt: non redemti a Christo, non vocati per Evangelium, non regeniti per Spiritum, non consortes fœderis

Ecclesiæ definitio, per singulas partes explicata.

deris gratiæ: quæ maxima sunt Ecclesiæ privilegia, atque τεκμήρια. *Non enim utique Angelos adsumsit; sed semen Abrahami adsumsit.* Heb. II. 16. Addimus esse societatem hominum *credentium*, hoc est recipientium & pro vero agnoscentium sermonem Evangelii. Act. II. 41. *Qui libenter receperant sermonem ejus, baptizati sunt, & additi Ecclesiæ.* Heb. III. 6. *Cujus domus nos sumus, si modo παῤῥησίαν illam, & spem illam de qua gloriamur, ad finem usque firmam retinuerimus.* Et *Sanctorum.* 1 Pet. II. 9. *Gens Sancta.* 1 Cor. I. 2. *Vocati Sancti.* Hi colliguntur *a Deo.* Gal. I. I. qui propterea ὁ καλῶν, *vocans* ille, dicitur; Rom. IX. II. uti ipsi, *Ecclesia Dei vivi.* 1 Tim. III. 15. Collectio ista fit per *verbum Evangelii.* Nam etiamsi Deus per *naturam* quoque homines quodammodo ad se invitet. Act. XVII. 27. Rom. II. 4. non tamen ea qualiscunque invitatio ad Ecclesiam constituendam sufficit: sed oportet accedere *verbum supernaturalis revelationis.* 1 Cor. I. 21. *Nam postquam in Dei sapientia, mundus non cognovit Deum per istam sapientiam, libuit. Deo per stultitiam prædicationis salvare credentes.* Prædicatio ista ex parte quidem *Legis* est, ut rite animi præparentur. Rom. X. 4. *Nam finis legis est Christus ad justitiam cuivis credenti.* Sed potissimum *Evangelii.* Gal. III. 2. *Hoc solum velim discere ex vobis an ex operibus legis Spiritum accepistis, an ἐξ ἀκοῆς πίστεως, auditione fidei?* Ea per Evangelium invitatio *Vocatio* dicitur Rom. VIII. 30. τούτους καὶ ἐκάλεσε. unde frequens nuncupatio τῶν κλητῶν, ipsumque Ἐκκλησίας vocabulum. Desumta autem hæc locutio videtur ex Prov. VIII. I. *Nonne sapientia clamat, & intelligentia edit vocem suam &c:* & quæ similia alibi occurrunt. Porro vocatio ista fit ex *universo genere humano,* ex quo Deus primo *Israëlitas* vocavit. Ps. CXLVII. 19. 20. dein *gentes:* juxta Jes. LV. 5. *En gentem quam non agnoveras vocabis.* Terminus vocationis illius, est *communio gratiosi fœderis in Christo.* Quæ parabolicis verbis describitur Prov. IX. 4. 5. *Quisquis fatuus divertito huc. Venite, vescimini cibo meo, & bibite de vino quod miscui.*

Duplex Ecclesiæ forma est: VII. Verum perquam attente observandum est, *duplicem* esse Ecclesiæ *formam*, aut, si mavis, *statum* atque *conditionem*; alteram *internam*, ac *mysticam*, secundum quam solus Deus de membris certo judicat; alteram *externam*, & magis *visibilem*, cujus dijudicatio hominibus etiam commissa est.

Sicut duplex vocatio: VIII. Duplex enim est *vocatio*: altera *externa* duntaxat, per *verbum*; Mat. XX. 16. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* altera *interna*, per *Spiritum*; quæ priva electorum est. Rom. VIII. 30. Gal. I. 15. 16.

Duplex fides: IX. Duplici isti vocationi duplex respondet *fides*; altera *communis*: quam & in reprobis invenias, qua veritati Evangelicæ adsentientes, evanidum aliquod gaudium persentiscunt; partim ob rei novitatem, ac raritatem, partim ob spem eam temerariam qua bona Evangeli, quamvis nihil

nihil ad se pertinentia, secure sibi rapiunt. Act. VIII. 13. *Simon vero & ipse credidit.* Confer Mat. XIII. 20. & seq. Altera *Salutaris.* Tit. I. I. *Fides electorum Dei.* I Tim. I. 5. *Fides non simulata.* Gal. V. 5. *Fides per charitatem efficax.*

X. Duplex etiam est *Sanctitas*; altera duntaxat *σχέσει*, *externa*, *foederalis*, quæ in eo consistit, ut quis, ab impuri ac profani mundi consortio segregatus, accenseatur populo Dei, & competentiam habeat multarum promissionum. Ita Ezr. IX. 2. Israëlitæ vocantur *semen sanctum, qui se miscebant cum populis terræ.* In eundem sensum Paulus dixit Rom. XI. 16. *Quod si primitiæ sanctæ, etiam massa: si radix sancta: etiam rami*: h. e. si patres fuerint foederati Dei; idem etiam de posteris existimandum est. Sub Novo quoque Testamento talis agnoscenda sanctitas. Nam I Cor. VI. I. 2. gentibus ut *non sanctis*, tota Christianorum natio ut *sancta* opponitur. Et I Cor. VII. 14. maritus infidelis *sanctificatus* dicitur in uxore credente, & contra: adeo ut *liberi* ex tali matrimonio orti *sancti sint.* Sensus est: quum alter conjugum ad foedus adsumitur, sanctitas illa, quæ consistit in competentia promissionis, hactenus communicatur cum parte infideli, ut ex tali conjugio suscipiantur liberi, qui accensendi sunt foederatis, & hæredibus promissionis. Altera vero sanctitas *interna* est atque *absoluta*, renatorum propria, conformitas nimirum cum Deo & expressio Divinæ puritatis. Ps. XCIII. 5. *Domui tuæ decora est sanctitas.* Duplex Sanctitas:

XI. Ad eundem modum duplex est *communio foederis gratiæ*; altera duntaxat quoad *beneficia symbolica*, & *communia*, non habentia certum cum salute nexum, ad quorum participationem aditum facit in *infantibus*, *nativitas ex parentibus foederatis*; Gen. XVII. 7. Act. II. 34. in *adultis*, *professio fidei ac resipiscentiæ*, etiamsi *fucata.* Quicunque enim Christianismi professionem edentes, eam vitæ suæ improbitate non refellunt, uti ista sua professione in foedus, jus jurandum, & exsecrationem transeunt, ita per Ecclesiæ ephoros a sacramentorum communione arceri non possunt: atque hactenus revera foederati Dei sunt, imo & palmites suo modo Christo insiti, quamvis in ipso fructum non ferentes, neque manentes: Joh. XV. 2. 6. quos non temerati modo præcepti, sed & violati foederis poena manet, si improbe vivere comperiantur. Alia est *communio* bonorum foederis *internorum, spiritualium, salutarium*, qualia sunt remissio peccatorum, inscriptio legis in cordibus, &c: Heb. VIII. 10. II. 12. Huc pertinet distinctio Judæi *in propatulo & in occulto*; ac *circumcisionis* in *carne* ac *litera*, & *corde* ac *spiritu.* Rom. II. 28. 29. quæ analogice ad Christianismum transferenda sunt. Duplex communio foederis gratiosi.

XII. Ex omnibus hisce resultat, duplicem quoque Ecclesiæ faciem Altera Ecclesiæ forma

 sive

> Externa, & Visibilis, altera Interna ac Mystica est.

sive formam esse: alteram *visibilem*, quæ fidei cultusque Divini professione atque exercitione absolvitur; alteram *spiritualem*, quæ primam sui originem Divinæ electioni debens: viva fide ac sanctimonia consummatur. Distinctionem hanc Johannes suggerit. 1. Joh. II. 19. *E nobis*, id est cœtu externo eorum qui Christianismum nobiscum profitentur, *egressi sunt; sed non erant ex nobis*, non pertinebant ad societatem electorum ac vere fidelium.

> Ad mysticam Ecclesiam non pertinent nisi Electi, & vere fideles.

XIII. Si Ecclesiam in forma sua *interna* spectes, nulli ad eam pertinent nisi *Electi*. 1. Pet. II. 9. *Vos autem estis genus electum*. Iique *intus* atque efficaciter *vocati*. Heb. III. 1. *Sancti fratres, vocationis cœlestis consortes*. Vera ac *viva fide* præditi: & per Spiritum Dei *sanctificati*. 2. Thess. II. 13. *Elegit vos Deus ab initio ad salutem, per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati*. Denique *arcanam communionem* cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo habentes. 1. Cor. I. 9. *Fidelis est Deus per quem vocati estis ad communionem Filii ipsius, Jesu Christi Domini nostri*. 1. Joh. I. 3. *Ut & vos communionem habeatis nobiscum: & communio nostra sit cum Patre & cum Filio ejus Jesu Christo*.

> Illiusque Regimen soli Deo in Christo ἀμέσως competit,

XIV. Hujus Ecclesiæ, secundum hanc formam spectatæ, regimen soli Deo in Christo competit, quippe cui soli in animos atque conscientias jus & potestas est, quique solus ad salutarium beneficiorum communionem quos vult admittere potest. Soli etiam καρδιογνώστῃ vera illius Ecclesiæ membra singulatim certo cognita sunt. 2. Tim. II. 19. *Novit Dominus qui sui sunt*. Ea tamen veræ fidei sanctitatisque natura est, ut suis se indiciis hominibus patefaciant, quantum ad judicium charitatis de proximo ferendum sufficit. 2. Thess. II. 13. Jac. II. 18.

> Externæ Ecclesiæ Oeconomos Deus præstituit, qui ab illius communione arcere non possunt quoscunque fidem ac resipiscentiam verbis profitentur, nec factis aperte refellunt.

XV. Sin *externam* Ecclesiæ formam consideres, ei Deus *Oeconomos* quosdam præstituit, quibus externorum privilegiorum dispensatio certis legibus commissa est. 1. Cor. IV. 1. Et profecto ne ad ea quidem quisquam jus habet, nisi regenitus & sanctificatus: sunt enim signa atque sigilla mysticæ gratiæ; quæ uti solis competit fidelibus, ita nec illius sigilla sine temeratione ab infidelibus usurpari possunt. Oeconomorum officium est, ejus rei omnes atque singulos accurate commonefacere, ne temere se ingerentes, judicium sibi accersant. Quum vero καρδιογνῶσται non sint, ab omnibus Ecclesiæ communionem petentibus, fidei ac resipiscentiæ professionem exigere tenentur. Quam si quis verbis præstet, neque factis palam refellat, eum οἱ πρεσβῦται, quod ad se attinet, secure admittere possunt; sine scrupulosiori inquisitione in statum internum, cujus cognitionem certam sibi Deum reservasse, legimus, Ecclesiæ ministris injunxisse non legimus. Vide Mat. III. 6. Act. VIII. 37. Verum quidem est, Apostolos ac primorum temporum Evangelistas, instructos fuisse extraordinario dono, quod Paulus διάκρισιν πνευμάτων

vocat

vocat 1 Cor. XII. 10. sed non apparet, eos in suscipiendis Ecclesiæ membris dono isto usos esse, ut vere regenitos discernerent ab iis qui regenerationem verbis & externo opere simularent. Hoc enim si fecissent, unde in Ecclesia Simon Magus? Act. VIII. 13. & scandalosi illi qui taxantur. 1 Cor. XI. 18. 21.

XVI. Quum ergo fieri non possit, quin in tanta profitentium multitudine, nonnulli Christo mentiantur, hinc fit ut in externa ista Ecclesia, hypocritæ ac malæ frugis homines nunquam desint. Eam ob rem Ecclesia comparatur *Areæ*, in qua non modo *triticum* est, sed & *paleæ*. Mat. III. 12. *Agro*, juxta *bonum semen* etiam *zizaniis* consito. Mat. XIII. 24. *Sagenæ*, cum *bonis piscibus malos* contrahenti. ibid. vers. 47. *Magnæ domui*, in qua omne genus *vasa*, alia quidem *ad decus*, alia *ad dedecus*, 2 Tim. II. 20. Hinc in externa ista Ecclesia mali misti bonis.

XVII. Nunc *Epitheta* atque *Elogia* Ecclesiæ videamus, quæ quidem ei secundum utramque formam, attamen cum maxime secundum internam illam, conveniunt. Illorum autem tria Symbolo memorantur: SANCTA, CATHOLICA, CHRISTIANA. Tria Ecclesiæ Epitheta.

XVIII. SANCTA dici potest Ecclesia; I. Respectu *Doctrinæ*, quæ dogmatum suorum puritate, præceptorum castitate, exemplorum generositate, rationum efficacitate, quicquid in omnibus Legislatorum, aut Hierophantarum, aut Philosophorum placitis laudabile reperitur: immensum quantum superat. Deut. IV. 6. 7. 8. Rom. VII. 12. 1 Tim. VI. 3. Tit. I. 1. & II. 11. 12. II. Respectu *vitæ* ac morum. In *veteri* Ecclesia obtinebat *Sanctitas* quædam *typica*, quæ sita erat in separatione a reliquis nationibus ut cultui Dei consecraretur, & in purificatione quadam externa atque corporea, qua populus Israëliticus veluti lustratus ac februatus fuit. Ei in nova Ecclesia respondet *Sanctitas realis*, quæ est separatio a communi conditione peccatorum, ad spiritualem illum Divinum cultum obeundum qui fœdere Evangelico præscriptus est. Gal. I. 4. Et purificatio mentium per sanguinem & Spiritum Jesu Christi. Tit. II. 14. Appellatur ergo Ecclesia Christiana Sancta, non solum ἀντιδιῃρημένως ad reliquas *nationes*, quæ ab omni parte impuræ & contaminatæ fuerunt. 1 Cor. IV. 12. Sed & ad gentem *Judaicam*, cujus *Sanctitati umbratili* opponitur *vera*, atque *realis*. Heb. IX. 12. 14. III. Respectu *Inviolabilitatis* suæ. Ps. CV. 13. 15. *Non permisit cuiquam opprimere eos, etiam reprehendit propter eos Reges; ne attingitote, inquiens, unctos meos*. Confer Zach. II. 1. Gen. XII. 3. I. Sancta.

XIX. CATHOLICÆ elogium in sacris literis non invenitur. Primus quem illud usurpasse invenimus *Ignatius* est in *Epistola ad Smyrnæos*, si modo illa veri Ignatii sit, neque interpolata a mala manu. ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. *Ubicunque Christus Jesus est, ibi* II. Catholica. Quæ vox neque in Sacris exstat.

Catho-

Catholica *Ecclesia*. Sed & exstat in Epistola Ecclesiæ Smyrnensis qua Polycarpi sui martyrium exponit, quæ inscripta est Ecclesiæ Dei apud Philomelium, καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καθολικῆς Ἐκκλησίας παροικίαις, *& omnibus ubicunque terrarum sanctæ &* Catholicæ *Ecclesiæ populis. Euseb. Hist. Lib.* IV. *Cap.* XI.

& πολύστεμος est.

XX. Sumitur autem *Catholicæ* cognomen non uno sensu. I. *Latissime*, quatenus complectitur omnes locorum, temporum, personarum ac statuum differentias: atque universam Dei familiam significat, sive olim sive nunc in terris peregrinantem, & per omnia mundi tempora ac spatia diffusam. II. *Strictius*, quando Ecclesiæ T. N. attribuitur in ἀντιδιαστολῇ Veteris. Ea enim nulli loco ac populo affixa, uti olim, sed rupto parietis intergerini septo, toto, qua patet, orbe sparsa, communis omnium mater est, quos eodem lacte nutritos eodem sinu fovet, mundum universum commune veluti Dei templum faciens. *Cyrillus Hierosol. catechef.* XVIII. Καθολικὴ μὲν οὖν καλεῖται, διὰ τὸ κατὰ πάσης εἶναι οἰκουμένης, ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων. *Catholica igitur vocatur, quia per totum sparsa est terrarum orbem, a terminis terræ usque ad terminos.* Atque operæ pretium fuit hac etiam nota Ecclesiam Christianam, a Synagoga distinguere, ut declararetur per adventum Christi Domini suam priscis oraculis constare veritatem, quæ quasvis sine discrimine gentes, ad Dei communionem pelliciendas esse, sæpe numero cecinerant. Sed constat ab eo potissimum tempore Catholicæ nomen invaluisse, quo *Novatiani*, & postea *Donatistæ*, exiguo Ecclesiam *Africæ* termino includebant. Tunc opponebant Orthodoxi *Catholicæ* elogium, ut eam quæ toto orbe obtineret Christi Ecclesiam, ab *Hæreticorum* & *Schismaticorum* distinguerent *conventiculis.* III. *Abusive:* quando notat Ecclesiam particularem, quæ communionem cum universali conservat, neque ab ea per hæresin aut schisma separata est. Imo usu invaluit, ut *Catholica* idem significet quod *Orthodoxa.* Unde frequenter apud antiquos, ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία ἡ ἐν Σμύρνῃ, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ἐν Κωνσταντίνου πόλει, ἐν Ναζιανζῷ, & talia sine numero.

III. Christiana.

XXI. Denique & CHRISTIANA vocatur, quia Christi *Discipula* est, Act. XI. 26. & Christus ejus *Doctor.* Mat. XXIII. 8. Christi *sponsa*, & Christus ejus *sponsus.* Joh. III. 29. Christi *corpus*, ac *plenitudo*, quæ ad perfectam Christi staturam requiritur. Conf. 1. Sam. XXVIII. 20. מלא קומתו. *plenitudo staturæ ejus.* & Christus ejus *caput.* Eph. I. 22, 23. Tam arcte denique cum Christo unita, ut & ipsa *Christus* nuncupetur. I. Cor. XII. 12.

Cur dicamus, Credo Ecclesiam, non in Ecclesiam.

XXII. Restat nunc ut dispiciamus quæ *fidei* nostræ circa Ecclesiam *operositas sit*, ubi primo attendenda in Symbolo est repetitio vocis *Credo*, deinde locutionis variatio; non enim sicuti antea dictum est *Credo in Deum Patrem*, &c. *Credo in Spiritum S.* ita & hic dicitur, *Credo in Eccle-*

Ecclesiam; sed *Credo Ecclesiam*. De industria verbum illud *Credo* repetitum esse videtur, partim ut doceremur novam rerum seriem inchoari, quarum ab antegressis magna est diversitas; partim quia sine ista repetitione verborum constructio pateret sententiam vel obscuram, vel pietati minus congruentem. Difficile enim fuisset in ea verborum complexione, *Credo in Sp. S. Sanctam Ecclesiam Catholicam*, ita jungere *Credo*, cum *Sanctam Ecclesiam*, ut supprimeretur particula *in*. Quod tamen necesse fuit. Alio enim prorsus modo fides nostra circa Ecclesiam versatur, atque circa Deum. Ecclesia nimirum ex creaturis constat; in quas vel singulatim consideratas, vel spectatas junctim, fide recumbere nefas est.

XXIII. Quum ergo *Ecclesiam* nos *credere* affirmamus, profitemur exstitisse jam a temporibus secularibus, etiamnum exstare, & ad mundi usque consummationem exstituram esse societatem hominum a Deo ad salutis participationem electorum, per Evangelium & Spiritum vocatorum, fidem ac pietatem verbis profitentium, factis colentium; cui societati nullæ unquam mundi in pravo jacentis machinæ, nullæ inferorum portæ prævalebunt. Fieri enim nullo pacto potest ut decretum Dei excidat. 2. Tim. II. 19. ut promissa Dei fallant. Mat. XVI. 18. ut verbum Divinæ vocationis in cassum prædicetur. Jes. LV. 10. ut prophetiæ de æternitate regni Christi mentiantur. Ps. XLV. 7. Dan. II. 44. Luc. I. 33. ut Christus operæ suæ pretium perdat: Jes. XLIX. 5. 6. & Doctor sit sine discipulis, Rex sine subjectis, Sponsus sine sponsa, caput sine corpore.

Profitemur eo verbo fidem de Ecclesiæ perpetuitate.

XXIV. Neque satis est ut hæc generatim credamus atque profiteamur: altius meditationibus nostris enitendum est, ut cum sacro quodam stupore admirabilem Dei in Ecclesiæ gubernatione œconomiam, & quas in ea exserit virtutes suas, venerabundi adoremus. Ab æterno nimirum totam Ecclesiæ rationem animo suo delineavit; diversa illius fata certis temporum periodis sapientissime circumscribens; verbum vocationis πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως dispensans; primo liberius eam habens, in familiis Patriarcharum, dein adstrictius, in gente Israëlitica, mox in plenam libertatem asserens, accepto die atque anno gratiæ; aliquando paternæ castigationis virga coërcens, alias lætæ pacis abundantia locupletans; nunc grati veris floribus ornans, mox hyberna nimborum ventorumque sævitia adurens. Apprime autem mirabilem se in N. T. Ecclesia exhibuit, quam priscorum rituum fascibus evolutam, per gentes quaquaversum circumtulit, & cum Judæorum primo pertinacia, dein gentium crudelitate & hæreticorum astibus artibusque fortiter luctatam, rerum in mundo potiri sub Constantino Imperatore jussit. Quo tempore mixtura bestiæ cum Ecclesia cœpit, & Antichristus paulatim invalescere, & populus Dei captivus abduci in Babylonem; donec

Cujus diversæ periodi, Deique circa eas mirabilis œconomia, religiose nobis attendendæ sunt.

donec per reformationem lætiora Eccleſiæ fulſerunt tempora, ſuis tamen interſtincta ac porro interſtinguenda deliquiorum intervallis; terminanda vero felici Judæorum converſione, &, ſi quam præterea fata parturiunt, glorioſa Eccleſiæ conditione, uſque dum rebus iterum collabentibus Judex e cœlo appareat, omnia conſummaturus. Quæ vatum decantata carminibus, & Divina Johannis Apocalypſi accurate conſignata, nunc vero magnam partem ipſo opere impleta, ad Divini nominis gloriam, fidei firmamen, ſpei exercitium, pie fidelibus meditanda proponuntur. *Videant recti, & lætentur: omnis vero nequitia obdat os ſuum. Quis eſt ſapiens? obſervet iſta: ut animadvertantur benignitates Jehovæ.* Pſ. CVII. 42. 43. Hæc demum illa ſunt, in quibus *nota nunc fit per Eccleſi.m imperiis ac poteſtatibus quæ in cælis ſunt, multiformis illa ſapientia Dei; ſecundum præſtitutum æternum quod conſtituit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Eph. III. 10. 11.

Sed & communio nobis cum Eccleſia colenda eſt.

XXV. At neque hic ſubſiſtendum, ſed *communio* nobis colenda cum Chriſti Eccleſia eſt, ut ei nos aſſociemus, auditione verbi, conteſſeratione precum, concentu Divinarum laudum, profeſſione fidei, ejuſdemque panis ac vini ad menſam Dominicam participatione. Non accurrendum modo hic nobis, ſed & *convolandum* eſt veluti *columbis ad feneſtras ſuas.* Jeſ. LX. 8. ut per nos quoque ſatisfiat prophetiis iſtis quæ de alacri gentium ad Eccleſiam concurſu tam magnifice locutæ ſunt. Jeſ. II. 2. 3. Jer. XXXI. 12. Zach. VIII. 20-23. & alibi paſſim. *O quam bonum, & quam amœnum eſt fratres ita habitare una!* &c. Pſ. CXXXIII. 1.

[illegible] quæ non eſt quod nos abſterreant nævi quidam, aut aliorum crimina.

XXVI. Neque eſt quod ab hac nos communione abſterreant quidam fortaſſis in Eccleſiæ regimine nævi, aut aliorum etiam non ſatis ex præſcripto agentium crimina. Si modo intemerata maneat doctrinæ veritas, & nos neque nævos iſtos approbare cogamur, & a criminum nobis communione caveamus; tantum Dei inſtitutis reverentiæ a nobis deferri par eſt, tantum charitatis iis qui in cœtu iſto ſunt fidelibus, ut labentes frequentesque ad communia iiſcum pietatis excercitia confluamus. *Non deſerentes aggregationem noſtri mutuam, ſicuti mos eſt quibuſdam, ſed adhortantes alii alios.* Heb. X. 25. Fruſtra in terris Eccleſiam ſine macula, aream ſine palea, agrum ſine zizaniis exſpectamus; domumve in qua nulla niſi ad decus vaſa exſtent. Nec eſt quod placituros nos Deo exiſtimemus ulla propriæ ſanctitatis præſumtione cum ἐξουθενισμῷ aliorum. *Qui dicunt appropinqua ad tuos; ne attingito me, quia ſanctior ſum te; ii ſunt fumus in naſo meo, ardens toto die.* Jeſ. LXV. 5.

Modo veram ſe Chriſti Eccleſiam eſſe probet, Evangelicæ veritatis profeſſione.

XXVII. Id tamen ſolicite attendendum, ut non niſi *veræ* nos aſſociemus Eccleſiæ, ne pro caſta Chriſti ſponſa proſtitutam atque adulteram amplexemur. In tanta autem cœtuum multitudine, qui certatim ſibi Eccleſiæ nomen vindicant, quis animæ ſalutis ſuæ anxiæ præ cæteris eligendus

gendus sit, hoc opus, hic labor esse videtur. Sed una potissimum nota est, qua veram Christi Ecclesiam ab adulterina haut difficulter admodum dignoscas: nimirum cœlestis doctrinæ veritas, quam qui, prout a Christo, Prophetis atque Apostolis tradita est, pie profitetur cœtus, eum pro Christi Ecclesia tuto agnosces. Quid enim illa est nisi *columna & stabilimentum veritatis?* 1 Tim. III. 15. *Superstructa super fundamentum Apostolorum & prophetarum, existente imo lapide angulari ipso Christo &c.* Eph. II. 20. 21.

XXVIII. Porro is est cœlestis doctrinæ genius, ut facile se conscientiis approbet. Tota enim eo comparata est, ut ad *Dei laudem* omnia referat, Ps. cxv. 1. *Humani* autem *fastum* ingenii validissime *retundat.* Gal. VI. 3. In adversis mentem afflictam suavissime *consoletur.* Jes. XI. 1. Et castissimæ *Sanctitatis* praxin fortiter urgeat. Tit. 1. 1. Hæc qui observaverit facile animadvertet, quantum inter cæteros Christianum nomen persitentes, ea quæ Reformata dici solet Ecclesia, doctrinæ ratione emineat. Illud enim prorsus agit, ut Deus nullius non, uti in omnibus, ita & in homine, boni auctor datorque esse agnoscatur, ut homo suæ sibi οὐδενίας conscius, omnique virium, omni meritorum fiducia exutus, totus a Divina gratia dependeat; ut non ulli creatæ rei, sed soli Divinæ in Christo omnisufficientiæ fisus, firmum in dubiis solamen habeat: ut denique immensa Dei φιλανθρωπίᾳ & indebita Christi pietate ad officium stimulatus generosæ sanctitati operam det, quæ seposita amoris proprii mercenaria vilitate, ex puro Dei amore ad illius gloriam cuncta moliatur. In quibus rebus omnibus & singulis, quotcunque extra Reformatæ Ecclesiæ societatem sunt, plurimum deficere comperiuntur.

Quæ nullibi intemeratior est quam in eorum cœtu qui Reformati dici solent.

XXIX. Neque est quod deterreri nos patiamur importunis Romanensium vociferationibus, sciscitantium ubi illa nostra Reformata Ecclesia fuerit ante exortum Lutherum aut Calvinum. Facile enim quæstiunculæ illi satisfieri potest: nec multa ambage opus est. Illud utique utrimque constat, veram Christi Ecclesiam semper fuisse. Sed nec id inficias iverint Romanenses, pro vera Christi Ecclesia illam esse agnoscendam, quæ dogmata omnia a Christo, Prophetis, atque Apostolis tradita indubitata fide tenet. Id autem nostram Ecclesiam facere, per singula capita pridem ex Scripturis evicimus. Si negent Romanenses, unum monstrent ubi a sacrarum cynosura literarum secedamus. Hæc via certissima, ac compendiosissima est. Id injunctum est animæ piæ, ut ad Lydium Scripturarum lapidem omnia exploret, non ut vasta Patrum quos vocant volumina, cunctosque tenebrosæ antiquitatis recessus perreptet, in quibus inquirendis doctissimorum se pridem fatigavit solertia.

Quicquid de illius novitate inepte vociferentur Romanenses.

XXX. At nec hoc subterfugimus: & per secula omnia monstrare

parati

vadimonio pro ea fuscepto: quamque pretiosi sui sanguinis λύτρῳ sibi *comparavit*, *æternam redemtionem nactus*. Heb. IX. 12. Quod iterum novi Cantici materia est. Ap. V. 9. 10. III. Quam *verbo* & *Spiritu vocavit ad regnum suum & gloriam*. I Thes. II. 12. IV. In cujus medio *habitat*, inhabitatione longe præstantiore, longe perenniore, quam ea fuit qua habitavit olim in templo Hierosolymitano. Eph. II. 22. *Domicilium Dei in Spiritu*. 2 Cor. VI. 16. *Vos estis templum Dei viventis: sicut dixit Deus habitabo in eis & inambulabo*. Adde Joh. XIV. 23. Apo. III. 10. V. Quam omni *benedictione cumulat*, & uberrimis Spiritus sui donis locupletat. Ps. CXXXII. 15. 16. *Viatico ejus affatim benedicam, egentes ejus saturabo cibo: Sacerdotesque ejus induam salute, & quos benigne in ea accipio, omnino cantabunt*. Jer. XXXI. 12. 14. *Tum venientes cantabunt in excelso Sionis, & confluent ad bonitatem Jehovæ, cum frumento, & cum musto, & cum oleo, & cum fœtibus & gregibus armenti, eritque anima eorum similis horto irriguo* &c. Joel. III. 18. *Erit autem die illo, stillabunt montes ipsi mustum, & colles diffluent lacte, & omnes alvei Judæ diffluent aquis, & fons e domo Jehovæ prodibit, qui irrigabit vallem cedrorum lectissimarum*. VI. Quam tam tenero prosequitur *charitatis* adfectu, ut in laudibus illius prædicandis neque modum sibi neque terminum statuat. Cant. IV. 9. 10. *Rapis animum meum, soror mea sponsa: rapis animum meum, uno oculorum tuorum, uno torque a faucibus tuis. Quam pulchri sunt amores tui, soror mea sponsa &c.* Et quid partem aliquam Divini hujus cantici seligo, quum totum huc pertineat? VII. Quam tam solicita *tuetur* cura, ut adversus mundi inferorumque insultus tuta, adversitatum omnium plus quam victrix futura sit. Rom. VIII. 35-39. Jes. LX. 18. VIII. Quam *Antichristi tyrannide* aliquando *liberatam*, & Judæorum multarumque gentium accessione auctam, eximiis Sapientiæ, Sanctitatis, Consolationis, & omnigenæ Ubertatis Spiritualis incrementis, *gloriosam* reddet. Uti sæpissime sacris est promissum vaticiniis, & diserte admodum ac prolixe Jes. LX. Quo toto capite nihil aliud agitur, quam ut gloriosus Ecclesiæ status describatur post restitutum ei Israëlem, de qua restitutione egerat Cap. LIX. 20. coll. cum Rom. XI. 26. IX. Quam denique suis in terra certaminibus defunctam, sepulcrique, quo plurimorum detenta fuerunt corpora, erutam faucibus, æternum *beabit cœlo*. I Cor. XV. 22. 23. 24. *Omnes in Christo vivificabuntur. Unusquisque autem suo ordine: primitiæ Christus, postea qui sunt Christi, in adventu ipsius. Deinde finis quum tradiderit regnum Patri &c.*

Quippe cujus singuli pro sua portione participes sint.

XXXVII. Omnis autem felicitatis hujus, quæ ad totum Ecclesiæ corpus pertinet, participationem singula mystici corporis membra, pro sua portione, donabuntur. Et quum fideles omnes mutuæ charitatis vinculo arctissime colligati sint, id sibi singuli datum esse autumabunt quod conceditur universis. Ecquis hæc expendens non exclamet! *Beatus*

quem

quem eligis, & admoves inhabitaturum atria tua: saturamur bonis domus tuæ, rebus sanctis templi tui. Res reverendas in justitia proloqueris nobis, o Deus salutis nostræ, fiducia omnium extremitatum terræ & maris longinquarum, Psl. LXV. 5. 6.

XXXVIII. Sed & fides ea de Sancta Christi Ecclesia, nostræ erga eam *charitatis* officia exigit atque infert. Quomodo enim sine crimine poterimus non amare eam hominum societatem qui angelorum cura & cœli deliciæ sunt? I. Caveamus igitur ne unquam *ægre faciamus* Ecclesiæ, cujus injurias omnes, ut sibi illatas, vindicabit Dominus. Act. IX. 4. 5. Cui non pessime successit, qui aliquid adversus eam molitus est? Zach. XII. 3. *Futurum est die illo ut disponam Hierosolyma veluti lapidem onerosissimum omnibus populis, quo quicunque onerant se, omnino cæduntur, etiamsi congregentur contra illa omnes gentes.* Loquantur hic fœdi tremendique exitus, Pharaonis, Sennacheribi, Hamanis, Herodis, aliorumque sine numero, quorum plena omnis vetustas, plena etiam recentiora tempora sunt. II. In Ecclesiæ fata ex sacris vaticiniis diligenter inquiramus, ut quibus jam exercita certaminibus, quid sperandum porro metuendumve habeat, sacra quadam fidei ἀγχινοίᾳ colligamus: admirabiles Domini vias semper & ubique adorantes. Ap. I. 3. *Beatus qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ hujus.* III. Adversis Ecclesiæ non segniter condoleamus. Neh. I. 3. 4. Psl. CII. 15. Am. VI. 6. IV. Rebus illius lætis gaudeamus: bonis illi verbis gratulantes, *Benedicat tibi Jehova, o habitaculum justitiæ, mons sanctitatis.* Jer. XXXI. 22. *Ut fruar bono electorum tuorum, ut læter lætitia gentis tuæ; ut me laudibus efferam cum possessione tua.* Psl. CVI. 5. V. Ædificationem illius quovis modo promoveamus, sermone, opere, prece. Jes. LXII. 1. *Propter Sionem non tacebo, & propter Hierosolyma non quiescam: donec prodeat ut splendor justitia ejus, & salus ejus ut lampas ardeat.* Psl. CXXXII. 8. 9. *Propter fratres, & amicos meos, eloquor nunc, pax sit in te; Propter domum Jehovæ Dei nostri procurabo bonum tibi.*

Fides de Ecclesia nostra ergæ eam pietatis officia infert.

XXXIX. Omnes ad hoc officium obligantur cujuscunque ordinis & conditionis sint. *Magnates* hujus seculi sceptrum dignitatemque quam a Christo habent, Christi regno amplificando impendant totam. Jes. XLIX. 23. *Et erunt Reges nutricii tui, & fœminæ principes eorum nutrices tuæ.* Ecclesiarum *Ephori* id sibi solum negotii datum esse existiment, ut Ecclesiæ commodis promovendis omni virium intensione inserviant. Jes. LXII. 6. *Super muros tuos, o Hierosolyma, præficio custodes, toto die, & tota nocte jugiter non tacituros: qui commemoratis Jehovam, ne esto silentium vobis.* Ipsi etiam e plebe *fideles* suarum partium esse meminerint, ut sanctis de pietate colloquiis, & inculpatæ vitæ exemplo, primo quidem domesticos, tum & vicinos, denique obvios quoscunque, ad

Eccle-

Ecclesiæ communionem alliciant, inque ea confirment. 1 Thes. v. 11.14. *Quapropter adhortamini alii alios, & ædificate singuli singulos, sicut & facitis. &c.* Ne uxores quidem *fœminasve* nostras hic excipio. 1 Pet. III. 1. neque *filias*, quas non minus operam suam spiritualis Hierosolymæ muris ædificandis commodare par est, quam olim id faciebant filiæ principis Sallumi in Hierosolyma terrestri. Neh. III. 12. Et quis tandem est, cui non incumbat quotidianæ orationis necessitas, *adveniat Regnum tuum. Benefac pro bona voluntate tua Sioni, ædifica muros Hierosolymorum.* Ps. LI. 20. *O si quis det e Sione salutem Israëlis! reducente Jehova reducem turbam populi sui; exsultabit Jacob, lætabitur Israël.* Ps. XIV. 7.

Articulus de communione Sanctorum, quum fere idem sit atque ille, de Ecclesia, in multis priscorum symbolis omittitur.

XL. Qui sequitur in Symbolo articulus, de COMMUNIONE SANCTORUM, adeo cum illo de *Ecclesia Sancta Catholica* conjunctus est, ut vere idem esse videatur. Quid enim *Ecclesia* est, nisi *societas* aliqua? Quid *societas*, nisi *unio* eorum qui aliquid commune habent? Quinam porro Ecclesiam constituunt, nisi *Sancti*? Quid denique *Catholica* Ecclesia est, nisi Gentilium cum Judæis in sanctitate adsociatio? Hinc etiam factum est, ut additamentum hoc de *Communione Sanctorum* in multis veterum Symbolis non exstet: nam nec *Hieronymus* adversus Luciferianos illud habet, nec *Augustinus* de fide & Symbolo, nec *Ruffinus* nec *Maximus Taurinensis*: aliique quam plurimi tam Orientales quam Occidentales consulto omiserunt. Quum tamen nunc apud omnes Christianos receptum sit, & nonnulla explicatius dicat, quæ in illo de Ecclesia articulo magis involuta sunt, nos quoque de eo, sed breviter, agemus. Atque ita quidem, ut expendamus I. Quinam hic per *Sanctos* intelligendi veniant. II. Qua in re *Sanctorum communio* consistat. III. Quid importet communionem illam sanctorum *credere*.

Sancti dicuntur, Deus, Angeli, Homines.

XLI. SANCTUS, κατ' ἐξοχὴν, originaliter, & exemplariter, *Deus* dicitur Levit. XI. 44. Jes. XLI. 14. quia ab omni impuritate ac vilitate secretus est. Sanctæ etiam dicuntur *Creaturæ rationales*, quæ ad Dei exemplar confirmatæ ipsi in puritate, hoc est amore & cultu veritatis, similes sunt. Ita elogium hoc *Angelis* attribuitur. Mat. XXV. 31. qui & *Sancti* vocantur, sine ulla adjectione. Deut. XXIII. 2. 1 Thes. III. 13. col. cum 2 Thes. I. 7. Sed & *hominibus* competit, sive illi *in terra* adhuc versentur. Ps. XVI. 3. *Sancti qui in terra sunt, & magnifici:* sive recepti *in cœlum* donati sint perfectione Heb. XII. 24. *Spiritus justorum consummatorum.*

Illi omnes quidem communionem inter se aliquam habent.

XLII. COMMUNIO est relatio quædam inter plures certo titulo eadem bona possidentes. Ita communio est inter maritum & uxorem, tam corporum quam bonorum, æquo fere utriusque jure, ex lege *Ubi tu Cajus, ego Caja.* 1 Cor. VII. 4. Et profecto negari non potest quin inter *omnes* eos qui *Sancti* dicuntur, communio quædam inter-

intercedat. Certe *fideles* communionem habent cum *Deo* & *Christo*, ut nuper quoque observavimus ex 1. Joh. 1. 3. & 1. Cor. 1. 9. Nam & *ipsi Dei* sunt peculium, & *Deus ipsorum*. Jer. x. 16. & consequenter *quicquid Dei est, id etiam est fidelium*. 1. Cor. 1. 22, Christus autem non sua solum iis cum *bona* communicat. 1. Cor. 1. 22. sed & ipsorum in se suscepit *mala*. Jes. LIII 4. 5. 6. Est etiam communio aliqua *sanctorum hominum* cum *Angelis* qui & sua nobis libenter præstant ministeria. Heb. 1. 14. & exemplaria nostræ erga Deum pietatis sunt, Mat. VI. 10. conservi, in ejusdem Domini obsequio, Ap. XIX. 10. & socii in eadem beatitudine Mat. XXII. 30. quam ob rem Paulus nos ipsos qui in terris adhuc sumus *ad Angelorum myriadas accessisse* scribit. Heb. XII. 22. Sed potissimum in Symbolo agitur de ea communione quam *sancti homines inter sese* habent.

XLIII. Ea iterum considerari potest in triplici differentia. I. Ut Sancti *cœlites* conferantur cum *se invicem*. II. Sancti qui *in terra* sunt cum *beatis cœlitibus*. III. Sancti qui in *terra sunt inter sese*. Eas Ecclesiæ partes quæ in cœlis sunt communione aliqua inter se junctas esse, & quidem arctiore quam ea sit quæ iis cum beatis angelis intercedit, nemo, ut opinior, ambigit. Nam & ejusdem mystici corporis membra sunt, & eadem gloria ac felicitate fruuntur, ejusdem Dei faciem contemplantes, ejusdem Christi meritis beati, in easdem Dei laudes consentientes atque concordantes, inter sese etiam amantes ardentissime. Sed quum Scriptura parce admodum ea de re loquatur; & Symbolum eos potissimum articulos contineat, qui & certissimi & maxime necessarii sunt; & in Catechumenorum usum constitutum esse videatur, qui ad baptismum admittendi interrogabantur de fide; non est credibile Symboli auctores de isthac communione quam fidelium spiritus in cœlis inter sese habent multum in constitutione hujus articuli cogitasse.

Attamen in Symbolo potissimum de Sanctorum hominum communione agitur: quæ vel cœlitum est inter se;

XLIV. Disertius scriptura docet communionem *sanctorum in terris* cum *beatis spiritibus*. Paulus certe Eph. 1. 10. narrat ἀνακεφαλαίωσιν τῶν πάντων τῶν ἐν Χριστῷ, τῶν τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς. Est illa ἀνακεφαλαίωσις *collectio in unam summam*, uti in supputationibus omnia æra uniuntur & confunduntur in uno κεφαλαίῳ. Ea collectio *omnium* esse dicitur, non utique omnium creaturarum, vel omnium etiam hominum, sed omnium fidelium, omnium *qui in Christo sunt*. Sive illi sint *in cœlis*, sive *in terra*. Nam & cœlites sibi conjunctissimi sunt, unaque colligati בצרור החיים *in fasciculo viventium*, multo magis quam dum in carne erant. 1. Sam. XXV. 29. Et illi qui in terra sunt adsociantur cœlitibus. Heb. XII. 22, 23. &c. *Accessistis ad montem Sion*, —— *& conventum universalem & concionem primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis, & spiritus justorum consummatorum.* Ea autem communio in hisce consistit. I. Quod unum Deum Christumque habentes, eodemque animati

Vel eorum qui in terris degunt cum cœlitibus;

Spiritu, unum constituant corpus, cujus partes, si locorum species intervalla, magnopere quidem distractæ sunt, at quæ eodem Christi Spiritu continentur. II. Quod beatæ animæ, licet singulas fidelium mortalium personas, earumque necessitates, funditus ignorent: Jes. LXIII. 16. piis tamen votis suis, una nobiscum optent, & quasi accelerent diem plenæ redemtionis Ecclesiæ. Ap. VI. 10. 11. Ii vero qui in terris sunt fideles, animo, affectu, desiderio, coelitibus socientur, πολίτευμα suum in coelis habentes. Phil. III. 20.

Vel sanctorum in terra degentium inter ipsos. XLV. Sed præcipue attendenda est ea communio quam fideles *inter se in terris* habent. Ea *tribus* capitibus constat. I. *Arcta unione*, qua, licet locis admodum remoti, sibi tamen invicem Spiritu junguntur, non modo ut fratres, sed quod sæpius jam inculcavimus, unius corporis mystici membra. 1 Cor. XII. 12. 13. II. *Communi fruitione maximorum bonorum.* Eph. IV. 5. 6. *Unum corpus, unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium.* III. *Reciprocatione officiorum* ultro citroque commeantium. Quæ tres quasi partes habet. A. *Compassionem in malis.* 1 Cor. XII. 26. Gal. VI. 2. Ita ut quisque in malis *tristibus* cum proximo doleat, atque ad auxilium præsto sit, non minus quam si ipse iisdem illis malis affligeretur. Heb. XIII. 3. In *turpibus*, non inclementer cum fratre lapso agat, sed erigere eum conetur Spiritu mansuetudinis. Gal. VI. 1. B. *Communicationem bonorum.* Phil. II. 4. Tam *corporalium*, Rom. XII. 13. Act. IV. 32. quam *spiritualium.* Rom. I. 11. Singuli enim singulorum indigemus: quod egregie urget atque amplificat Apostolus. 1 Cor. XII. 21. 23. C. *Nuncupationem votorum*, in iis rebus quas vel a fratribus averruncare, vel in eos conferre nostræ potestatis non est. 1 Tim. II. 1. Eph. VI. 19.

Praxis hujus articuli. XLVI. FIDES ea quam de communione Sanctorum profitemur *tria* potissimum importat. I. Ut *agnoscamus* ac celebremus admirabilem illam Dei nostri virtutem, quæ cujusvis gentis, ætatis, conditionis, sexus fideles, tam immensis sæpe terrarum mariumque intervallis disjunctos, tam disparis ingenii, tam diversorum studiorum, adeo uno Spiritu copulat, ut in eosdem de Deo Christoque sensus, in eadem pia vota, in easdem numinis laudes amicissime conspirent: ejusdemque Divinæ gratiæ, eadem effecta, cum mutua gratulatione atque applausu, in se invicem animadvertant: unde ad primum sæpe congressum jucundissima oritur amoris reciprocatio.

XLVII. II. Ut sicuti communione Sanctorum dignum est *vitam nostram* moresque *componamus*. A. *Ecclesiæ* quantum fieri potest *studentes unitati*; ac solicite caventes, ne supervacuis controversiis, animosis disputationibus, ambitiosis moliminibus, aliisve pravis affectibus pacem

sacræ

sacræ societatis turbemus; sed multa humanæ condonantes infirmitati & quibus omnes laboramus imperfectionibus, concordiam tantopere nobis a Christo commendatam, diligenter excolamus, eamque piis precibus, & Christiana animi æquitate, quantum in nobis est promoveamus: Ps. CXXII. 6. Phil. II. 1. 2. 3. III. 15. 16. B. *Singuli singulos in communicatione donorum spiritualium ædificemus.* Quod non Pastorum duntaxat est, sed & quorumcunque fidelium. Huc faciunt *reprehensio fratris peccantis.* Levit. XIX. 17. quæ, adhibita in consilium prudentia, ex charitate profecta, majorem tandem consequetur gratiam quam adulantium labiorum blandimenta. Prov. XXVIII. 23. *Institutio ignorantium* Rom. XV. 14. *Mutua commonefactio* ad zelum. Heb. III. 13. *Sancta colloquia,* cum precum hymnorumque consociatione. Eph. IV. 29. V. 19. Col. III. 16. Quæ mutuæ pietatis exercitia deplorandum est in Christianismo nostro ita exolevisse, vel interdum tam inconsideranter peragi, ut invisa etiam multis atque odiosa sint: quum tamen communio Sanctorum non solum in templis, sed & in privatorum ædibus vigere debeat. C. *Pauperes, ægros, afflictos animo vel corpore, colloquiis, precibus, officiis solemur.* 2 Cor. VIII. 1-5. Mirum dictu, & uti nunc sunt tempora, supra fidem est, quam admirabilem se priscorum Christianorum charitas præstiterit. Ex infinitis speciminibus unum nunc memorare lubet quod *Eusebius* prodit *Hist. Lib.* IX. *c.* VIII. Quo tempore post sæva Maximini adversus Christianos decreta ingens cum fame pestis grassabatur, *Christianorum erga omnes sedulitas ac pietas manifestissimo indicio universis gentibus innotuit. Quippe hi soli in tot ac tantis calamitatibus misericordiæ atque humanitatis officia rebus ipsis exhibentes, quotidie partim curandis ac sepeliendis mortuorum cadaveribus vacabant. (Moriebantur autem indies innumeri, quorum nemo curam gerebat.) partim omnibus tota urbe egenis, qui fame opprimebantur, in unum convocatis, panes singulis dividebant: adeo ut cum hujus rei fama crebris hominum sermonibus divulgaretur, cuncti Christianorum Deum summis laudibus extollerent, eosque solos pios Dei cultores reipsa & factis comprobatos esse faterentur.*

XLVIII. III. Ut in ea animæ nostræ quæramus *solamen.* Quid enim jucundius esse potest, mutua illa fratrum *animo,* ut Tertullianus loquitur, *animaque mistorum,* consociatione? Ps. CXXXIII. Quid amabilius quam reciproca illa charitatis officia, & sancta illa comitas amicorum Dei sese inter ipsos instruentium, admonentium, consolantium, in easdem preces ac psalmodias consentientium? Quanto solatio afflictæ animæ est, si quando ipsa in precibus langueat ea se meditatione firmare, quod tot sint myriades fidelium pro se apud communem Patrem intercedentium? Qua gratulantis animi lætitia Divinæ in fratribus munificentiæ dona exosculatur, quæ huic fini concessa novit ut conferantur

in commune, eorumque utilitas ad ipsam quoque, ut universitatis illius partem, redundet? Hæc enim Christianæ est charitatis ingeniositas, ut propter illam omnium in Christo ἀναμφιλέκτως, suum esse arbitretur, quod singulorum fratrum est. Est denique in hac sanctorum communione Cœli quoddam præludium, ubi nihil privum discretumque erit, sed UNUS DEUS OMNIA IN OMNIBUS.

EXERCITATIO XXV.

DE

REMISSIONE PECCATORUM.

BREVIARIUM.

1. *Ecclesia quantumvis Sancta, suis semper in terra nævis laborat, ac* peccatorum remissione *eget.* 2. *Summa hujus Exercitationis capita.* 3. *Peccati descriptio.* 4. *In peccato omni est* ἀτυχία *&* δυστυχία, *quæ designantur voce* חטאת. 5. *Uti & Macula ac Reatus.* 6. *quo sensu a peccato separari possit; vel non possit.* 7. *Remissio peccatorum.* 8. 9. 10. 11. 12. *Quoad substantiam est bonum fœderis Gratiæ omnibus omnium temporum fidelibus ex æquo conveniens.* 13. *Attamen quoad circumstantias pro V. & N. Testamenti discrimine diversificatur.* 14. *Imo & ea, quæ sub N. potissimum T. Oeconomia viget suis quibusdam interstinguitur articulis.* 15. *Fides remissionis peccatorum, continet I. Confessionem debiti. II. Glorificationem Dei, ut qui* θεοπρεπῶς, *justificare possit impium.* 17. *III. Receptum animæ ad Christum; ut in eo veniam consequatur.* 18. *Quod non nisi secundum ordinem a Deo præscriptum fieri potest,* 19. *IV. Fiduciam de Remissione impetrata.* 20. *Quæ a temeraria præsumtione sedulo distinguenda est: ex signis Antecedentibus.* 21. *Concomitantibus.* 22. *Consequentibus.* 23. 24. 25. 26. 27. *Sicut miserrima eorum conditio est, quibus non remittuntur peccata.* 28. 29. 30. *Ita illorum est beatissima quibus hac gratia frui datur.*

Ecclesia, quantumvis Sancta, suis semper in terra nævis laborat, ac peccatorum remissione eget.

I. PRæclaris quidem elogiis *Ecclesiæ* Christianæ *Sanctimonia* celebratur: attamen dum in terra militat, suis semper *nævis* maculata, procul ab ea perfectione abest, quam se obtenturam aliquando sperat in cœlis. Hic quidem *pulcra* est, sed *ut luna*. Cant. VI. 10. quæ ipsa lucis expers omnem suam a sole mutuatur, sua statis temporum vicissitudinibus luminis incrementa vel decrementa habet, etiam quum plena est sua quandoque patitur deliquia, &, quam-

quamvis nihil patiatur, suas semper ostentat maculas. Ita & Ecclesia, quum per se mera sit *caligo*, *lux* non sit nisi *in Domino*. Ephes. v. 8. neque fulget alites, nisi quatenus isthoc est *amicta sole*. Ap. xii. 1. Sed nec constanter semper, ac *pari* pietatis *alacritate*, cursum suum prosequitur. *Proficit* aliquando, quum *iter* suum *simile est luci splendidæ*, *pergenti lucere ad ipsam diei meridiem*. Prov. iv. 18. Sed & *deficit* nonnunquam, quando interveniente opaca tentationum nube, aut terrenarum solicitudinum caliginosa mole, non exiguam lucis jacturam facit. Apoc. ii. 5. Atque adeo nunquam est quin suas in ea maculas perspicacissimus Domini oculus deprehendat. Jes. lxiv. 6. Actumque prorsus esset de illius fiducia ac spe, nisi eam repositam haberet in gratuita *peccatorum remissione*, quam Deus pollicetur Evangelio, ipsa per fidem profitetur. Ps. cxxx. 3. 4. *Si iniquitates observaveris, Jah, Domine, quis posset consistere? Sed* APUD TE EST CONDONATIO.

II. De ea nunc nobis PECCATORUM REMISSIONE ex ordine dicendum est: ita quidem ut *primo* exponamus quid PECCATUM sit, & quem importet reatum quantum debitum: *tum* quid sit REMISSIO PECCATORUM: & denique quid sit eam PECCATORUM REMISSIONEM CREDERE. *Summa hujus Exercitationis capita.*

III. PECCATUM est *transgressio*, sive *violatio*, *sanctissimæ illius legis*, *quam Deus*, *supremus omnium Dominus*, *creaturæ rationali præscripsit*. Supponimus, Deum absolutum *Dominum* esse omnium earum rerum quæ extra ipsum sunt. Id enim fundatur in Dei independentia, cæterisque illius perfectionibus, ac creaturarum omnium omnimoda a Deo dependentia, quæ in earum conceptu, sive idea, necessario includitur. Jer. x. 6. 7. *Ex eo quod nullus est par tibi, o Jehova, magnus es, & magnum est nomen tuum* בגבורה *in præpollentia*. (Confer Rom. i. 4. ἐν δυνάμει. ita ut sit διαφορώτερον ὄνομα Heb. i. 4. omnem maximi nominis vim ac potestatem habens) *Quis non revereatur, te Rex gentium* כי לך יאתה. *Quia id tibi convenit*. Virtute hujus *potestatis*, & ad demonstrationem hujus *dominii*, præscripsit Deus creaturis rationalibus *leges*. Jes. xxxiii. 22. *Jehova legislator noster; Jehova Rex noster*. Jac iv. 12. *Unus est Legislator, qui servare potest & perdere*. In ea lege non suæ solum *voluntatis* beneplacitum expressit, quod non potest nisi sanctissimum esse; 1 Thes. iv. 3. sed & eam *sanctitatem* quæ sibi *naturalis* est homini in *exemplar* proposuit. Lev. xix. 2. quippe ad sui creato imaginem. Nihil horum omnium est quod peccato non violetur. Est enim in eo, *contemptus* atque *abnegatio Dominii* Dei, defectio, atque excussio jugi. Hoc est פשע, *defectio*, & מרי ἀπείθεια, *inobedientia*, ut quæ mandata sunt non facias; imo & מרד *rebellio*, ut adverseris, & vetita facias. Thr. iii. 42. פשענו ומרינו *defecimus & rebelles exstitimus*. Ezech. xx. *peccati descriptio.*

38. המורדים והפושעים בי *qui rebellant & deficiunt a me.* Est etiam in peccato *transgressio* Divinæ *legis*, *ἀνομία*, 1. Joh. III. 3. עברה Ps. XLIX. 6. *παράβασις* 1. Tim. II. 14. Est denique in peccato עון, *perversitas*, *σκολιότης*, *distorsio*, Phil. II. 15. repugnans *rectitudini* illi cujus *delineatio* quidem in *lege*, Ps. XIV. 9. sed *exemplar* in ipso *Deo* est, Deut. XXXII. 4. *exemplum* in *primo homine* fuit. Eccl. VII. 29. Huc pertinet illud Elihu Job. XXXIII. 27. ישר העויתי *rectum perverti.*

In peccato omni est *ἀτυχία*, & *δυστυχία*, quæ designantur voce חטאה.

IV. Fieri non potest quin, uti in peccato *crimen* est, ita & in eo magna sit creaturæ peccatricis *infelicitas.* Utrumque eleganter indigitatur voce חטאה, quæ proprie significat *aberrationem a scopo*, Jud. XX. 16. *ἀτυχίαν*, ita ut quis destinato excidat, incidatque in contrarium destinato, quæ *δυστυχία* est. Scopus quem sibi homo propositum habere debet, est vera felicitas, in communione & similitudine Dei sita. Ab ea aberrat peccator, aliud sibi pro fine proponens, vel non recta tendens, quo ac qua tendendum erat; & contra debitum facit, (non enim sine culpa negligere aut contemnere potest finem ad cujus prosecutionem creatus est) & se ipsum miserum reddit, quia non tantum suo se privat bono, quod in finis assecutione est, sed etiam ad finis ac boni gloriam imminutam restituendam se obligat.

Uti & Macula ac Reatus.

V. Speciatim in quolibet peccato distinctim attendenda sunt *Macula* & *Reatus.* *Macula* est spurcities illa quam peccatum animæ affricat, repugnans puritati Divinæ, cujus in se expressam imaginem homo habere debet. Mat. XV. 20. *Hæc sunt quæ polluunt hominem.* Ps. CVI. 39. ויטמאו במעשיהם *& contaminarunt se operibus suis.* Hinc peccatum comparatur *menstruo*, Jes. LXIV. 5. & *lepræ* Ps. LI. 9. col. cum Levit. XIV. 4. &c. *Reatus* est obligatio ad pœnam. Rom. V. 16. *Reatus ex una offensa est ad condemnationem.* Hoc adspectu peccata *debita* dicuntur. Mat. VI. 12. col. cum Luc. XI. 4. quia damnatum faciunt hominem & pœnæ obnoxium. Ὑφ' *ἁμαρτίαν εἶναι*, *sub peccato esse*, & *ὑπόδικον γενέσθαι τῷ Θεῷ*, *obnoxium esse Deo*, idem Apostolo notant Rom. III. 9. 19. *Macula* peccati proprie respectum habet ad purissimam Dei *sanctitatem*, *præceptis* legis expressam, cui adversatur: oriturque inde Dei aversatio atque abominatio; qui *purior est oculis, quam ut malum videat.* Hab. I. 13. *Reatus* respectum habet ad *justitiam* Dei *vindicativam*, de qua Jer. V. 9. 29. *An super hæc non visitabo, inquit Dominus, & an gentem sicut hæc est non ulciscetur anima mea?* Et ad *Sanctionem Legis.* Deut. XXVII. 26. *Maledictus qui non præstiterit verba legis hujus faciendo ea.*

Reatus quo sensu a peccato separari possit, vel non possit.

VI. Porro reatus iste notat aliquando *meritum* peccati, quo ob intrinsecam suam pravitatem puniri dignum est: de quo Apostolus. Rom. I. 32. *Jus Dei est, ut qui talia faciunt digni sint morte.* Aliquando, *actualem obligationem* ad pœnam, quam ipsa comitabitur condemnatio, & infli-

inflictio poenæ. Joh. III. 18. *Qui non credit jam condemnatus est.* Priori sensu reatus a peccato auferri non potest. Quum enim in omni peccato Divinæ Majestatis contemtus sit, nullum dari potest peccatum, quod non mereatur poenam. Imo vero amplius dicendum est, nullum omnino exstare peccatum quod non puniatur actu: sive in ipso peccante, sive in illius vade. Unde consequitur, si præcise amamus loqui, ne quidem actualem obligationem ad poenam reipsa infligendam, auferibilem a peccato esse. Auferri quidem illa a peccatore potest, quando peccatum cum suo reatu transfertur in vadem pro eo soluturum; unde fit ut princeps debitor a solutione absolvatur: a peccato ipso auferri non potest, nam Deus, etiam quum condonat, נקה לא ינקה, *non omnino pro insonte habet.* Exod. XXXIV. 7. In hanc mentem interpretanda est Pauli sententia Rom. VIII. 1. *Nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu:* non quod nullum in iis sit peccatum; aut quod peccatum illud damnationem non mereatur, aut quod peccatum illud per aliquam Dei dispensationem solutum sit actuali obligatione ad poenam: sed quia Christus pro iis condemnationem subiit, hinc peccatum in sponsore vindicatum iterum in iis vindicari non potest. Breviter, omni peccato inest actualis obligatio ad poenam: sed hoc discrimine, quod aliqui eam ipsi subire teneantur, quum careant sponsore, alii eam non quidem in se, attamen in sponsore luant.

VII. REMISSIO itaque PECCATORUM est, *absolutio peccatoris a reatu quem in se suscepit Christus*: sive, *Declaratio Dei Legislatoris ac Judicis peccatorem istum non laturum poenam quam meruit, propter satisfactionem Sponsoris Christi.* Illa autem satisfactio quum non possit esse sine plenissima justitia, quæ jus vitæ parit, hinc fit ut qui a reatu & damnatione absolvitur, quasi nullum unquam admisisset peccatum, eidem jus vitæ æternæ adjudicetur, non minus quam si omnem ipse legis justitiam implesset. Idcirco *beati* pronunciantur *quorum remissæ sunt iniquitates.* Rom. IV. 7. Ps. XXXII. 1. 2. Remissio Peccatorum.

VIII. Porro remissio peccatorum considerari potest vel *absolute*, uti est *bonum fœderis gratiæ*, omnibus omnium temporum fidelibus *ex æquo* competens; vel in certis quibusdam *circumstantiis*, quæ pro *diversa* fœderis gratiæ *œconomia* diversificantur. Quoad substantiam est bonum fœderis Gratiæ, omnibus omnium temporum fidelibus ex æquo conveniens.

IX. Fuit is jam ab initio effectus sponsionis Christi, ut peccatum, postquam commissum esset, non imputaretur fidelibus, quippe quod *impactum* erat *in sponsorem*, & in eum debebat *incurrere*, atque ab eo *exigi* Jes. LIII. 6. 7. Adeo ut in Deo non fuerit, neque vero esse potuerit, voluntas puniendi peccatum fidelium in ipsis. Non enim patitur bona fides ut idem debitum bis exigatur.

X. Eam voluntatem suam, de non exigendo a fidelibus peccato

ſuo, mox poſt lapſum Deus hominibus patefecit in prima promulgatione Teſtamenti Gratiæ. Eadem enim oratione, qua damnavit Diabolum, promiſit gratiam Chriſti ad juſtitiam.

XI. Eam gratiam ſingulis etiam credentibus applicuit, inſinuavit, intimavit, ut ſcire potuerint ſe in gratiam cum Deo rediiſſe, neque obſtitura ſibi peccata ſua eſſe quo minus cœleſtem hæreditatem cernant; ut etiam in iſto Dei erga ſe amore deliciari potuerint, ac parrheſiam ſpei de beatitudine æterna habuerint: ut denique reipſa poſt vitæ hujus moleſtias, ut amici ac filii Dei, in æterna recepti ſint gaudia.

XII. Hæc ubi ſunt (fuerunt autem ab ævo) ibi *remiſſionem* peccatorum eſſe *veram* ac *plenam* nemo ſanus inficietur. Hinc Deus etiam ſub Teſtamento Veteri deſcribitur, ut *condonans iniquitatem, defectionem, & peccatum.* Exod. XXXIV. 7. Num. XIV. 18. Pſ. CXXX. 4. & Abraham Pater noſter *juſtificatus* dicitur. Jac. II. 22. Rom. IV. 2. 3. & Davidi dictum eſt, *Jehova tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* 2 Sam. XII. 13. Et Chriſtus introducitur in hæc verba intercedens, *Redime eum, ne deſcendat in foveam, expiationem inveni.* Job. XXXIII, 24. Atque hactenus quidem remiſſio peccatorum eſt bonum fœderis gratiæ, ſine temporum diſcrimine, fidelibus omnibus commune ex æquo.

Attamen quoad circumſtantias pro V. & N. Teſtamenti diſcrimine diverſificatur.

XIII. Attamen *diverſitas* aliqua agnoſcenda eſt in *modo* remiſſionis, pro *Veteris* ac *Novi Teſtamenti* diverſitate. Nam I. *Satisfactio* Chriſti Domini, quæ unica & ſola cauſſa meritoria condonationis eſt, in *Veteri Teſtamento* conſideratur ut *promiſſa* a Chriſto, & *præſtanda* præſtituto tempore; *in Novo Teſtamento* ut actu *conſummata & præſtita.* Nunc actu exſtat *δικαίωμα*, ſive id propter quod juſtificamur. Rom. V. 11. Nunc *adducta eſt juſtitia ſeculorum.* Dan. IX. 24. Nunc *facta* eſt *expiatio in ſanguine Sponſoris, & inventa redemptio æterna* Heb. I. 3. & IX. 12. quæ olim non ita exſtabant. II. Differt etiam *modus promulgationis.* Nam vigente *Legali* œconomia *promiſſiones gratiæ* ac remiſſionis peccatorum, & *obſcurius* propoſitæ ſunt, & *parcius*, & plurimo *comminationum legalium* terrore mixtæ fuerunt. III. Sub *Veteri Teſtamento*, expiatione nondum facta, potuit *peccatum* adhuc *commemorari*, Heb. X. 3. & *Chirographum exigi*, continens confeſſionem debiti nondum a ſponſore ſoluti, quod hactenus erat *καθ' ἡμῶν, καὶ ὑπεναντίον ἡμῖν adverſus nos*, ac *nobis ſubcontrarium.* Col. II. 14. *Facta* autem *expiatione* ſub *Teſtamento Novo* talis exſtat *ἄφεσις*, cum qua *non poteſt conſiſtere oblatio* typica *peccatum commemorans.* Heb. X. 18. Et *chirographum deletum* ac *cruci ſuffixum eſt.* Breviter cum Remiſſione T. V. conſiſtebat ſervitus elementorum mundi, quam Remiſſio T. N. plane tollit. IV. *Senſus remiſſionis* peccatorum, & conſolatio inde orta, & libertas accedendi ad Deum, & obſignatio Spiritus gratiæ, *abundantior* magiſque frequens ac penetrans eſt

ſub

sub T. N. in *Regno Dei*, quod *est justitia & pax & gaudium per Spiritum Sanctum*, Rom. XIV. 17. quam sub. T. V. & œconomia legali, ubi arcanæ Spiritus operationes ad modum externæ dispensationis attemperatæ fuerunt.

XIV. Sed nec illud prætereundum esse videtur, remissionem peccatorum, etiam prout sub N. potissimum T. viget, variis distingui *articulis*. Quorum *primus* est, *generalis* illa Dei declaratio qua justitiæ suæ per morientem Christum plene satisfactum esse pronunciavit, ideoque se a nemine eorum qui ad Christum pertinent peccata sua esse exacturum, data etiam apocha in resuscitatione Christi. 2 Cor. V. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando iis offensas eorum.* Tunc *iniquitas* totius *terræ amota est uno die*. Zach. III. 9. *Deinde* quod *generatim* ita declaratum est de omnibus, *singulis credentibus applicatur*. I. Dum homo *regenitus*, ac viva fide *Christo unitus*, declaratur jam *actu transiruisse e statu condemnationis & iræ*, in quo manet donec Christo per fidem uniatur, *in statum justitiæ & gratiæ*. *Ut sit justus & justificans eum qui est ex fide Jesu* Rom. III. 26. II. Dum sententia illa, pronuntiata in *foro cœli*, intimatur & insinuatur *conscientiæ* per Spiritum Sanctum, qui *facit audire gaudium & lætitiam* Ps. LI. 10. Dum peccator *readmittitur ad familiare Dei commercium*, mutuumque jucundissimæ amicitiæ consortium. Quod aliquoties contigit postquam homo fidelis resipuit a *grandi* aliquo *peccato*, vel *torpido* animæ *statu*, quo familiaritas cum Deo non parum turbata fuit. Id David petebat Ps. LI. 3. 14. Tunc *reipsa* declarat Deus se propitium peccatori factum esse, & *generalem* illam de *omnium* peccatorum condonatione sententiam, mox a regeneratione pronunciatam, huic quoque *crimini* aut *statui* speciatim applicans, ad redintegrationem dulcissimæ familiaritatis se exorari patitur. IV. Dum Deus, in ipso *mortis articulo*, animæ e corpore emigranti uti sibi amicæ ac dilectæ, adsignat æternæ beatitudinis domicilium, quo sese cæteroquin ob peccata indignissimam fecerat. Heb. IX. 27. V. Quum denique *novissimo* magni *judicii die* palam omnibus pronunciabitur ipsoque facto comprobabitur, quam veniam gratiamque propter Christum electis suis Deus faciat. 2 Tim. I. 18. Tunc consummate implebitur id quod scriptum est. Apoc. II. 17. *Et qui vicerit dabo calculum album, & in calculo novum nomen scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit.*

Imo & ea quæ sub N. potissimum T. œconomia viget suis quibusdam interstinguitur articulis.

XV. FIDES autem quam *de peccatorum remissione* nos habere profitemur multa ac grandia salutis nostræ mysteria ambitu suo complectitur. Ac *primo* quidem fatemur non uno nos peccato, sed plurimis iisque gravissimis obstrictos esse. 1 Joh. I. 8. Jac. III. 2. Fatemur etiam jus Deo esse, propter peccata nostra nos compingendi in infernalem carcerem, unde exire nobis non liceret, nisi soluto ultimo quadrante. Mat.

Fides remissionis peccatorum continet I. Confessionem debiti.

XVIII. 34. Fatemur justa esse omnia Dei in nos judicia quibus iram suam, & peccati odium manifestum facit. Ps. LI. 6. Rom. III. 19. Fatemur denique salutem nostram non esse quærendam in ullis nostris meritis, nostrave satisfactione: sed in gratuita condonatione debitorum nostrorum, quæ uti negare non possumus, ita nec expungere. Rom. IV. 6. 7. Attenta harum veritatum meditatio, ac sincera confessio apprime utilis ac necessaria est, ad eam nobis humilitatem, sanctamque de nobis ipsis desperationem ingenerandam, sine qua nec Deo grati esse, neque ad Christum confugere, nec in ipsius gratiam tuto ac secure sperare possumus. Hæc ergo sit animi ad criminum suorum adspectum trepidantis apud Deum oratio: *Peccavi: quid faciam tibi, o custos hominum?* Job. VII. 20. *Ne congrediaris judicio cum servo tuo; nam non esset justus coram te ullus vivens.* Ps. CXLIII. 2.

II. Glorificationem Dei, ut qui θεοπρεπῶς justificare possit impium.

XVI. II. *Eam gloriam Deo damus*, ut *sine* ullo *virtutum* suarum *læsione*, imo *cum illustri* earum *patefactione*, peccatorum nobis nostrorum veniam facere possit. Si quis pefectionum Divinarum opulentiam, secundum ideam Optimi Maximi Numinis *natura* nobis impressam, curate meditetur; is fortassis *ratiocinatione colliget*, aut *suspicabitur* saltem, non omnino esse τῶν ἀδυνάτων, ut justus sanctusque Deo in gratiam cum peccatore redeat. Fovet eam spem observatio Divinæ *patientiæ* ac μακροθυμίας, qua peccatores non tolerat solum, sed & ad se quærendum invitat. Rom. II. 4. Cæterum *modus* ille peccata condonandi, qui solus *Deo dignus est*, nulla unquam humanæ mentis industria inveniri potuit. Eoque prorsus incognito, vix est, aut ne vix quidem, ut animus, tantæ rei momentum justa lance ponderans, securam sibi veniæ spem formare ausit. Hic intercedit Evangelium, anxiisque mentibus, rationem monstrat, cui conscientia mox assentitur ut θεοπρεπεστάτῃ, secundum quam Deus in remissione peccatorum & justitiæ suæ severum rigorem, & incredibilem simul clementiæ indulgentiam ostentat; translato criminum nostrorum reatu in expromissorem, qui & vadimonium lubens obivit, & a suscepto reatu se suosque omnes plenissime exsolvit. Rom. III. 24. 25. 26. Hæc est ea gloria, quam Fides Christiana secundum Evangelium Deo dat, quum dicit, *Credo remissionem peccatorum.* Mich. II. 18. *Quis est Deus fortis par tibi? condonans iniquitatem, & præteriens defectionem reliquiis possessionis tuæ? non retinens in æternum iram suam, eo quod delectetur benignitate.*

III. Receptum animæ ad Christum, ut in eo veniam consequatur.

XVII. III. Sed non subsistit hic fides. Certa peccatorum remissionem in Christo repositam esse, ad eum *se recipit*, ut *sibi* quoque ad suam consequatur salutem id quod fidelibus *omnibus* promissum esse ex Evangelio discit. Jes. LV. 7. *Revertatur ad Jehovam, ut misereatur ipsius; ad Deum nostrum, qui condonat plurimum.* Nam profecto fieri non potest

potest ut quis credat remissionem aliquam peccatorum dari, quæ in solius Christi satisfactione ac meritis certo inveniri queat, quin eadem opera ardenti accendatur desiderio ut & ipse tanti boni participatione beetur, eoque omni se nisu conferat ubi non frustra id quæsiturus est. Gal. II. 16. *Scientes, non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi*, ETIAM NOS *in Christum Jesum credidimus*, UT JUSTIFICAREMUR *ex fide Christi.* Jes. XLIX. 24. 25. *tantummodo in Jehova, de me inquiet, omnis justitia & robur est:* AD EUM QUISQUE VENIET. *In Jehova justificabuntur, & gloriabuntur totum semen Israëlis.*

XVIII. Etiam atque etiam attendendum est, ut *justa* hic procedatur *methodo* I. Primo animum criminum suorum *convictum* esse oportet, ita ut ea cum serio *dolore*, *pudore*, ac *detestatione* agnoscat, imo & id ipsum agnoscat plurium se reum esse quam cogitatione valeat assequi. Ps. LI. 5. Ps. XIX. 13. Ezr. IX. 6. II. Tum ex conscientia criminum *exhorrescat ad Dei*, justissimi judicis, *tribunal*, gnarus & imparem se sustinendæ iræ Divinæ esse, neque vel ipsum sese, vel quempiam in universo, sive hominem sive Angelum, Divinæ justitiæ, toties a se læsæ, posse satisfacere. III. Hinc animi de se ac Deo cogitantis oriatur *angor*, *contritio*, & *sancta* quædam de *semetipso* cæterisque *creaturis* omnibus *desperatio.* His enim sacrificiis cum maxime placetur Deo. Ps. LI. 19. Jes. LVII. 15. IV. Porro sinceram, liberam, plenam atque affectuosam peccatorum suorum coram Deo *confessionem* edat, seque ipsum prædamnet, ut intuitu ejus ingenuitatis facilius a Deo absolvatur. Ps. XXXII. 3. 4. 5. Prov. XXVIII. 13. Luc. XV. 18. 19. XVIII. 13. V. Deinde Deo se humiliter ac sine ulla reservatione *dedat*, atque *resignet*; ut quod bonum est in oculis suis secum faciat. Prorsus sicut Syriæ Regis famuli Achabo se sistebant, cum ciliciis ad lumbos, & funibus ad capita, quasi ad squalores, carceres, ipsamque sese restim dederent. I Reg. XX. 32. Conf. 2 Sam. XV. 26. VI. Id interim cum lacrymis ac suspiriis inenarrabilibus *orans*, obsecrans, atque obtestans, non semel modo atque iterum, sed repetitis sæpe numero precibus, ut si sibi peccatorum suorum amaritudo gustanda, & paternæ castigationis virga ferenda sit, non tamen in ira corripiatur, neque puniatur in excandescentia, Ps. VI, 2. sed liceat sibi Patris sui faciem aliquando intueri, ex qua per mediam indignationem radius quidam nondum extincti favoris resplendeat: protestatus paratum se esse tam caram gratiam vel morte redimere. Conf. 2 Sam. XIV. 42. VII. Denique in Christi merita atque intercessionem *fide recumbens*, veniam sperare ausit, Heb. V. 16. modo se posthac adversus omnia peccata sedulo *vigilaturum* esse in animo polliceatur. Job. XXXIV. 32. Ps. LXXX. 19. & ipse etiam *proximo* qui se offendit *veniam dare* paratus sit. Mat. VI. 14. 15. XVIII. 35.

Quod non nisi secundum ordinem a Deo præscriptum fieri potest.

IV. Fiduciam de Remissione impetrata.

XIX. IV. Postquam fides, hac methodo procedens, ad consequendam peccatorum remissionem in Christum recubuit; ad sanctam hanc *confidentiam* paulatim pergit, ut ex certis ac infallibilibus signis, quibus arcanum Divini Spiritus testimonium accedit, colligat ac profiteatur, *remissa jam* sibi propter Christum omnia *peccata sua esse*, & apertum cœli ostium, cum libero ad gratiæ ac gloriæ thronum accessu, quod incredibilem animo lætitiam parit. Eph. I. 7. *Habemus redemtionem, per sanguinem ipsius, remissionem lapsuum ex divite ipsius gratia.* Heb. IX. 22. 23. *Accedamus cum vero corde, per certioratam fidem, adspersione purgatis cordibus a conscientia mala, & abluto corpore aqua mundo, retineamus professionem fidei non vacillantem.*

Quæ a temeraria præsumtione sedulo distinguenda est: ex signis antecedentibus.

XX. Cæterum cavendum est, ne loco *bene certiorata fidei* audax ac *temeraria præsumtio* animo nostro obrepat. Quod ex eo dignoscere poterimus, si attendamus quid *fiduciam* hanc *antecedat*, quid *comitetur*, quid *sequatur*. *Antecedunt* ea quæ §. XVIII. ordine narravimus, sincerus de admissis omissisque dolor; terror tremorque animi ad violatam Dei justitiam expavescentis; sancta de se ipso desperatio; libera confessio delictorum; anxiæ preces; trepidantis animæ ad Christi merita, non sine spe veniæ, receptus; accuratioris denique posthac pietatis propositum. Non enim existimandum est, unquam contingere ut Deus de venia ac pace ad animam loquatur, quæ secure suis indormiscens criminibus, se ipsam increpare, Deique in Christo gratiam solicitis precibus ambire neglexerit. Job. XXXIII. 26. 27. *Quum supplex oraverit Deum, benigne recipit eum, ut adspiciat faciem ejus cum jubilo; & restituit mortali justitiam ejus. Contemplatur homines, dicens, peccaveram & rectum perverteram, quod non profuit mihi.*

Concomitantibus.

XXI. Comitatur hanc fiduciam impetratæ condonationis, accuratæ sanctitatis studium. Quum enim promissiones de justificatione & sanctificatione æque late se extendant, nemo sibi illam vindicare potest, qui non & hanc in se comperiat. Jes. I. 16. 17. 18. *Lavate, purificate vos, &c. Discite benefacere &c. Venite tum & disceptemus, inquit Jehova, si fuerint peccata vestra velut dibaphum velut nix albescent &c.* Spiritus autem Sanctus quoties blando suo alloquio cordi dicit, confide, remissa sunt tibi peccata tua; toties etiam animum eadem opera suæ convincit indignitatis, impletque tanti favoris admiratione, ac lætis gratiarum actionibus quibus incredibilem illam Dei erga se gratiam celebret. Ps. CIII. 2. 3. *Benedic anima mea Jehovæ, qui condonat omnes iniquitates tuas.*

Consequentibus.

XXII. *Consequitur* denique fiduciam illam, insignis erga *Deum & proximum amor.* Quis enim non impense eum *diligat*, a quo, quum vindicare juste posset, tot tantorumque criminum veniam sibi factam esse credit?

credit? *Diligo*, inquit David, Pſ. CXVI. 1. *quia Jehova exaudit vocem meam, deprecationes meas.* Quæ autem deprecationum ſumma erat? verſ. 4. *Obſecro Jehova, libera animam meam.* Adde Luc. VII. 47. Porro, *amor* iſte Dei cum *reverentia* conjunctus eſt, Pſ. CXXX. 3. *Apud te eſt condonatio, ut reverenter colaris.* Iſta autem reverentia validum eſt animi ab improbitate retinaculum. Prov. VIII. 13. Abſit enim, ut qui ſua ſibi peccata condonata eſſe certus eſt, is inde ſibi peccandi ſumat licentiam. Rom. VI. 1. 2. Sed & iſte Dei Chriſtique erga nos amor accendit *amorem* erga *proximum*, ut ei quoque propter Chriſtum ignoſcere faciles ſimus. Col. III. 12. 13. *Sicut & Chriſtus condonavit vobis, ita & vos.*

XXIII. Quanta eorum ſit *felicitas* qui peccatorum ſuorum condonationem a Deo conſecuti ſunt, tum demum rite æſtimabimus, ubi quantam peccata non remiſſa peccatori miſeriam importent perpenderimus. Profecto *onus* ſunt, non δυσβάστακτον modo, ſed & ἀβάστακτον, Pſ. XXXVIII. 5. quod magnanimum illum ex tribu Judæ leonem in pulverem uſque depreſſit, quum criminum noſtrorum ſuſcepto reatu luendum pro iis haberet. Quod ſi fortaſſe necdum ſe iis preſſum admodum gravatumque peccatoris animus ſentiat, donec ſecure in iis deliciatur: exſpectet paululum, *ad fores peccatum cubat.* Gen. IV. 7. inſtar furioſi moloſſi, e ſopore ſuo proſilientis, ex improviſo irruiturum, neque clementius animam excepturum quam canes olim cadaver Jeſabelis. 2. Reg. IX. 35. 36. Sicut miſerrima eorum conditio eſt, quibus non remittuntur Peccata:

XXIV. Caret certe Divinæ beneficentiæ ſenſu guſtuque, ſine qua ne vita quidem vitalis eſt. Pſ. LXIII. 4. Non licet ei faciem Dei ut propitii ſui Patris intueri, Jeſ. LIX. 2. quod ipſa morte debebat eſſe gravius. Fruſtra ex Dei ore blandi ſermonis alloquium exſpectat, Jeſ. LVII. 23. 24. 25. qui vel in ira ſua ſilet, vel atrociter objurgat intentatque damnationem. Pſ. L. 21. De cœlo, ne cogitet quidem: quippe cujus oppeſſulatæ ſibi fores ſint. Eo paradiſo pulſus eſt, aditu omni æternum intercluſo. Ap. XXII. 15.

XXV. Quod ſi contingat eum vitæ hujus commodis aliquammultis frui, ea idem illi ſunt, quod coturnices procaciter expetitæ Iſraëlitis, quibus mortem ſibi manducabant. Num. XI. 33. aut quod noviſſimus lautitiarum apparatus malæ crucis candidatis eſt. Hoc habet *cum iis quorum portio eſt in hac vita*. Pſ. XVII. 14. Præterea quod ſperet nihil habet, præter *horrendam quandam exſpectationem judicii & ignis fervorem, qui devoraturus eſt adverſarios.* Heb. X. 27. Imo in eo quod habet ſementis eſt unde nunquam finituros cruciatus metet. Secundum illud Apocalypſios XVIII. 7. *Quantum ſibi gloriæ attribuit & luxuriata eſt, tantum date ei tormentum & luctum.*

XXVI. Tam ſæva peccati non remiſſi lues eſt, ut peccatorem

 ipſum,

ipsum, quoad omnes sui partes permeet, & quicquid eum attinet, sive domi sive foris, sive in urbe sive in agro, sive prosperum illud sive adversum sit, tetra contagione inficiat, & perinde atque ipse peccator est, maledictum atque execrabile faciat. Deut. XXVIII. 16. & seq.

XXVII. Omnia hæc nil nisi dolorum initia sunt. Restat conscientiæ inclementer rodentis non moriturus vermis, & inexstinctæ inferorum flammæ, & malorum flagra dæmonum, &, quod rei caput est, iræ ac vindictæ Dei æternum incubituræ grave pondus. Marc. IX. 43. 44. Quæ non inania infirmorum animorum terriculamenta; sed vera ac fidelia Dei verba sunt. Hæc eorum deploranda sors est, quibus peccata non remittuntur.

Ita illorum est beatissima quibus hac gratia frui datur.

XXVIII. Unde ex adverso illorum μακαρισμὸς apparet, *qui levati sunt a defectione, quorum obtectum est peccatum, quibus Jehova iniquitatem non imputat.* Ps. XXXII. 1. 2. Id quia suis impetrat atque applicat Christus; hinc JESU sive *Sospitatoris* nomen meruit. Mat. I. 21. Plaudite felices animæ quæ ad tantæ salutis participationem admissæ estis. Non est quod ad *inferorum* nomen exhorrescatis, aut ad *cœli* mentionem trepidetis: illi vobis clusi, hoc apertum est. Non est quod a *Diaboli* calumniosis ac nomine suo dignis accusationibus timeatis: *dejectus est accusator fratrum, qui accusabat eos in conspectu Dei nostri, die ac nocte.* Ap. XII. 9. Et si vel ad *dextram* vobis *staret ut adversaretur*, id audiet quod apud Zachariam olim Cap. III. 2. *Increpet Jehova te, o Satan, increpet, inquam, te Jehova, qui eligit Hierosolyma.* Non est quod ad *conscitiæ* vestræ paveatis tribunal: illa quidem multa vobis, & vera, exprobrabit crimina; sed purificata sanguine Jesu, & fide in eum, omnia illa Christi meritis obliterata atque expuncta esse attestabitur. Quicquid faciat; Deus, etiam hac in parte, corde nostro major ac superior judex est. *Quis intentabit crimina &c.* Rom. VIII. 33. 34.

XXIX. Ablata nunc est ea quæ Deum inter & vos intercedebat olim hostilitas, & feliciter commutata in mutuæ amicitiæ suavissimum commercium. *Nam in seculum non contendam*, inquit Deus, Jes. LVII. 20.22. *neque in æternum effervescam: nam spiritus a conspectu meo obrueretur, & animæ quas ego feci. Vias ejus video, sed curabo eum: & deducam eum, reddamque consolationes ei, & lugentibus ejus.* Licet nunc vobis cum omni loquendi libertate ad thronum gratiæ accedere, & quidquid animo vel ægre vel bene est in Dei, ut indulgentissimi Patris, sinum confidenter effundere. Qui nec suæ pietatis parcus est, & ministris suis inclamat, Jes. XL. 1. 2. *Consolamini, consolamini populum meum, inquit Deus vester &c.* & ipse arcano Spiritus sui susurro animæ dicit, *Tu Vocaberis deliciæ meæ, & gaudio sponsi cum sponsa gaudebit tecum Deus tuus.* Jes. LXII. 4. 5. *Ut quispiam quem mater sua consolatur, sic ego consolaturus sum te.* Jes. LXVI. 13.

XXX.

XXX. In his autem omnibus arrha æternorum bonorum est, ad quæ non minus juris illi habent, quibus propter sufficientissimam Christi satisfactionem remissa peccata sunt, quam si, nullius unquam delicti rei, in sua ipsi persona consummatissimam legi obedientiam præstitissent. Rom. v. 20. 21. *Ubi amplificatum est peccatum, ibi superabundavit gratia: Ut quemadmodum regnaverat peccatum ad mortem; ita etiam gratia regnaret per justitiam ad vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.*

EXERCITATIO XXVI.

DE

RESURRECTIONE CARNIS, ET VITA ÆTERNA.

BREVIARIUM.

1. *Resurrectio Triplex:* 2. *Civilis*, 3. *Spiritualis*, 4. *& Carnis.* 5. *Quæ fiducia Christianorum est.* 6. 7: 8. 9. *Eam futuram aliquando utriusque instrumenti tabulæ docent.* 10. 11. 12. 13. 14. *Suffragatur Ratio postquam ad fidei obsequium edomita est.* 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. *Eadem surrectura sunt corpora, si substantiam spectes:* 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Frustra enim obtenditur feritas ἀνθρωποφάγων & ἀλληλοφάγων.* 28. 29. 30. 31. 32. 33. *Sed diversissimis erunt prædita qualitatibus.* 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. *Resurrectio omnium erit, & piorum & impiorum.* 47. 48. 49. *Idque uno eodemque tempore.* 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. *Cui adsertioni non refragatur Apo.* XX. 4. 5. 6. 59. 60. 61. 62. 63. *Vita æterna, spei nostræ meta, non nudam estistentiam, sed felicem peremnemque totius hominis conditionem notat.* 64. 65. 66. *Et hic sua quidem habet initia.* 67. *Sed majora impendent animabus separatis: quæ & remanent post animal,* 68. 69. 70. *& vivunt, intelligunt, sentiunt.* 71. *Et mox a morte corporis in cœlestia habitabula & gaudia suscipiuntur.* 72. *Ubi eximia fruuntur beatitudine.* 73. 74. 75. 76. *Longe tamen maxima futura est beatitudo hominis integri, post diem novissimum.* 77. 78. *Quæ sine ullo finis metu duratura est in æternum.* 79. 80. 81. 82. 83. *PRAXIS. I. Ex tam sublimi Doctrina Evangelii discamus Divinitatem.* 84. 85. 86. 87. *II. Inquiramus sedulo num ad nos quoque tantæ felicitatis exspectatio pertineat.* 88 89. *III. Adlaboremus diligenter, ne ea excidamus.* 90. *IV. Illius spe in omnibus nos solemur adversis* 91. *V. & sicuti ea dignum est, generose vitam in hoc seculo transigamus.*

RESUR-

Resurrectio Triplex:

I. RESURRECTIONEM omnino *trigeminam* in arcanis Divinarum literarum monumentis invenio: quarum unam CIVILEM, SPIRITUALEM alteram, tertiam CARNIS nuncupare liceat.

Civilis,

II. CIVILEM Resurrectionem dico, ereptionem ex ingenti aliqua calamitate & discrimine, & restitutionem ex conditione misera in statum feliciorem. Uti enim *calamitas* ea *mortis*, ita *beatior* conditio *vitæ* nomine venit. Estque hæc vel *privatorum* hominum, vel integræ alicujus *Societatis* sive *Reipublicæ*. *Illius* instar habemus in *Davide*. Ps. XXV. 3. 4. *Sanasti me, Jehova, eduxisti e sepulcro animam meam, vivificasti me, ne descenderem in sepulcrum.* In *Hizkia*. Jes. XXXVIII. 16. *Fecisti ut reconvalescerem vivificasti me.* In *Paulo*. 2 Cor. I. 9. 10. *Deus qui suscitat mortuos, ex tanta morte nos eripuit, & eripit: in quo speramus nos adhuc etiam ereptum iri. Reipublicæ vita* est αὐτονομία, sub justo ac legitimo Magistratu, quam *spiramentum narium* suarum Israëlitæ vocitabant. Thren. IV. 20. *Mors*, est *liberi imperii privatio. Resurrectio*, ejusdem *restitutio*. Huc referendum est Hoseæ illud Cap. VI. 1. 2. *Rapuit, & curaturus est nos: percussit, & obligaturus est nos, Vita restituet nos post biduum: die tertio excitabit nos, & vivemus coram ipso.* Et diserte imprimis Ezech. XXXVII. deplorata Israëliticæ Reipublicæ in Babylonica captivitate *calamitas* sub emblemate *campi aridis ossibus consiti*, ejusdem optata *restitutio* sub *resurrectionis* similitudine, prolixa allegoria exponitur: in qua tamen universalis resurrectionis & typus & pignus est.

Spiritualis,

III. SPIRITUALIS resurrectio est suscitatio ex *morte peccati* ad *vitam Dei*. Ea iterum vel *singulorum* est. Eph. II. 5. Col. II. 12. III. 1. Joh. V. 25. *Amen amen dico vobis: adventat tempus, & nunc est, quum mortui* in peccatis, *audient vocem Filii Dei*, præconium Evangelii animatum Spiritu Christi: & *qui audierint*, receperint obedientia fidei, *vivent*. Vel *Universæ Ecclesiæ*: quando insigni *vitæ spiritualis* incremento, tam quoad *numerum* viventium, quam quoad *dona* Divinæ gratiæ, cognitione nimirum, sanctitate, lætitia, pace, similibusque, augetur. Huc pertinet Pauli illud Rom. XI. 14. ubi docet, *assumtionem* Judæorum, Ecclesiæ fore veluti *vitam ex mortuis*. Qualis autem ea Ecclesiæ vita futura sit, Jesaias docet. Cap. LIX. 21. LX. 1.

& Carnis.

IV. Resurrectio CARNIS, est corporis ejusdem quod morte prostratum est, per redditam ei animæ unionem ad vitam suscitatio. Ad hanc requiruntur, I. Particularum, in quas mortuum corpus resolutum est, in manu Dei conservatio. II. Conservatio etiam animæ, corpori suo tempore reuniendæ. III. Corporis ejusdem ex particulis suis, quibus olim constitit, iterata formatio, ac præparatio ut aptum animæ domicilium sit. IV. Animæ cum corpore, ita præparato, redintegrata unio. V. Vita totius compositi, ex unione ista resultans.

V. At-

V. Atque hæc demum *carnis Resurrectio* ingens illud Christianismi mysterium est, absque qua & Evangelium vanum est, & fides ac spes nostra cassa, & consolatio eorum qui tam acerba propter Christum perpessi sunt, aut exigua admodum, aut nulla prorsus. 1. Cor. xv. 13.19. Merito *Tertullianus* librum suum *de resurrectione corporis* his verbis orditur: *Resurrectio mortuorum fiducia Christianorum.* Ideoque intenta admodum meditatione tam sublimis ac momentosus fidei nostræ articulus expendendus nobis est. Hac autem methodo procedere libet, ut ostendamus, I. *Futuram* aliquam *corporum resurrectionem.* II. Et quidem *eorundem corporum*, quoad *substantiam.* III. Resurrectionem illam *universalem* fore, tam *proborum* quam *improborum.* Inquiramus etiam, num omnium & singulorum resurrectio *uno eodemque tempore* futura sit, an vero illa *fidelium*, aut saltem *martyrum*, cæterorum resurrectionem *mille annis* sit *anticipatura.* V. Denique agamus de VITA illa ÆTERNA, quæ piis optatæ resurrectionis consequens erit.

Quæ fiducia Christianorum est.

VI. FUTURAM aliquando carnis resurrectionem & *Deus*, in utriusque instrumenti tabulis, testatur, & *Ratio*, a Deo informata, attestatur. Veteris quidem instrumenti testimonia pro temporum istorum ratione minus perspicua, attamen valida sunt; nobis præsertim, quibus ex interpretatione Domini & Apostolorum, clarior lux adfulsit. Atque ipsum quidem Dominum ex *Mose* argumentantem audiamus. Mat. XXII. 31. 32. *De resurrectione mortuorum nonne audivistis quod dictum est a Deo, dicente: Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi? Deus non est mortuorum, sed viventium.* Observandum est, verba a Domino allegata dicta a Deo esse posteaquam Patriarchæ pridem fato functi essent. Exod. III. 6. Unde prima consecutione infertur, eos etiam mortuos, quoad animam saltem, *Deo vivere.* Luc. xx. 38. Porro: quum fœdus illud gratiæ, cujus virtute se eorum Deum dicit, non mentes separatas concernat, sed personas integras, quas signum fœderis in corpore etiam circumgestare Deus voluit; sequitur ut vita fœdere promissa ad corpus quoque se extendat: quod idcirco animæ, apud Deum viventi, ad ejusdem felicitatis communionem, iterum jungendum est. Tam valida hæc D. Jesu convictio fuit, ut & turbæ super doctrina ejus fuerint perculsæ, & Sadducæis os obstructum sit. Et quidquid hic viderint aut non viderint Hebræi antiquiores, recentiores certe argumento huic adsurgunt. *Aben Ezra* ad Levit. XVIII. 4. iis verbis, *ego sum Jehova Deus vester*, contineri dicit promissionem חיים בשני עולמות *vitæ in utroque seculo.* Et *Menasse Ben Israël* quasi ex ore Domini nostri ratiocinatur. *De Resur. Mort. Lib.* I. *Cap.* X. Nec abludit id quod exstat in *Midras Kohelet ad Cap.* IX. 3.

Eam futuram aliquando utriusque instrumenti tabulæ docent.

הרשעים בחייהם קרוים מתים הצדיקים, קרוים חיים במיתתן שנאמר לארץ אשר נשבעתי לאברהם ליצחק וליעקוב. *Impii dum vivunt vocantur mortui; justi etiam in morte ipsorum vocantur vivi. Quemadmodum dicitur*, Exod. XXXIII. I. *Ad terram quam juramento promisi Abrahamo, Isaaco & Jacobo.*

VII. Succedit *Jobi* professio. Cap. XIX. 25. 26. 27. Magnam ibi rem agi, tum ipsa verborum sacra pompa ostendit; tum id quo præfatur procemium, optans ut sermones sui non modo in libro scribantur, sed & stilo ferreo rupi incidantur ad perpetuam rei memoriam. Ut rem in pauca contraham, quum prolixius alibi argumentum illud pertractaverim, alterutrum necesse est, ut vel de *restitutione* pristinæ felicitatis in *hac vita*, vel de corporis sui *post mortem resuscitatione*, vaticinatus sit Jobus. Non *illud*; nam de restitutione bonorum corporalium in hac vita desperabat. Job. VI. 8. 9. II. VII. 7. 8. X. 20. 21. XVI. 22. XVII. I. 15. XIX. 10. Ergo *hoc.*

VIII. Adde Jes. XXVI. 19. Certum est, eo commate contineri consolationem Ecclesiæ adversus mala in antecedentibus memorata. Nulla autem validior potest esse consolatio ea quæ a resurrectione mortuorum desumitur: atque huc nos verborum ducit simplicitas. Cæterum non admodum constat, sintne verba *Ecclesiæ* aut *Prophetæ* nomine Ecclesiæ loquentis *ad Deum*, an *Dei ad Ecclesiam.* Si prius eligas, hæc esto paraphrasis: *Reviviscent mortui tui*; qui in tua fide, Domine, & tui nominis caussa, post immensos cruciatus, mortem libentes opetierunt, & quos tu ipse, mundo jam pridem mortuos, cæteris ostentui esse voluisti, eos aliquando ad beatam vitam resurrecturos esse firmiter credimus. Singuli quoque id de nobis ipsis speramus: ideo adjungimus, *cadaver meum. Surgent*, non semper dormituri in pulvere. Hac spe fratres nostros inclamamus: quod ex ore tuo omnes avemus suo tempore audire: *expergiscimini, & cantate qui inhabitatis pulverem*; eo excusso gloriose olim prodituri. *Nam ros olerum ros tuus.* Immensa & suavi ista virtute, qua tu, Deus noster, olera etiam succisa, facis repullulascere: quid ni eadem virtute corpora nostra, per mortem decussa, & sata in corruptione, faceres regerminare? ארץ רפאים תפיל Verti id potest, *& gigantes in terram procidere facies.* Abolebis potestatem omnem, & quidquid se tibi cyclopico opponit ausu. Conf. I Cor. XV. 24. Vel etiam: *terra mortuos ut* נפל *fœtum abortivum*, quem sinu suo retinere diutius non potest, *ejiciet.* Sin malis, Deum Ecclesiam compellare, hac mente προσφώνησιν interpretator: *Mortui tui*, o popule mihi dilecte, *reviviscent.* Sed quid tuos dico, *mei* potius sunt, *meum cadaver*, ego etiam mortuorum Deus sum, & mihi fit quod servis meis. Nisi altius etiam adscendere lubeat, & de *Christi cadavere* cogitare, cujus suscitatio & pignus

pignus & fons nostræ est. Quasi diceret D. Jesus, tam certum est, o ecclesia, tuos mortuos suscitatum iri, quam est certum, me, humana carne indutum, ad expiationem tuorum criminum morti aliquando tradendum, & ex morte ad Patris gloriam surrecturum esse. Quæ sequuntur repetitione non indigent, modo id observetur, *rorem Ecclesiæ* dici posse vivificam & delinificam illam gratiam qua a Deo donatur.

IX. *Novi* instrumenti de Resurrectione testimonia, adeo sunt multa, ut enumerare difficile, adeo perspicua, ut exponere supervacaneum sit. Videantur e multis. Luc. XIV. 13. Joh. XV. 28. 29. Joh. VI. 39. 40. 44. 54. Joh. XI. 24. 25. 26. Joh. XIV. 19. Act. IV. 2. & XVII. 18, & XXVI. 8. Rom. VIII. 11. 1 Cor. VI. 14. 2 Cor. I. 9. & IV. 14. 1 Thes. IV. 14. 2 Tim. IV. 1. Heb. VI. 2. & ex professo 1 Cor. XV. ubi potissima argumenti hujus sedes est.

X. Dei testimonio *Humana Ratio* non difficulter suffragabitur, postquam edomita ad fidei obsequium, cum cura ad virtutes Dei attendet, adque ea quæ olim a Deo patrata sunt. In virtutibus Dei considerandæ potissimum veniunt illius *Potentia*, *Sapientia*, *Bonitas* atque *Justitia*. Et *Potentia* quidem, quum immensa sit, efficit ut possit: cæteræ virtutes, ut & velit, suscitare mortuos. *Potentiam* Dei Sadducæis, de hac re disputans, Dominus inculcavit. Mat. XXII. 29. *erratis*, inquit, *nescientes potentiam Dei.* Et Paulus præjudicium contra veritatem illam susceptum hoc primum telo impetit. Act. XXVI. 8. *Quid? incredibile judicatur apud vos quod Deus mortuos suscitet? Sapientia* etiam Dei intercedere videtur, ne, corpore vita functo, anima perpetuo separata ac veluti vidua remaneat: quum alia omnia quæ exstant vel permanere voluerit integra, vel integra pariter atque universa interire. Sed & *Bonitas* atque *Justitia Dei* huc nos ducunt. Uti enim *vitium & virtus totius hominis* sunt, non autem unius *partis* illius duntaxat: sic *retributionem* utrique illi rei propositam, ad *totum hominem*, non ad *partem* solum illius pertinere par est. Et sic quoque Apostolo præeunte argumentamur. 2 Cor. V. 10. *Omnes enim nos manifestos fieri oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet quæ in corpore fecerit, congruenter ad id quod fecerit, sive bonum, sive malum.*

Suffragatur Ratio, postquam ad fidei obsequium edomita est.

XI. Elegans ad hujus rei illustrationem in Judæorum *Talmude* apologus exstat, quem hic appingere non pigebit. Ita ergo illi in *Gemara Sanhedrim Cap.* XI. *Antoninus* cum *R. Jehuda Sancto* sic collocutus aliquando est. Corpus, inquit, & anima judicio se liberare possunt. Quomodo? Corpus dicat, anima peccavit. Nam ex quo illa e me discessit, ecce lapidis instar sine sensu in sepulcro jacui. Anima autem dicat, corpus peccavit. Nam ex quo illius laxata sum nexu, ecce volito per aërem aviculæ in morem. Ad hæc Rabbi: Parabolam, inquit, tibi

 dabo

dabo. Rex mortalis horto cuidam amœnissimo, in quo maturi fructus essent, duos custodes apposuit, claudum & cœcum. Claudus visis fructibus cœcum admonuit, ipsum uti in humeros reciperet, quo illos decerperet, & illi inter se devorarent. Insedit igitur claudus cœci cervicibus, decerptosque fructus absumserunt. Aliquanto post tempore venit Dominus horti, & de fructibus requisivit. Quum cœcus, sibi oculos non esse ut videret; & claudus, sibi pedes deesse ut accederet. Quid ille? Quum jussisset hunc illius humeris excipi, utrumque simul judicavit, & plexit. Consimiliter faciet Deus, anima corpori indita, pariter animam & corpus judicabit.

XII. Sed & alia accedit ratio, non minus prægnans. Par utique est, fideles non minus præmium in Christo recipere, qui caput & auctor gratiosi illius fœderis est cujus promissiones supra reliqua omnia laudantur, quam Adamus obtenturus erat vi fœderis operum, si in sua perseverasset integritate. Adamus autem integer, tam corpore quam anima, vitæ futurus fuisset particeps beatæ atque æternæ. Idem ergo de iis statuendum est qui Christi sunt. Nam quum universæ legi plenissime pro iis satisfecerit, consequens est, ut *illi qui exundantiam illam gratiæ & doni justitiæ recipiunt*, non minus *in vita regnent*, quam regnaturus fuisset Adam. Rom. v. 17.

XIII. Adde, ex *Christi* Domini *resurrectione nostram* quoque valide deduci. Quo argumento Jobus olim se consolatus est. Job. XIX. 25. Et Dominus Apostolos. Joh. XIV. 19. & Apostoli fideles cœteros. 1 Cor. VI. 14. & XV. 12. Quæ autem nexus ratio? Multiplex ea adsignari potest. I. Christus a mortuis resurgens *primitiæ eorum qui obdormiverunt* factus est. 1 Cor. XV. 20. Quemadmodum ergo primitiæ offerebantur Deo altera Paschatis Judaici feria, in spem, quin imo ad consecrationem mox insecuturæ messis, ita & Christus e sepulcro prodiens, & ut primitiæ dormientium coram facie Dei elevatus, suos omnes Deo consecravit, ut messis tempore ad eandem vitam resurgant. *Messis autem est consummatio seculi.* Mat. XIII. 39. II. Sicuti Adami peccatum caussa est mortis æternæ, quæ homini integro tam quoad corpus quam quoad animam incumbere debebat: ita etiam Christi justitiam caussam æternæ vitæ esse oportet homini integro, secundum Pauli illationem 1 Cor. XV. 21. 22. In resurrectione autem sua *justificatus* est Christus; 1 Tim. III. 16. data ei a Patre apocha, qua testabatur justitiæ suæ plenissime esse satisfactum. Unde cum Christi resurrectione nostram conjunctam esse necesse est. III. Christus resurgens, victorem se ac triumphatorem omnium hostium ostendit. *Surgente Deo disperguntur inimici ejus* Ps. LXVIII. 2. *Inimicorum omnium ultimus mors est*: eam ergo novissime destrui oportet: 1 Cor. XV. 26. ut quemadmodum vinculis ac doloribus

ribus suis retinere non potuit Christum qui caput est, ita hec retineat eos qui membra sunt corporis ipsius mystici. IV. Unio illa Christi & fidelium id infert ut Christus non plene se vivere existimet, si qui sui sunt non viverent secum. Iterum nos Apostolus huc ducit. Eph. I. 20. 22. 23. *Deus suscitavit Christum ex mortuis. Et constituit caput super omnia Ecclesiæ quæ est corpus ipsius, & complementum ejus qui omnia implet in omnibus.*

XIV. Non minus firmiter argumentamur ex *inhabitante* in fidelibus & *sanctificante Spiritu*: rursus Apostolo auctore. Rom. VIII. II. *Si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, is qui suscitavit Christum ex mortuis vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis.* Quæ ratio non uno modo urgeri potest. I. Per inhabitationem Spiritus *corpora* fidelium sanctificantur *in templum Dei*, I Cor. III. 16. & VI. 19. Ecquis autem credat, permissurum Spiritum æque potentem ac bonum, ut templum suum æternis obrutum maneat cineribus? Priori fano apud Hierosolymam destructo, aliud ædificari curabat Deus, majore præditum gloria. Hag. II. 10. Quid ni idem speremus de corporis nostri tabernaculis, quod destructa per mortem, reparaturus sit in gloria? II. Fortius stringet hoc argumentum si rite consideremus rationem sanctitatis illius, quam cum corporibus quoque fidelium Spiritus Sanctus communicat; quæ non σχετικὴ solum, sed & realis est, & elegantissimam Dei similitudinem importat. Templum Hierosolymitanum ita destructum esse, ut in æternum maneat ruderibus suis contumulatum, mirum adeo videri non debet. Sanctitas enim qua præsentia Dei parietes illius ædificii resperserat in eorum veluti superficie hærebat, & consistebat in simplici relatione ad sacrum usum. At sanctitas quam Spiritus Dei corporibus nostris inspirat, penetrat in affectus, facultates nostras permeat, nihil relinquit in membris nostris intactum, consistit in puritate aliqua quæ cum Spiritus ipsius ingenio consentit, & denique talis est ut unum quid cum ea facti esse videamur. *Naturam* enim *Divinam* Petrus nuncupat. 2 Pet. I. 4. Quapropter pati ille omnino nequit, ut talia numinis sui domicilia in æternum intereant. III. Adde, Spiritum inhabitantem & sanctificantem esse Spiritum illius qui Christum suscitavit ex mortuis: unde hæc nascitur illatio. Si participes estis Spiritus Dei, qui cum omni donorum suorum plenitudine in Christo veluti in fonte est; sicut Spiritus ille in Christo capite vestro resurrectionis caussa exstitit, tum per efficacitatem immensæ potentiæ suæ, & proprietatem, ut ita dicam, personalem, qua proxima vitæ caussa omnibus viventibus est; tum virtute sanctitatis, qua humanam Christi naturam exornavit, omnemque mortis caussam, proprium nimirum peccatum, ab ea removit, Ps. XVI. 10. Act. II. 24. ad eundem modum parilem in vobis producet effectum, tam potentia sua, quam

mediante sanctificatione vestri, quæ animæ resurrectio est; & quam non potest non consequi resurrectio corporis, quippe quod sanctificationis etiam fuit particeps, illiusque & sacra gessit signacula, & laudabilia edidit in hoc seculo opera.

Eadem surrectura sunt corpora, si substantiam spectes,

XV. Atque ita nunc satis nobis adstruxisse videmur resurrectionis veritatem. Pergamus inquirere *quid* resurrecturum sit & *quomodo*. Et nobis quidem ex scripturis indubitatum est, eadem quæ nunc habemus corpora resurrectura esse; eadem, inquam, substantia, sed diversis admodum prædita qualitatibus. Demonstremus utrumque.

XVI. EADEM nobis *corpora* reddenda esse arguit ipsa *resurrectionis vox*. Quid enim aliud est ἀνάστασις, nisi *Damasceno* finitore, δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις; Porro resurrectio non est *animæ*: quippe quæ non cecidit aut mortua est: non est *proxime* & immediate *hominis*; sed illius nostræ partis quæ nunc *caro* dicitur, id est, *corporis* quod nunc animale atque mortale est. Idcirco solum corpus πτῶμα dicitur, quia solum πίπτει. Sicuti & Paulum modo dicentem audivimus. Rom. VIII. II. *Vivificabit mortalia corpora vestra.*

XVII. Accedunt & alia diserta testimonia. Job. XIX. 26. 27. *Carne mea visurus sum Deum. Idem qui sum, ac non alienus visurus sum mihi, & oculi mei adspecturi.* Et Paulus testatur, idem *corpus quod satum est cum corruptione, & fœdum, & omnium virium expers, & animale*, suscitandum esse: & *illud ipsum corruptibile*, quod nunc circum gestamus. I. Cor. XV. 42. 43. 53. 54. & *corpus nostrum humile* Phil. III. 21. idem nimirum quod *jacuit in monumento.* Joh. V. 28.

XVIII. Specimen hujus rei editum est in iis quos Prophetæ, Christus, & Apostoli suscitarunt. Suntne illis corpora vel e nihilo creata, vel e cœlo deducta? an vero illa ipsa reddita quæ mors antea abstulerat? Mat. XXVII. 52. *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.* Atque hæc quid aliud sunt, nisi rudimenta quædam ac tentamenta rei, quam Deus olim in nobis perfectam daturus est?

XIX. Similitudo nostræ resurrectionis cum illa Christi idem probat. Nam *sicut gessimus imaginem terreni illius, geremus etiam imaginem cœlestis.* I. Cor. XV. 49. Quis dubitat, quin Christi resurrectio nostræ sit exemplar? Rom. VI. II. VIII. II. At certe Christus non aliud & adscititium corpus adsumsit aliunde, novumve e cœlo deductum sibi vindicavit: sed proprium suum corpus e monumento reduxit, quod cum impressis vulnerum notis, discipulis ostenderet, quoque in cœlum subveheretur. Joh. XX. 27.

XX. Christus *vivos* pariter & *mortuos* judicabit. Vivorum autem illorum quod nam futurum est corpus quo coram Christo comparebunt ad judicium? Utique ipsum illud quod eatenus circumtulerunt, sed Divina,

ut

ut Apostolus docet, virtute immutatum. 1. Cor. xv. 51. Quid ni ergo mortui pariter corpora sua resumturi sunt, ut omnium eadem sit conditio? Neque enim usquam Scriptura docet, potiorem fore conditionem eorum viventium, quam fidelium qui obdormierunt in Domino. Fingere, hominibus illis quos vivos dies ille Domini deprehendet, nova superinjectum iri corpora, ex locis superioribus miraculose delapsa, quæ tanquam indusia quædam propriis atque antiquis corporibus superinducant, ut eorum mortalitatem exurant, materiam universam absumant, & ipsa eorum loco hæreant; quid aliud est quam stolide & audacter, non enim ausim dicere suaviter, delirare?

XXI. Denique ipsa Divini *judicii* ratio atque *justitia* id exigit, ut iisdem numero corporibus, tam *vivi*, quam *mortui*, compareant. Actiones enim illæ super quibus judicandum est, non *corporis* seorsim, neque *animæ separatæ*, sed integræ censentur esse *personæ*, quæ corpore & anima constat. Ut ergo *eadem anima* se sistet in judicio, ita & *idem corpus*, ut de totius personæ actionibus pronuncietur. Aliter si fieret, magna quædam & indigna Deo perturbatio esset, tam in distributione *pœnarum* quam in *præmiorum* remuneratione. Nam *pœnas* quod spectat; corpora quæ peccatis serviverunt in pulverem morte soluta non punirentur pro merito: quum pœna non consistat in mero non esse, sed cruciatibus æternis in ignis ac sulphuris stagno. Corpora vero aliunde adventitia, & nihil mali promerita, impiis animabus sociata, earum supplicia & cruciatus admodum injuste & inclementer participarent. Et in *præmiis* quidem eadem esset ἀταξία. Ea enim corpora quæ animæ in jejuniis, precibus, divinis laudibus, aliisque pietatis exercitiis ministraverunt, quorum membra se stiterunt arma justitiæ, quæ incredibiles aliquando cruciatus Christi ac religionis caussa obiverunt, sine remuneratione ulla vel ad nihilum redacta forent, vel in elementa sua dissipata, & in eodem denique statu, quo corpora impiorum. Alia vero corpora justitiæ corona donarentur, quæ neque fidei, neque ullis sanctimoniæ exercitiis, nec perpessionum pro Christo susceptarum lubentia, se Deo commendassent. Quæ a Dei justitia, & perpetua scripturæ doctrina perquam aliena sunt. 2 Cor. IV. 10. *Quolibet tempore mortificationem Domini Jesu in corpore circumferimus, ut etiam vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat.* Conf. 2 Thes. 1. 4. 5. 6. Et sane prolixam disputationem de resurrectione mortuorum quum concluderet Apostolus adhortatione ad firmitatem & constantiam & abundantiam in opere Domini omni tempore, hanc suæ adhortationis subjungit rationem, quod *labor ipsorum non sit futurus inanis in Domino.* 1. Cor. xv. 58. Prorsus autem inanis respectu corporum foret, si illis in pulvere ac putrefactione remanentibus, alia in eorum formarentur locum, alieno labore parta remuneratione fruitura.

Frustra enim obtenditur feritas ἀνθρωποφάγων & ἀλληλοφάγων.

XXII. Non dissimulo haut contemnendam difficultatem subnasci ex feritate eorum qui humanis pasti carnibus partem earum in suam transmutarunt substantiam? Quomodo enim eadem caro, diversorum hominum facta, in diversis resurgere, in his puniri, in illis coronari potest? Quid fiet devorata illa carne? Cujus in resurrectione erit? An devorantis, cujus fuit novissime? Atqui tum devoratum ea sui parte mutilum esse necesse est; quæ pœnas subibit hominibus crudelibus ac truculentis debitas. An devorato postliminii jure reddetur? At tum devorantem carnis suæ parte multari continget; quæ quum male cruciari digna esset, in alio fortassis glorificabitur.

XXIII. Verum enimvero præpostera hæc nimiumque curiosa subtilitas est: cui tamen retundendæ non desunt nobis pro Deo argumenta. Et quamvis nihil admodum responsionis inveniremus, æquumne est, ut ex ratione nostra exili illa, febriculosa, multis involuta tenebris, multis inquinata vitiis, Dei sapientiam, potentiam, constantiam in promissis, & providentiam admirabilem, atque in quantisvis difficultatibus solvendis incredibilem dexteritatem, metiamur ac ponderemus? Indignas profecto de Deo cogitationes fovet, qui animum inducit nihil ei credere, nisi quod suæ ipse mentis acie pervestigare & quoad omnem illius modum rationemque prosequi valeat. Quod tamen non ea de caussa a nobis dicitur, quia nihil aliud dicendum suppetit: sed quia utile est rationi adversus Deum responsanti iterum illud iterumque inculcari, nihil æquius esse quam ut in Divinorum mysteriorum meditatione, seposito omni γογγυσμῷ, edomari se ad obsequium fidei patiatur.

XXIV. Ut ergo ad rem ipsam accedamus propius: observamus primo, non esse necessarium ad corporis ταυτότητα, ut iisdem omnino constet partibus quibus constitit olim. Non enim si quid materiæ desit, idem corpus esse desinit. Quis audivit unquam, antropophagos universum hominis corpus devorasse? Fac tamen devorasse universam, quantula pars comesi in comedentis facessit substantiam? Quantum est quod per sudores humoresque alios, quod per crassiora retrimenta, vel insensibilem etiam transpirationem, excernitur? Qua de re Physici audiri possunt & Medici. Quæ igitur restant non devorata, aut quæ jam devorata in devorantis non transierunt substantiam; immensæ Dei sapientiæ ac potentiæ sufficiunt, ut ex iis demortui hominis corpus resuscitet. Quod non idcirco non erit idem, quia millesima forsan illius particula antropophagi alicujus erit.

XXV. Si urgeas, in illa saltem particula remuneranda Dei laborare bonitatem sive justitiam: tantæne, inquam ego, nunc te postulas accurationis esse, ut quum modo pugnares, nihil Deum a virtutibus suis alienum facere, si in demortuorum corporum locum alia prorsus ad

præ-

præmium pœnamve formet, nunc de tantilla particula solicitum te esse oporteat? Quid? satiusne, aut credibilius etiam arbitraris, partem eam hominis essentialem, quæ in corpore sita est, universam privari sua gloria, alterumque corpus in vacuam possessionem succedere, quam si aliquid ex ea, idque valde exiguum, intereat, reliqua ejus mole ad immortalitatem traducta?

XXVI. Verum ne in hac quidem particula nimis te laborare velim. An difficile censes omnipotenti Deo eam primo justoque possessori vindicatam restituere? alteri autem reddere id, quod, paullo ante quam hæc sibi adjungeretur, quomodocunque detritum erat? Auguste *Augustinus*, *De Civit. Dei. Lib.* XXII. *Cap.* XX, *Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuo sumta deputanda est: quæ, sicuti æs alienum, ei redhibenda est, unde sumta est: sua vero illi, quam fames exinaniverat, ab eo qui potest exhalata revocare, reddetur.*

XXVII. Et quid demum nos cogit credere, particulam aliquam comesi corporis humani in comedentis transire substantiam, aut, si transiverit, substantiæ illi, donec vivat ἀνθρωποφάγος, adjunctam manere? neque enim ullum unquam repertum esse hominem existimem, qui solis humanis victitaverit carnibus. Quid ni efficere queat, imo vero reipsa efficiat, Divina Providentia, quæ omnia ad fines sibi propositos disponit suaviter, ut comesa hominis caro, adde & concocta variis modis, excernatur, ne polyphemis illis adcrescat? aut, etiamsi adcreverit, tabe, labore, inedia, aliove modo in auras absumatur, & ab iniquis emancipata possessoribus, suscitando corpori, in manu omniscii & omnipotentis Dei, reservetur? Quibus rite expensis, omnem illum qui ab ἀνθρωποφαγίᾳ & ἀλληλοφαγίᾳ nectitur difficultatis nodum commodo solutum arbitror.

XXVIII. Attamen quæ corpora *substantia eadem* futura sunt cum pridem mortuis, ea post suscitationem *qualitatibus diversissimis* erunt prædita. Et *impios* quidem quod attinet (nam & hos suscitandos esse mox docebimus) eorum corpora ita erunt disposita, ut sine cibo somno, aliisque ad hanc vitam animalem pertinentibus, ferendis inferorum tormentis in æternum sufficiant. In hoc seculo humana corpora ad eum modum comparata sunt, ut ex mœrore somnus, ex somno refectio quædam oriatur; ut dolor nimis intensus sensus acumen frangat, aut animi quandoque deliquium inducat, in quo quædam quasi doloris induciæ sunt; & si vehementissimus sit diuturnus esse non possit, quum in morte inveniat finem. Sed in futuro seculo impiorum corpora ad intensissimos cruciatus ita erunt obdurata, ut sine doloris intermissione, sine sensus remissione, Divinæ excandescentiæ flammis æternum ardeant,

Sed diversissimis erunt prædita qualitatibus.

nunquam in cinerem redigenda. Hoc est quod Christus dicit Mat. x. 28. *Deum non animam tantum, sed & corpus posse perdere in gehenna.*

XXIX. Cæterum in ea mutatione describenda quæ *fidelium* corporibus accidet, copiosior scriptura est. 1. Cor. xv. 42. 43. 44. *Ita est resurrectio mortuorum: seritur corpus cum corruptione;* id quod in terram cadit olim de novo proditurum, antequam concidat fluxum est, perpetuæ partium sensibilium detritioni, insensibilium evaporationi obnoxium, ut non magis eundem hominem videre ac tangere bis possis, quam in eundem fluvium bis descendere, uti eleganter ab *Heraclito* dictum est: deinde postquam seminatum est computrescit, & in pulverem dissolvitur. *Suscitatur cum incorruptione:* quum recolligitur prodit non fluxum, non labascens, non vitium faciens. *Seritur fœdum;* Nam & vivum sua laboravit vilitate, nausea, putore; & mortuum ipsis etiam amicissimis horrori est. *Suscitatur cum gloria:* quæ omnem in sese amabilitatis, decoris, majestatisque copiam comprehendit. *Seritur omnium virium expers.* Nihil post mortem habet, quo se in isto partium suarum situ conservet; non est idoneum animæ habitaculum; nulla ejus pars organi usum habet. *Suscitatur potens:* adeo ut in gloriosissimis beatæ vitæ functionibus promtum consummatumque obsequium, sine ulla defatigatione, animæ exhibeat. *Seritur corpus animale:* cujus status accommodatus fuit vitæ præsenti, quod cibo, potu, somno ad sui sustentationem indiguit; quod liberis procreandis operam dedit, & quæ plura huc pertinent: uno verbo, quod animam vegetabilem vivendi principium & caussam habuit. *Suscitatur corpus spirituale:* id non significat, ut Sociniani nugantur, *subtile, flexile, agile, tenuissimos quosque meatus penetrans, instar aëris aut venti, aut potius instar spiritus Chymicorum.* Sed *corpus spirituale* dicitur, quod nulla re ad vitam hujus seculi pertinente indignum, non cibo, non somno, non aëre ad respirationem, Spiritum Sanctum vitæ suæ fontem habebit, quo ad functiones statui coelesti convenientes, & obsequia animæ pro exigentia istius status præstanda, vivificetur.

XXX. Hinc lux adfulget alteri illi *ρήσει* Apostolica. 1. Cor. vi. 13. 14. *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & illas abolebit: quando is qui Dominum suscitavit, & nos suscitabit potentia sua.* Cibi ad hoc creati, destinati, dati sunt homini in hoc seculo, ut ventrem impleant; venter ad id destinatus & aptus natus est, ut cibos recipiat. *Cibos & ventrem abolebit Deus,* si *singulos* homines spectes, in eorum *morte*; sin *universos*, *ultimo die.* Nam ab illo tempore non erunt cibi ulli. Non erit etiam venter, nimirum ad recipiendos cibos. Cibi ventrisque mutua relatio cessabit. Non quidem carebunt suscitatorum corpora ista sui parte; sed pars ista carebit illo usu. Nam is qui Dominum suscitavit, ad vitam coele-

cœlestem,' & nos exsuscitabit ad vitam consimilem, ut *corpus* nostrum *Domino* sit, ad inhabitationem perpetuam atque gloriosam.

XXXI. Ea enim corporis nostri immutatio gloriosa ex communione Christi & Spiritus ejus oritur. *Ita etiam scriptum est: Factus est prior homo Adamus*, cæterorum caput naturale & fœderale, *anima vivens*; præstantissimum quod in se habuit, fuit anima, vitæ animalis fons. *Posterior Adamus*, Christus, stirps servandorum, *spiritus vivificus*, ea conditione conceptus & natus, ut *homo* quidem esset, sed & insimul *spiritus*, vivificandi vim habens, qua & se ipsum, ad generis humani salutem mortuum, & suos ex mortuis excitare possit. *Primus homo e terra*, inde formatus, ibi creatus, ibi exstitit. *Pulvereus*, e pulvere factus in pulverem redire potuit. *Secundus homo, ipse Dominus e cœlo.* E cœlo venit, per demonstrationem specialis suæ præsentiæ in formatione & inhabitatione corporis humani; ideoque vitæ suæ Dominus est: qui semel quidem mori potuit, deinceps mori non potest. *Qualis pulvereus ille, tales & pulverei sunt*: propter communionem naturalem & fœderalem, quam posteri cum primo parente habent. Finge animo Adamum cum posteris non peccasse; nemo certe mortuus esset; at habuissent tamen in se, remotæ saltem, mortalitatis principia, quorum vim una Dei providentia cohibuisset, novas continuo vires suppeditando, omnesque casus propulsando qui vitam hominibus eripere potuissent. Postquam vero peccavit, omnes ejusdem criminis reatu impliciti, eidem quoque mortis necessitate obnoxii sunt. *Et qualis cœlestis ille, tales & cœlestes.* Propter communionem gratiæ & spiritus cum Christo, ad quam non solum animæ nostræ verum etiam corpora admissa sunt, quemadmodum ipse semel mortuus vivit in æternum, ita etiam corporibus nostris e morte suscitatis ea vis adflabitur, ut non ex providentiæ cura extrinseca, sed insita vi, se defendant adversus mortem. *Et sicut gessimus imaginem terreni, geremus etiam imaginem cœlestis.* Omnino enim Christi, capitis nostri, dignitas id flagitat, ut longe vividiorem & gloriosiorem membris suis vitam infundat, quam quæ ab Adamo posteris ipsius communicare potuit. 1. Cor. XV. 45. 47. 48. 49.

XXXII. Sed & rationem suggerit Apostolus, ob quam tantam corporis nostri immutationem fieri necesse sit. vers. 50. *Quia caro & sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi.* Ubi *caro & sanguis* non significant naturam humanam quatenus per peccatum corrupta est: sed ipsam corporis nostri substantiam, cum iis vitæ animalis infirmitatibus quæ eam hic consequuntur. Frequens hic Hebraismus est, non quidem apud Prophetas, sed apud Rabbinos: qui *carnem & sanguinem* vocant *nudum hominem; Qualia nunc hominum producit corpora tellus.* Nec credibile est, Christum atque Apostolos alio significatu vocibus usos esse,

 quam

quam intelligi a popularibus solebant. Accedit & ipse scripturæ sacræ consensus. Nam, ut judiciose a Gomaro, Cappello, aliisque viris eruditissimis observatum est, nusquam *morali*, semper *physico* significatu ea phrasis usurpatur. Vide Heb. II. 14. Mat. XVI. 17. Eph. VI. 12. Gal. I. 16. Nec alibi, si nostrum hunc locum addideris, inveniri existimo. At quicquid alibi significet, hic certe præter id quod diximus significare nihil potest. Non enim hic agitur de vitiis animi, sed de conditione corporum. Atque ipse id ita exponit Apostolus: subjungens, *neque corruptio hæreditatem incorruptibilitatis consequetur*. Summa huc redit: corpora nostra, qualia nunc sunt, animalia, mortalia, corruptibilia, idonea non esse ad vitam illam cœlestem qua Deus pios beare constituit: partim quia non sufficiunt ferendæ tantæ beatitudinis moli, partim quia status ille naturæ, naturalibus infirmitatibus obnoxius, & cœli habitatio, tam latis finibus disterminantur, ut una consistere non possint. Ne ergo quidquam decedat illi felicitati, quam suis destinavit Deus, voluit corpora nostra immutari, respectu qualitatum illarum, quarum nomine σάρξ καὶ αἷμα vocantur.

XXXIII. Quomodo ergo fiet σαρκὸς ἀνάστασις? Si carnem pro ipsa corporis nostri *substantia* sumas, dudum diximus idem corpus surrecturum esse: hoc sensu Jobus professus est se *carne sua visurum esse Deum*. Job. XIX. 26. Sin una intelligas infirmitates vitæ hujus animalis, eodem modo fiet *resurrectio carnis*, quomodo *resurrectio mortuorum*. Ut enim mortui dicuntur resuscitandi, qui nunc mortui sunt, non qui mortui erunt post resurrectionem, sic resurgent ii qui caro fuerunt ante mortem, non qui caro futuri sunt postquam erunt ad vitam revocati. Hac mente commorationem Christi in hoc seculo, in oppositione vitæ cœlestis qua nunc potitur, *dies carnis ejus* nuncupat Apostolus. Heb. V. 7.

Resurrectio omnium erit, & piorum & impiorum.

XXXIV. At QUINAM tandem resurrectionis futuri sunt compotes? *Judæorum* aliquot doctores pios solos suscitatum iri disputant, impios autem prorsus exspirare & æternis tenebris obrui, nunquam revicturos. *Socinus* idem tuetur, sed tecte, veritus sententiæ istius invidiam, & orituram inde offensionem: ideoque versipellis iste serpens ita suis se sophismatis involvit, *ut lector prius sentiat doctrinam illam sibi persuasam esse, quam suaderi animadvertat*. Discipuli ejus, in *Doctrinæ* suæ *Compendiolo*. Cap. VIII. §. I. γυμνῇ κεφαλῇ hæresin illam profiteri non verentur: uti & in *Tractatu de statu mortuorum*, desumto ex *actis Colloquii Racoviensis A. MDCVII. Volkelius*, *Schlichtingius*, aliique ex ista schola, ad saniorem mentem rediisse videntur. Quidquid autem alii vel negent, vel dubitent, nobis tam certum est, quam quod certissimum, *universalem* fore omnium omnino mortuorum resurrectionem, tam *impiorum*, quam *piorum*, ut quod suis condignum est factis singuli,

tam

tam corpore, quam anima, reportent. Non lubet nunc nimia diligentia congerere quidquid de hac re scriptura habet: potissima solum testimonia vindicabimus.

XXXV. Et primo quidem illum Domini sermonem expendamus qui exstat Joh. v. 28. 29. *Ne hoc miramini; nam veniet hora qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus: & prodibunt qui bona fecerint in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerint, in resurrectionem condemnationis.* Observa I. Agi hic de *resurrectione corporis.* Quod probatur A. Ex *connexione.* Postquam enim vers. 25. adscripsisset sibi Dominus suscitationem spiritualiter mortuorum ad vitam spiritualem, transit ad suscitationem corporum, ut ex uno διεγγέρματι καὶ θαυματεργήματι probet alterum. De diversa re eum hic sermonem ordiri, evincit illud *Ne hoc miramini:* q. d. plura ex me, & de me, ac majora audietis. Non mentes solum hominum ad meliorem vitam traducere valeo per Evangelii mei præconium, sed & corpora aliquando ex pulvere erigam omnipotenti meo jussu. B. Ex *conjunctione cum universali judicio* vers. 27. quod resurrectionem corporum mox insequetur. C. Ex *temporis* προσδιορισμῷ. Dixerat vers. 25. *Venit hora, & nunc est:* quia resurrectio illa spiritualis eopse tempore sua habebat initia. Hic autem simpliciter dicit, *venit hora*: nimirum in consummatione seculi: nec addit, eam jam tum adesse. D. Ex *descriptione subjecti*: *qui in monumentis sunt.* Qua phrasi spiritualiter mortuos denotari nullo ostenditur scripturæ testimonio. Observa II. Per *vocem filii hominis* hic non intelligi Evangelii præconium, sed efficax & omnipotens Christi Domini mandatum, de quo Mat. xxiv. 31. 1 Thes. iv. 16. De illa enim hic voce sermo est, quæ omnibus audientibus vitam dat, facitque eos prodire e monumentis, sed exitu diversissimo. Id autem neque de ea auditione Evangelii verum est, quæ solius corporis auribus præstatur, neque de ea quæ cum fidei obsequio conjuncta est. Nam & multi eorum quorum aures ferit Evangelii sonus in morte ignorantiæ, errorum & peccatis manent; & nullos eorum qui Evangelium vera ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας suscipiunt in resurrectionem condemnationis venire consentaneum est. Observa III. Resurrectionem hic describi *universalem,* quæ sit *omnium in monumentis jacentium,* sive Judæi fuerint, sive Barbari, sive Scythæ, cujuscunque conditionis, & ætatis; sive ante Christum natum vixerint, sive post; & quocunque demum mortis genere interierint. Nihil enim horum est, quod non ista universalitatis nota includatur. *Et reddet mare mortuos quos habet; & Mors & Infernus reddent mortuos quos habent; & judicabitur de singulis secundum opera eorum.* Ap. xx. 12. Observa IV. Resurrectionem illam universalem discriminari contrario eventu. Ut enim eorum qui e sepulcris prodeunt duo sunt genera quorum alii fecerunt bona, alii egerunt mala; ita hi prodibunt in *resurrectionem condemnationis,* illi *in resurrectionem vitæ.*

XXXVI. Hic se convictos faterentur adversarii, nisi semel animum induxissent obniti veritati, quantumvis se clara luce ingerat. Vide ergo quid comminiscantur. *Monumenta* dicunt esse *ignorantiam*, & *conditionem omnium deploratissimam. Prodire e monumentis, ex parte Dei exeundi licentiam habere. Bona & mala facere* non de iis exponunt factis quae *auditionem* istam vocis Filii Dei, & *egressionem* e monumentis *antecesserunt*, sed quae *consequuntur*. Et quod de malis dicit Dominus ita παραφράζουσι. *Qui mala egerint scilicet egressi e monumentis, ex parte Dei liberati illa ignorantia, & miserrima conditione, per annuntiationem spei vitae aeternae & immortalitatis; procedent in resurrectionem judicii, hoc est, liberabuntur & illi quidem, quatenus liberari potuerunt: sed tamen quia Evangelio non paruerunt, cedet hoc illis in extremam perniciem.*

XXXVII. Sed profecto hoc est scripturas ridere ac pervertere, non interpretari. Nam I. Quo exemplo probant, quod *monumenta* significent *ignorantiam*, & *conditionem animae* in hac vita *deploratissimam?* Ἐν μνημείῳ εἶναι, est corpore conditum esse sepulcro. Joh. XI. 17. Mat XXVII. 62. & alibi passim. Conf. Ps. LXXXVIII. 6. *Inter mortuos semotus, sicut confossi* שכבי קבר *jacentes in sepulcro.* Longe aliud est ἐκπορεύεσθαι, aliud *ex parte Dei licentiam exeundi habere.* Distincte in textu proponuntur, ea quae Filii Dei, & ea quae hominum sunt. Filius Dei veniet ἐν κελεύσματι, ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου καὶ ἐν σάλπιγγι Θεοῦ. Ea vox non dabit solum *exeundi licentiam:* sed ad eam vocem quicquid est mortuorum de facto *prodibit.* Omnes eam *audient*; vim ejus ad vitam revocantem, ea efficacitate cui resisti non potest, in se experientur. Omnes etiam ἐκπορεύσονται, *prodibunt*, sive pii fuerint, sive impii. Idem actus adscribitur utrisque. Quid? an hi qui bona egerunt, solum ex parte Dei exeundi habent licentiam? nihil ne praeterea? nonne ipso facto exeunt? Quis ergo tibi eam potestatem fecit, ut quod uno verbo de utrisque indistincte dicit Dominus, tu tam diversa interpretatione in alia omnia torqueas, III. Si *monumenta* significent, ut tu vis, *conditionem animae deploratissimam*, & *prodire ex monumentis*, ut nos demonstravimus, non de *licentia concessa* a parte Dei, sed de *actu hominis* ad Dei jussum prodeuntis, intelligendum sit, quo pacto concipi potest, ut liberatio ex conditione ista deplorata sit ad *resurrectionem condemnationis?* Si *post illam liberationem*, inquis, *male egerit.* Verum, inquam ego, qui ex morte spirituali suscitatus est, is non peccat iterum ut aeternum moriatur. 1 Joh. III. 9. Et *qui sermonem Christi audit*, audiensque ex morte prodit, *is habet vitam aeternam*, & *in condemnationem non veniet.* Joh. V. 24. IV. Obtestor quemvis Graecae linguae vel mediocriter gnarum, sicubi legerit, ἐκπορεύσονται οἱ ποιήσαντες, annon ita sit interpretaturus ut ἡ ποίησις τὴν ἐκπόρευσιν praecedat? prorsus sicut vers. 25. οἱ ἀκούσαντες ζήσονται. Ubi auditio sine

ſine dubio antecedit vitam. Quod autem aoriſton dictent ſemper ſignificare tempus verborum quibuſcum junctus eſt, adeo ab omni re Grammatica, & recte loquentium uſu alienum eſt, ut nihil ſupra. Videantur quæ eam in rem adnotavit *Becmann. Exerc. Theolog:* VI. *ad Joh.* VIII. 18.

XXXVIII. Adjungamus Dan. XII. 2. *Et multi ex dormientibus in terra pulveris expergiſcentur, hi ad vitam æternam, illi ad opprobria & contemtum æternum.* Religio nobis eſt aliter hunc locum quam de corporum reſurrectione interpretari. I. Propter exactam *convenientiam* horum verborum *cum iis Domini* quæ modo expoſuimus, excepta unica voce *multi*, pro qua Dominus *omnes* dixit. Qua de re mox ſumus acturi. II. Propter *nexum* cum antecedentibus. Commate primo promittitur Michaelem principem magnum, id eſt Chriſtum Patri ἰσόδοξον, Angelorum Dominum, Eccleſiæ Regem, ſtaturum pro filiis populi Danielis, id eſt reſiduis ex gente Judaica. Quibus poſt ſævam illam Antiochi perſecutionem iterum accidet *tempus anguſtiæ, qualis non extiterit ex quo fuit gens uſque ad tempus iſtud.* Quod Dominus diſerte exponit de tempore excidii Hieroſolymitani per Romanos. Mat. XXIV. 21. Attamen, inquit Deus, *tempore illo eripietur populus tuus.* Non peribunt omnes, propter electos decurtabuntur dies iſti. *Adhuc decimæ erunt in terra.* Jeſ. VI. 13. Remanebit reſiduum aliquid ad ſemen. Et inſigniter ſalvabuntur כל הנמצא כתוב בספר *quicunque inventi fuerint ſcripti in libro*, quos Deus in teſtamento gratiæ æternæ vitæ hæredes immutabili decreto ſcripſit. Ne quis vero Michaelis gratiam ad viventes ſolum pertinere exiſtimet, mox ſubjungitur, mortuos quoque illius virtute ſuſcitandos eſſe. III. Huc enim omnia nos *textus verba* ducunt; *dormire in terra pulveris*, mortuorum eſt: qui dicuntur *dormire dormitione mortis.* Pſ. XIII. 4. *dormire ſomno perpetuo, nec expergiſci.* Jer. LI. 39. 57. & *dormire in pulvere.* Job. VII. 7. Unde etiam ſepulcra κοιμητήρια nuncupari conſueverunt. Et *expergiſci* ex iſto ſomno, quid aliud eſſe poteſt, quam in vitam reſtitui; Ita ſane uſurpatur Job. XIV. 12. *Ita quum vir occubuit, non reſurgit uſquedum erunt cœli: non excitabuntur, neque expergiſcentur e ſomno ſuo.* Negat quenquam e mortuis reverſurum ad functiones vitæ animalis in hoc ſeculo. Conf. 2 Reg. IV. 31. Pſ. XVII. 15. IV. eodem & *conſequentiæ* aurigantur. Nam tertio commate glorioſus reſuſcitatorum ſtatus deſcribitur. *Et erudientes ſplendebunt quaſi ſplendore expanſi, & juſtificantes multos ut ſtellæ, in ſempiterna ſecula.* Omnino confligi hoc vaticinium debet cum Mat. XIII. 43. & 1 Cor. XV. 40. 41. 42. ubi ex profeſſo de reſuſcitatorum ex mortuis gloria agitur, eaque eadem ſimilitudine exponitur.

XXXIX. Non debet nobis ſcrupulum injicere, quod uſus ſit Deus non univerſalitatis nota *omnes* ſed particularitatis רבים *multi*, & quidem

dem

dem מישני *e dormientibus*. Ne enim nunc respondeam, quod post Augustinum responderunt plurimi, vocem *multi* aliquando æquipollere universali *omnes*, in quam rem proferri solet Rom. v. 19. dico ego, quod *multi ex dormientibus* significent immensam illam hominum multitudinem quæ ex meris defunctis constat: quam multitudinem ita in duas classes partitur Deus, ut innuat nihil restare quod ad alterutram referri non debeat. Nam quo pacto hic distribuit Deus mortuorum multitudinem, eodem pacto distribuit Christus eorundem τὸ πᾶν.

XL. Porro, quod ad nostrum nunc institutum facit, resuscitationis duplex hic signatur terminus. *Evigilabunt, illi quidem ad vitam æternam, sed alii ad opprobria & contemtum æternum.* Quod non potest commode exponi de Politiæ & Ecclesiæ Judaicæ restitutione post afflictiones Antiochi. Nam vivente Antiocho transgressores & impii non dormiverunt in pulvere, sed vixerunt & floruerunt, in honore ac pretio habiti. Ideoque mortuo Antiocho non sunt suscitati ex pulvere, sed potius civiliter & Ecclesiastice mortui: quippe qui, ut hactenus bene Grotius, fuerunt alii in נדוי, alii in חרם. Tum etiam qui ob religionis cultum diu extorres ad sua tandem rediere, quo pacto illi evigilasse dicuntur *ad vitam æternam?* Nam cum Porphyrio & Grotio de vita longa & felici in terra Canaan id exponere, dilutum est, longeque infra verborum majestatem subsidit.

XLI. Adstipulatur hic nobis *Josephus Jacchiades*, qui comma nostrum ita παραφράζει. ואז יתחדש מופת תחיית מתים: *Et tunc fiet miraculum resurrectionis mortuorum: nam multi dormientium in terra pulverulenta expergiscentur, hi ad vitam æternam, qui sunt sancti; illi vero ad opprobria & detestationem æternam, qui sunt impii. Quorum resurrectionis caussa est, ut impii fateantur palam, suam fidem esse falsam, & eos qui ipsis fidem habuerint, prosecutos fuisse vanitatem atque evanuisse, ipsique agnoscant suos majores falsitatem possedisse.* Itemque *Menasse Ben Israël de resurr. mort. Lib.* II. *Cap.* VIII. impios resuscitatum iri probat, quia apud Danielem dicitur, *Multi ex dormientibus* &c. *Quod si illi multi*, inquit, *soli justi forent, pauci profecto essent; nam tales haut ita multi inveniuntur. Quid quod statim addatur; alii in opprobrium &c., quod equidem de malis, & de impiis dicitur.*

XLII. Verum totam hanc, si quæ Christianos inter esse possit, litem Apostolus terminavit Act. XXIV. 15. *Spem habeo in Deo: fore quam etiam ipsi exspectant resurrectionem mortuorum, tum justorum, tum injustorum.* Potuit ne quidquam in hanc rem dici, quod clarius est aut magis peremtorium? Potuit, inquiunt. Ita enim exponi Apostoli verba *possunt*, ut nihil ad eam controversiam faciant: nec possunt solum, sed & *debent*. *Possunt:* quia per *justos* intelligere est eos, qui plerumque in omni

omni vita juste vixerunt, & nunquam antea quidquam mali consulto & deliberata voluntate fecerunt: ut verbi gratia Johannes Baptista illiusque parentes: per *injustos* autem, eos qui tota vita impie vixerunt, tandem vero conversi sunt, ut publicanus ille & latro in cruce. Qua figura Apostolus se aliosque sui similes *injustos* nominat, etiamsi jam justi essent. vid. 1. Tim. I. 15. Rom. IV. 5. 1. Pet. III. 18. Matt. XXII. 15. *Debent.* I. Quia de ea hic resurrectione agitur cujus *spem* se habere dicebat Apostolus. Quis vero non videt non posse de ullo fidelium dici, eum spem habere resurrectionis impiorum? II. Quia Apostolus eandem se habere spem profitetur cum illa veterum *Hebræorum*: eos autem impiorum resurrectionem non credidisse colligi satis potest ex illo antiquorum dicterio, quod *R. Saadias Gaon*, & *R. Moses Cerundensis* aliique laudarunt. גבורת נשמים לצדיקים ולרשעים אבל תחיית המתים לצדיקים בלבד; *Virtus pluviarum communis est probis & improbis; sed resurrectio mortuorum eorum duntaxat bonum est qui probe vixerunt.*

XLIII. Non erit nobis magnus labor torsiones illas ipsa veritatis evidentia refellere. Nusquam invenimus in sacris monstrosam, quam illi fingunt, distributionem *fidelium Christianorum* in *justos* & *injustos*. Scriptura in ista ἀντιθέσει non fideles fidelibus unquam opponit; sed fidelibus impios. Sic opponuntur Matt. VI. 45. πονηροὶ καὶ ἀγαθοὶ, δίκαιοι καὶ ἄδικοι. 1. Cor. VI. 1. οἱ ἄδικοι καὶ ἅγιοι. 2. Pet. II. 9. εὐσεβεῖς καὶ ἄδικοι. Ps. I. 6. צדיקים & רשעים. Quemadmodum & in modo allegato de pluvia & resurrectione adagio, & apud Hebræos scriptores passim. Non diffitemur, extra illam antithesin, *fideles* respectu conditionis antegressæ, *injustos* & *impios* dici. Verum ista non est unius aut alterius nomenclatura, seu publicani, seu latronis in cruce, qui eo nomine ab aliis distinguatur: sed communis est universim omnium fidelium, quorum omnium in prima justificatione οὐκ ἔστι δίκαιος, οὐδὲ εἷς. Rom. III. 10.

XLIV. Objectum *spei* Paulinæ fuit universalis omnium resurrectio, in qua se beatam suam portionem obtenturum certus erat. Prorsus quemadmodum Christiani omnes sperant adventum Christi ad judicium, quo & piis & impiis secundum facta sua retribuetur. Quid obstat etiam quo minus Christiani sperent resurrectionem impiorum? Non quod ullorum hominum incommodis malisve delectentur: sed quod non possint non applaudere demonstrationi Divinæ gloriæ in justis poenis improborum. Conf. Ps. LII. 9. Ap. XVI. 5. 7.

XLV. Antiquorum Hebræorum fides ex propheticis scriptis, non ex Talmudicorum doctorum nugamentis discenda est. Sed & horum sapientissimi nobis suffragantur. Quod *Menasse*, qui & ipse Hebræus est,

noſtram vicem probet. Ita ille: *In Ros a Sana etiam aliquid dicitur quod ad confirmationem hujus ſententiæ facit. Ita enim verba ſonant: Tria genera hominum comparebunt in die judicii, unum eorum qui perfecte juſte fuerunt,* צריקים גמורים *id eſt, quorum merita plura ſunt quam demerita, alterum peſſimorum,* רשעים גמורים, *quorum demerita plura ſunt quam merita; tertium* בנוניים *eorum qui inter hos duos medii ſunt, quorum merita ac demerita ſunt paria. Si itaque dies judicii conjunctus erit reſurrectioni mortuorum, ac tum tria iſta genera hominum judicanda ſunt; neceſſe ſane eſt ut cujuſvis generis homines reſurgant. Item in Pirke R. Eliezer.* כל המתים עולים בתחיית המתים חוץ מדור המבול. *Omnes defuncti reſurgent die reſurrectionis mortuorum, excepta generatione diluvii.* In eo quidem illos erraviſſe patet, quod aliquos excluſerint reſurrectione. Sed hactenus ſenſerunt cum Apoſtolo, reſurrectionem etiam futuram eſſe improborum. Eam autem, quam, ſuperius adduximus, de pluvia ῥῆσιν in hunc modum exponit Manaſſes, ut docere voluerit auctor, quæ differentia futura ſit inter pluviam & reſurrectionem, quum illa quidem probis & improbis æque proſit, nec magis piorum quam impiorum agros irriget; hæc vero haut æque utilis improbis & intermediis atque juſtis, ſed malis graviſſimum incommodum adferat.

XLVI. Fruſtra nobis illa objiciuntur loca, in quibus reſurrectio ut privilegium juſtorum ac fidelium Chriſtianorum deſcribitur. Qualia exſtant Luc. XIV. 15. XX. 36. 1 Cor. XV. 23. Phil. III. 11. Joh. VI. 39. 40. 44. 47. 1 Theſ. IV. 14. Quum enim Dominus Jeſus docuerit nos diſtinctionem facere inter ἀνάστασιν ζωῆς ἀνάστασιν κρίσεως, clarum eſt de illa ſola iis locis agi, quibus exponitur fidelium conſolatio in beata ad vitam æternam reſurrectione: in quo conſolationis verbo impiis nec ſors nec pars eſt.

Idque uno eodemque tempore

XLVII. Nunc *quarto* nobis loco inquirendum, utrum univerſalis illa omnium reſurrectio *uno eodemque ſit futura tempore;* an vero *impiorum* reſuſcitationem *mille annis* anteverſura ſit reſurrectio *fidelium*, ſive *omnium*, ſive *præcipuorum* aliquot, & imprimis *confeſſorum* atque *martyrum*. Ad cujus quæſtionis elucidationem, ſi totum, uti par eſt, ſcripturarum tenorem attendamus, vix eſt ut poſſimus dubitare, quin univerſalis reſurrectio unius ſit futura temporis. Chriſtus unam deſignat *horam*, qua tam pii quam impii in monumentis vocem ſuam vivificantem exauditurі ſunt. Joh. v. 28.

XLVIII. Fidelibus etiam ſuſcitationem pollicitus non eſt ante noviſſimum diem. *Hæc eſt voluntas patris ut* QUICQUID *mihi dederit ſuſcitem illud* IN ULTIMO ILLO DIE. Joh. VI. 39. 40. 54. Ubi notanda curate eſt univerſalitatis nota, cum iterata temporis ejuſdem προσδιορισμῷ.

Paulus

Paulus similiter resurrectionem eorum qui in Christo mortui sunt cum descensu Domini e cœlo, & tuba Dei, & raptu superstitum in aëra conjungit. 1 Thes. IV. 16. 17. Admodumque emphatice. 1 Cor. XV. 23. *Unusquisque suo ordine. Primitiæ Christus, postea qui sunt Christi, in adventu ipsius.* Ecce resurrectionis ordinem. *Christus* primus est, ordine temporis & virtutis: quia ante ipsum nemo ad vitam cœlestem suscitatus est, nemoque unquam ita suscitabitur, nisi illius meritis atque efficacia. Tum ii *qui Christi* sunt: at qua illi temporum differentia? nulla. Omnes *in ipsius adventu. Momento; jactu oculi, ad ultimam tubam. Clanget enim tuba, & mortui excitabuntur incorrupti; & cæteri mutabuntur.* Omnia simul. vers. 51. 52.

XLIX. Sed neque *Principes* Christiani nominis, aut *martyres* reliquam fidelium multitudinem prævertent. In Paulo utraque ista dignitas concurrit modo eminentissimo. Is tamen, eodem loco quo de instante suo martyrio loquebatur, profitetur non ante se exspectare *coronam justitiæ*, quam *illo* die, quo *non sibi solum* eam daturum esse Dominum dictat, *sed & omnibus qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum.* 2 Tim. IV. 6. 8. Et quid tandem ista resurrectionis anticipatione martyres lucrarentur. Nam quantumvis beatam tibi fingas Ecclesiæ illorum temporum in terris conditionem, certum est eam longe inferiorem fore gloriosa conditione cœlitum: nec unquam Christum luculentioribus gloriæ suæ radiis micaturum inter mortales, quam nunc micat inter spiritus justorum consummatorum. Nonne itaque satius multoque optabilius defunctis fidelibus, etiam Prophetis, Patriarchis, Apostolis ac Martyribus est, purissima cœli beatitudine satiatis mentibus frui, interimque certa spe exspectare corporum suorum exsuscitationem quo die omnia ab omnibus peccatorum sordibus ac reliquiis repurgata, & ad laudem Dei fabrefacta, videbunt: quam ex cœli gaudiis ad hujus terræ, felicissimum, si vis, sed tamen terræ, statum revocari; ut inter sanctos quidem, non tamen omni modo ac numero sanctos, conversentur; ubi plurima cum summa voluptate videant, sed & nonnulla, opinor, quæ mallent non videre.

L. Hæc nos ex perpetua sibique per omnia consentiente scripturarum doctrina, sanisque ratiociniis, liquido deducimus. Habent tamen illi quibus aliter sentire lubet, quod opinioni suæ pro fundamento substernant. Nimirum Johannes Apoc. XX. 4. 5. 6. aliquam nobis Ecclesiæ periodum delineat, qua *diabolus & satanas vinctus sit ad annos mille.* Dein *vidit thronos, & aliquos iis insidentes quibus judicium datum est: & animas eorum qui securi percussi sunt propter testimonium Jesu, & propter sermonem Dei, quique non adorant bestiam neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus suis, aut in manibus suis: viventque & regnabunt cum Christo mille illos annos. Reliqui vero ex mortuis*, ita pergit, *non reviviscent,*

Cui adsertioni non refragatur Apoc. XX. 4. 5. 6.

scent, donec consummati fuerint illi anni mille. Hæc est resurrectio prima. In qua qui partem habent illi beati & sancti sunt, & erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis. Ex qua prophetia urgeri potest I. Promitti hic resurrectionem aliquam non *spiritualem* ex *morte peccati* ad *vitam gratiæ*, sed *sanctorum*, *confessorum* ac *martyrum* qui *securi percussi* sunt propter testimonium Jesu. II. Promitti resurrectionem, cujus proximus terminus non sit *cœli gloria*, sed *regnum* cum Christo *in terra*. III. Quæ *non* sit futura *omnium*: expresse excluduntur alii *non revicturi* ante mille illos annos completos. IV. Talem denique resurrectionem quæ ordine *prima* sit ad aliam subsecuturam.

LI. Non diffiteor difficilem hinc nobis ac dignum vindice nodum necti: experiamur tamen an insolubilem. Id primum generatim observo: ea quæ nos de resurrectionis tempore produximus, ex concionibus Christi & scriptis Apostolorum dogmaticis desumta, propriis ac planis verbis exposita esse: ea vero quæ ex prophetico & mystico Apocalypseos volumine proferuntur, arcano & ænigmatico involuta esse dicendi charactere. Utrum autem probabilius est, magisque cum ratione consentit, ut plana & dogmatica dicta a nativo verborum significatu detorqueamus, quo cum iis consentiant quæ ex vaticiniorum perplexis ænigmatibus collegisse nobis videmur: an vero ut anxio pede procedamus in evolutione arcanorum istorum oraculorum, nihilque nobis in iis imaginemur quod a clare expositis fidei dogmatibus abludat?

LII. Sed & in ipso illo qui præ manibus est contextu, modo rite singula expendamus, nihil tale est, quale hi homines non vident ibi, sed videre se putant. Non dicit Johannes vidisse se *animas securi percussorum*, multo minus ipsos martyres securi percussos, *insedisse thronis*. Sed solum se thronos vidisse, & qui sederunt in iis: non determinans quos. Imo satis determinans, non esse illud intelligendum de animabus. Non enim convenit vocum genus. Ita Græca verba habent, καὶ κρίμα ἐδόθη αὐτοῖς. Quod si ad τὰς ψυχὰς pertineret, αὐταῖς potius dixisset. Haut abnuam, collocationem thronorum hic pertinere ad Ecclesiam in terris agentem; quæ ad minimum significat liberum & non impeditum, imo vero a mundi Dominis promotum ac adjutum, fidelium consessum, ad prædicandum atque audiendum Dei verbum, & Ecclesiam gubernandam ex potestate clavium cœlestis regni, & damnandum atque triumphandum mortiferas hæreses. Qui ergo thronis illis insident, non sunt homines pridem defuncti; sed sancti, ea temporis periodo quæ hic delineatur, viventes.

LIII. Non dicit etiam se vidisse quod *securi percussi revixerint*, multo minus quod *corpora* percussorum securi *revixerint in terra*: sed solummodo se vidisse *animas* percussorum securi: non *reviviscentes*, sed *viventes*,

viventes, hoc est lætitia immarcessibili repletas, quemadmodum Abrahamus & Isaacus & Jacobus *vivunt Deo.* Luc. xx. 38. & *regnantes cum Christo*, nimirum in regno gloriæ, ubi fructum capiunt laborum & mortis suæ, ex amplificatione Ecclesiæ durantibus *mille illis annis*: quidquid enim accedit regno Christi, sive in gratia, sive in gloria, id accedit regno cœlitum, propter communionem omnium fidelium cum Christo, & communionem Ecclesiæ militantis cum triumphante, de qua Heb. XII. 22. 23. Hactenus ergo non habemus corporum resurrectionem: imo ne resurrectionem quidem ullam.

LIV. At si vel demus, ἔζησαν tantundem hic valere quam ἀνέζησαν, quo sensu creditur ea vox usurpari Ap. 11. 8. quum ea reviviscentia, si ita velis, attribuatur *animabus* eorum qui securi percussi sunt, inquirendum est, qua in re ista *animarum reviviscentia* consistat. Mihi ita videtur. Qui sub regno satanæ & bestiæ fidos Christi servos trucidarunt, iidem eos sententiis, decretis, scriptisque suis traduxerunt ut impios, damnatos, Deo exosos, Christi hostes, Diaboli mancipia, quorum sceleribus vix unus orcus expiandis sufficeret. Atque ita pii isti homines, capite plexi, *animabus* plus quam *mortui* erant in opinione eorum qui rerum tunc potiebantur, & credulæ multitudinis iisdem imbutæ erroribus. At postquam cum lætioribus Ecclesiæ temporibus clarior Evangelii lux adfulsit, iidem illi fideles, tot proscissi convitiis, palam cogniti & agniti sunt pro amicis Dei Christique, qui regnant cum ipso in gloria. Tum compertum, creditum, publicatum est, *Cœlo vivere quos forum peremit.* Frequens est in sacris, ut res aliqua *fieri* aut *esse* dicatur, quando *patefit*, & *agnoscitur.* Exempla vide. 1 Reg. VIII. 24. Rom. III. 3. 4. 2 Cor. IV. 7. Neque contemnenda accessio gloriæ fidelium est, quod Dei in ipsis benignitas a terricolis celebretur.

LV. Præter animas percussorum, quas in cœlo viderat, vidit, in terra, *eos* (nota, *non animas* eorum, sed *eos ipsos*) *qui non adoraverunt bestiam & imaginem ejus &c.* qui constanter adhærentes Christo, nihil sibi commune esse voluerunt cum regno Antichristi. Et *ii vixerunt*, læta conscientiæ pace & uberrimis spiritus consolationibus fruentes, & *regnaverunt cum Christo*, ut victores satanæ ac mundi, participes gloriosæ gratiæ ejus *Mille annis*: non quod singuli vitam ad mille annos extenderent, id nemini contigit, aut continget unquam: sed quod id genus hominum, multis ætatum successionibus, ad præstitutum terminum regno isthoc potiturum esset. De his ipsis quoque, siquidem id improbe urgeas, dici posset, quod *revixerint*: quatenus id hominum genus, sub tyrannide bestiæ nuper vexatum, oppressum, ad paucitatem redactum, & in tantis rerum angustiis vitam vix vitalem exigens; nunc versis vicibus, numero auctum est, & liberiorem spiritum trahens lacertos animose

movet. Nec durum nobis videri debet, una eademque voce vitam ac regnum animarum in cœlo, & aliorum in terra designari. Quum per se pateat, unumquemque non alibi vivere ac regnare quam ubi est. Animarum autem, quas a corporibus sejunctas se vidisse Johannes innuit, animarum, inquam, istarum locus cœlum est. Ibi ergo vivunt regnantque cum Christo. Aliorum fidelium, qui non sunt nudæ animæ, locus terra est. Ibi ergo ipsorum vita & regnum. Quod hic utrorumque adspectu *mille annis* circumscribitur, ea qua dictum est mente. Atque iterum hic nihil de anticipata resurrectione confessorum & martyrum.

LVI. *Reliqui vero mortuorum non revixerunt. Reliqui* ii sunt qui non receperunt testimonium Jesu, & qui adoraverunt bestiam, id est qui persistiterunt in infidelitate sua, aut pro doctrina sana errores Ecclesiæ Antichristianæ imbiberunt. Hi certe *mortuis* accensendi sunt: quandoquidem in omni regno quod regno Christi oppositum est, non nisi mors regnat. Neque *revixerunt*, ad vitam spiritualem & communionem beatæ illius conditionis qua vera Christi Ecclesia eo temporis articulo mactatur. Quod iterum non tam de certis personis, quam de tali hominum genere intelligendum est: ut doceamur, eos qui Antichristianum nomen & hæreses, quantumvis detectas, sectantur, a participatione felicitatis quæ Ecclesiæ promissa est, exclusissimos esse. *Donec consummentur mille illi anni.* Tota istius temporis periocha, qua ligatus erat satanas, ipsi tamen sub potestate mortis spiritualis manserunt. Quanto magis satana iterum soluto?

LVII. *Hæc est resurrectio prima.* Resurrectio ista qua hostes regni Christi excluduntur, morti eorum respondet: quæ quum spiritualis sit, & hanc spiritualem esse necessum est. Quod & additamentum *primæ* arguit. Nimirum Ecclesiæ, cujus fata Johannes enarrat, *geminam resurrectionem* pollicitus est Deus: alteram *hujus seculi*, alteram *futuri*. Resurrectio hujus seculi *spiritualis* est, & consistit magnifica Ecclesiæ amplificatione per efficacem Evangelii prædicationem & renovationem gloriosam Spiritus Sancti. Hæc *prima* resurrectio dicitur, opposite ad alteram *secundam*, quæ *corporum* erit, & futuri seculi. Prima autem illa diversos habet articulos, complectitur enim primam Evangelii regni promulgationem inter Judæos & Gentiles, cum multorum conversione conjunctam: Gentilismi publicam in imperio Romano abrogationem, adnitente Constantino: Ecclesiæ post convictum Antichristianismum παλιγγενεσίαν: & si quæ alia rerum in melius mutatio exspectanda sit. Ad eam quoque pertinet hæc de mille annis prophetia; undecunque demum illi incipiendi, aut ubicunque finiendi sint. De quo nunc disputare nihil attinet.

LVIII. *Qui partem habent in hac prima resurrectione beati & sancti sunt.*

sunt. Id opponitur falsæ gloriationi sectatorum bestiæ, qui *sanctorum & beatorum* titulis, post superstitiosas & idololatricas Papæ canonizationes, suos exornant. *Secunda mors*, defectio, induratio, relegatio in stagnum ignis & sulphuris, *non habet in eos potestatem.* Sed *erunt sacerdotes Deo & Christo*; liberum habebunt accessum per spem & fidem ad intima sanctuarii: & sacrificia grati odoris Deo offerent. Cætera fusius exponere non est hujus instituti. Sufficiat nunc, nihil inveniri in hac prophetia, quo subigamur credere beatam aliquam corporum resurrectionem antecessuram esse diem mundi novissimum. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

LIX. Consequens speratæ Resurrectionis VITA ÆTERNA est; cujus crebra extat in Sacris literis promissio. Joh. III. 16. 36. Rom. III. 7. Tit. III. 7. & alibi passim. Ea autem in *ultimum* Symboli est rejecta locum, quia revera *fidei nostræ finis*, 1 Pet. I. 9. spei ultima meta, salutis nostræ complementum, totiusque illius dispensationis quæ ad redemtionem attinet terminus atque cumulus est.

Vita æterna, spei nostræ meta, non nudam existentiam, sed felicem perennemque totius hominis conditionem notat.

LX. VITÆ autem nomine non intelligitur hic nuda viventis *existentia* (hactenus enim & *improbi vivunt*, quos tamen *æternæ morti Divina* mancipavit justitia) sed *felicissima* viventis *conditio*. *Non est vivere vita, sed valere.* Ea notione frequenter *vitæ* vox in sacris venit. 1 Reg. I. 26. *Vivat Rex.* Ubi Chaldæus יצלח, *feliciter agat, prosperetur.* Ps. XXII. 27. *Vivet animus vester in sempiternum.* Ps. LXIX. 33. *Videbunt mansueti, & lætabuntur; vivet animus vester, o quærentes Deum.*

LXI. Porro ÆTERNA hæc vita dicitur, in ἀντιδιαστολῇ vitæ hujus animalis, quæ ab initio talis fuit ut morte interrumpi potuerit, interveniente nimirum peccato: post peccatum vero ut morte interrumperetur necesse fuit. Ea autem quæ resurrectionem consequetur, non metam, non terminum habebit: quia peccatum omne ab ea remotissimum erit, & corpus ipsum iis præditum qualitatibus quæ corruptionem omnem repellunt, & dabitur denique homini, non ut prior illa vita in explorationem constantiæ, sed in præmium recte factorum, & ut merces, Christi pro nobis satisfactioni debita. Huc pertinet ea Pauli distinctio inter *vitam præsentem & futuram.* 1 Tim. IV. 8.

LXII. Vita hæc, uti hic in symbolo memoratur, *totius hominis est*, summamque tam animæ quam corporis, indivulso sibi nexu conjunctorum, felicitatem complectitur. Quid autem sit, neque mentis nostræ angustiæ, dum in hac imperfectione versamur, concipere, neque mortalis lingua profari potest. *Nondum manifestum factum est id quod erimus.* 1 Joh. III. 2. Solent in hanc rem accommodari Pauli verba 1 Cor. II. 9. *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Et recte quidem; quamvis enim de Evangelii mysteriis, antiquo Judæorum populo incognitis, a

Paulo,

Paulo, ex Jesaia, dicta sint; attamen quæ fuit ratio Judæorum ad ea quæ tum latebant novissimis demum temporibus pandenda, eadem est ratio Christianorum ad ea quæ nunc nobis operta novissima die revelabuntur.

LXIII. Nonnulla tamen, quasi in gustum, nobis Deus patefecit; sine quorum generali & confusa saltem cognitione, neque fidei nostræ sua integritas, nec spei suum robur, nec promissionum Divinarum sua nobis suavitas constaret. Quantum ergo nunc adsequimur, rudi penicillo ita vitam æternam delineare liceat. *Vita æterna est beatissima totius hominis conditio, qua Dei intima præsentia, contemplatione, fruitione gloriosa in cœlis gaudens, ipsi, tam corpore quam anima, quoad ejus fieri potest, conformis erit, sine ulla felicitatis interruptione, vel imminutione, in interminabilem æternitatem.*

Et hic sua quidem habet initia.

LXIV. Uti in adspectabilis hujus mundi conditu hunc modum Divina sapientia tenuit, ut a rudioribus exorsa quodam dierum tractu ad eam consummationem opus suum perduxerit, in qua acquiescere dignum suis fuit virtutibus: ita & in suis ad felicitatis culmen promovendis eum observat ordinem ut certis quibusdam gradibus adscendere eos faciat. In *hac vita* promissæ beatitudinis *primitias* quasdam dilectis suis exhibet. *Majora* reservat *animæ*, quum ex hoc corpore peccati emigraverit, tantisper donec *melius corpus* per *resurrectionem* recuperet. Tum demum *maxima* illa & *consummatissima felicitate* donabuntur.

LXV. Quemadmodum in deserto Israëlitis botrum ex Cananitide adferri curavit Deus, ut ex eo de promissæ sibi terræ fertilitate judicium facerent; ita etiam fidelibus per horridas mundi hujus solitudines iter ad cœlestia adfectantibus, gustum quendam eorum concedit bonorum, ad quorum plenam possessionem suo illos tempore admittet. Partim ut hoc pacto sese consolentur in adversis, partim ut a primitiis ad messem ratiocinatione instituta argumentando colligant, quale ac quantum futurum sit illud bonum quod in cœlis adservatur, sed maxime, ut, prælibata magna illa quam exspectant mercede, in cursu fidei ac pietatis alacriores sint.

LXVI. Nam sane & hic Deus suos sibi admovet & *adpropinquare facit familiariter* Ps. LXV. 5. LXXIII. 28. & *videndum se* iis exhibet Ps. LXIII. 3. in sanctarum meditationum, precum, aliisque devotæ mentis exercitiis, & *sensu* quodam atque experientia *suæ benignitatis.* Ps. XXXIV. 9. Et hic eos ad suavissimi amoris *osculum* admittit, & introducit *in penetralia* sua ac *locum convivii*, habens pro vexillo amorem erga eos. Cant. I. 2. 4. & II. 4. Et hic se *possidendum* iis *fruendumque* præbet. Jer. X. 16. Ps. XVI. 5. 6. Adeo ut anima ei veluti thesauro suo jucundissime incubet, ejus opulentia ditetur, ejus ubertate pascatur, ejus potentia custodiatur, ejus sapientia dirigatur, ejus bonitate refocilletur; denique ejus

ejus sufficientia repleatur. Et hic iis largitur *opulentiam plenæ certioratæ intelligentiæ*, Col. II. 2. firmissimamque certitudinem consummatæ felicitatis suo tempore potiundæ. 2 Tim. IV. 8. & *conscientiæ* tranquillatæ *pacem*. Phil. IV. 7. &, quod ex tot tantorumque jure usu atque fructu bonorum non potest non oriri, *gaudium gloriosum atque ineffabile*. 1 Pet. I. 8.

LXVII. Sed hæc quantacunque, non nisi mediocria sunt, præ illis quibus *mentes* fidelium corporibus suis *solutæ* potiuntur. Id enim indubium nobis esse debet; *animam remanere post animal*. Frustra alias optasset Apostolus *dissolvi & cum Christo esse* Phil. I. 23. Neque enim cum Christo esse potest qui prorsus non est. Falso dixisset, *accessisse nos ad spiritus justorum consummatorum* Heb. XII. 23. si nulli tales exstarent. Quid illa divitis ac Lazari parabola intenditur, nisi ut de existentia animarum separatarum, earumque diversa, etiam ante universalis judicii diem, conditione edoceamur? Luc. XVI. Nostra anima nonne ejusdem cum anima Christi naturæ est, quum Christus fratribus suis similis factus sit in omnibus, excepto peccato? Heb. II. 17. IV. 15. Illa vero Christi anima ecquid ipso moriente in tenues evanuit auras, ut Christus post mortem plane nihil fuerit? Quod Christianum pectus ad tam blasphemam cogitationem non horreat? præsertim qui attenderit, Christum spiritum suum e corpore migraturum, tanquam pretiosissimum depositum in manus Patris sui cœlestis commendasse. Luc. XXIII. 46.

Sed majora impendent animabus se paratis: quæ & remanent post animal,

LXVIII. Neque *remanet* solum post corpus anima, sed & *vivit, intelligit, sentit*. Patriarchas pridem mortuos omnes etiamnum *Deo vivere*, in illius nimirum gloriosa communione, Christus testatur. Luc. XX. 38. Et Paulus impresse. Rom. VIII. 10. *Porro si Christus in vobis est, corpus quidem est mortuum propter peccatum: spiritus autem vita propter justitiam*. Nota I. Per *corpus* & *spiritum* designari partes essentiales hominis: ut Eccl. XII. 7. 1 Cor. VI. 20. 1 Thess. V. 23. II. Per *mortem corporis* intelligi dissolutionem vitæ animalis, ex qua morte corpus suscitandum est. v. 11. III. Spiritum non tantum *ζῶντα viventem* dici, sed *ζωὴν vitam*: partim quidem propter spiritualis istius vitæ præstantiam & abundantiam, sed potissimum quia in spiritu est fons vitæ beatæ, corpori etiam suo tempore communicandæ. Nam ex præsenti animæ beatitudine futura corporis beatitudo invicte colligitur. IV. Vitam hanc *spiritui* adscribi, etiam dum corpus mortuum est. Nam binas ei periodos adsignat Apostolus, alteram ante resurrectionem, alteram post; illam hoc commate, hanc sequenti. Nonne etiam *Moses*, cujus mors & sepultura narratur Deut. XXXIV. 5. 6. apud Christum visus est, colloquens & prophetans? Mat. XVII. 3. Qualecunque id corpus fuerit, & undecunque habuerit, hoc certum, Mosem quoad animam tunc superfuisse, vixisse, intellexisse? Quid quæso mortis suæ acceleratione lucratus fuisset Paulus, Phil. I. 21. si non ante novissimum diem gloriosa Christi communione frui datur?

& vivunt, intelligunt, sentiunt.

LXIX. Quid sibi vult coeleste illud praeconium Apoc. XIV. 13. *Beatos esse mortuos qui in Domino moriuntur ἀπάρτι, ab hoc tempore: quippe qui requiescant a laboribus suis, & quorum opera eos sequantur.* Quocunque enim particulam ἀπάρτι referas, eam mortuorum conditionem describi quae consummationem seculi antecedat, omnes vociferantur circumstantiae. Et profecto, quod sine injuria dictum sit, nugas agit Grotius dum eximium illud promissum ad hujus vitae conditionem torquet. *Sicut* מות, inquit, *Hebraeis dicitur gravis vexatio ita* מתים, *νεκροὶ qui graviter vexantur, quibus vita vitalis non est. Col.* III. 3.. *Οἱ ἐν κυρίῳ ἀποθνήσκοντες illi sunt qui Christi caussa mortis pericula adeunt. Ita ἀποθνήσκειν sumitur* I Cor. XV. 31. *Hi non olim tantum beati erunt, in vita altera, sed in hoc ipso tempore: laborant quidem, sed in labore habent quietem, id est, pacem conscientiae. Et opera ipsorum sequuntur eos, id est pax ea oritur ex conscientia recte factorum.* Quibus reponimus: I. Id agi istiusmodi interpretationibus, ut omnia Scripturae verba, quantumvis magnifica & grandia, in tenuem admodum ac minutum sensum exeant: quo pessimo instituto & emphasi Scripturarum, & consolationi fidelium insignita infertur injuria. II. *In Domino mori* duo notare potest, quorum alterum *commune* est omnibus *fidelibus* alterum *martyribus proprium.* Prius spectat *statum morientium,* ut *in Domino sint*, ei fide uniti, & ad mortem usque constanter in eo manentes. conf. Joh. XV. 4. 7. Rom. VIII. 1. & XVI. 7. sed imprimis I Thess. IV. 16. ubi νεκροὶ ἐν Χριστῷ non notant martyres opposite ad alios fideles, sed quosvis in fide Christi defunctos, oppositos fidelibus viventibus. Posterius connotat *mortis caussam*: quasi dicas, *propter Christum.* ut Rom. XVI. 2. 12. Eph. IV. 1. Non infitemur, sententiam hanc martyribus consolandis potissimum destinatam esse: ita tamen ut veritatem contineat quae piis omnibus communis sit. III. Viventes in adflictionibus νεκροὺς dici, male probat Grotius ex Col. III. 3. ubi neque vox illa exstat, neque res. Ἀπεθάνετε ibi notat, vitam priorem exuere vos professi estis in baptismo. At I Cor. XV. 31. ea mente venit. Caeterum quae invidia est, ad solos quos vocant *confessores* eam consolationem restringere, cujus verba in proprio & nativo suo significatu *martyres* designant? IV. Hac ratione temere confunduntur locus, tempus, status *laboris & quietis, pugnae & triumphi*: quae Scriptura solicite distinguit, *huic vitae* laborem adsignans, τὸν κόπον καὶ τὴν ὑπομονήν; Ap. II. 2. *futurae*, quietem. Heb. IV. 9. Imo in hac ipsa pericope adscribit Spiritus viventibus ὑπομονήν, vers. 12. mortuis ἀνάπαυσιν. V. *Consecutio operum* mercedem ac praemium eorum significat, maxime postquam quis operari desiit. Quum autem praemium futurae potissimum vitae sit, quid est cur id intra hujus vitae limites cohibere malimus?

LXX. Non videtur etiam praetereundum alterum illud Apoc. VI. 9. 10. 11. Ubi narratur visas Johanni *sub altari animas eorum qui mactati fuerunt*

propter

propter verbum Dei &c. clamantes voce magna, usque quo domine non judicas, & sanguinem nostrum vindicas, ab iis qui habitant in terra. Quarum singulis datæ sunt stolæ albæ, jussis ut requiescerent adhuc paululum. Quæ post mortem superant, & quidem in quiete superant, animæ, *sub altari* videntur, ut denotaretur martyrium illorum fidelium fuisse *libationem sanguinis* Deo gratissimi. Phil. II. 17. 2 Tim. IV. 6. Ad pedem altaris in templo fundi solebat victimarum sanguis. Lev. I. 5. & III. 2. 5. Is positus quasi in conspectu sanctuarii Deum admonebat de sacrificio præstito. Multo magis id faciebant animæ martyrum. Cui observationi & hæc addenda est, quod *sub altari* esse tantundem hic valeat atque esse sub speciali protectione Christi. Is est *altare nostrum.* Heb. XIII. 10. qui preces nostras & omnia devotionis exercitia ipsumque martyrium Deo gratum esse facit. Qui sub hoc altari est, is gratiosa Christi præsentia ac potenti protectione fruitur. Confer Ps. XXVII. 5. *Abscondit me in tugurio suo, abdit me in abdito tentorii sui.* Adde repræsentari hic animas in statu *supplicum,* ideoque ad *basin altaris* provolutas. *Clamor* autem earum notat ardens desiderium, ut justitiam suam Deus in vindicatione optimæ caussæ demonstret. Non enim indignum cœlitibus est, ea a Deo desiderare & petere quæ justa sunt, 2 Thes. I. 6. & propter quæ facta Deo gratias agunt. Ap. XVI. 5. 6. 7. *Stolæ albæ* iis datæ, significant *gloriam cœlestem.* Ap. III. 4. & fortassis *eximium* præ cæteris *gloriæ gradum,* respondentem iis quæ pro Christo passi erant; in quo quasi triumphus erat devictorum hostium. Porro in ista gloria arrha quædam est, fore ut caussa ipsorum in mundo olim superet, repressis persecutoribus. Ex omnibus hisce hoc conficitur argumentum. Qui post mortem in beatifica Christi protectione sunt, & in conditione supplicum; qui sancte ab hostibus vindictam expetunt; quibus gloria superbi triumphi conceditur; ii vivunt, intelligunt, sentiunt. Atqui defunctorum animabus competunt hæc omnia. Ergo.

LXXI. Sed & illud præterea credendum est animas piorum corpore solutas in *cœlestia habitacula* & *gaudia* suscipi. Eadem cœlestis Hierosolyma quæ myriades Angelorum & novi fœderis Mediatorem Jesum habet, incolis suis adnumerat *spiritus justorum consummatorum.* Heb. XII. 23. *Post dissolutum terrestris hujus domus tabernaculum, sperare nos ædificium ex Deo* Apostolus jubet, *domicilium non manu factum, æternum in cœlis* 2 Cor. V. I. Et uti Lazari anima ab Angelis in *sinum Abrahæ* portabatur, Luc. XVI. 22. ita ut in convivio cœlesti proximum Abrahamo occuparet locum; ad eundem modum latroni pollicetur Christus, fore ut *ipso* crucifixionis *die secum in paradiso sit.* Luc. XXIII. 43.

Et mox a morte corporis in cœlestia habitacula & gaudia suscipiuntur.

LXXII. *Beatitudo* illa qua piorum animæ in cœlis fruuntur, quantum ex scriptura colligere datur, in his consistit. I. Ut Dei Christique *glo-*

Ubi eximia fruuntur beatitudine.

riosa fruantur *præsentia*. Joh. XII. 26. XVII. 24. Phil. I. 21. II. Eum familiariter *videant in lumine gloriæ*. Mat. V. 8. qualiter se conspiciendum exhibet in *operibus Gloriæ* quæ jam in cœlo ostenduntur, quæque *opera Naturæ* in mundo, & *Gratiæ* in Ecclesia militante, fulgore suo præstringunt: item in *facie Jesu Christi*. Joh. XVII. 24. & denique magis *ἀμέσως in se ipso* qua homini Deum adire fas est, non uti nunc *per speculum & ænigma, sed coram*. I. Cor. XIII. 12. III. Ut Deum perfecte cognitum ardentissime *ament*, amore non *desiderii*, sed exoptatæ pridem *fruitionis*, I. Cor. XIII. 8. IV. Ei in sanctitate ac gloria *conformes* sint. Si enim ex Dei in sacro monte commercio id consecutus est Moses, ut insolitæ lucis radii in facie ejus splenderent; Exod. XXXIV. 29. si contemplatio Christi Domini per fidem & in speculo facit ut ad eandem transformemur imaginem; 2. Cor. III. 18. quam non Divinæ puritatis & gloriæ conformitatem conciliabit animæ intimæ illius familiaritatis consuetudo ad quam admittetur in cœlis. V. In omnibus hisce *gaudiorum* inveniant *satietatem*. Ps. XVI. 11.

Longe tamen maxima futura est beatitudo hominis integri, post diem novissimum.

LXXIII. Eximia certe hæc sunt. Nondum tamen exhauriunt plenitudinem istam beatitudinis quam sperare nos jubet Evangelium. Atque hinc est quod felicitatis nostræ consummatio in illustrem sæpenumero Domini nostri adventum rejiciatur. 2. Tim. I. 12. 18. 2. Tim. IV. 8. I. Pet. I. 5. & V. 4. Col. III. 4. I. Joh. III. 2. Restat ergo ut inquiramus quid novissimus dies ad felicitatis nostræ cumulum & complementum allaturus sit.

LXXIV. Atque id quidem *primo* tenendum est, beatitudinem ab eo tempore futuram esse *hominis integri*, quæ hactenus *solius* fuerat *animæ*. Corpora enim fidelium in gloria suscitata animabus suis restituentur. Vel si quos vivos dies ille deprehenderit, eorum corpora in gloriam transformabuntur, ut una cum animabus consummatæ capacia sint felicitatis. Admirabilem hic sese præstat incredibilis prope summi numinis benignitas. Destinaverat corpora quoque nostra cœlestia felicitatis participatione beare. Verum uti nunc sunt constituta, tantæ gloriæ ferendæ imparia sunt. Quid ergo? Num cœlestem imminutum ibit gloriam, ut ad ejus qualemcunque communionem admitti corpora nostra queant? Non certe. Corporis potius nostri qualitates immutabit, illudque ex animali spirituale, ex terrestri cœleste faciet, ut ad gloriam qua donabitur convenientem proportionem habeat. Ita *transfigurabit* Christus *corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori ipsius glorioso, pro vi illa efficace, qua potest etiam subjicere sibi omnia*. Phil. III. 21. ut hac quoque in parte *fulgeamus sicut sol in regno Patris nostri cœlestis*. Mat. XIII. 43. Fieri autem non potest, quin anima ob insitum sibi adversus corpus suum amorem, ex tanta illius sibi reuniti gloria ingentem voluptatem percipiat.

LXXV.

LXXV. Sed & illud accedit, quod eo demum die *plenissime* Deus gloriæ suæ *effulgentiam* in *operibus gloriosissimis demonstrabit*. Tunc licebit cernere ingens hoc universum, a servitute corruptionis vindicatum in libertatem gloriæ filiorum Dei, & cœlum novum, novamque terram, in quibus nil nisi justitia habitet, & panegyrim electorum omnium, qui a primordiis conditi orbis ad novissimum usque diem fuere, & novis superinduti corporibus incredibili splendebunt fulgore. Et quum in hisce omnibus nihil miraturi sint beati nisi Divinæ gloriæ undique coruscantis jubar, nonne, dum hæc cernunt, Deum ipsum eminentissimo modo cernere dicendi sunt? Hinc Johannes 1 Epist. III. 2. *Scimus autem fore; ut quando ipse factus fuerit manifestus similes ei simus: nam videbimus eum sicuti est*. Adde Ps. XVII. 15. *Ego in justitia videbo vultum tuum: satiabor, quum expergiscar*, e somno mortis, *imagine tua*. Tunc enim & *objectum* clarissimæ repræsentabitur, illiusque erit efficacior & nobis nunc inexplicabilis in mentem illapsus; & *subjectum* optime constitutum erit ad illud omne in Deo & de Deo cernendum, quod felicitatem suam consummare potest.

LXXVI. Porro *fruitio Dei* qui summum Bonum est, multo tunc erit *perfectior*, magisque *immediata* quam omnis ea fuit qua antehac gavisi sunt. Non supererunt ullæ peccati reliquiæ, quibuscum etiam sanctissimis semper in hac vita luctandum fuit. Non remanebunt ulla peccati effecta, qualia in pie defunctorum corporibus cernuntur donec in potestate & carcere mortis sunt. Quæ quum ignorare non possint cœlites, fatendum est ad plenissimam gaudii abundantiam aliquid iis deesse. Quamdiu autem aliquæ in electis supersunt peccatorum reliquiæ, sive effecta, non communicat se iiscum Deus nisi interventu Mediatoris. Cæterum per resurrectionem *mors* ipsa *abolebitur*. 1 Cor. XV. 26. *conjecta in stagnum ignis ac sulphuris*, Ap. XX. 13. neque posthac potestatem ullam habitura nisi in hostes Dei atque fidelium. Nihil tunc in universa erit Ecclesia, quod non plane sanctum Deoque omni modo subjectum futurum sit. Nihilque impediet quo minus Deus se beatis plenissime ac ἀμέσως, sine Mediatoris interventu, cujus omnis tunc cessabit œconomia, communicet, sicut sanctis Angelis se communicat. 1 Cor. XV. 28. *Postquam vero subjecta fuerint ei omnia, tunc & ipse Filius subjicietur ei qui subjecit ei omnia, ut Deus sit omnia in omnibus.*

LXXVII. Apex autem beatitudinis in eo est quod ÆTERNA futura sit illa felicitas. Non *vita* solum, sed *æterna vita*. Mat. XXV. 47. Rom. II. 7. Nam & *subjectum* semper erit ad beatitudinis fruitionem idoneum, & *beatitudo* ipsa ab eo nunquam auferetur. Anima quidem per se immortalis est. Corpus autem & peccati plane exsors erit, quod proxima est corruptionis caussa: neque erit iis corporibus simile quæ elemento- Quæ sine ullo finis metu duratura est in æternum.

 rum

rum contemperatione constant, inque ea resolvi possunt; sed, ut pridem docuimus, erit spirituale, cœleste atque incorruptibile. Nexus vero ille quo anima cum corpore colligabitur insolubilis est; propter æternam virtutem meritorum Christi, & vim Spiritus Sancti utramque hominis partem ad gloriam vivificantis. Sed & ipsa beatitudo non minus durabilis erit. *Hæreditas ea quæ in cœlis servatur nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere.* 1. Pet. 1. 4. Corona ista *amarantina* est. 1. Pet. v. 4.

LXXVIII. Et certe talem beatitudinem hanc esse necesse est, si futura sit id quod dicitur, veri nominis beatitudo. Si *rem* ipsam spectemus, quum bonum quo diuturnius est, eo, cæteris paribus, melius sit; id quod summum bonum est æternum esse colligitur. Sin ad *sensum* rei in animo humano attendamus; quantumcunque sit bonum molesta est cogitatio qua terminum illius antecapimus; & quantacunque sit rei alicujus duratio, si tamen finiri debet, fieri non potest quin de illius interitu cogitemus. Imo vero etiamsi nunquam esset finienda, quamdiu tamen ejus perpetuæ durationis certi non sumus, vix est aut ne vix quidem ne metu ejus amittendæ corripiamur. Ubicunque vero metus est, ibi non potest esse ea gaudii ubertas quam consummata beatitudo exigit. Unde conficitur, ad consummatam beatitudinem requiri, & *æternitatem beatitudinis*, & *æternitatis* illius in beatis πληροφορίαν. Facile esset hæc amplificare, & invitat allicitque ipsa materiæ jucunditas; sed quia alibi copiosius de his rebus disseruimus, suffecerit nunc summa rerum capita quasi digito monstrasse.

PRAXIS. I. Ex tam sublimis felicitatis Doctrina Evangelii discamus Divinitatem.

LXXIX. Verum enim vero non est nobis committendum ut in frigidas speculationes exisse hæc commentatio videatur, quæ, si ulla alia, mentes nostras quam validissime adficere debebat. Atque eo quidem primum comparata tam sublimis felicitatis doctrina est, ut de *Evangelii*, quo exponitur atque offertur, *Divinitate* nos convincat. Excutiantur subtilissimæ *Philosophorum* disputationes, consulatur *Muhammedistarum Alcoranus*, interrogentur *Hebræorum* novitii doctores; quid habent quod cum felicitate ea quam Evangelium pollicetur confligi ullo modo queat? Postquum felicitate sua post peccatum multati sunt protoplasti, adeo illius apud mortales cæteros memoria exolevit, ut summi boni non nisi obscuram quandam & confusam ideam formare sibi possint; omnesque ad unum, donec Evangelii luce collustrentur, pro thesauro carbones, pro corpore umbram, &, ut in Poëtarum fabulis est, pro Junone nubem amplexentur. Confer. Jes. LIX. 20. Quærunt, satagunt, currunt, hiant; sed nec quo contendendum sit sciunt, nec qua. Et quum invenisse se sperant, quod avido tandem animo satisfaciat, auctam potius sitim comperiunt, quam exstinctam. Nam vel subducunt

se,

se, quæsita diu, possessa brevi bona; vel ipso usu frangitur vitrea felicitas, fruentemque lædit, atque animum ad nova neque minus fatigatura desideria acuit. Conf. Jes. XXIX. 8.

LXXX. De *animæ* vita, post conspicuæ hujus vitæ interitum, qui sapientissimi inter *gentiles* fuere, aliquid opinati magis & suspicati sunt, quam ut sciverint. De *corporum resurrectione* pauci nescio quid fando audiverant, cujus mentem per nebulam quasi cernebant, omni argumentorum soliditate destituti, qua ad tantæ rei fidem persuaderentur. Sed quæ de summo bono anxie quæsiverunt Philosophi, quæ de animæ immortalitate negavit cum suis Epicurus, dubitanter disputaverunt Socrates & Plato, suspicati sunt Indorum Brachmanes & Druides Gallorum; quæ de futura illius post hanc vitam conditione infinitis fabulis involverunt Poëtæ, ea nobis & dilucide & asseveranter exponuntur Evangelio, non credenda solum, sed & prælibanda, ut ex iis quæ nunc possidemus, cernimus, gustamus, certa fiat fides futurorum.

LXXXI. *Muhammed*, quum in eo est ut maxima illa præmia edoceat quæ doctrinæ suæ sectatores sperare jubet, nil nisi carnalia loquitur: Domicilia Paradysi splendidissima, conclavia lectis aureis, serico, tapetis, ac lapidibus pretiosissimis strata, ignotum argenti pondus & auri, aquas nive candidiores, & dulciores melle, totque appositos iis crystallinos cyathos quot sunt in cœlo stellæ, mensam adamantinam, cum sellis ex auro atque argento, mala citrina singulis exhibenda, ad quæ ubi odorabuntur confestim ex iis prosilient virgines formosissimæ, Muhammedanos arctius complexuræ, & quæ his similia, vel absurdiora alia, referre pudet pigetque.

LXXXII. Neque saniora sunt *Judæorum* deliria de splendido *Messiæ sui convivio*, ex *bove silvestri* hunc in finem creato saginatoque, ex *pisce Leviathan*, ex *ave Bar Juchna*, ex *vino delicatissimo*, quod, in Paradiso cretum, in cella Adami ad novissima tempora adservatur; de quibus rebus incredibile est quas non nænias narrent, adeo quidem ut Manassem ipsum earum puduerit, qui eas quantumvis infausto conamine in allegorias vertere annisus est. De *animarum separatarum* conditione misere cespitant, quas per integrum a morte annum circa cadaver suum, illius nimirum captas amore, vagari, & a Dæmonibus aërem infestantibus ad magicas sæpenumero artes adhiberi, nugantur: *Metempsychosin* etiam, seu animarum in alia corpora transmigrationem, & Pharisæi veteres & Cabbalistæ recentiores credunt. *Resurrectionis* quoque doctrinam multis conspurcant fabulis: uti quod de *ossiculo* aliquo *incorruptibili* in spina dorsi tradunt, ex quo solo, absumto reliquo corpore, reduci illud restaurarique totum possit; & de *rore* quodam *cælesti*, quo ossiculum illud molliendum atque extendendum sit, ad instar fermenti quod in

totam

totam sese massam diffundit. Ne quid nunc dicam de *corporum* per abditos terræ meatus in Palæstinam usque *devolutione*, ut ibi suscitentur. Quæ omnia uti a ratione sana, ita & a sacrarum literarum dictamine alienissima sunt.

LXXXIII. At quanto sublimius adsurgit Divina *Evangelii* doctrina, quæ beatitudinem hominis non in creatis rebus quærendam docet, nedum in crassis illis & animalibus quæ ventrem aut ea quæ sub ventre sunt adficiunt; sed in Optimi Maximi Numinis pia contemplatione, jucundissima fruitione, sanctissima similitudine: quarum rerum initia per Dei Christique gratiam fidei adseclis jam in hac vita concedantur, uberius conferenda in pias defunctorum animas, ut corpore peccati solutæ in Dei Christique amplexibus delicientur, donec redditæ corporibus suis ad gloriam suscitatis, Deum sibi, sine ullo rerum interventu, omnia in omnibus factum experiantur. Hæc demum ea sunt quæ animum summi boni avidum expleant: extra quæ nihil desiderabile aut norit aut cupiat. Et quis dubitet, veram eam Divinamque esse doctrinam, quæ tantam felicitatem tam dilucide doceat, tam valide præstet? Quis non sibi de Evangelio hoc, post tantas ignorantiæ tenebras prædicato, cognito, agnito, gratuletur? Quis non in eo tanquam inæstimabilis pretii thesauro bona fide exsultet?

II. Inquiramus sedulo num ad nos quoque tantæ felicitatis exspectatio pertineat.

LXXXIV. Cavendum tamen ne in generali aliqua tantarum rerum cognitione, aut præcipiti nec satis solida earundem spe subsistamus. Opera nobis præprimis danda est, ut certis argumentis convicti in animo simus, ad nos quoque tantæ felicitatis exspectationem pertinere. Idcirco inquirendum nobis quanta possumus maxima sollicitudine, tum quid in iis requiratur quos testamento Dei bonorum istorum hæredes scriptos esse constat, tum etiam an ea Divinæ gratiæ gnorismata in nobis inveniatur.

LXXXV. Id enim primo certum nobis indubitatumque esse debet, non *omnes* ad beatitudinis illius communionem admissum iri, imo ne *multos* quidem, sed, si cum reliqua pereuntium turba comparentur, *paucissimos*. Mat. VII. 13. 14. Μικρὸν ποίμνιον. Luc. XII. 32. In arca *paucæ, id est octo, animæ servatæ sunt per aquam*. I. Pet. III. 20. Pauciores ex incendio Sodomæ evaserunt, quæ tota in tot incolis ne decem quidem pios habebat. Ex sexcentis millibus Israëlitarum qui Ægypto exiverunt duo tantum intrarunt Canaan. Ita & hic, *multi vocati, pauci electi*. Mat. XXII. 14. Nota est terribilis illa *Chrysostomi* concio quam ad *Antiochenos* suos habuit: *Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? Infestum quidem est quod dicturus sum, dicam tamen. Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur. Quin & de his dubito.* Non est quidem nobis pereuntium servandorumque numerus temere definiendus, multo minus de proximo, nobis forte non deteriore, aut meliore etiam, inclemens pronuncianda sententia; id tamen ipso præeunte Servatore fortiter mortales inclamamus, longe minimam eorum portiunculam vitæ compotem fore beatæ atque æternæ.

Quod

Quod si probe meditatum haberemus, nonne solicita hæc singulorum quæstio foret: *Num ego in iis sum, Domine* Mat. XXVI. 22.

LXXXVI. Accedit, quod non obstante hac Domini admonitione plurimi semetipsos decipiant. Adeo enim cæco amore ac simul mente capti sumus mortalium vanissimi, ut interrogati quam vitæ spem beatæ in sinu foveamus, passim nos magno animo eorum adnumeraturi simus paucitati quos viam vitæ insistere dixit Dominus: neque quisquam forte respondebit hæsitantius, nisi cui certissimum felicitatis jus est. Mira hæc est, nec satis deploranda supinitas, quod toties tamque fideliter admoniti, tamen ingens illud gloriæ pondus a tenui ventosæ imaginationis filo, ac velut arachneo stamine, suspendamus. Quis non sibi, quamvis minimarum cæteroqui rerum suarum egregie satagat, in hoc maximi momenti negotio, a quo omnia pendent, stolidissime blanditur, cœlumque suum esse adfirmare audet, nullis licet tabulis, nullis probandi juris sui argumentis instructus? Usque adeone de capite, de anima, de salute nostra ludimus, vesanissimi? Paucis eam audimus addictam. Et paucis iis accensere nos audemus omnes? Qua ratione? Quo fundamento? Nullo admodum; nisi quod ita nobis videatur. At cur ita videtur? Enimvero nescimus: nec caussam dicere habemus apud animum nostrum, nedum alios, nedum Deum. O vecordiam! insaniam! furorem! Quod enim dignum tanta supinitate nomen inveniam?

LXXXVII. Excutiamus tandem fatalem hunc veternum, & vel hoc saltem tempore agnoscamus ea quæ ad pacem nostram faciunt. Absit ut ludicris somniorum inaniis decipi nos diutius patiamur: sed ἀποθησαυρίζωμεν ἑαυτοῖς θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον. I. Tim. VI. 19. id semel statuentes frustra a nobis vitam æternam sperari in *gloria*, nisi illius initia hic habeamus in *sanctimonia*; neque quenquam perventurum ad beatam *resurrectionem corporis*, cujus *anima* non prius fuerit *suscitata* ex morte peccati. Nam & hac mente verum est id quod dicitur Apoc. XX. 6. *Beatus & sanctus ille est qui habet partem in resurrectione prima: in hos enim secunda mors non habet potestatem.* Certe *nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Joh. III. 5. Exploret ergo quisque semet-ipsum an Spiritum *novæ vitæ* auctorem in sese experiatur, per quem peccato, mundo, sibi mortuus, Deo vivat, eo vitæ genere quod a communi mortalium instituto plurimum abhorreat; quod Philosophorum moralem honestatem, Pharisæorum fucatum pro religione zelum, Hypocritarum larvatam sanctimoniam, omniumque hominum ex solis naturæ viribus operantium quantascunque virtutes longo post se intervallo relinquat: quod mentem supra fluxa seculi bona evectam in Deo fixam habeat, eum contemplando, amando, orando, laudando, imitando: in quo denique Divinæ vitæ, illiusque quam Christus in terra egit, non

obscura deprehendantur lineamenta. Quum enim id de quo agimus præmium immensæ sit dignitatis, & quod paucis oppido concedatur, merito inferimus quod eximium aliquid iis inesse oporteat, qui ejus se compotes futuros postulare ausint. *Dico enim vobis, nisi abundaverit vestra justitia, plus quam illa scribarum & Pharisæorum, vos nequaquam ingressuros in regnum cœlorum.* Mat. v. 20.

III. Adlaboremus diligenter, ne ea excidamus.

LXXXVIII. Et profecto indignus vita æterna est qui non animum induxit suum res omnes præ illa relictas habere, ingentique ausu quemvis subire laborem quem illius possessioni Divina præstruxit sapientia. Mira est, sed ad nostrum apprime faciens institutum, historia, quam *M. Paulus Venetus* narrat *Itiner. lib.* I. *cap.* XXVIII. In compendium mittam. Tyrannus quidam *Aloadinus* nomine, in Regione *Mulete*, siccariorum sibi turmam adjunxit, per quorum effrenatam ita grassatus est audaciam, brevi ut omnibus terrori esset. Milites hosce suos ut ad omnia obsequia promtos haberet, arte effecit. Hortum sibi formaverat, in amœnissima valle altissimis undique montibus cincta, omne genus voluptatibus instructissimum, prorsus ad instar Paradisi Muhammedis, cujus dogmata cum suis sectabatur. Introitum clausit arx munitissima, ingenti firmata præsidio: neque alius vel aditus patebat vel exitus. Mentitus autem paradisi se clavem a Deo nactum, quos obsequentiores sibi reddere volebat, medicato inebriatos poculo gravique per illud oppressos sopore, in hortum hunc suum inscios deferri curabat, ut expergefacti, dum tantis se interesse deliciis cernerent, in Paradisum se Dei raptos esse putarent. Sed quum tot voluptates vix dum primo labro degustassent, eodem poculo dementati extra paradisum deducebantur. Ad se reversi, non poterant non dolere tanta se felicitate excidisse, mortem libenter subituri, modo eam vitam semper vivere liceret. Sic stolidos adolescentes inescabat Tyrannus, ut animæ suæ prodigi nullum facinus detrectarent, vitam pro ista felicitate depacisci parati. Tantum si in animis mortalium valebat crassæ fraudis ludibrium; ad quos non generosos conatus excitare nos debebat solidæ felicitatis spes certa, & primitiæ neutiquam fallaces?

LXXXIX. Gratis quidem suis pollicitus eam Deus est. Est enim *χάρισμα Θεοῦ*, in Christo Jesu Domino nostro. Rom. VI. 23. *Jus* vitæ æternæ non in ullis operum nostrorum meritis, sed in sola Christi pro nobis satisfactione, fundatum est. Nemo tamen speret aliter se illius adepturum esse *possessionem*, quam via bonorum operum. *Cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite*, inclamat omnes Apostolus. Phil. II. 12. Non est in facili, neque exposita nimis tanti boni consecutio. *Justus ipse vix servatur.* I Pet. IV. 18. *Contendendum est ut intres per angustam portam.* Luc. XIII. 24. Vis facienda in Hierosolymam cœlestem, nec aliter

aliter eam occupes. *Violenti regnum cælorum rapiunt.* Mat. xi. 12. *Unicuique secundum opera sua reddet Deus.* Et nemini quidem *vitam æternam* nisi *iis qui per tolerantiam quærunt boni operis gloriam & incorruptibilitatem.* Rom. 11. 6, 7. Quis autem existimet laborem ullum, Dei impensum ministerio, aut nimium esse, aut frustraneum, cui tam inæstimabilis proposita præmii merces est? *Itaque, Fratres mei dilecti, stabiles estote, immoti, eminentes in opere Domini semper, quum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino.* 1 Cor. xv. 58.

XC. Inanis enim qui posset esse labor, cui Divina Veritas summum illud præmium addixit, quod Divina præstabit Bonitas? Cui hæc attendenti non lubebit exclamare, *Quam multa est bonitas tua quam recondis reverentibus te! operaris erga eos qui se recipiunt ad te!* Ps. xxxi. 20. Quantam boni hujus non fallax exspectatio adflictis animabus *consolationem* adferre apta nata est? Si per injustorum hominum fraudes atque violentiam hujus seculi *facultatibus exui* contingat: Deo Gratias quod Christiani hominis felicitas in iis nequaquam rebus sita sit, quas tinea aut rubigo corrumpit, quæque furum expositæ sunt artibus. Quid ille perdit, cui fortasse minutula quædam, & sua sponte peritura, quæ in domum recepit non in animum, adimuntur, ita tamen ut pretiosissimum Divinæ gratiæ unionem intactum hostibus conservet, & locupletissimos gloriæ thesauros apud Deum depositos, in sanctiori Cœlestis Templi ærario, imo in ipsius summi numinis sinu, custodiri sibi certus sit? Heb. x. 34. Quod si *adflictiones* ingruant, Christi potissimum ac pietatis caussa; durum non sit *cum Christo pati ut cum eo glorificemur. Reor enim minime pares esse præsentis seculi perpessiones gloriæ in nobis revelandæ.* Rom. viii. 17. 18. Si *morbi doloresve* graves sint corpori; si animus *tristibus* excrucietur *cogitationibus*; si *mortis* ipsius sævus intentetur horror; in futurum se exporrigat generosus hominis Christiani animus, ea sibi tempora, neque tempora, sed æviterna secula, fide occupans, quibus corpus omnibus ægritudinum difficultatibus solutum e mortis pulvere suscitatum, glorioso Christi corpori conforme, fulgebit sicut sol in regno Patris sui cœlestis: quibus anima omnibus eluctata tentationum certaminibus in Deo Christoque deliciabitur, nunc ea omnia coram cernens, possidens, fruens, sine modo ac mensura, ad satietatem absque satietate, quæ hic inter tot angustias rerum, nequicquam fremente ac frendente Diabolo, credidit, speravit, & extremis quasi labris prælibavit. Tunc resumtis viribus animose dicat, vos me morbi aut dolores, tu me mors, tu me Satan cum omnibus tuis inferorum copiis, e statione mea dejicere speratis? Jam pridem, detracta per fidem larva, novi vos. Sine voluntate Patris mei cœlestis ne hilum potestis, ne pilum nocebitis. Tu dolor, tu morbus, veterem necabitis hominem, & corpus destruetis peccati. Tu

IV. Illius spe in omnibus nos solemur adversis.

 mors

mors miseriarum mearum finem facies, latamque mihi poli portam pandes. Tu Satana vel invitus mihi futurus es humilitatis magister, & post exigui temporis certamen, tenebo te constringamque victum, & his ipsis conculcatum pedibus proteram: dum tu æternis cruciabere flammis, ego non finiendi in ævum triumphi potiar honore. *Propterea non segnescimus; sed etiamsi externus noster homo corrumpitur, internus tamen renovatur in dies. Ilico enim præteriens levitas adflictionis nostræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis: Dum non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur. Nam quæ cernuntur temporaria sunt: at quæ non cernuntur æterna.* 2 Cor. IV. 16. 17. 18.

V. Et sicuti ea dignum est, generose vitam in hoc seculo transigamus.

XCI. Tantæ cui repositæ sunt & tuto adservantur gloriæ opes, quam magno eum animo caduca seculi bona contemnere oportet, eaque quæ prophanum vulgus stupet & adorat veluti longe infra se posita pro stercoribus & damno habere? Num cœli candidatus, & resurrectionis filius, circa res nihili, ad eas congerendas, custodiendas, augendas, sese fatigabit, quæ neminem sapientiorem, sanctiorem, Deo similiorem, atque ita beatiorem faciunt, & plerumque vitiorum sunt irritamenta? Num iis vel auctis efferetur, vel ablatis collabascet? Num hujus se vitæ illecebris patietur capi, aut molestiis prosterni? Num invidis oculis eorum tuebitur vitream felicitatem, *quorum in hoc mundo portio est, quorum* non animum *sed ventrem replet Deus recondito thesauro suo, quorum filii satiantur, & excellentiam suam relinquunt nepotibus, dum in justitia Dei visurus est faciem, illius satiandus imagine postquam experrectus fuerit?* Ps. XVII. 14. 15. Sed & quantas Christo Sospitatori se debere profitebitur gratias, qui sua ipsum morte ex tam profunda miseriarum voragine, in tam excelsum felicitatis culmen evexit? *Gratias ago Deo meo per Jesum Christum.* Rom. VII. 25.

A M E N.

INDEX

INDEX.

LOCORUM SCR. SACRÆ, IN EXERCITATIONIBUS IN SYMB. APOST. SUCCINCTE MAGIS AUT PROLIXIUS ILLUSTRATORUM ET EXPLICATORUM.

Cap.	Vers.	Pag.
	GENES.	
I.	1.	89. 92. 99.
III.	15.	255.
IV.	7.	373.
V.	24.	288.
XV.	1.	53.
XVII.	1.	49.
XXII.	1. 6.	223.
	2. 12.	165.
XXXVII.	35.	248.
XLIX.	26.	99.
	EXOD.	
IV.	22.	166.
XVI.	32. 33. 34.	288.
XXIII.	21.	160.
XXX.	30.	126.
XXXI.	17.	107. seq.
XXXIII.	14. 15.	101.
XXXIV.	7.	200.
	LEVIT.	
XIV.	4. 7.	272.
XXVI.	12.	179.
	NUMER.	
XII.	8.	161.
XIII.	17.	112.
XVI.	30.	86.
XXI.	6.	224.
	DEUT.	
XXI.	22. 23.	219, seq.
XXXII.	12.	332.
	JUDIC.	
VIII.	23.	135.
	II. SAM.	
XXIII.	2. 3.	332. 333.
	I. REG.	
I.	26.	399.
XIX.	16.	125, 126.
	II. REG.	
II.	11.	288.
	II. CHRON.	
XX.	20.	34
	JOB.	
XII.	7. 8. 9.	38.
XIX.	25. 26 27.	378.
XXX.	12.	295.
XXXV.	9.	65.
XLII.	2.	176.
	PSALM.	
II.	7.	74. 158.
	8.	40. 171.
VIII.	2.	276.
	4. 5. 6. 7.	107. 304, 305.
XVI.	9. 10.	240. 246. 248. 262.
XVII.	15.	161.
XIX.	2-5.	38, seq.
XXII.	1.	265.
	16.	239.
	17. 18.	223. 225.
	21. 22.	221.
XXVII.	8.	36.
XXXII.	1.	116.
XL.	7.	189.
XLV.	8.	125.
	11.	25.
XLVII.	6.	286.
XLIX.	15.	248.
LI.	14.	153.
LXVIII.	25. 26. 27.	290.
	8.	227.
	19.	286.
	21.	229.
XCV.	7–11.	331.
CIV.	6. 7. 8.	101.
CV.	7.	39.
CX.	2. 7.	154. 268. 269.
CXXXIX.	7.	335.
CXLIX.	2.	65.
	PROV.	
IV.	5.	165.
VIII.	15.	135.
	22.	158. 159.
	23.	124.
	24.	159.
	ECCLES.	
IX.	7.	318

INDEX

Cap.	Vers.	Pag.
X.	2.	295.
XII.	1.	64.
	CANTIC.	
I.	3.	245.
	5.	357.
III.	2.	293, 294.
V.	1.	54.
VI.	3.	25.
	7.	364.
VII.	10.	26.
VIII.	1.	167.
	2.	209.
	5.	26.
	JESA.	
VII.	8.	205.
	14.	187.
XI.	1.	186.
XVI.	5.	303.
XXVI.	19.	378.
XXXIII.	22.	309.
XL.	3.	170.
XLIII.	1.	191.
	4.	155.
	11.	114.
XLIV.	24.	96.
XLV.	24.	170.
XLVIII.	16.	76.
LIII.	4. 5.	222. 223.
	8.	204.
	8. 10.	269, 270.
	9.	225. 240, 241.
LIV.	5.	65.
LV.	3.	270, 271.
LXI.	6.	151.
LXIII.	9.	161.
LXV.	1.	24.
	JEREM.	
X.	11.	95.
XXX.	6.	158.
XXXI.	22.	86. 184.
XXXII.	17.	110.
XLVI.	28.	200.
	EZECH.	
X.	4.	276.
XXI.	27.	309.
XXVIII.	2.	242.
	DAN.	
VII.	26.	314.
XII.	2.	391, 392.
	HOSE.	
VI.	2.	271, 272.

Cap.	Vers.	Pag.
	JOEL.	
III.	2. 12.	319, 320.
	MICHEÆ.	
IV.	14.	309.
V.	1.	159.
	HABAK.	
II.	4.	30.
	ZEPHAN.	
III.	5-8.	270.
	HAGG.	
II.	23.	163.
	ZACHAR.	
III.	9.	163. 196.
VI.	12. 13.	185.
IX.	12.	339.
XII.	10.	224.
	MALACH.	
III.	1.	161. 335.
	MATTH.	
I.	21.	113.
III.	11.	328.
	16.	326.
IX.	33.	88.
XI.	27.	60. 156.
XII.	31.	339.
	40.	241. 243.
XIII.	21.	27.
	35.	42.
XVI.	16. 18.	11, 12.
	21. 22.	9.
XIX.	28.	314.
XXII.	31. 32.	377.
XXV.	24.	322. seq.
XXVI.	39–44.	252, 253.
	66.	285.
XXVII.	26.	216.
	52. 53.	267.
	59.	237.
XXVIII.	1.	265.
	19.	141. 327. 338.
	MARC.	
XVI.	14.	266.
	16.	11.
	LUC.	
I.	5. 36.	186, 187.
	35.	328.
II.	21.	113.
XXII.	29.	81, 83.
	43. 44.	252.
XXIII.	22.	216.
XXIV.	19.	184.

49.

INDEX.

Cap.	Vers.	Pag.
	49.	328.
	50.	279.
	52.	278.
	JOHANN.	
I.	12.	157.
	13.	164.
	14.	183, 184.
III.	5. 6.	336.
	14.	224.
	16.	164, 165. seq.
V.	19.	72.
	22.	309.
	25.	376.
	26.	74. 158.
	27.	310.
	28. 29.	389.
VI.	27.	124.
	33.	188.
	38. 39.	203. 394.
	51.	188.
	63.	340.
VIII.	15. 50.	309.
	56.	180.
X.	16.	171.
	18.	221.
XI.	18.	279.
XIII.	15.	178.
XIV.	16. 17.	329. 343.
	28.	78, 79.
XV.	26.	76.
XVI.	7.	390, 391.
XVII.	3.	78.
	6.	161. 172.
	19.	131.
	24.	132.
XVIII.	31. 32.	205.
XIX.	1.	216.
	7.	216. 217.
	39.	237.
XX.	5. 6. 7.	265.
	17.	79.
	ACT.	
I.	8.	328. 329.
	9.	278. 283.
	12.	278, 279.
II.	3.	277.
	23.	223.
	36.	301.
V.	3. 4.	333.
	31.	282.
VII.	55. 56.	284. 298. 299.
X.	2. 4.	9.
XI.	26.	141.—
XIII.	32. 33.	75.
XX.	32.	327.
XXIV.	15.	392, 393.
XXVI.	8.	397.
XXVIII.	25. 26.	332.
	ROM.	
I.	4.	75. 157. 265.

Cap.	Vers.	Pag.
	9.	35.
	18.	199.
	20.	41, 42. 96.
	28.	45.
II.	11.	198, 199.
III.	24. 25.	200. 202.
IV.	13.	81, 82.
	25.	273.
	5.	329.
VI.	4.	272.
VIII.	1.	367.
	9. 10.	330. 401.
	11.	263. 381, 382.
	17.	83.
	28.	82.
	32.	160.
XI.	16.	349.
	I. COR.	
I.	13.	140.
II.	2.	210.
	9. 10. 11.	399. 326. 335.
III.	11.	12.
	16.	338.
	22. 23.	341.
VI.	2. 3.	313.
	13. 14.	386.
	16.	338. 340.
VII.	14.	349.
VIII.	4.	78.
XII.	3.	168.
	9. 11. 12. 13.	327. 145. 341.
XV.	3. 4. 5.	225. 239. 269. 266.
	20.	380.
	23.	395.
	24-28.	136, 137.
	42. 43. 44.	386.
	45.	183.
	45-49. 50.	387. 387, 388.
	52.	321.
	II. COR.	
II.	15.	148.
III.	6.	329.
	18.	29.
V.	16.	188.
	19. 20.	202.
VIII.	5.	25.
XII.	3. 4.	330. 284.
	GALAT.	
II.	20.	29.
	EPHES.	
I.	10.	361.
	13. 14.	341, 342.
	20. 21.	299. 303.
	22. 23.	304.
IV.	6.	78.
	9. 10,	246, 247. 275.
	PHILIPP.	
II.	7.	182.
	9, 10.	303. 114.
	11. 12.	304.
III.	7. 8.	120.

IV.

INDEX

Cap.	Vers.	Pag.
IV.	5.	322.
	COLOSS.	
I.	20.	202.
II.	2. 3.	81. 150.
	6.	25.
	9.	42—198.
III.	3.	402.
	I. THESS.	
IV.	14.	321.
	8.	333.
	16,	311. 402.
	II. THESS.	
I.	7.	312.
II.	10.	23.
	I. TIM.	
II.	5.	78. 189.
III.	15. 16.	12. 183.
VI.	15.	49. 87.
	II. TIM.	
I.	10. 18.	233. 317.
	TIT.	
I.	1.	26. 68.
	HEBR.	
I.	3.	162.
II.	7.	303.
	10. 11. 14.	200. 168. 182.
III.	7.	331.
V.	7.	229.
VII.	7.	133.
VIII.	1.	303.
IX.	5.	202.
	12. 14.	131. 334.
X.	22.	21.
	26. 29.	339.
XI.	1.	21, 22. seq.

Cap.	Vers.	Pag.
	3.	44. 88.
	6. 9.	11. 49. 34.
XII.	23. 26.	166, 167. 347.
	JACOB.	
II.	5.	154.
V.	8. 9.	322.
	I. PETR.	
II.	7.	23.
	9. 19.	171. 36.
	II. PETR.	
I.	4.	48.
II.	1.	170.
	4.	315.
	19. 20.	116. 29.
	I. JOH.	
II.	19. 20.	350. 19.
	23.	26.
V.	4.	154.
	II. JOH.	
	10.	67.
	JUDÆ.	
	4.	169.
	6. 14.	315. 312.
	APOC.	
I.	4. 5.	128. 337.
III.	12	145. 327.
IV.	11.	94.
V.	6.	338.
VI.	9. 10. 11.	402.
VII.	3.	145.
XII.	1. 2. 6.	285.
XIII.	8.	133.
XIV.	13.	402.
XX.	4. 5. 6.	395.

Vocum Hebraicarum quæ illustrantur.

ארון	169.	משיח	123.
ברא	86. 87.	נפש	248.
גואל	190, 191.	עדה	346.
האמין	14, 25.	עולה	224.
חטאת	366.	קהל	346. seq.
כארי	223, 224.	קנאה	199. seq.
כהן	152.	שאול	247.
כפורת	202, 203. 316.		

Vocum Græcarum quæ exponuntur.

ᾅδης.	248.	Ἰησοῦς.	111.
ἀνάληψις.	282.	Ἱλαστήριον.	202, 203.
ἀτυχία.	366.	κτίζω κτίσις.	86.
δεσπότης.	169.	πανήγυρις.	347.
δυστυχία.	366.	πληροφορία.	81.
ἐκκλησία.	346.	συναγωγή.	346.
ἔλεγχος.	22.	ὑπόστασις.	21.

Orat. Dom.

HERMANNI WITSII
EXERCITATIONES
IN
Orationem Dominicam.

HERMANNUS WITSIUS

Auditoribus suis, veræ

Theosophiæ Studiosis,

S.

ECTISSIMI JUVENES, SACRA DEO CAPITA, AMOR AC DELICIÆ NOSTRÆ, *uti quotidie viva voce, ita nunc scriptis vos compello literis. Id unum omni prece, studio, sollicitudine, labore agens, ut res Divinas recte edocti, eas alios aliquando docere idonei sitis. Ne pigeat literarium nunc hoc à manu mea iterum accipere munusculum. Vobis olim conscripsi, vobis edidi in Symbolum Apostolicum Exercitationes. Atque ipso facto comperi, non fuisse inanem tunc meum in Domino laborem. Fuerunt enim, atque etiamnum exstant, qui se eo aliquantulum adjutos fuisse profitentur, ad explicanda plebi Christianæ præcipua religionis nostræ mysteria, eaque applicanda ad genuinæ virtutis ac generosæ pietatis exercitium. Neque dissimulo, id mihi magnæ fuisse consolationi. Si quisquam alius, conscius mihimet ipse sum, parum admodum à me proficisci, quo Dei gloria, & regnum Christi amplificari possit. Idcirco volupe mihi est alios videre locupletioribus instructos donis, qui omnem suam operam magno cum fructu nobilissimæ illi rei impendant. Et quoties, illos inter, nonnullos eorum deprehendo qui ex mea prodierunt disciplina, toties ad agendas Deo gratias, atque ad insignem animi lætitiam, valide impellor. Neque possum quin eos considerem uti subsidiarios infirmitati meæ datos. Quo animo, quo serio, qua contentione iterum vos iterumque moneam, ut cœlestes veritates, è sacris literis, tanquam ex ipsius Dei ore, sedulo petatis; ut eas in puri cordis sacrario solicite custodiatis; ut menti impressas toto vitæ vestræ instituto exprimatis; ut professionis vestræ memores, memores spei, quam de vobis parentes, quam præceptores, quam Christi Ecclesia concepit, in hac ipsa juventute vestra Naziræos vos Domini præstetis, à mundi contagione sejunctos, sanctissimoque Dei ministerio caste addictos: neque ignorare potestis, neque inficiari unquam poteritis. Nostis etiam quomodo ea quam sector informandi ratio tota ad hunc finem comparata sit. Nunquam enim in operosarum sophisticationum inanes subtilitates, aut in contentiosarum disputationum acrimoniam, aut in secus sentientium prætumidam exagitationem, aut in Fratrum à nobis in diversa abeuntium ludibria, aut in propriarum inventionum, quas fere nullas esse*

lubens

lubens fateor, stultam prædicationem, nostra desinere solet commentatio. Sed quod à Deo me didicisse gratulor, perinde existimans cujuscunque hoc factum sit hominis interventu, placide, tranquille, & cum Spiritu lenitudinis vobiscum communicare amo: hoc operam dans, ut demonstratione veritatis ad conscientiam Deo me primum approbem, tum animo meo, denique vobis. Atque hæc docendi ratio, quæ ab omni strepitu pompaque longe semota est, quamvis frigidiuscula videri possit; non tamen suis caret, sed salutariter pungentibus, aculeis, & sane omnium aptissima est ad eam ingenerandam sapientiam, quam Apostolus Jacobus laudat. Quæ primum quidem casta est, deinde pacifica, æqua, obsequens, plena misericordia & fructuum bonorum, absque disceptatione & minime simulata. Quicunque consideratione Divinarum virtutum, prout resplendent in facie Christi Domini, cæterarumque sublimium veritatum, quas patefacit Evangelium, in luce Spiritus Sancti placida contemplatione, non accenditur ad earum amorem, non animatur ad strenuum pro iis cernendum certamen, etiam ad martyrium ac mortem usque; eum non valde commovebunt vehementes de rebus Divinis altercationes. Aut si quis inde oriatur ardor, eum ego suspectum haberem tanquam peregrinum ignem, qui non est ut Deo in altari suo sit acceptus. Quandoquidem vero ea quam vos docere, aut potius vobiscum discere amo, sapientia, castis purisque precibus à Deo petenda est; hinc facile à me impetrari passus sum, ut quæ de precum exercitio, atque ea imprimis oratione quam commendavit nobis Jesus, olim ore exposueram, ea nunc calamo consignata vobis sisterem. Scio equidem, viros omnium ætatum atque ordinum illustrissimos, quibuscum me meave comparari iniquissimum foret, hanc materiam pridem occupasse. At nisi ea à me accipere in animum inducatis, que ab aliis, & fortasse melius, dicta sunt; & mihi æternum esset imponendum silentium, & vobis vacuis plerumque recedendum manibus. Neque tamen ita existimetis velim, nihil prorsus à me actum esse. Aliquid certe in vestrum commodum actum erit, si quæ sparsim alibi exstant, neque absque molestia conquirenda, ea nunc vobis collegerim, & in fasciculum non plane inconcinnum colligaverim. Et quid ni de hoc opere idem sperare mihi liceat, quod de aliis meis, quæ non ingrata vobis, neque prorsus inutilia fuisse, aliquoties estis testati? Homines eruditos, & studiorum nostrorum veteres, ut docere præsumam mea me satis vetat tenuitas. At neque displiciturum iis confido, quod pubi Academicæ ea à me tradi videant, quæ & ipsi fortasse quum juvenes essent à magistris suis didicerunt. Quid enim aliud ab eo exspectent homine, qui nihil antiquius habet, quam vobis ex officii ratione, pro modulo suo prodesse? Cæterum non semper me subsistere in his doctrinæ nostræ elementis, ipsi omnium novistis optime. Quoties dux &

 auctor

auctor vobis sum, ut omnia tam Veteris quam Novi Instrumenti Divina volumina magno animo atque indefesso studio aggrediamini? Eo conferentes, quicquid ex linguarum originalium accuratiori examine, ex Antiquitatibus Hebraicis, Græcis, Romanis, iisque nostri ævi scriptoribus qui hanc sibi præcipue sumserunt operam ut illustrandis sacris literis incumberent, industrie potestis colligere? Quoties conquestus sum, hæc tam præclara, à nimium desidiosis, aut plus justo Festinantibus, sicco pede præteriri? Quoties hortatus sum, ut non contenti ex Locis Communibus, Systematibus, Summis, Synopsibus ea didicisse, quorum in Examinibus reddenda aliquando erit ratio, generosioris animi stimulis instigati ad majora eniteremini, ac sapientiam Dei, per universum scripturæ corpus, non in dogmatibus solum, sed & historiis, & ritibus, & prophetiis, mirabili varietate partitam, ea qua par est diligentia rimaremini? Quoties in eam rem meam vobis obtuli manuductionem; si non peritissimam, fidem certe atque liberalem, quam quibus sequi libuerit mirum ni brevi ductorem ipsum præcurrant? Ita est, mei Juvenes; modo cum Deo incipiatis, modo naviter opus urgeatis, verbo ut dicam, modo vobis ipsi non desitis, desperandum non est de eximiis profectibus, eo tempore de quo credibile est Danielis cecinisse oraculum, PERCURRENT MULTI, ET AUGEBITUR COGNITIO. *Hoc omine desino, Deum supplex venerans, ut vos ad omne opus bonum perfecte instructos, primæ magnitudinis stellas in cœlo Ecclesiæ suæ faciat. Et si quid bene de vobis merui, precibus vestris, pro misero me peccatore, apud communem Dominum, per unicum Servatorem Christum, intercedite. Ita scribebam Ultrajecti. Anno æræ vulgaris* M DC LXXXIX. *Ante diem* VIII. *Kal. Jul.*



EXER-

EXERCITATIO I.

DE

ORATIONE.

BREVIARIUM.

I. *Summa eorum quæ dicenda sunt.* II. III. IV. Δεήσεις, προσευχαὶ, ἐντεύξεις, αἰτήματα, εὐχαριστίαι, *quomodo differant.* V. *Voces Hebrææ.* VI שאלה. VII. רנה. VIII. שועה. *Quiritatio.* IX. תפלה. X. תחנה. XI. *Orationis definitio.* XII. *Sola creatura rationalis orat.* XIII. *Quo sensu brutis oratio attribuatur.* XIV. *Cur Assyrius jumenta jejunare, & saccis operiri jussit.* XV. *Spiritus S. & Filius Dei ante incarnationem, orare dicuntur.* XVI. *Atque ille quidem ea mente, quod orationes nobis suggerat.* XVII. *Quæ sensum ac studium ejus continent.* XVIII. *Hic vero, qua sponsor.* XIX. *Solus Deus adorandus.* XX. *Mente intenta in virtutes Dei, ac distinctas Deitatis personas.* XXI. *Speciali ratione circa Christum Mediatorem nostrc versatur oratio.* XXII. *Quæ ratio distincte explicatur.* XXIII. *Origenes laudatus.* XXIV. *Virus Theologiæ Socinianæ circa adorationem Christi.* XXV. *Idololatria est, creaturam quamcunque religiose colere.* XXVI. *Cui & à quibus debetur Adoratio, eidem & ab iisdem debetur Invocatio.* XXVII. *Religiosam adorationem non concedit Deus non-Deo.* XXVIII. *Quæ veritas nullis cavillis eludi potest.* XXIX. *Cultus Christi ejusdem ordinis est cum illo qui debetur Patri.* XXX. *Exponitur Phil:* II: 9. 10: XXXI. *Quid sit forma Dei.* XXXII. *Quid sit gerere se parem Deo.* XXXIII. *Ipsa Christi exinanitio argumentum summæ Deitatis est.* XXXIV. *Uti & superexaltatio, propter voluntariam humiliationem ei concessa.* XXXV. *Et nomen supra omne nomen.* XXXVI. *Quod quo sensu Christo gratis datum sit.* XXXVIII. *Oratio est alloquium Dei.* XXXIX. *Quid sit Deum orare in Spiritu ac veritate. Joh:* IV: 23. XL. *Item lingua, spiritu, mente.* I *Cor:* XIV: 15. XLI. *Clara voce orandum esse, multi voluerunt.* XLII. *At distinctione opus est.* XLIII. *Vitanda est Battologia.* XLIV. *Promissio de exauditione precum sub restrictionibus quibusdam intelligenda est.*

I. Summa corum quæ dicenda sunt.

I. Uum eam sacræ Orationis, sive formulam, sive Exemplar, quod auditoribus atque discipulis suis commendavit Dominus Jesus, Exercitationibus aliquot illustrare animum induxerim; res ipsa postulare videtur, ut de ea religionis nostræ parte quæ precibus consistit non indiligenter primo disputem. Multa enim concurrunt, quæ hanc nobis tractationem commendare debeant. Non dico nunc, lucem accensum iri obscurioribus aliquot Christianæ, vel Judaicæ etiam, antiquitatis ritibus, imo & plurimis sacrarum literarum pericopis. In id præcipue incumbo, ut rite informetur animus quomodo pure casteque ad Deum accedat, & pia grataque summo Numini vota offerat. Hoc autem ordine procedendum mihi arbitror: ut primo exponam QUID SIT ORATIO, tum quæ nostra ad eam OBLIGATIO, denique QUO MODO institui debeat. Quæ singula in sua iterum capita varie partientur.

II. Δεήσεις, προσευχαὶ ἐντεύξεις, αἰτήματα, εὐχαριστίαι, quomodo differant.

II. Non inutile erit eas in antecessum voces explanare, quibus, tam Novi, quam Veteris instrumenti scriptores, de oratione agentes, uti solent. Paulus *δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις* commendat I Tim: II: I. quibus *αἰτήματα* addit Phil: IV: 6. omnibusque *εὐχαριστίας* conjungit. In quarum vocum discrimine assignando non consentiunt interpretes; quamvis in eo conveniant, omnibus preces designari, neque tamen eodem modo atque adspectu. Plerique distinctas precum species notari arbitrantur, quæ sub generali *αἰτημάτων*, sive *petitionum* nomine comprehensæ sint. Hac mente, ut *δεήσεις* notent *deprecationes*, ad *mala avertenda; προσευχαὶ* sint *preces* ad *bona obtinenda, ἐντεύξεις, intercessiones pro aliis.* Sic *Theodoretus, δέησις ἐστιν, ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τινῶν λυπηρῶν ἱκετεία προσφερομένη. Deprecatio, est ad malorum quorundam depulsionem oblata supplicatio. Προσευχή ἐστιν αἴτησις ἀγαθῶν, est petitio bonorum. Ἔντευξις ἐστι κατηγορία τῶν ἀδικούντων, est accusatio injuria afficientium*, & consequenter intercessio pro aliis qui injuste opprimuntur.

III. Sed quod sine doctissimorum hominum fraude sit, dubitare nobis liceat, satin hæc sint solida. Nam *δέησις*, si *vim vocis* sequamur, *ἀπὸ τοῦ δεῖσθαι*, & petitio ejus *οὗ δεόμεθα*, *quo indigemus.* Optime Gregorius Nazianzenus *Carmine Jambico* XV. *Δέησιν εἶναι, τὴν αἴτησιν ἐνδεῶν. Δέησιν esse existima hæc petere quæ desunt tibi.* Et si *usum* observemus, notat etiam *petitionem boni.* Ita Zachariæ pro filio oranti respondit Angelus, *ne metue Zacharia, διότι εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου, & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium.* Luc: I: 13. Vox *προσευχῆς* admodum generalis est, & significat qualiscunque voti nostri expositionem: quod non minus tendere potest ad averruncationem mali, quam ad impetrationem boni. Certe talis erat *προσευχὴ* Christi Mat: XXVI: 39. & 41. quando

προσευ-

προσευχόμενος dicebant, *Pater, si fieri possit transeat a me calix iste.* Talis etiam προσευχὴ quam suadebat discipulis com: 41. προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. Denique quum quidquid distinctis precum nominibus hic complectatur Apostolus, id pro omnibus hominibus fieri velit, quæ ratio dici potest cur solam ἐντεύξεως vocem de *intercessione pro aliis* interpretemur? Certe id non significat 1 Tim: IV: 5. ubi ea quæ a Deo creata. nostroque usui donata sunt, sanctificari docet διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως.

IV. Mihi sic videtur: unam eandemque rem diversis nominibus designari pro diversis quos habet adspectibus. Preces nostræ δεήσεις vocantur, quatenus, quatenus iis nostram apud Deum testamur *egestatem*, nam δέεσθαι *indigere* est: προσευχαὶ quatenus *vota* nostra continent: αἰτήματα, quatenus exponunt *petitiones* & desideria: ἐντεύξεις, quatenus non timide & diffidenter, sed *familiariter* Deus se à nobis adiri patitur. Ἔντευξις enim est *colloquium* & *congressus familiaris.* Εὐχαριστίαν *gratiarum actionem* esse pro acceptis jam beneficiis, notius est quam ut moneri oporteat.

V. Simile quid observare licet in vocibus Hebraicis quæ frequenter junguntur aut alternantur. Quarum præcipuæ sunt, תחנה & תפלה / שאלה / רנה / שועה / ordine a nobis clarandæ. Singulæ enim aliquid dicunt, quod in oratione attendi meretur. V. Voces Hebrææ.

VI. שאלה / est αἴτησις *petitio. Dedit Jehova mihi* את שאלתי אשר שאלתי מעמו *petitionem meam quam petii ab eo,* ait Anna 1 Sam: I: 27. Alio ejusdem originis vocabulo David orationes vocat משאלות לב / *petitiones, optata cordis.* Ps. XXXVII: 4. VI. שאלה.

VII. רנה / significat *clamorem validum*, aliquando quidem in cantu & lætitia, aliquando in præconio, sed & aliquando in ploratu & precibus. לשמוע אל הרנה *ut attendas ad clamorem*, ait Salomon 1 Reg: VIII. 28. David Ps: XVII: 1. הקשיבה רנתי *attende ad clamorem meum.* Notat animi solicitudinem, quæ vehementer corpus quoque afficiens, & spiritus agitans, valide impellit linguam, auxilium petituram adversus ingruentia mala. Respondet Pauli phrasis, κραυγὴ ἰσχυρά Heb: V: 7. VII. רנה.

VIII. שועה / est vociferatio, qua petitur salus. Clarissimus *Coccejus* amat *Quiritationem* vertere. Porro *Quiritare* Romanis is dicitur qui *Quiritium fidem* clamans implorat: unde nostrum Belgicum *Kryten* originem suam habere in Etymologica conjectat *Vossius*, quasi *Quiriten*, Sed hæc propter viam, redeamus ad שועה / cujus vim vocis non melius expressero quam Cocceji verbis *ad* Ps: V. 9. *Est vox*, inquit, *constituti in periculo, & discrimine salutis præsentissimo, qua is sibi vim fieri significat, ad excitandum eos quos ad injuriam ab innoxio repellendam vel voluntas* VIII. שועה. Quiritatio.

voluntas, vel officium potest commovere. Hoc enim est ישע *quod quia salutis caussa sit, a* ישע *sive* ישועה *salutem notante, deduxerim. Vel enim clamabant,* הושיעה *serva vel* חמס *vis fit, vel similiter. Ut Latini, Io Quirites Serva, Opprimor, & similia.*

IX. תפלה. IX. At plurimum observandum est in voce תפלה quæ orationem notat quatenus caussæ bonitate nixa ad Deum ut *arbitrum* ac *judicem* defertur, est enim a פלל *judicavit.* Huc pertinet præclara illa Eli Sacerdotis ad filios suos sententia. I Sam: II: 45. *Si peccaverit vir adversus virum,* ופללו אלהים *judicabit eum Magistratus; sed si in Jehovam ullus peccat,* מי יתפלל לו *quis orabit pro eo,* eo nimirum orationis genere quod ullam caussæ fiduciam apud summum istum judicem præ se ferat. Alias enim nihil vetat supplicationem Deo offerre, qua admissi veniam debita animi humilitate petas. Uti Jobus Cap: IX: 15. למשופטי אתחנן *judicem meum deprecabor,* gratiam illius implorans. At qui suæ sibi bonæ caussæ conscius, cum fiducia accedit ad Deum, juris sui demonstrationem adversus hostium improbitatem postulans, illius oratio secundum omnem vim vocis תפלה dici potest. Talis erat oratio Davidis Ps: V: ubi ad Dei sanctitatem & justitiam provocans, hostiumque suorum furorem graphice exponens, de sua interim innocentia ac pietatis studio protestans; ita instituit: vers: 3. *Attende voci clamoris mei, Rex mi, & Deus mi,* כי אליך אתפלל *quia ad te,* ut æquum judicem atque arbitrum, *orationem habeo.* Conferri meretur Luc: XVIII: 7. Ὁ δὲ Θεὸς οὐ μὴ ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν, *Deus autem non vindicabit electos suos clamantes ad ipsum die ac nocte?* Sed & illud observandum, תפלה non solum valere ad impetrationem juris, verum etiam ad deprecandum culpam; sic tamen ut hac quoque in parte justitia Dei attendatur: supposita nimirum Messiæ satisfactione. Est enim quædam etiam judicialis actio apud Deum, qua fit, ut reum qui agnoscit delictum, & ad arcem salutis confugit, & Messiæ justitia nititur, justum sit Deo non tantum gratiose dimittere, nec punire, sed etiam assumere. Imo habent fideles accessum ad Deum, tanquam ad justum judicem, ut propter Christum veniam peccatorum ab eo petant, atque exspectent. I Joh: I: 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est &* JUSTUS, *ut remittat nobis peccata.* Atque hactenus in ea quoque oratione ubi quam maxima gratiæ imploratio est, remanet respectus aliquis ad Dei Justitiam. Eleganter hæc junxit David. Ps: IV: 2. *Quum voco, responde mihi, Deus justitiæ meæ. In arcto dilatasti mihi. Gratiosus esto mihi,* ושמע תפלתי *& exaudi orationem meam.*

X. תחנה. X. Cæterum alio respectu oratio תחנה dicitur, quatenus nimirum est *supplicatio favoris* ac clementiæ apud eum cujus bonitati potius, quam caussæ nostræ, beneficium aliquod debere volumus. Nam tam *favorem*

ac

ac clementiam ea vox significat; quam *supplicationem favoris* ab eo qui dives est gratia, ad condonandum & donandum. Unde talis orationis species summa cum humilitate Deo offerri solet. In תפלה qua tali, dominatur fiducia bonæ conscientiæ. In תחנה dominatur humilitas, cum confessione indignitatis. Huc facit & illa phrasis, qua תחנה dicitur *cadere*, & orantes eam *prosternere*. ותפל נא תחנתי לפניך *cadat quæso deprecatio mea coram te*, inquiebat Jeremias. Cap: XXXVII: 20 Iterumque Cap. XLII: 9. *misistis me ad Deum* להפיל תחנתכם לפניו *ut prosternerem deprecationem vestram coram ipso*. Respicitur ad gestus supplicantium, qui ad terram proni gratiam implorant. Nam dum ipsi procidunt, & pedibus advolvuntur, una cum ipsis verba procidunt, quibus ad favorem animum flectere constituunt.

XI. At fortasse justo diligentiores quibusdam videbimur in hac explicatione vocabulorum. Quamvis revera nihil minutum aut superfluum censere liceat, quod ad illustrationem sacri sermonis facit; neque inutile aut injucundum piis sit ex ipsa vocum diversitate discere, quid ipsis, quid precibus ipsorum conveniens sit. Sed ad rem ipsam accedamus. Non incommode forsan Orationem hoc modo definiverim. ORATIO EST ALLOQUIUM CREATURÆ RATIONALIS AD DEUM, QUO EXPONIT EI ANIMI SUI DESIDERIA, CUM FIDUCIA IMPETRATIONIS. Ad cujus definitionis elucidationem expendamus. I. QUIS ORET. II. QUIS ORETUR. III. QUA IN RE ORATIO SITA SIT. XI. Orationis definitio.

XII. Proprie loquendo, nemo orare potest, nisi *creatura*, & ea quidem *rationalis*. Creator enim, quum nullius rei indignus sit, neminemque se ditiorem habeat à quo aliquid accipere possit, neminem superiorem cui reverentiam præstet, ut orare credatur, majestate ipsius indignum est. Creatura autem irrationalis, quum neque Dei Majestatem, neque suam indigentiam intelligat, ad orationem non est idonea. Solæ creaturæ rationales, Angeli & Homines, orationis propriè dictæ capaces sunt. XII. Sola creatura rationalis orat.

XIII. Atque hæc quidem per se tam sunt evidentia ut vix digna memoratu videri possint, nisi occasionem nobis suppeditarent elucidandis aliquot scripturæ dictis. Duæ enim hic occurrunt difficultates, quarum tamen posterior priore longe intricatior est. Dubium primo videri posset, quo sensu scriptura *brutis* quoque animantibus orationem, clamorem suspiria, spem in Domini benignitatem attribuat. Ps. CXLVII: 9. Joel. I: 18. Ps. CIV: 27. Tum etiam quid sibi voluerit, quod Rex Ninives *jumenta* quoque jejunare, saccis operiri, & ad Deum valide clamare jusserit Jon: III: 7. 8. Atque illud quidem quod attinet, non est obscurum totam eam locutionem esse metaphoricam, quâ, phrasi ab hominibus desumpta, denotatur brutorum indigentia, & dependentia à Deo, cum connotatione XIII. Quo sensu brutis oratio attribuatur.

Divinæ providentiæ, quæ citra ullam eorum curam ipsis de necessariis prospicit, non minus quam si enixis precibus continuo id a Deo contenderent.

XIV. Cur Assyrius jumenta jejunare, & saccis operiri jusserit.

XIV. Sed Assyrii Regis jussum aliò spectabat. Faciebat id ad testandam luctus dolorisque magnitudinem, quæ omnibus signis exprimenda erat, quibus exprimi poterat. Receptum antiquis fuit, ut in gravissimo luctu & pecudes à pastu pellerentur, & equi camelique, atque id genus jumenta, pretiosis străngulis ac tegumentis suis exuta, atrata ac squalida in publicum prodirent. Exemplum præbet *Virgilius Eccl.* v. in acerbissimo luctu propter mortem Cæsaris.

Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina, nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Faciebat quoque ut hoc spectaculo magis commoverentur homnines ad dolorem; & velut in speculo viderent, quid meriti essent; sicut & lege Divina jussi sunt pecudes mactare & cremare, ut in iis vivam suæ damnationis cernerent imaginem. Et quid convenientius fuit quam ut iis nunc bestiis uterentur ad doloris & pœnitentiæ incitamentum, quibus ad luxuriem ac fastum modo abusi fuerunt? Adde, quod quum hæc omnia hominibus inserviant, eorum afflictio ad hominum quoque afflictionem pertineat. Accedit, quod spem foverent, facilius numen ad misericordiam flexum iri, si totus aër, non hominum modo clamoribus & ejulatibus, sed & jumentorum esurientium boatu, rugitu, balatu resonarent.

XV. Spiritus S. & Filius Dei ante incarnationem orare dicuntur.

XV. Major est difficultas, quum Deum orare non posse adstruxerimus, quo pacto Paulus *Spiritui Sancto* ἔντευξιν attribuat: & Christus Dei Filius, etiam ante dies suæ ἐνσαρκώσεως, pro Ecclesia intercessisse, legatur. De Spiritu enim ita scribit Paulus Rom. VIII: 26. 27. *Ipse Spiritus* ὑπερεντυγχάνει *intercedit pro nobis suspiriis inenarrabilibus. Qui vero scrutatur corda, novit* τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος *quid sapiat spiritus: quia secundum Deum intercedit pro sanctis.* Et de *Filii* intercessione in Veteri Testamento aliquoties exstat. Huc sane, ut alia nunc omittam, referenda est Zachariæ visio. Cap. I: 12. 13. Ubi repræsentatur Angelus Jehovæ, hac Jehovam oratione compellans: *O Jehova exercituum! quousque tu non misertus es Hierosolymorum, & civitatum Judæ, in quas indignatus es jam septuaginta annis? Respondit autem ei Jehova exercituum verba bona, verba consolatoria.* Angelus ille Jehovæ, Christus Dominus est, idem qui *inter myrtos stabat, quæ erant in profundo.* vers: 11. id est; qui Ecclesiæ suæ, in ipsa etiam oppressione, myrtorum instar, semper virenti, tutelâ suâ adest: quem viderat Zacharias sub emble-

emblemate *viri insidentis equo rufo:* quem, ut imperatorem suum, *sequebantur equi rufi, balii, & albi.* vers: 8. ad quem accedunt actuum suorum reddituri rationem. vers: 11. qui denique alloquitur prophetam, omniaque dicenda suggerit. Hic Angelus Jehovæ, qui se pro Jehova gerit introducitur tamen ut orans.

XVI. Respodeamus ad singula distinctè. *Spiritus* dicitur pro nobis ὑπερεντυγχάνειν, non quod ipse oret, sed quod, ut Spiritus precum, Zach: XII: 10. orationes nobis formet, dictet, suggerat. Nimirum est παράκλητος *Advocatus* noster uti sæpius apud Johannem dicitur, non tam quod caussam nostram apud Deum agat (eo sensu Christus noster Advocatus est 1 Joh: II: 1. qui ob eam rem à nobis abiit ad Patrem,) quam quod Dei Christique caussam agat apud nos, ad quos à Patre & Christo mittitur. quibus successum satisfactionis & advocationis Christi exponit, quos excitat ad ejus rei fiduciam; quos instruit argumentis, quibus & coram Deo, & contra adversarios, jus & securitatem nostram tueri valeamus. Finge tibi reum aliquem, cui, super maximi momenti negotio, libellus supplex offerendus est judici: ipse autem neque materiam scribendorum, neque scriptionis formulam exploratam ullo modo habeat. Finge pariter Advocatum artis suæ peritissimum, qui libellum totum formet, quem describat reus, quem sua manu signet, quem ipse judici offerat. Libellus quidem ille totus opus Advocati est, attamen libellus petentis censeri debet, quippe cujus caussa agitur, & ad quem quidquid petitur redundat. Ille reus nos sumus; qui quum multa ad Deum dicenda habeamus, tamen quid oremus ut oportet, non novimus. Ille advocatus Spiritus Sanctus est; qui omnia quæ & quomodo petenda sint suggerit, qui mentis nostræ oculos aperit, ut & indigentiam nostram, & spiritualium ac cœlestium rerum præstantiam rite æstimemus; qui ardens earum rerum desiderium in nobis excitat; iisque nos affectibus imbuit, qui Dei majestate, nostra vilitate, rerum desideratarum præstantia digni sint; qui denique sanctam largitur παῤῥησίαν. Atque ita clamat in nobis Gal: IV: 6. ut per eum nos clamemus, Abba Pater. Rom: VIII: 15. Ita intercedit pro nobis suspiriis inenarrabilibus, ut ea in nobis excitet ac cieat.

XVI. Atque ille quidem, ea mente quod orationes nobis suggerat.

XVII. At neque hoc totum est: ita considerari debent ista suspiria ut φρόνημα τῦ πνεύματος, continentia *mentem, sensum, studium Spiritus.* Sic ut quod nos petimus ipso charitatem in cordibus nostris accendente, id nobis Spiritum Dei à Deo petere, hoc est, nobis una voluntate cum Patre & Filio decernere, non dubitemus. Neque emphasi sua caret illud ὑπερεντυγχάνειν quod Spiritui attribuitur. Nos per Spiritum sumus ἐντυγχάνοντες pro nobis ipsis. Spiritus ὑπερεντυγχάνει, superaddit aliquid intercessioni nostræ; conciliat ei vim novam: facit ut vota nostra

XVII. Quæ sensum ac studium ejus continent.

non pro nostro solum studio, sed & pro suo habeantur. In quibus omnibus non modo nihil est, quod infra Majestatem summi numinis sit; sed cuncta potius incredibilem atque inæstimabilem Dei erga nos charitatem evincunt.

XVIII. Hic vero, qua sponsor. XVIII. De *Filio Dei* pro nobis deprecante ita statuendum est, considerari eum posse bifariam, I. Ut *Deum*. II. Ut *Sponsorem*. Qua *Deus*, Patri ὁμοούσιος καὶ ἰσότιμος, non orat, sed oratur. Qua *Sponsor*, ex voluntate Patris & sua, susceperat ea in tempore præstare quæ ad plenissimam salutis nostræ impetrationem requirebantur. Illiusque Mediatorii muneris fere quoad omnes sui partes, præludia exhibebat ante unitam sibi humanam carnem. Huc pertinebat ea deprecatio: ita à nobis intelligenda, ut sit expositio voluntatis illius quam Filius Dei qua sponsor habebat, ut id quod ut bonæ fidei sponsor stato tempore suis impetraturus erat, nunc iis applicaretur. Quæ non est oratio nostræ similis, cum confessione indigentiæ, aut subjectione ad majorem, sed gloriosa declaratio illius voluntatis, quæ non potest esse nisi in Filio Dei, qui solus dignus est cui Mediatorium munus imponatur.

XIX. Solus Deus adorandus. XIX. Hactenus consideravimus *Orantes*, nunc de eo agamus qui *Orandus* est. Atque eum quidem solum Deum esse, in dubium vocari à Christianis hominibus non debebat. Secundum id quod tentatori dicebat Dominus Matth. IV, 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.* Penes Deum solum ea suprema *Majestas* est quam in precibus agnoscimus & veneramur Jer. X. 6, 7. Ille solus est *omniscius*, ut desideria, vota, & suspiria ἀνεκλάλητα omnium ubique locorum exaudire norit, I Reg. VIII: 39. omnesque omnium necessitates scire. Matth. VI: 8. 32. Solus *omnipotens*, qui summa cum exuberantia omnia possit facere super ea quæ petimus aut exspectamus, pro illa vi agente in nobis. Eph. III: 20. Solus *omnis boni fons*, pater luminum, à quo omnis bona donatio, & omne integrum donum, superne descendit. Jac. I: 17. quique ex isthac sua scaturigine de torrente deliciarum ad beatam usque ebrietatem familiaribus suis bibendum dat, uberrime eos pinguedine domus suæ explens. Psal. XXXVI: 9. 10. In eo solo omnis idcirco precantium collocanda est fiducia. Jer. XVII: 5. 7. Verbo ut absolvam, is est cui dicitur: Psal. LXV: 3. TU AUDIS ORATIONEM, AD TE OMNIS CARO VENIET.

XX. Mente intenta in virtutes Dei, ac distinctas Deitatis personas. XX. Cæterum non sufficit agnoscere solum Deum esse adorandum, nisi id porro attendamus qua ratione, quaque σχέσει, animæ, pie & scitè oranti, obversetur. In oratione ergo anima devota ac sapiens Deum contemplatur. I. Secundum virtutes suas, eas maxime quarum animadversio reverentiam, fidem, spem, zelum excitat. II. Secundum admirabilem illam personarum distinctionem, cui salutis nostræ œconomia inædificata

ædificata est. Juvat compellare Patrem, ut qui consilii pacis princeps auctor est, egitque de nobis adoptandis in filios per Iesum Christum, in sese, pro benevolo affectu voluntatis suæ. Filium, ut Fratrem nostrum primogenitum, qui æterni Patris favorem nobis conciliat, nosque inviolabili testamento cohæredes suos mirabili prorsus modo facit. Spiritum Sanctum, ut regenerationis, sanctificationis, consolationis nostræ principium, & consummatorem. Hoc modo distincte individuæ Trinitatis personas compellavit Paulus, 2. Cor: XIII: 13. & Johannes, Apoc: I: 4. 5. III. Denique ita Deum considerat is qui orat sapienter, quemadmodum est, & se cum peccatore communicat, in Christo Mediatore, in quo coli vult, & sine quo uti par est ab homine peccatore coli non potest. *Hæc enim est voluntas Patris, ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem: qui non honorat Filium, non honorat Patrem, ut qui miserit eum.* Joh: V: 23. Et sane *dignus est Agnus ille mactatus, qui accipiat potestatem, & divitias, & sapientiam, & vires, & honorem, & gloriam, & benedictionem: dignus cui res omnes conditæ, quæ in cælo sunt, & quæ in terra, & sub terra, & in mari, & quæ in eis sunt omnia, una voce occinant: Ei qui insidet throno, & Agno, benedictio & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Apoc: V: 13. 14. Hoc est *nomen illud supra omne nomen* quo Christum donavit Deus, *ut ad nomen Jesu omne genu se flectat, cælestium, ac terrestrium, & subterraneorum, omnisque lingua profiteatur Jesum Christum esse Dominum, ad gloriam Dei Patris.* Phil. III. 9. 10. 11.

XXXI. Ex quibus omnibus patet, quod circa Christum Mediatorem & Dominum nostrum speciali ratione nostra versetur oratio. Quomodo autem ille in oratione considerandus sit, id enimvero inquisitu dignum est. Non libet nunc eam disputationem ingredi qua olim præstantissimorum etiam Theologorum distracti sunt animi, *An Christus qua Mediator sit adorandus.* Ea enim, si affectus absint, in λογομαχίαν recidere videtur, quandoquidem Orthodoxi omnes in sequentibus conveniunt hypothesibus. I. Fundamentum adorationis esse solam Divinitatis præstantiam; neque adorandum fuisse Jesum nisi summus cum Patre Deus esset: unde ex adoratione Jesu debita æterna ejus Divinitas solide infertur. II. Ipsum Mediationis opus continere in se θεῖα αὐχήματα, Divinæ præcellentiæ argumenta, & exerceri non posse a non Deo; ipsamque adeo ταπείνωσιν, & assumtionem formæ servi, includere ac supponere, Divinæ Personæ, hoc ex pacto quod Deo dignum sit facientis, infinitam dignitatem. III. Gloriam illam excellentissimam qua Christus secundum humanam naturam donatus est, indicium atque argumentum Divinitatis Christi esse. Neque enim humana Christi natura ad eum gloriæ gradum evecta fuisset, aut

XXXI. Speciali ratione circa Christum Mediatorem nostra versatur oratio.

θεοπρεπῶς evehi potuisset, nisi esset humana natura Filii Dei. IV. Non tamen eam humanæ naturæ gloriam, quantamcunque illam esse prædicemus, efficere ut Christus secundum humanam istam naturam, sive quatenus homo est, quamvis glorificatus homo, adorandus sit. V. Attamen Mediatorem esse adorandum, qui θεάνθρωπος est; imo & qua Mediatorem in oratione considerandum esse; eaque à Christo petenda quæ qua Mediator facit. Quod superesse potest controversiæ, pendet ex subtili & scholastica illa interpretatione particulæ QUA, quam scriptura in hoc negotio nunquam adhibet.

XXII. Quæ ratio distincte explicatur.

XXII. At nos nunc praxin orationis ad Christum directæ exponamus, quæ profecto non hæret in scholasticis subtilitatum minutiis. Circa eum ergo ita versari & potest, & debet piorum oratio. I. Ut religiose perpendentes mediatorii muneris præstantiam, Filium Dei laudent tanquam qui solus idoneus & dignus est tantæ molis opus in se suscipere, & peragere. Opus certe de quo dici non possit, ut est apud Mosem Deut. XXXII: 27. *Non Jehova fecit hoc.* Hæc est gloria Mediatoris Christi, ut quivis ei dicat, *Utique in Jehova omnis justitia & robur est, ad eum quisque veniet: in Jehova justificabuntur, & gloriabuntur totum semen Israëlis.* Jes: XLV: 24. 25. II. Ut confidant, sperent, delicientur, jubilent in immensa ista charitate, qua vadimonium pro iis obire, & quæ eo pertinent omnia præstare voluerit. Hoc est canticum illud novum quo viginti quatuor Seniores honorant Agnum, *quoniam*, inquiunt, *mactatus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes.* Ap: V: 9. III. Ut læti agnoscant gloriæ præcellentiam, etiam in humana natura resplendescentem, quam post humiliationem suam consecutus est, glorificatus nunc *ea gloria quam habuit apud Patrem antequam mundus esset.* Joh. XVII: 6. Non quod humanam naturam adorari velim: hoc enim jam pridem occupavi, sed quod ex splendore isthoc incomparabilis gloriæ, qua secundum humanam naturam donatus est Christus, ad laudem & Patris & Filii piis meditationibus colligi velim, eam personam, quam adeo nunc glorificatam conspicimus, non posse non gloriosum atque unigenitum Dei Filium esse, cujus Majestas olim sub velo carnis & servilis speciei occultabatur. IV. Ut ab ipso omnium quæ meritus est bonorum ἐπιχορηγίαν petant, secundum potestatem ipsi à Patre factam. Ap: I: 5. 6. *Gratia sit vobis & pax à Jesu Christo, qui est fidus ille testis primogenitus ex mortuis, ac princeps Regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum.* V. Ut petant ipsius validissimam, & cui nihil negari queat, apud Patrem intercessionem. Nam quod non indignum est Christo facere, quod decet fideles de Christo credere, sperare, exspectare; id decet

cet etiam orare. Nec est quod objicias, in tali oratione duas contrarias σχέσεις simul attribui Christo: dum enim oratur, agnosci eum pro summo; dum rogatur ut orat, id ab ipso peti quod subjectionem involvit. Etenim quum duæ in Christo σχέσεις distincte considerandæ sint, σχέσις Filii Dei, ὁμοουσίου καὶ ἰσοτίμου cum Patre, & σχέσις Mediatoris, secundum quam Patri se subjecit: sciendum est eum orari secundum illam, orare secundum hanc habitudinem. Neque ipsa illa Christi oratio prorsus infra dignitatem Divinæ personæ est: nam uti subjectionem aliquam humanæ naturæ importat; ita notat voluntatem Filii Dei αὐτοκρατορικήν. *Pater, quos dedisti mihi,* θέλω *VOLO ut ubi ego sum, illi quoque mecum sint.* Joh: XVII: 24. VI. Ut precibus suis ad eum tanquam ad Pontificem suum eant, petentes ut velit eas Patri repræsentare, & virtute suæ oblationis ac intercessionis omnia vota nostra & sacrificia laudis grata Deo facere. Ap: VIII: 3.

XXXIII. Pulchre *Origenes* contra *Celsum Lib.* VIII. *pag.* 386. *Edit: Cantabrig:* Τὸν ἕνα Θεὸν, καὶ τὸν ἕνα υἱὸν αὐτοῦ καὶ λόγον καὶ εἰκόνα, ταῖς κατὰ τὸ δυνατὸν ἡμῖν ἱκεσίαις καὶ ἀξιώσεσι σέβομεν, προσάγοντες τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὰς εὐχὰς διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ ᾧ πρῶτον προσφέρομεν αὐτὰς, ἀξιοῦντες αὐτὸν ἱλασμὸν ὄντα περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, προσαγαγεῖν ὡς ἀρχιερέα καὶ τὰς εὐχὰς καὶ τὰς θυσίας, καὶ τὰς ἐντεύξεις ἡμῶν τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ. *Sed unum Deum, & unum ejus Filium, & Verbum, Imaginemque, quantum possumus, supplicationibus & honoribus veneramur; offerentes Deo universorum Domino, preces per suum Unigenitum: cui prius eas adhibemus, rogantes, ut ipse qui est propitiator pro peccatis nostris, dignetur tanquam Pontifex preces nostras, & sacrificia, & intercessiones offerre Deo Optimo Maximo.* XXIII. Origenes laudatus.

XXIV. Postulat pietas in Divinum Servatorem nostrum, ut Theologiæ Socinianæ virus hic detegamus: quorum illi, qui plurimum honoris Christo deferre videri volunt, & *Invocantes* apud ipsos dicuntur, distinguunt inter *Adorationem*, quam definiunt reverentem nostri coram aliquo indeclinationem; & inter *Invocationem*, quæ fit religiosa compellatio, & imploratio opis, Utramque ajunt concessam esse Christo, nullam naturam habenti præter humanam illam quam habet ex Maria Virgine. Sed & utramque pugnant subordinatam esse Deo, & in eum terminari. Addunt, Adorationem ab Angelis etiam Christo præstandam esse: Invocationem à solis hominibus; qui Christi ope indigeant. Illam præceptam, ac necessariam esse; hanc licitam modo, & convenientem. XXIV. Virus Theologiæ Socinianæ circa adorationem Christi.

XXV. Quibus Assertionibus has opponimus ἀντιθέσεις. I. Creaturam quamcunque præter Deum religiose colere, character Idololatriæ est. Hoc enim argumento gentilium idololatriam arguit Paulus; Rom. 1: 25. quod XXV. Idololatria est, creaturam

ἐσεβά-

quamcunque religiose colere.

ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα: *coluerint res conditas & servierint iis præter conditorem.* Particula παρὰ *præter*, notat ibi non exclusionem prioris, sed additionem alterius. Uti & 1 Cor: III: 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere* παρὰ τὸν κείμενον *præter id quod positum est.* Et sane non eos solum perstringit Apostolus, qui præterito prorsus creatore omnem religiosum cultum ad creaturas transtulerunt; sed & eos culpat, qui conditorem omnium & crediderunt & agnoverunt, & præter eum tamen nescio quos δαίμονας, aut heroas, semideos, genios, mortuos homines, solem, sidera, ipsumque denique Universum religiose venerati sunt. Nam qui sapientiæ laude maxime inclaruerunt, inter suos quidem professi sunt τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦ παντὸς uti *Plato* loquitur; sed; quemadmodum de iis testatur *Josephus Lib:* II. *contra Apionem*, εἰς πλῆθος δόξαις προκατειλημμένον τὴν ἀλήθειαν τοῦ δόγματος ἐξενεγκεῖν οὐκ ἐτόλμησαν *apud plebem præjudicatis opinionibus occupatam sententiæ istius veritatem publice enunciare ausi non sunt.* De cætero in omni Religionis negotio id fecere quod populus. *Seneca* de Sacris receptis agens, *quæ omnia*, inquit, *sapiens servabit, tanquam legibus jussa, non tanquam Diis grata.* Hæc mali moris velamenta, uti optime, observavit Grotius, injustitiæ convincit Evangelium, & hoc loco Paulus. Unde inferimus, injustitiam esse atque idololatriam, cultum religiosum rei cuicunque deferre præter quam Creatori.

XXVI. Cui & à quibus debetur Adoratio, eidem & ab eisdem debetur Invocatio.

XXVI. II. Non infitemur in precibus distingui posse השתחויה προσκύνησιν, *adorationem* ab *Invocatione*, sive *imploratione*: quatenus illa notat venerabundam agnitionem Divinæ Majestatis, etiam corporis nostri gestibus demonstratam; hæc, petitionem opis. Sed contendimus utriusque eandem hactenus esse latitudinem, ut cui, & a quibus, una debetur, eidem etiam, & ab iisdem, debeatur altera. Quem enim agnoscimus ut suprema præditum majestate, ad adorationem: eundem necesse est agnoscamus ut infinitæ plenum bonitatis, ut ab eo quæ nobis utilia sunt petamus. Et vicissim. Hæc enim sunt inseparabilia. Angeli, uti agnoscunt majestatem Filii Dei, ita eundem agnoscunt ut Creatorem, & conservatorem suum, & fontem omnis boni quod possident. Col: I: 16. Nulla idcirco ratio assignari potest, cur non ab ipso petant continuationem suæ beatitudinis, & demonstrationem virtutum suarum in regno tam gratiæ quam gloriæ.

XXVII. Religiosam adorationem non concedit Deus non Deo.

XXVII. III. Religiosam adorationem non concedit Deus non Deo Jes: XLII: 8. *Ego sum Jehova, illud est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo.* Nota I. Christum ipsum hoc sermone a Deo Patre compellari: eique hanc gloriam tribui, quod datus sit *in fœdus populi*, qui fœderis promissa non annunciet solum, sed & impetret, & præstet; & *in lucem*

lucem gentium, ut in ipso cum lætitia cognoscant gentes quis sit verus Deus, & in ipsius communione ac cultu serventur; quod per ipsum *aperiendi sint oculi cœci, educendi è claustro vincti, & è carcere sedentes in tenebris*: quæ veræ atque æternæ salutis collationem important. II. Hanc tantæ salutis conferendæ gloriam tantam esse, ut ea laus deferri non possit, ei qui non sit Deus. Nam qui futurus est fœdus populi, ejus est implere hanc fœderis promissionem, ego fiam ipsis in Deum, & ipsi fient mihi populus. III. Eam gloriam contineri significatu nominis Jehovæ: præter quem nemo Magnus ille populi servator esse queat. Sic enim ipse Cap: XLIII: II. *Ego, Ego sum Jehova, & nullus præter me est Servator.* Neque fas est Israëli in alio ceu servatore suo gloriari, præterquam in Jehova. Jes: XLV: 24. 25. Quandoquidem ergo negat Deus se gloriam suam alteri daturum, qui Jehova non sit, & simul hac sua compellatione docet, se gloriam istam Christo dedisse; consequens est, ut eum una secum pro Jehova agnosci, &, ut talem, honorari ac glorificari velit.

XXVIII. Quam disertam æternæ & immutabilis voluntatis Divinæ declarationem frustra quæsitis cavillis eludere conantur adversarii. Tria solent excipere: I. Per *alterum* intelligendum eum esse qui Deo sit contrarius: non, subordinatus. II. Quod *dare* hic significet, permittere ut præter jussum Dei ab aliis detur. III. Neque Christo datam esse eam gloriam ac laudem quæ sit Patris, sed *aliam*, minorem, ac *subordinatam*. At non difficile est iis respondere. Dicimus ergo ad I. Quum negat Deus *alteri* se eam de qua quæritur gloriam daturum esse, illa voce quæ latissimæ extensionis est, eos omnes excludit, quibus nomen Jehovæ in significatus sui plenitudine non competit. Docet enim non posse eam gloriam communicari cum quovis eorum qui non sunt Jehova. Ad II. Non *dabo* plus notat, quam non permittam ut meo injussu ab aliis detur; sed, neque ego jubebo unquam, neque permittam, ut quivis alius in laudis ac gloriæ meæ participationem veniat. Ad III. Religiosum cultum *subordinatum* scriptura non agnoscit: non certe in Christo; cui cultum attribuit ejusdem ordinis cum illo qui est Dei Patris. Et sane quem secum admittit Deus Pater ad communionem nominis Jehovæ, eorumque αὐχημάτων quæ istius nominis significatione continentur, eum simul admittit ad ejusdem cultus communionem qui debetur Jehovæ.

XXVIII. Quæ veritas nullis cavillis eludi potest.

XXIX. Talem cultum, sine sacrilegio ac raptu, vindicat sibi ipse Christus; dicendo: UT OMNES HONORENT FILIUM, QUEMADMODUM HONORANT PATREM. Joh: V: 25. Non solum Filium suum honorari vult Pater, sed ita honorari ut honoratur ipse. Scio adversarios Honoris Christi excipere, quod particula καθὼς, *sicut* non semper notet parificatio-

XXIX. Cultus Christi ejusdem ordinis est cum illo qui debetur Patri.

nem, sed sæpe connexionem rerum quamvis disparium. Verum enim vero alicubi significat paritatem: & nihil obstat quo minus hic paritatem significet. Imo res ipsa jubet ut paritatem hic significare debeat. Nimirum ea de se prædicaverat Christus unde colligebant Judæi, *quod parem sese faceret Deo,* vers: 18. Hinc indignatio, ira, destinatio cædis. Quid agit Christus Dominus? Nunquid id tanquam dictorem suorum calumniam refellit? Nunquid contrarium asserit? Quod certe videtur debuisse facere propter gloriam Patris sui, & ad avertendam suspicionem blasphemiæ, si quidem blasphemia est, Christum cum Patre parem facere. At longe aliter instituit Christus. Multis argumentis diligentissime probat, quod nihil Deo indignum admiserit, nihil sibi temere arrogaverit, dum Deo se declarabat esse parem. Et profecto si Christus non vult paritatem intelligi, & Judæos erroris arguere vult, quibus videbatur se parem fecisse Deo, quare sic locutus est, ut æqualitas exaudiri possit? Quare si fidem & opinionem paritatis aversatus est, & ejus assertionem raptum & sacrilegium existimavit, non dixit potius, honorandum quidem esse Filium, secundum voluntatem Patris, at *non sicut* honoratur Pater? Aut cur non, si nimium sibi videbatur arrogasse, de honore Filii prorsus tacuit? Plane ergo toto hoc sermone id agit Christus, ut eodem honoris cultusque genere afficiendum esse doceat Filium quo afficitur Pater.

XXX. Exponitur Phil: II: 9. 10.

XXX. Non vacat nunc omnes adversariorum argutias excutere, quibus debitum Christo honorem impugnatum veniunt. Illud tamen retorquendum in ipsos argumentum esse videtur, quod sibi à Paulo suggestum gloriantur. Phil: II: 9. 10. Si enim, inquiunt, summi istius religiosi cultus gloria, Christo virtute æternæ alicujus Deitatis per se debeatur, cur non Paulus id quidquid est honoris ac nominis Christo *κεχαρισμένον gratis* à Patre *datum* esse scribit, idque in *præmium* antegressæ humiliationis atque obedientiæ, atque ita quidem ut terminetur iste honor *in gloriam Dei Patris?* Dignus enim vero hic locus est qui diligenter à nobis attendatur. Atque illud primo observandum, quomodo eum Paulus describat de cujus honore hic agitur. Versu 6. ita infit; *ὅς ἐν μορφῇ Θεȣ̃ ὑπάρχων, ȣ̓χ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ.* Quid est *μορφὴ Θεȣ̃*, *forma Dei?* Quid, *τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ*, *gerere se parem Deo?* Quid illud *ȣ̓χ ἡγεῖσθαι ἁρπαγμὸν*, *non ducere pro raptu.*

XXXI. Quid sit Forma Dei

XXXI. *Forma Dei* quid notet, non ex Philosophorum aut scholarum glossematis sed ex Divinis oraculis discendum est. Respondet phrasi Hebraicæ תמונת אלהים / quæ exstat Num: XII. 8. תמנת אלהים יביט *Formam Dei adspiciet*: iterumque Ps: XVII: 15. אשבעה בהקיץ תמונתך / *satiabor, postquam experrectus fuero, forma tua.* Ubi forma Dei notat ipsam Deitatem, quatenus illa se luculentissimis gratiæ ac majesta-

tis

tis suæ indiciis prodit. Imo meretur disquiri an non forma Dei allegatis locis notet eam ipsam Divinæ Majestatis demonstrationem quæ in Filio Dei elucet. Nam illic singulare aliquid Mosi præ cæteris tribuitur prophetis. Quum ergo cæteri quoque illustria Divinæ Majestatis indicia conspicati sint, Mosi autem Deus locutus sit ore ad os, familiarissime, atque is formam Dei conspexerit, quod non contigit aliis; cogitari potest, an non credibile sit, Deum ei apparuisse ea specie humana qua deinceps visus est Filius Dei, sic ut in eo splenderet gloria veluti unigeniti a Patre. Et sane in eo beatitudo hominum sita est, quod, è somno mortis excitati, Christum sicuti est visuri sunt, & in eo reperturi satietatem gaudii. 1 Joh: III: 2. Col. III. 4. Quidquid sit, Forma Dei est ipsa Divinitas, illustribus se indiciis prodens. Quum igitur Christus in forma Dei fuisse dicitur, innuitur, eum, uti verus Deus est, ita se qua talem olim ostendisse, eâque forma visum esse in qua luculentissimum esset præsentis Deitatis symbolum.

XXXII. Hæc de Forma Dei. Nunc videamus quid sit εἶναι ἴσα Θεῷ. Acute observatum est ab eruditissimo interprete, distinguendas esse duas phrases, εἶναι ἴσον Θεῷ, & εἶναι ἴσα Θεῷ. Illud ex Joh: v: 18. notat parem esse Deo. Hoc autem notat apparere tanquam Deum, ita se gerere, ut Deo par est, in demonstratione Divinæ Majestatis ac gloriæ, *Non ducere pro raptu*, est existimare, talem actionem non esse sacrilegium, quo Deo eripitur, alterique attribuitur, quod Deo proprium manere debebat. Quæ omnia si jungantur, sensus dicti hic erit: Christus, quum verus Deus esset, speciemque Deitatis aspectabilem luculentissimis apparitionibus jam olim præ se tulisset; deinceps quoque existimavit, posse se sine ullo sacrilegio palam se verbis factisque Deum asserere, tantoque Divinæ Majestatis fulgore omnium aspicientium oculos ferire, ut omnem dubitationem, & contradictionem excluderet. Fuisse autem caussas, propter quas id facere ad tempus non duxerit esse consultum. Atque ita hic evidentem habemus assertionem illius dignitatis qua Patri par est Filius. Simulque habemus irrefutabile argumentum paris honoris ac cultus qui utrique debeatur. Paritas enim Divinitatis est fundamentum paris honoris.

XXXII. Quid sit gerere se parem Deo.

XXXIII. Sed & illud perquam dignum observatu est, quod ipsa illa κένωσις ac ταπείνωσις Christi argumentum Divinæ dignitatis sit. Ea enim exinanitio atque humiliatio hic describitur, ut actio Christi spontanea, ex deliberato consilio profecta. Porro initium illius exinanitionis est in nativitate ipsius per quam factus est homo, Tunc enim quum in similitudine hominis fieri inciperet, mox assumsit formam servi, quam ab eo tempore gestavit quo σχήματι εὑρέθη ὡς ἄνθρωπος, *habitu inventus*

XXXIII. Ipsa Christi exinanitio argumentum summæ Deitatis est.

tus est sicut homo. Ex qua observatione tria sequuntur. I. Jam tum præexstitisse Christum, antequam cum habitu & similitudine hominis formam servi sumeret. II. Ita præexstitisse, ut consilio eam formam induerit. Hoc enim φρόνημα Christi proponitur nobis pro humilitatis exemplo. III. Id quod ante eam formæ servi assumtionem fuit, plenum fuisse Majestatis & gloriæ. Id enim nisi sit, non est ea assumtio servilis formæ, humiliatio, nedum exinanitio. Porro si Christus ante carnis suæ nativitatem fuerit, si eam consilio sibi assumsit, si præditus fuit insigni Majestate, quam sub velo carnis formæque servilis occuluit, quod sine sacrilegio potuisset non facere, modo voluisset; consequens est ipsum Deum fuisse. Hæc enim totidem sunt Deitatis argumenta.

XXXIV. Uti & superexaltatio, propter voluntariam exinanitionem ei concessa.

XXXIV. Tertio id quoque notandum, dignum Deo fuisse, ut post hanc Filii sui humiliationem, imo & propter illam, eum superexaltaret, eique *nomen* daret *supra omne nomen.* Ea superexaltatio, est demonstratio luculentissima magnæ illius gloriæ quæ occultata fuerát per voluntariam humiliationem. Sicuti autem ea occultatio sita erat in vili, contemto atque abjecto habitu, quo conversatus est inter homines, nisi quod aliquando radii quidam sublimioris dignitatis emicarent: ita & demonstratio gloriæ est in ea glorificatione illustrissima humanæ naturæ Jesu Christi, qua luculenter probatur, omnibusque aspicientibus patet, eam esse humanam naturam Filii Dei, eumque hominem, qui olim vix pro homine habebatur, esse revera Deum Benedictum in secula. Hoc enim est illud nomen supra omne nomen. Et sic iterum ad eam deducimur gloriam quæ Divina minor non sit. Hanc autem conveniens erat Christo deferri propter antegressam humiliationem. Quum enim ad gloriam Patris sponte eam humiliationem subivisset, gloria Patris exigebat ne frustra id fecisse Filius videretur. Quum blasphemiæ damnatus esset ab injustis Senatoribus, eo quod se Filium Dei professus fuerat, neque raptum duxisset esse instar Dei; justum Deo Patri fuit clarissime declarare, merito id fecisse Filium; eumque absolvere a blasphemiæ crimine, quod impegerant ipsi adversarii, quibus humilitas ipsius offendiculo erat. In quibus iterum nihil est quod non evehat cogitationes nostras ad eam gloriam quam habuit Christus apud Patrem antequam mundus esset: & quam æquum fuit luculentissime demonstrari, postquam per voluntariam Oeconomiam aliquamdiu occultata fuisset.

XXXV. Et nomen supra omne nomen.

XXXV. At neque id prætereundum: quum Paulus dicit Christo datum esse *nomen supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectat*, citat verba Prophetiæ quæ invenitur Jes: XLV. 23. quam & alibi Christo applicat Rom: XIV: 10. 11. docetque collationem hujus gloriæ esse complementum illius prædictionis. Videamus ergo an apud Prophetam agatur de Gloria quæ Divina minor, eique subordinata sit. Pondera quisquis

quis ulla Dei, ulla Christi Domini reverentia duceris, hanc Divini sermonis magnificentiam. *An non ego Jehova? nullusque amplius Deus præter me, Deus fortis, justus, & servator? Nullus præterquam ego. Respicite ad me, & servemini omnes fines terræ: nam ego sum Deus fortis, nullus præterea.* Hoc ergo est nomen supra omne nomen: JEHOVA, DEUS FORTIS, JUSTUS, SERVATOR, PRÆTER QUEM NULLUS. Quo majus atque augustius ne cogitando quidem fingi potest. Atqui hoc nomen ei competit, ad quem, ut ad unicum Servatorem, convertere se oportet omnes fines terræ. Et quis illæ præter Filium Dei, *quem constituit Pater in lucem gentium, & ut sit salus ipsius ad extremitatem terræ?* Jes: XLIX. 6. Is servator ita nunc pergit loqui: *per me juravi, prodiit ex ore meo juste verbum, quod non revertetur; mihi incurvatum iri omne genu, juraturam omnem linguam.* Adde & illud nomen quod femori & vesti servatoris inscriptum Johannes vidit Ap: XIX: 16. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΚΑΙ ΚΥΡΙΟΣ ΚΥΡΙΩΝ. Hoc quoque in præmium antegressæ humiliationis datum est Christo, qui ex mortuis redivivus declaratus est PRINCEPS REGUM TERRÆ Ap: I: 5. Estque in isthac dignitate fundamentum illius honoris qui incurvatione omnium genuum ei deferendus est. Hæccine gloria est, quam quis sine blasphemia Divinâ inferiorem ducat, dicatve? Talis vero est ea gloria, quam tota hac pericopa Christo Paulus asserit.

XXXVI. In cujus fraudem cedere non debet, quod ea Christo *κεχαρισμένη*, sive *gratis data* esse dicatur. Etenim si Christum qua Filium Dei spectemus; sicuti virtute æternæ admirabilis atque incomprehensibilis generationis suæ à Patre, id habet ut Deus Filius sit; ita virtute illiusdem generationis ab æterno, habet omnes Deitatis præcellentias, à quibus iste de quo agimus adorationis honor separari non potest. Si autem spectemus Christum Mediatorem, illud ipsi in tempore, post humiliationem suam, dedit Pater, ut præcellentiæ illæ Deitatis illustrissimo fulgore splenderent in unita sibi natura humana. Quæ quidem non sit isthoc pacto Deificata; sed declarata, comprobata, ipsoque facto demonstrata natura humana Filii Dei esse, in excelsissimo gloriæ gradu àd quem vehi creatura potest. Adeo quidem ut quibuscunque datur Christum ita glorificatum cognoscere, illi simul agnoscere cogantur, ex incomparabili illa gloria, eum hominem Magnum Deum esse, atque idcirco dignum quem omnes ceteri adorent. Hoc est illud, quod Christo Mediatori in tempore gratificatus est Pater. XXXVI. Quod quo sensu Christo gratis datum sit.

XXXVII. Ceditque ea Christi gloria *ad gloriam Patris.* Patris enim gloria est talem habere Filium, qui peracto feliciter ingenti illo redemtionis opere, nunc ut gloriosus omnium à se redemtorum Princeps, intaminatis fulget honoribus. Atque hæc quidem de adoratione Christi Mediatoris XXXVII. Ad gloriam Patris.

toris nunc dicta sunto. De adoratione Spiritus Sancti nihil speciatim addam: quippe de qua prolixe actum *Exercitatione* XXIII. *in Symbolum.*

XXXVIII. Oratio est alloquium Dei.

XXXVIII. Explicuimus hactenus *quis oret*, tum *quis oretur*: nunc tandem inquiramus, QUA IN RE IPSA ORATIO SITA SIT. Diximus eam esse *alloquium creaturæ rationalis ad Deum.* Quod & *Clemens Alexandrinus* monuit *Strom. Lib.* VII. *p.* 722. ὁμιλία πρὸς τὸν Θεὸν, ἡ εὐχή. Et Deus ipse orantes *verba secum sumere* jubet, Hos: XIV. 3. Alloquium illud institui potest dupliciter, vel *mente sola*, vel addito *sermone oris.* Deus, quum mens sit perfectissima, omnes mentis nostræ cogitationes non minus perspectas habet quam si clamoso sermone promerentur. Ps: XXXVIII: 19. *Domine, coram te est totum desiderium meum, & suspirium meum à te non est absconditum.* Neque dubium est, quin mens in oratione sit præcipua. Inde semper incipiendum. Oratio *invenienda est in corde.* 2 Sam: VII: 27. Non sine ratione parietibus Synagogarum suarum opportunum orantibus monitum inscribunt Judæi: תפלה בלא כיונה כמו גוף בלא נשמה ORATIO SINE MENTE EST VELUTI CORPUS SINE ANIMA.

XXXIX. Quid sit. Deum orare in Spiritu ac veritate Joh: IV: 23.

XXXIX. Lubet hac occasione lucem fœnerare uni alterive scripturæ dicto, quod de mentali oratione agit, neque passim in omni vi significationis suæ allegari solet. Dominus Jesus cum Samaritana comiter disputans, hoc ei inter alia inculcat: *Venit tempus & nunc est quum veri adoratores adorabunt Patrem Spiritu ac veritate: etenim Pater tales quærit qui ipsum adorent: Deus est Spiritus, & qui adorant eum, oportet ut Spiritu ac veritate adorent.* Joh: IV: 23. 24. In Spiritu & veritate adorare duo significare potest; alterum quod commune est omnibus temporibus: alterum quod uni alicui tempori est proprium. Omnibus commune temporibus est, Deum adorare *Spiritu*, id est, *mente*, non externis solum corporis gestibus, & *veritate*, id est, *sincere* ac sine fuco. Sic ut spiritus opponatur corporis gestibus, veritas fuco atque hypocrisi. Omni ævo hoc obtinuit, ut nullus cultus Deo gratus esset nisi talis. Hoc Judæi scivere, neque ignoraverunt Gentiles. Judæorum dogma ab eo Christi non abludens, ex Euchologio eorum, citavit *Ludovicus Capellus.* במה אקדם פני׳ כי אם ברוחי כי אין לאיש נכבד כנפשו *quare potius præveniam faciem ejus nisi spiritu meo? Nihil est enim homini pretiosius anima sua.* In Latino quoque versu est, *Deum pura mente colendum* esse, quod Persius dixit, *compositum jus fasque animi.* Idque ex eo deduxere, quod Deus sit *animus,* aut ut Dominus noster loquitur, Spiritus, qui idcirco mente ac sinceritate delectatur. Pulcherrime Hierocles, Grotio in hunc textum laudatus: τὸ ἔνθεον φρόνημα διαρκῶς ἡδρασμένον συνάπτει Θεῷ· χωρεῖν γὰρ ἀνάγκη τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον. *Mens Divina inspiratione gaudens, ac sufficienter firmata*

firmata contingit Deum : Simile enim ad simile accedere necesse est. Sed & aliquid verbis Domini continetur quod Oeconomiæ Novi Testamenti est proprium. Et tunc Deum adorare in Spiritu & veritate est eum colere sine apparatu elementorum mundi & præcepti carnalis, sine figuris & umbris, sine respectu ad certum aliquem locum certosque ritus. Tum *Spiritus* opponitur *Literæ* ac *Præcepto Carnali : Veritas Umbris.* Hoc quoque ex eo deducitur quod Deus *Spiritus sit, Mens,* ut *Cicero* ait, *soluta & libera, segregata ab omni concretione mortali* : quare corporeo cultu nec per se nec præcipue delectatur. Non longe hinc abit quod ex *Philône* laudat *Grotius* γνησίυς μὲν θεραπείας ἀσπάζεται Θεὸς· γνήσιαι δὲ εἰσιν αἱ ψυχῆς καὶ μόνην θυσίαν φερέσης ἀλήθειαν. *Genuinis cultibus delectatur Deus : Genuini autem illi animæ cultus sunt, quæ nudam solamque victimam offerat, Veritatem.* Et si tempus aliquod correctionis exspectandum fuerit, uti fuit, conveniens Deo fuit eo saltem tempore ostendere, non placere sibi nisi rationalem cultum, non alligatum temporibus locisve. Supra *Menandrum* est, quod Tamen spripsit *Menander*, πάντ' ἐςὶ τῷ καλῷ λόγῳ ἱερὸν· ὁ νῦς γάρ ἐςιν ὁ λαλήσων Θεῷ : *Bonæ menti omnia pro Templo sunt. Animus enim est, qui loquetur Deo.* Eam horam venire dicit Dominus, quia tempus destructionis templi Hierosolymitani destinatum appropinquabat : imo jam esse, quia jam tum fideles incipiebant de ea re erudiri.

XL. Aliquanto obscurior est Pauli ῥῆσις. 1 Cor: XIV.: 14. 15: *Si orem lingua, spiritus meus orat, sed intelligentia mea est infructuosa. Quid est igitur? orabo spiritu, sed orabo etiam intelligentiâ.* Quid hic est orare *Linguâ* : quid, *Spiritu*? quid, *Mente*? *Lingua* significat hic sermonem aliis incognitum, cujus usum quis singulari Spiritus Sancti dono consecutus sit. Credibile est eos ex Corinthiis, quibus donum linguarum concessum erat, præ cæteris charam habuisse Hebræam ; adeo ut ea conciones & preces suas etiam apud cives non intelligentes recitare amaverint. Allecti linguæ illius præstantia, & in scrutandis priscis oraculis utilitate : fortassis etiam imbuti ea opinione, quæ apud Judæos passim vigebat, verba Legis & Prophetarum primo Hebraice legenda, tum vulgari idiomate exponenda esse. Preces autem Deo longe gratissimas, quæ Hebræa lingua conceptæ essent ; cæteras propemodum profanas. Ne Arabica quidem lingua, quamvis proxime ad Hebræam accedat, publicas in Synagoga preces concipi patiuntur, nedum aliis linguis quarum multo minor cum Hebræa affinitas est : qua de re videri possunt *Jacobus Capellus* & *Lichtfootus* Neque solos Hebræos ea opinio incessit. De aliis etiam Clemens Alexandrinus *Strom: Lib:* 1. Ἐπεὶ καὶ τὰς ψυχὰς ὁμολογῦσιν οἱ ἄνθρωποι δυνατωτέρας τάς βαρβάρῳ φωνῇ λεγομένας : *quandoquidem & eas preces validio-*

XL. Item lingua, spiritu, mente 1 Cor: XIV: 14. 15.

validiores esse censent homines qua Barbara lingua dicuntur. *Linguâ* igitur *Orare* est orare sermone cæteris incognito, exempli gratia Hebræo apud Græcos. Eo sensu dixerat versu 1. *Qui loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed Deo: nullus enim audit.* Id est qui peregrina lingua loquitur, cujus cognitionem singulari Spiritus dono consecutus est, is Deum solum conscium ac testem habet; non item homines linguæ istius ignaros, ad quorum ædificationem aut parum oppido, aut nihil confert. *Spiritus* hic notat donum illud extraordinarium, quo homo ad certo modo agendum impellitur, motibus ferme exstaticis; ut neque ipse admodum percipiat quid dicat, neque alii intelligant quid velit. *Spiritu orare*, est ita orare ut ostendas adesse tibi donum extraordinarium spiritus quo vehementer commovearis & rapiaris ad ea quæ admirationem cient. Νοῦς *intelligentia*, *Mens*, videtur hic potissimum transitive sumi, ut notet id quod alteri intelligendum damus: quo sensu usurpatur תבונה cui respondet νοῦς. הט אזנך לתבונתי *inclina aurem tuam ad intelligentiam meam*, id est ad ea quæ intelligenda tibi daturus sum. Prov: v: 1. *Mente orare*, est ita orare, ut vota, quæ sedata mente concipis, ita exponas, ut ab aliis quoque concipi atque intelligi queant. Paulus ergo hic se proponit pro exemplo decori. *Si orem lingua* ignota in cœtu apud quem oro, sed quam spiritus afflatu didici; *Spiritus quidem meus orat*, id donum in me operatur, quo impellente ad insolita & mirabilia excitor: *Sed intelligentia mea est infructuosa*, conceptus meos alteri cum fructu intelligendos non do. *Quid igitur: Orabo Spiritu*, non obnitar equidem, si res ita ferat, vehementi illi Spiritus emotioni: *Sed orabo etiam intelligentia*, ostendam me non insanire, sed mentis compotem esse, operamque dabo ut & alii mea isthac oratione ædificentur. Pertinent ergo hæc omnia ad ea tempora, quibus insolita spiritus dona vigebant in Ecclesia; neque in hodiernis fidelium precibus usum habent, nisi analogice.

XLI. Clara voce orandum esse, multi voluerunt.

XLI. E diverticulo nunc in viam redeamus: inquisituri, an suspiriis ἀνεκλαλήτοις absolvi nostra debeat possitive oratio, an jungere oporteat sermones oris? Hebræorum magistri in omni oratione sermonem exigunt, eatenus saltem ut ab ipso orante audiatur. Quomodo Annam orasse legimus, ita cum animo loquentem ut labia moverentur, vocis sonus ab aliis non audiretur, 1. Sam. 1. 13. *Pythagoras* suos docebat μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι, *clara voce orare.* Non quasi existimaret Deos aliter non intelligere, sed ὅτι δικαίας ἐβούλετο εἶναι τὰς εὐχάς, *quod justas vellet esse preces.* Pertinet huc *Martialis illud Lib.* 1. *Epigr*: XL.

Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore Deos.

Nec abludit *Persius*, *Satyra* II.

—— *non tu prece poscis emaci*

Qua

Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
Haud cuivis promtum est murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.

Præclare in hanc rem *Seneca Epist.* x. *Tunc scito te omnibus cupiditatibus solutum, quum eo perveneris, ut nihil roges Deum, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum? Turpissima vota diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescent, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant.* Et mox. SIC VIVE CUM HOMINIBUS, TANQUAM DEUS VIDEAT: SIC LOQUERE CUM DEO, TANQUAM HOMINES AUDIANT. Aurea profecto sententia, dignaque quæ menti nostræ continuo obversetur.

XLII. At plura hic observanda sunt. Distinguendum inter preces publicas, & privatas. Atque illas quidem quæ præsente cætu ab Antistite funduntur sonoras esse oportet, sermone qui cœtui cognitus sit, ut omnes respondere possint, Amen. 1 Cor: xiv: 16. Hoc promittebat Ecclesia. Hos: xiv. 2. ונשלמה פרים שפתינו: *& retribuemus juvencos, labia nostra.* Sic enim proprie Hebræa sonant. Oblatione juvencorum fiebat confessio reatus, professio fidei in oblationem Messiæ, & protestatio animi ad omnia obsequia promti, etiamsi in sui gratiam vel mori Deus jubeat. Id omne explicatius est in precibus labio non fucato pronunciatis. Ideoque pro juvencis, vel cum juvencis, labia sua pollicentur. In privatis precibus sermo non est absolute necessarius: non tamen semper omittendus: I. Quia corpus quoque nostrum Dei est, in quo glorificari ipsum oporteat. 1 Cor: vi: 20. Inter membra nostri corporis excellit lingua, qua vix aliud nobilius, usu præstantius, effectis mirabilius, non dicam in humano corpore, sed in toto invenitur universo. Hinc *gloria* hominis dicitur. Ps: xvi: 9. col: c: Act: 11: 26. Ideoque ad gloriam numinis quam maxime adhibenda Ps: lvii: 9. 10. *Evigila gloria mea. Celebrabo te in populis, Domine.* Ps: lxxi: 15. *Os meum narraturum est justitiam tuam, toto die salutem tuam, quamvis ignorem numeros ejus.* II. Quia ubi cor spiritualibus motibus plenum est, vehemens ille affectus facile & quasi sua sponte ciet plectrum linguæ: *ex abundantia* enim *cordis loquitur os.* Math. xii: 34. III. Quia expedit sæpe nobis ipsis, tam ad compescendos vagos animi motus, quam ad excitandos affectus; per arctam illam unionem animæ & corporis. XLII. At distinctione opus est.

XLIII. Vitanda tamen in omnibus tam privatis quam publicis Precibus *Battologia* est, sive verborum eodem recidentium inanis atque ambitiosa repetitio, Domino damnata Mat: vi: 7. Non vetamur aliquamdiu producere & continuare orationem, quod & Christus & Apostoli fecerunt; neque id quod solicite expetimus repetere aliquoties, sive iisdem verbis, XLIII. Vitanda est Battologia.

ſive eodem redeuntibus, quod in Pſalmis eſt frequentiſſimum. Sed prohibemur Deo verba annumerare, quaſi ille preces ex prolixitate potius, & labore externi illius operis, quam intimo animi affectu metiretur, *Epiphanius* dixit, διὰ λεπτολογίας προσεύχεσθαι: quod fit quum multis idem, neque neceſſario effertur. Additque exemplum, ut ſi quis dicat: Σή ἐςιν ἡ δύναμις, σὸν τὸ κράτος, σὴ ἐςιν ἡ τιμή, σή ἐςιν ἡ δόξα, σή ἐςιν ἡ εὐλογία, σὴ ἐςιν ἡ ἰσχὺς σὴ ἐςιν ἡ δύναμις. Prorſus uti illi, apud *Lampridium* in *Commodo; Parricida trahatur, rogamus, Auguſte, parricida trahatur. Hoc rogamus, parricida trahatur.* Hoc vitio in orationibus ſuis plurimum laborabant gentilium multi, qui uti eſt in Comœdia, Deos ſuo ex ingenio judicabant, ut nil crederent intelligere, niſi idem dictum eſſet centies. Suis vero ſtulta iſta opinione interdicit Jeſus. Idem aliis verbis jam olim præceptum fuerat à Syracide. Cap. VII: 5. Μὴ δευτερώσῃς λόγον ἐν τῇ προσευχῇ σοῦ.

XLIV. Promiſſio de exauditione precum, ſub reſtrictionibus quibuſdam eſt intelligenda.

XLIV. In iſthoc alloquio, quo is qui orat, compellat Deum exponit numini quum *neceſſitates* ſuas, tum *deſideria*, Phil: IV: 6. Idque *cum ſpe exauditionis*. Jac. I: 6. nixa promiſſione Dei Mat: VI: 6. Quæ tamen ſub certis quibuſdam reſtrictionibus intelligenda eſt, I. Ut is qui orat rite ſit diſpoſitus ad orandum. Job: XI: 14. Neque enim eos audit Deus, qui ipſum audire renuunt. Prov: I: 24. — 28. XXVIII: 9. Jeſ: I: 15. Joh. IX. 31. II. Ut oratio recte inſtituatur. Jac: IV. 3. I Joh: V: 14. III. Ut non adſtringatur Deus ad tempus quod nobis commodum videtur; ſed ipſe agat pro ſua ſapientia. Eccl: III: II. Act: I: 7. Pſ: XXII: 6. Pſ: LXIX: 14. Jeſ: XLIX: 8. col: cum 2 Cor: VI: 2. IV. Ut exaudire non tum modo cenſeatur, quando rem petitam dat, ſed & tum, quando illius loco id dat quod pro ſumma ſua ſapientia magis nobis expedire novit. Gen: XVII: 18. 19. 2 Cor: XII: 8.

EXERCITATIO II.

DE

Orationis Utilitate, & Neceſſitate.

BREVIARIUM.

I. *Capita nunc tractanda.* II. *Caro infert, Orationem eſſe ſupervacaneam* III. *Inutilem.* IV. *Contumelioſam Deo.* V. *At perperam. Vult enim Deus, ut neceſſitates nos noſtras noſſe profiteamur.* VI. *Et ut preces noſtræ conſilio ipſius inſerviant.* VII. *Quod à Davide, & Daniele obſervatum.* VIII. *Neve adſtricta nimis prece Majeſtati ejus ponamus terminos.* IX. *Judæis, ipſiſque Gentilibus id agnoſcentibus.* X. *Preces noſtræ*

Divinæ

Divinæ Bonitati nil præjudicant. XI. *Potissima Religionis pars sunt.* XII. *Earumque neglectus est expulsio timoris Dei.* XIII. *Est in iis agnitio Divinæ Majestatis.* XIV. *Et Omnisufficientiæ.* XV. *Et Omniscia sapientiæ.* XVI. *Et Omnipotentiæ.* XVII. *Et Bonitatis.* XVIII. *Nostra nos egestas precum necessitatem docet.* XIX. *Quarum officium omnibus incumbit hominibus.* XX. *Quo tamen nemo rite defungitur, nisi qui regenitus est.* XXI. *Parentum est, à prima pueritia liberos suos ad preces erudire.*

ATque hæc quidem nobis de Orationis definitione dictata sunto. Nunc de illius UTILITATE ac NECESSITATE videamus, sive, quænam nostra sit ad eam obligatio. Ubi primo refutanda sunt arguta male suadæ carnis ratiocinia; deinde adstruenda salutaris Veritas. **I. Capita nunc tractanda.**

II. Caro infert Orationem esse SUPERVACANEAM; quorsum enim obtundemus Deum quæsita necessitatum nostrarum enarratione; quæ eo odiosior esse debet, quanto prolixior atque frequentior est? Deus enim ipsis nobis multo melius cognoscit, quibus rebus indigeamus. Neque perpera videri debet hæc illatio; quum non multum abludat ab illa Domini Mat: VI: 31. *Ne estote soliciti — Nam omnia ista gentes requirunt: novit autem Pater ille vester cælestis, vos indigere his omnibus.* **II. Caro infert, orationem esse supervacaneam.**

III. Additur, Orationem esse INUTILEM. Quum enim Deus æterno atque immutabili statuerit decreto, quid cuique homini eventurum sit, frustra eum multa prece fatigabis. [Quod decreto tibi destinatum est, etiam non oranti obtinget. Quod non est destinatum, ne millenis quidem precibus impetraveris. Et quum Dei in eo consistat gloria, ut de eo quod semel placitum est ne latum quidem pilum discedat; impium esse videtur id ab ipso contendere, ut, in miseri homuncionis gratiam, constantiæ suæ vim faciat. **III. Inutilem.**

IV. Unde porro infertur orationem esse CONTUMELIOSAM, non modo *Constantiæ* Divinæ, sed & *Majestati*, quæ reverentius à nobis habenda est, quam ut nostra ei exponere ausimus desideria, quum satius sit, ut, omnia ejus committentes arbitrio, in suprema ista voluntate acquiescamus: imo & *Bonitati* Dei, cujus gloria in eo quoque sita est, ut vota nostra præveniat, & ex opulentissimo benignitatis suæ thesauro, etiam non petentibus, se cum bonis suis fruendum concedat. Jes: LXV: 1. *Expositus sum eis, qui non interrogabant, inventus sum ab eis qui non quærebant me: dixi, ecce me, ecce me, genti quæ non vocatur de nomine meo.* iterumque vers: 24. *Eritque nondum clamantibus, ut ego respondeam.* **IV. Contumeliosam Deo.**

V. At perperam. Vult enim Deus ut necessitates nos nostras agnoscere profiteamur.

V. Sed quantumvis hæc speciosa videantur, procul tamen à soliditate, veraque in Deum pietate repulsa sunt. Novit utique necessitates nostras Deus, neque nostra indiget monela; vult tamen ut & ipsi quoque eas agnoscamus, & agnoscere oratione profiteamur. Ne & nobis id aliquando exprobretur, quod Laodicensium Ecclesiæ: Ap: III: 17. *Dicis, dives sum, & ditatus sum, & nulla re mihi est opus: neque nosti te esse ærumnosum, miserabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum.* Ipseque aliquando ita se gerit Deus, quasi res nostras ignoret, atque adeo ignorare velit, donec eas ad ipsum referamus. Memorabilis in hanc rem historia extat, Exod: II: 23. 24. 25. *Fuit autem diebus illis, qui multi fuerunt; quum mortuus esset Rex Ægypti, ut suspirarent filii Israelis præ servitute illa, & vociferarentur: & eorum clamor de servitute illa ascendit ad Deum ipsum. Quam obrem* UT AUDIVIT DEUS GEMITUM *eorum,* RECORDATUS *est Deus* FOEDERIS *sui cum Abrahamo Isaaco & Jacobo.* RESPEXITQUE *Deus filios Israelis, &* COGNOVIT *Deus.* Eodem tendit Davidis observatio. Ps: CVI: 44. 45. *Respexit ad angustiam eorum, audito clamore eorum, & recordatus est pro eis fœderis sui, & pœnituit eum pro amplitudine benignitatum suarum.* Humano quidem hæc more de Deo dicuntur, cavendumque ne diluta interpretatione fraudem faciamus Divinis virtutibus: attamen vel hinc conficere licet, quam grata numini sit humilis necessitatum nostrarum expositio, quod ad eam eliciendam phrasibus uti voluerit, quæ, nisi dextre exponantur, minus ipso dignæ videri possent.

VI. Et ut preces nostræ consilio ipsius inserviant.

VI. Porro & illud verum est, fata Dei flecti non Posse precando: neque committendum nobis unquam est, ut nostri caussa ullam consilii Divini mutationem fieri petamus. Id solummodo rogandus Deus, ut quæ animo suo destinavit, in nostrum commodum gratiose exsequatur: atque ita preces nostræ consilio ipsius inserviant. Quæ enim nobis bona dare decrevit, ea decrevit precantibus dare. Neque fas nobis est, ineptis ratiociniis adversus Deum sophisticari. Audiamus ipsum: Ez. XXXVI. 36. 37. *Ego Jehova reædificabo id quod destructum, conseram id quod desolatum est: ego Jehova dixi, & faciam. Sic ait Dominus Jehovi:* עוד זאת אדרש לבית ישראל לעשות להם PRAETEREA ID ROGABOR A DOMO ISRAELIS UT FACIAM EIS. Firmitatem consilii de conferendo beneficio primo inculcat Deus; sed & subdit, velle se ut suorum interveniant orationes. Adde Jer. XXIX. 11. 12. *Nam ego novi cogitationes quas cogito super vos, ait Jehova, cogitationes pacis, & non in malum; ad dandum vobis extremum & exspectationem. Et invocabitis me, & indesinenter orabitis me, & exaudiam vos.*

VII. Quod

VII. Unde etiam factum est, ut illi qui sapientiæ non minus quam pietatis

pietatis laude fuerunt celebratissimi, postquam consilium aliquod Dei in ipsorum commodum exstare intellexissent, in precibus suis fuerint ferventissimi. Pro exemplis sint David & Daniel. David auditis insignibus Dei promissis, & de eorum executione certus, non solum pro illa Divinæ benignitatis demonstratione gratias agit; sed & orat quam solicite uti dictorum suorum fidem liberare velit Dominus. *Nunc ergo*, inquit, *Jehova Deus verbum illud quod promisisti servo tuo, & familiæ ejus, præsta in seculum: & fac quemadmodum dixisti. Tu enim, Jehova exercituum, Deus Israelis, revelasti in aurem servi tui, dicendo; domum ædificaturus sum tibi:* IDCIRCO JUDICAVIT SERVUS TUUS CUM ANIMO SUO, ORANDUM TE ESSE ORATIONE HAC. 2 Sam. VII. 25. 27. Daniel, quum intellexisset ex Jeremiæ vaticiniis, transportationi Babylonicæ præfinitum fuisse LXX. annorum numerum, eosque jam ad finem vergere animadverteret, mox se ad orationem composuit, eamque accuratissimam, qua Reipublicæ suæ restitutionem enixe contendit. Dan. IX. 2. 3. Adeo gloriæ sibi duxerunt viri sapientissimi pariter ac piissimi, quod precibus suis executioni Divini consilii inservire ipsis datum esset. Tantumque ab ea sophisticatione abfuere, quam nunc refutandam sumsimus.

à Davide & Daniele observatum.

VIII. Sed & illud est falsissimum, contumeliosas Deo esse fidelium preces. Ipse enim testatur eas sibi esse quam gratissimas, Cant. II. 14. Et quid ni essent? sunt enim φρόνημα πνεύματος, *sensus Spiritus S.* Rom. VIII. 27. quem & ipse habet, & nobis suggerit. Atque idcirco *Spiritus supplicationum* dici se amat. Zach. XII. 10. Et quo pacto injuriosæ essent preces *Divinæ Majestati?* quum in omni legitima precatione, qualem nos Christus docuit, sit protestatio acquiescentiæ nostræ in voluntate Divina. Neque enim fas esse arbitramur, ut sustineat quisquam adstricta nimis petitione Sancto Israëlis terminos ponere.

VIII. Neve adstricta nimis prece Majestati ejus ponamus terminos.

IX. De cujus rei absurditate nos Christianos convictos esse oportet, quum & Judæi eam & Gentiles agnoverint. Exstat sententia *Rabbi Simeonis in Capitulis Patrum, Cap.* II. §. XIII. אל תעש תפלתך קבע: *Orationem tuam fixam ne feceris.* Vetus Poëta apud *Platonem* in *Alcibiade* hanc formulam commendabat amicis:

IX. Judæis ipsisque Gentilibus id agnoscentibus.

Ζεῦ Βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Αμμι δίδυ, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομενοις ἀπαλέξοις.
Tu, Rex summe, dato nobis bona, sive rogemus,
Seu non: at mala vel poscentibus usque negato.

Xenophon de *Socratis memorabilibus Lib.* I. Ηὔχετο δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς ἁπλῶς τ' ἀγαθὰ διδόναι ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας ὁποῖα ἀγαθά ἐστι: *rogabat autem Deos simpliciter, ut ea quæ bona sunt sibi darent: quippe quum Dii omnium optime norint, quæ bona sint.* Juvat hic appingere quod

quod *Valerius Maximus* habet. *Lib.* VII. *Cap.* II. *Socrates, humana ſapientiæ quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil ultra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent. Quia ii demum ſcirent, quid unicuique eſſet utile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetraſſe melius foret. Etenim denſiſſimis tenebris involuta mortalium mens, in quam late patentes errores cæcas precationes tuas ſpargis? Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: bonores cuncupiſcis, qui complures peſſum dederunt: regna tecum ipſe volvis, quorum exitus ſæpenumero miſerabiles cernuntur: ſplendidis conjugiis injicis manus; at hæc ut aliquado illuſtrant, ita nonnunquam funditus domos evertunt. Deſine igitur, ſtulta, futuris malorum tuorum cauſſis, quaſi feliciſſimis rebus, inhiare, teque totum cæleſtium arbitrio permitte. Quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt.* Hinc ſua *Juvenalis* hauſerat *Satyra* x. Cujus carmina utinam ſemper tantum ſapientiæ ac bonæ mentis haberent!

Nil ergo optabunt homines? Si conſilium vis,
Permittes ipſis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebuſque ſit utile noſtris.
Nam pro jucundis aptiſſima quæque dabunt Dii.
Charior eſt illis homo, quam ſibi.

Id ergo Divina à nobis Majeſtas exigit, non ut nullas ipſi preces, nulla vota offeramus, ſed ut noſtra exponentes reverenter deſideria, ea ipſius ſapientiæ & voluntati lubenti animo ſubmittamus.

X. Preces noſtræ Divinæ Bonitati nil præjudicant.

X. Non magis contumelioſæ ſunt preces in *Bonitatem* Dei. Quippe quas non obtrudimus Deo tanquam cauſſas meritorias benedictionum ejus: ſed conſideramus potius ut ſigna & effectus Divinæ gratiæ in nobis. Nam quod cognitionem habemus eorum quæ vere bona ac deſiderabilia ſunt; quod eorum tenemur deſiderio; quod deſiderium illud debitâ animi diſpoſitione Deo exponimus; id ipſum donum eſt, quod alio dono, nimirum conceſſione rerum deſideratarum, proſequi ſolet: ſecundum illud Pſ. LXXXI. II. *Dilata os tuum, & impleturus ſum illud.* Accedit, quod ipſa Dei dona gratiora nobis eſſe ſoleant, ſi ea precibus noſtris obtinuerimus. Tunc enim comperimus, non caſu nobis obveniſſe, ſed ex amore Patris noſtri cœleſtis, qui patulas precibus noſtris aures habet. Unde conſolatio, gaudium, & amor filialis. Pſ. CXVI: I. *Amo, quia Jehova audit vocem meam ſupplicationem meam.* Certum interim eſt, Deum multa nobis bona dare non rogatum: quum ignoramus nos iis indigere, ipſeque ſua nos gratia prævenit.

XI. Potiſſima Religionis pars ſunt.

XI. Ita nunc refutatis ſophiſticationibus carnis, veras rationes expendere pergamus, quæ nobis precationis neceſſitatem utilitatemque perſuadeant. Illæ binæ potiſſimum ſunt, quarum altera *Deum* reſpicit, altera *Nos.*

Nos. Deum quod attinet, preces potissima pars cultus sunt, quo honorari à nobis vult. Hinc totus cultus, *invocatio Divini nominis* dicitur. Cujus, nisi fallor, exemplum in prima mundi ætate habemus Gen. IV. 26. אז הוחל קרא בשם יהוה. Quæ verba multis significationibus fœta sunt; quas ad plenitudinem sensus conficiendam, simul jungi nihil vetat. קרא בשם significat aliquando *nomen edere*, ac publice proclamando profiteri. Ea mente Mosi dixit Deus: Exod. XXXIII. 19. וקראתי בשם יהוה לפניך *& proclamabo nomen Jehovæ coram te.* Quod & fecisse Deum narratur: Exod. XXXIV. 5. *Et descendit Jehova in nube, & constitit cum ipso ibidem,* ויקרא בשם יהוה *& proclamavit nomen Jehovæ.* Quomodo autem id factum sit, docetur vers. 6. ויקרא יהוה יהוה אל רחום וחנון *& proclamavit Jehova, Jehova Deus misericors & gratiosus.* Sed præterea eadem phrasis significat *precando invocare nomen Domini.* Gen. XIII. 4. Ubi de Abrahamo narratur, postquam pervenisset ad altare olim à se exstructum, ויקרא שם אברם בשם יהוה. *Et invocavit ibi Abram nomen Johovæ.* Denique notat *se ab aliquo denominare.* Jes. XLIV. 4. זה יאמר ליהוה אני וזה יקרא בשם יעקב *Hic dicet, Jehovæ ego sum, ille vero denominabit se de nomine Jacobi.* Jungamus hæc omnia & habebimus sensum plenissimum. Tunc cœptum est publica professione celebrari nomen Jehovæ, & veri Dei cultores ita se ab idololatris & carnalibus hominibus descriminarunt: celebraverunt autem invocando in publicis cœtibus; atque ob hanc rem à Jehova denominati, ac filii Dei dicti sunt, contradistincte ad impios Cainitas, eorumque asseclas, qui *homines* nuncupantur Gen. VI: 2. Sed & posterioribus temporibus omnis Dei cultus eo invocationis nomine comprehensus fuit. Joël. II. 32. *Eritque ut quisquis invocaverit nomen Jehovæ eripiat se.* Hinc templum cultui Dei destinatum, *domus precum dicitur.* Jes. LVI: 7. כי ביתי בית תפלה יקרא לכל העמים *Nam domus mea domus precum vocabitur omnibus populis.* Conf. Luc. XIX. 46. Quemadmodum & veteres Christiani suas ædes sacras προσευχὰς *Oratoria,* dixerunt.

XII. Et sicut pia precum observatio præcipuus religionis actus est; ita earundem proterva omissio est expulsio omnis timoris Dei. Id Jobo, at sine ratione, exprobrat Eliphaz Job. XIV. 4. *Etiam tu irritam facis reverentiam: &* ותגרע שיחה לפני אל *Detrahis confabulationem cum Deo forti:* sive, tollis preces coram Deo. Gentium autem impietas eo nomine arguitur, quod Deum non invocarent. Jer. X: 25. *Effunde excandescentiam tuam in eas gentes, quæ non agnoscunt te, & super familias quæ nomen tuum non invocant.* XII. Earumque neglectus est expulsio timoris Dei.

XIII. Et res ipsa docet precibus sanctis cum maxime honorari Deum. Est enim in iis agnitio & prædicatio I. Summæ MAJESTATIS Divinæ, quæ XIII. Est in iis agnitio Di-

digna

vinæ Majestatis. digna est cui flectatur omne genu eorum qui vel in cœlis vel in terris sunt: quam gloriam se sibi propriam asservare velle jurejurando confirmat. Jes. XLV. 23. O pulchrum ac dignum Deo spectaculum, quando millies centena millia, & decies centena millia angelorum conspirant cum rebus omnibus conditis, quæ in cœlo sunt, & quæ in terra, & sub terra, & in mari, ut una voce canant, *Ei qui insidet throno sit benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum. Quatuor animalibus accinentibus, Amen: dum viginti quatuor seniores procidunt in facies suas, & adorant eum qui vivit in secula seculorum.* Ap. v. 11-14.

XIV. Et Omnisufficientiæ. XIV. II. OMNISUFFICIENTIAE Divinæ, qua non sibi solum, sed & creaturis suis omnibus ad felicitatem sufficit. In precibus enim ea confessio est, quam eleganter exposuit Psaltes. Ps. CXLV. 13-16. *Regnum tuum regnum est omnium seculorum; & dominium tuum in unamquamque generationem. Sustentat Jehova omnes cadentes, & erigit omnes incurvatos. Oculi omnium ad te spectant, quibus tu das escam tempore suo. Aperis manum tuam, & saturas quidquid vivit ex beneplacito.* Iterumque Ps. CIV. 27-31.

XV. Et omnisciæ Sapientiæ. XV. III. OMNISCIENTIAE & perfectissimæ SAPIENTIAE Divinæ: per quam & omnium necessitates exploratas habet, & omnia supplicum omnium vota intelligit, non ea solum quæ sermone promuntur, sed & quæ animo duntaxat concipiuntur, & vias omnes in expedito habet, quibus succurrat suis, in quibuscunque difficultatibus constituti sint. Psal. CXXXIX. 1. 2. 3. 4. 17. 18.

XVI. Et Omnipotentiæ. XVI. IV. OMNIPOTENTIAE Divinæ: quidquid enim à Deo petimus, id hoc ipso confitemur posse eum effectum dare: atque adeo hanc gloriam ei tribuimus, quod *summa cum exuberantia omnia possit facere supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis.* Eph. III. 20.

XVI. Et Bonitatis. XVII. V. Inexhaustæ BONITATIS Divinæ, ad quam, veluti perennem scaturiginem, omnibus omni tempore locoque liber accessus est, ut ex plenitudine ista hauriant aquas cum gaudio, uti è fontibus salutis. Jes. XII. 3. Denique in precibus Deum *omnia* esse fatemur; nos ipsos *nihil*; qui quidquid sumus ab ipso sumus & in ipso, quidquid habemus ex ipso habemus; qui proinde in universum toti pendemus ab ipso. Atque hæc quidem Deum spectant.

XVIII. Nostra nos egestas precum necessitatem docet. XVIII. Nos ipsos si intueamur, magna se mox aperit orandi quum necessitas tum utilitas. Nos enim in nobis ipsis omnium rerum egeni sumus, sic ut ne ad momentum quidem valeamus subsistere, nisi Divina sustentati ope. Nihil etiam habere possumus, quod non ab eo nobis concedatur, *cujus est terra & plenitudo ejus.* Ps. XXIV. 1. Et qui *omnibus benigne dat, nec exprobrat.* Jac. I. 5. Pleraque etiam dare non vult nisi

nisi petentibus. *Non obtinetis*, inquit Jacobus Cap. IV. 2. *propterea quod non petitis*. Et profecto facile satis obtinemus, quæ suspiriis, votis ac precibus nanciscimur: quid enim hoc aliud est, nisi os aperire, ut saturemur?

XIX. At *quibus tandem incumbit orandi officium*? Confidenter respondendum est, *omnibus omnino hominibus*. Est enim pars Divini cultus, & quidem naturalis, cujus æquitatem & necessitatem ipsos gentiles conscientia docet. Egregie apud *Platonem Timæus*; Ἀλλά τοῦτο δήγε πάντες ὅσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος Θεὸν ἀεὶ που καλοῦσι. *Omnes qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cujuslibet, vel parvi, vel magni, principio, invocare Deum solent*, Ex *platonis* scriptis patet, vere dixisse *Maximum Tyrium Dissert*. XXX. Ἦν ὁ βίος Σωκράτους μεστὸς εὐχῆς, *totam Socratis vitam plenam precationum fuisse*. Idque tanquam universale officium omnibus præscribit Plato: Ἀπὸ Θεῶν χρὴ πάντα ἀρχόμενον ἀεὶ λέγειν τε καὶ νοεῖν, *omnibus in rebus sive dicendis sive cogitandis. semper principium à Diis sumendum est*. *Xenephon* vero publice etiam in Civitate observari vult de *Ration. Red. in fine*. Ubi, quum quædam instituendæ ordinandæque Reipublicæ consilia præbuisset, à Deorum benevolentia consilianda maxime initium capiendum monens, rationen adjicit: σὺν γὰρ Θεῷ πραττομένων εἰκὸς καὶ τὰς πράξεις προϊέναι ἐπὶ τῷ λῷον ἀμεινον ἀεὶ τῇ πόλει: *nam quæ res numine propitio suscipiuntur, eas semper melius feliciusque civitati cessuras esse, consentaneum est*. Cui consonum est *Plinii* illud in *initio* sui *Panegyrici*: *Bene ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus caperetur: quod nihil rite, nihilque providentur homines sine Deorum immortalium ope, consilio, atque honore auspicarentur*.

XIX. Quarum officium omnibus incumbit hominibus.

XX. Cæterum quamvis omnibus omnino hominibus incumbat orandi officium; nemo tamen eo recte defungi potest, nisi homo fidelis atque regenitus, ductore ac doctore Spiritu Sancto: qui solus preces Deo gratas in animis suorum format. Nec tamen impotentia recte orandi in irregenitis tollit eorum obligationem ad preces: hæc enim obligatio fluit ex naturali subordinatione hominis sub Deo. Neque idcirco censendum est, obligari ipsos ad peccandum in suis orationibus. Nam qua lege obligantur ad precandum; eadem lege obligantur ad bene precandum. Si id non possint, hoc ipsorum vitio est. Et satius adhuc manet, ut irregeniti quomodocunque orent, ex naturali sensu suæ indigentiæ, & Divinæ Majestatis ac Bonitatis agnitione, quam ut prorsus non orent. Quod enim orant, hoc hactenus Deo non displicet: licet id quod orationi adhæret vitium merito improbetur. Vide exempla Achabi 1 Reg: XXI: 27. & seq: & Ninivitarum

XX. Quo tamen nemo rite defungitur, nisi qui Regenitus est.

Jon: III: 8. 10. Minus malum est bonum facere cum defectu, quam prorsus omittere.

XXI. Parentum est, à prima pueritia liberos suos ad preces erudire.

XXI. Ideo parentibus etiam incumbit, jam inde à prima pueritia liberos suos ad preces erudire atque assuefacere; neque exspectare donec indicia regenerationis in iis deprehendant. Quis scit, quo tempore, & quorum mediorum usu, efficacitatem suam primum exserturus sit Spiritus? Interim hoc manet; quum soli fideles recte orare possint, scire eos oportet sibi potissimum id operæ datum esse in oratione perseverent.

EXERCITATIO. III.

DE

Dispositione Animi ad rite Orandum.

BREVIARIUM.

I. *Non perinde est quo quis modo oret.* II. *Ea oratio optima est, quæ simplicissima.* III. *Quatuor potissimum sunt ad quæ orantem attendere oportet.* IV. *Eorum primum est sancta animi dispositio.* V. *Qui ante preces rite præparandus.* VI. *Sic tamen ut absit affectatio.* VII. *In ipsis precibus exserat se Fides.* VIII. *Attentio.* IX. *Fervor.* X. *Perseverantia.* XI. *Post preces exspectandum Dei responsum.* XII. *In usu legitimorum mediorum.* XIII. *Temporis dispensatione Deo commissa.* XIV. *Experiundum an meliores ex oratione resurgamus.*

I. Non perinde est quo quis modo oret.

HActenus de Oratione ipsa disseruimus, deque nostra ad eam *obligatione*: sequitur ut nunc expendamus quomodo eam comparatam esse oporteat, ut Deo grata atque accepta sit. Neque enim perinde est quo quis modo oret. Sunt quibus exprobrat Jacobus Cap: IV: 3. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Sunt quorum *preces abominationi* sibi esse testatur Jehova Prov: XV: 8. Idcirco Dominus Jesus, sicuti discipulos suos orare jubet, ita & modum rite orandi præscribit: Mat. VI: 9. ΟΥΤΩΣ ὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς.

II. Ea oratio optima est, quæ simplicissima.

II. Nec tamen quicquam, minus est casta sanctaque Oratio, quam coacta quædam, & nescio quibus regulis ac formulis adstricta ars. Uti in familiaribus amicorum colloquiis nihil se magis commendat, quam animi sinceri candidique inaffectata libertas; eo gratior quo ab arte compositis sermonibus remotior est; ita, quum oratio colloquium animæ cum Deo sit, ea demum optima censeri debet quæ simplicissima est, & pia desideria

deria à Spiritu Sancto excitata sine ambagibus Deo exponit: in qua denique id potissimum agitur ut orantis animus cum omnibus recessibus suis Deo pateat, ipseque vota à se formata videat potius, uti concipiuntur corde, quam audiat, uti exponuntur linguâ.

III. Multa tamen sunt ad quæ attendere orantem oportet, ut nihil quod se, nihil quod Deo indignum sit, in oratione committat. Ea vero ad hæc quatuor maxime capita referri posse videntur. I. UT ANIMUS ORANTIS *rite dispositus sit.* II. UT CORPORIS SITUS GESTUSQUE sacratissimæ huic actioni sint convenientes. III. UT STATA ORANDI TEMPORA observentur. IV. Ut eæ solum RES à Deo petantur, quas ipso dignum est dare, nobis accipere. III. Quatuor potissimum sunt, ad quæ orantem attendere oportet.

IV. Ad sanctam castamque animi dispositionem requiruntur nonnulla ANTE preces, alia IN ipsa precatione, alia denique POST precationem. IV. Eorum primum est Sancta animi dispositio.

V. *Ante preces* rite præparandus est animus. Job. XI: 13. 14. 15. אם אתה הכינות לבך *Si tu præparaveris animum tuum, expande ad eum manus tuas. Si nequitia est in manu tua procul amove eam, & ne sinito habitare in tentoriis tuis iniquitatem. Tunc enim extuleris faciem tuam è vitio: erisque validus, & non timebis.* Beatus ille, cui oraturo dicere licet cum Davide. Ps. LVII: 8. נכון לבי אלהים נכון לבי *paratum est cor meum, o Deus, paratum est cor meum.* Ad hanc præparationem pertinent. I. Evacuatio cordis ab omnibus cogitationibus & affectibus importunis. Sic ut tumultuantis mundi turbæ non cubiculo solum, sed & animo excludantur. Jes. XXVI: 20. Matt. VI. 6. II. Sancta animi Humiliatio: ex consideratione nostræ vilitatis, indigentiæ, indignitatis, damnabilitatis; Divinæ autem Majestatis, Sanctitatis, & Justitiæ Eccl. V: 1. III. Avocatio cogitationum nostrarum ab aliis quibuscunque rebus, earumque vehemens appulsio ad eas res de quibus agitur, & fixio in istis objectis: atque excitatio affectuum & omnium animæ nostræ facultatum, ad tantum opus, quod profecto universam requirit animam. Ps. CIII: 1. IV. Imploratio spiritus precum, qui animum nostrum cæteroqui torpentem alacrem efficiat, eaque omnia suggerat quæ Deo exponi merentur, idque eo modo qui Deo gratissimus est. Ut enim rite preceris, necesse est Deum orationem oranti dare. Luc. XI: 1. Rom. VIII. 16. V. Qui ante preces rite præparandus.

VI. Non tamen hæc ita sunt intelligenda, quasi nulla oratio rite atque legitime concepta foret, ubi omnes hi actus explicite & ordine non præcesserint. Sufficere posset, si habitus animi bene sit dispositus. Majorem enim pompam atque ostentationem, quam sinceram pietatem & solidam utilitatem, habuisse videtur, quod de Hasidæis narrant, eos integram horam meditabundos consedisse in præparando ad preces animo. Nisi me fallit præsumta de mentium nostrarum infirmitate opinio, tam operosa VI. Sic tamen ut omnis absit affectatio.

rosa præparatio, præparatio non esset, sed lassatio. Vix enim est quin fatigatum sese sentiat, qui mentem intro revocatam, tanta intentione, uni alicui objecto, tam diu impendit. Et si verum dicere amamus quid tandem est illa oratio, quæ tam operosam præparationem consequitur? & quomodo ipsa illa præparatio ab oratione distinguitur? Non enim cum Deo agitur, uti cum hominibus, ut primo meditemur, tum inventa ordine disponamus, artificiose exornemus, denique recitemus. Meditatio ipsa, & ardentia desideria, & ex imo corde mutuo se impellentia ac trudentia suspiria, omnem ordinis concinnationem antevertentia, ex occasione potius quam quæsito studio nata, facundissimæ plerumque & vehementissimæ preces sunt. Id solummodo agendum, ut in statis precibus eam animi dispositionem habeamus, in qua nihil coactæ artis se ostentet, sed omnia naturaliter, ut ita dicam, fluant. Imo naturaliter: sed secundum eam naturam; quæ à regenerante, & sanctificante Spiritu est.

VII. In ipsis precibus, exerat se Fides.

VII. *In precibus* ipsis hæc observanda. I. Ut oratio proficiscatur ex *Fide*, Jac. I: 6. 7. Ea involvit A. Spem saltem aliquam, personas nostras Deo gratas esse. B. Persuasionem de rei quam rogamus bonitate. C. Fiduciam impetrationis, nixam promissione Dei: attamen cum subjectione sub Divina sapientia & bonitate, quæ fortassis meliora nobis prospexit.

VIII. Attentio.

VIII. II. Ut fiat *attente.* Attente, inquam, ad *Deum*, ad *Res*, ad *Nos*. Eccl. v: I. Eleganter *Lanspergius in Enchiridio militis Christiani Cap.* x. *Sic intendas Domino soli, quasi præter eum & te nihil sit* Nec minus eleganter alicubi *Ephrem*: *Si dum oras permittas vagari animum, eris tanquam qui tenet quidem arcum, verum sagittam contra adversarium dirigere nequit.* Si uspiam, hiç obtinet vetus verbum, *Hoc age.*

IX. Fervor.

IX. III. Ut fiat *fervide.* Ignis accendat hoc thus, ut suffitus bonæ fragrantiæ nares numinis repleat. Ps. CXLI: 2. Sed sit sacer ignis, *Flamma Domini*, Cant. VIII: 6. accensæ à Spiritu Sancto: qui ab igne libidinis ac parvarum cupiditatum longissime sejunctus est. Jac. IV: 2. 3. Hæc est illa orandi intentio quæ laudatur Luc. XXII: 44. ἐκτενέστερον προσηύχετο. Act. XII: 5. Προσευχὴ δὲ ἦν ἐκτενὴς γενομένη ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας πρὸς τὸν Θεόν.

X. perseverantia.

X. IV. Ut fiat *indesinenter.* I Thes. v: 17. Sic ut animus conservetur in statu orandi; & frequentissime, quavis data occasione, in aliarum occupationum interstitiis, imo & in mediis occupationibus, ardentissima ad Deum emittat suspiria. Ac statæ preces super maximi momenti negotiis crebro repetantur, redintegrato subinde certamine, donec victor resurgas. Gen. XXXII: 16. Hoc est πάντοτε προσεύχεσθαι καὶ μὴ ἐκκακεῖν. Luc. XVIII: I..

XI. Post preces exspectandum Dei responsum.

XI. *Post preces* hæc agenda restant. I. Ut exspectemus rem rogatam, & responsum Dei. Ps. LXXX. 9. *Audiam quid locuturus sit Deus ille for-*

tis

tis Jehova: nam eloquetur pacem erga populum suum, & erga eos quos benignitate prosequitur Mich. VII: 7. *Quapropter ego Jehovam versus speculabor, præstolabor Deum salutis meæ. Deus me exaudiet.* Quum servi Syrorum regis Benhadadi, superbissimi nuper, nunc humillimis precibus salutem ejus ab Achabo Israëlitarum rege peterent, gratumque accepissent responsum, homines isti *experimento discere festinabant, & præcise cognoscere, an ex ipso rege esset.* 2 Reg. XXII: 33. Idem, servata tamen justa proportione, orantibus faciendum est erga Deum. Habac. II. I. *Stabam in custodia mea, & consistebam in munitione: ac speculabar ad videndum quid eloqueretur mihi.*

XII. II. Ut eandem exspectemus in diligenti legitimorum mediorum usu. Ps. XXVII: 4. *Unum* PETII *à Domino, id ipsum* REQUIRO. Prov. II: 3. 4. 5. *Si prudentiam inclamaveris, ad intelligentiam edideris vocem tuam: si quæsiveris eam velut argentum & tanquam abditos thesauros scrutatus fueris eam: tunc intelliges reverentiam Jehovæ, & agnitionem Dei consequeris.* XII. In usu legitimorum mediorum.

XIII. III. Ut temporis dispensationem Deo committamus, contenti semper εὐ καίρῳ βοηθείᾳ *oportuno auxilio.* Heb. IV, 16. *Non* enim *est nostrum scire tempora sive oportunitates, quas Pater in sua ipsius auctoritate statuit.* Act. I, 7. Est *tempus* aliquod *benevolentiæ*, quo Deus pro amplitudine benignitatis suæ exaudit. Ps. LXIX. 14. Nostra autem tempora omnia in Dei manu sunt. Ps. XXXI: 6. Idcirco par est ut fide ac spe acquiescamus in ista promissione Dei: Jes. XLIX: 8. *Sic ait Jehova, tempore accepto exaudiam te, & in die salutis auxiliabor tibi.* XIII. Temporis dispensatione Deo commissa.

XIV: IV. Experiendum est an meliores sanctioresque ex oratione resurgamus. Qui enim cum Deo familiariter conversatus est, eum oportet splendorem aliquem Divinæ sactitatis exinde reportare. Qui sactificavit semet ipsum ut ad Sanctum Israëlis accederet; qui cum Sancto illo aliquamdiu collocutus est; qui præ cæteris rebus omnibus, sui sanctificationem, ut par est, ab eo petit; nonne conveniens est ut is post tales preces animum ad sanctimoniam instructiorem ac promptiorem deprehendat? Atque hæc quidem de animi in orando dispositione dicta sunto: eo brevius, quo pauciora aut nulla fere scripturæ testimonia occurrerunt, quibus illustrandis inhærendum nobis fuerit. Totumque hoc negotum magis sinceræ praxios quam prolixæ disputationis est. XIV: Experiendum an meliores ex oratione resurgamus.

EXERCITATIO IV.

DE

GESTIBUS ORANTIUM.

BREVIARIUM.

I. *Corporis gestus ad honorem Dei comparatos esse oportet.* II. *Eorum alii ad totum corpus, alii ad partem aliquam pertinent.* III. *Genuflexio.* IV. *Submissionis symbolum.* V. *An & lapsus, ac resurrectionis ex peccato?* VI. *Veteres nefas duxerunt de geniculis orare die Dominico, & inter Pascha & Pentecosten.* VII. *At superstitiose.* VIII. *Incurvatio versus scabellum pedum Dei.* IX. *Qua testabantur se è cælo opem exspectare.* X. *Propter Messiam.* XI. *Prostratio signum mæroris.* XII. *Statio.* XIII. *Viri stationarii.* XIV. *Statio etiam Christianis usurpata.* XV. *Est signum reverentiæ, & promtitudinis.* XVI. *Quibus & alia mysteria addidere Christiani Veteres.* XVII *Judæi in terra sua versus Occidentem stantes orabant.* XVIII. *At qui nunc in partibus Occidentalibus degunt, versus Orientem.* XIX. *Quo mysterio?* XX. *Gentilium plerique, & Christiani Veteres, versus Orientem orabant, sed ob diversas caussas.* XXI. *Pii Veteres sedentes aliquando precati sunt.* XXII. *Non tamen ad precandum consedisse videntur.* XXIII. *Ne quidem Rex ipse David.* XXIV. *Sessio non est gestus orantem decens.* XXV. *Capitis opertio in cultu, Judæis usitata.* XXVI. *Et Plerisque Orientalibus.* XXVII. *Romanis etiam. Quorum Flamines à capitis tegumento sic dicti.* XXVIII. *Græci aperto capite res Divinas fecêre.* XXIX. *Quod cur Paulus apud Corinthios præferat. Altingii observatio.* XXX. *Et Ludovici Capelli.* XXXI. *Non tamen videtur Apostolicus canon omnes semper & ubique Christianos obligare.* XXXII. *Manuum Lotio: apud Judæos.* XXXIII. *Gentiles.* XXXIV. *Christianos. Quorum templa in eam rem fontes habebant.* XXXV. *Manuum Expansio & Protensio.* XXXVI. *Quarum rerum signum sit.* XXXVII. *Chrysostomus laudatus.* XXXVIII. *Manuum Osculum.* XXXIX. *Pedibus calceos exuere in re sacra multæ gentes solent.* XL. *Quod Abyssini Christiani æmulantur, ob rationem futilem.* XLI: *Ratio solidior ejus ritus.* XLII. *An & qui gestus homini Christiano in Oratione adhibendi sint?* XLIII. *Aliquæ preces nullos gestus exigunt.* XLIV. *Aliæ eos exigunt, qui affectibus animi excitantis vel testandis idonei sunt.* XLV. *Augustinus laudatus.* XLVI. *Forma gestuum pro temporum locorumque diversitate diversificari potest.*

COrpus quoque nostrum ad honorem Dei in orando comparatum esse oportet: ideoque de GESTIBUS PRECANTIUM nunc est dicendum. Qui quamvis multo minus ad orationis valorem conferant, quam sancta animi dispositio, uberiori tamen dissertationi materiem suppeditabunt; quia multa ex Antiquitate hausta huc nunc congerenda esse videntur. Eo autem procedemus ordine, ut primo *Historice* enarremus, quos gestus in orando observaverint prisci; tum *Theologice* doceamus, quid nobis hac in parte tenendum sit.

I. Corporis Gestus ad honorem Dei comparatos esse oportet.

II. Gestus ergo orantium vel *totius corporis habitum*, vel *quandam* signate corporis *partem* spectant. Ad totum corporis habitum pertinent. I. GENUFLEXIO. II. INCURVATIO. III. PROSTRATIO in TERRAM. IV. STATIO. V. SESSIO.

II. Eorum alii ad totum corpus, alii ad partem aliquam pertinent.

III. GENUFLEXIO à Deo commendata est: Ps. XCV. 6. *Venite incurvemus nos, & procumbamus, flectamus genua coram Jehova, qui fecit nos.* Adde Jes. XLV. 23. Phil. II. 10. A sanctis etiam usurpata: non solum sub Veteri Testamento: 1 Reg. VIII. 54. 2 Paralip. VI. 13. Dan. VI. 11. Ezr. IX. 5. sed & sub Novo. Act. VII. 60. XX. 36. XXI. 5. Eph. III. 14. In templo Hierosolymitano solebant Israëlitæ stantes sacris interesse; ubi autem orandum erat sæpe procumbebant in genua. Exemplum habemus Neh: 3. IX. Huc spectat illud, quod inter mirabilia primæ domus refertur in *Pirke Abot. Cap.* V. עומדים צפופים ומשתחוים רווחים *qui coarctati stabant, adorabant dilatati.* Hoc est, quibus ob multitudinem in festivis conventibus vix standi locus erat, suppetebat tamen sufficiens spatium ingeniculandi. Quod & postea passim in Ecclesia Christiana obtinuit. *Eusebius Hist. Eccl. Lib.* V. *Cap:* V. ubi narrat Christianos milites, sub Marco Aurelio merentes pluviam suis precibus impetrasse, addit id eos fecisse *γονυθέντες ἐπὶ τὴν γῆν, κατὰ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν προσευχῶν ἔθος genu in terram usque flexo, secundum consuetudinem nobis in precibus propriam.* *Tertullianus ad Scapulam. Cap.* IV. *Quando non geniculationibus & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* Frequenter admodum adhibitum fuisse hunc gestum, etiam in Ecclesiasticis precibus, prolixo Constitutionum atque exemplorum syrmate de Ecclesiâ Antiquæ, Mediæ, Proximæ ætatis, probat Venerandus *Voetius Disput. Tom.* V. *p.* 536. & seq. Etiam tempore Reformationis inprimis cœtibus, quos in campo & saltibus Belgæ habebant, orabant de geniculis. Qui mos in Ecclesia Dordracenea, Ao. MDCXIX. tempore Synodi Nationalis adhuc constanter observabatur. ibid: p. 560. Unde patet non esse eos res novas molitos, qui genuflexionem, tanquam gestum orantibus convenientem, etiam in Ecclesiasticis precibus, ubi ea commode fieri poterat, commendarunt.

III. Genuflexio.

IV. Et sane est in genuflexione demonstratio quædam humilitatis & submis-

IV. Sub-

missionis symbolum

submissionis. Nam dum nos ipsos, ita flectendo nos, quantum fieri potest minores facimus, testatur hic gestus professionem nostræ vilitatis. Unde propter rem, quæ significatur, gestus iste iis quoque attribuitur, in quibus propter membrorum nervorumque carentiam locum habere non potest. *Theophilactus ad* I Cor. XIII. exponens Pauli dictum Phil. II. 10. In nomine Jesu etiam cœlestibus flectendum esse genu; bene observat: Ὀυκ ὀςᾶ κ) νεῦρα ἔχυσιν οἱ ἐπυράνιοι, ἀλλὰ τὴν ἐπιτεταμένην ὑποταγὴν ἐδήλωσε: *Ossa & nervos non habent cœlestes, sed maximam submissionem significavit.*

V. An & lapsus, & resurrectionis ex peccato?

V. In nobis hominibus genuflexionem lapsum in peccata figurare observat: *Auctor Quæst. ad Orthod:* apud *Justinum Martyrem Resp.* cxv. Γονυκλισία σύμβολόν ἐςι τῆς ἐν ταῖς ἁμαςτίαις π.ώσεως ἡμῶν. Addit *Basilius M. De Spir. S. Cap.* XXVII. resurrectionem esse Symbolum resurrectionis è peccatis. καθ' ἑκάςην γονυκλισίαν κ) διανάςασιν ἔργῳ δείκνυμεν, ὅτι διὰ τῆς ἁμαςτίας εἰς γῆν κατεῤῥύημεν, κ) διὰ τῆς φιλανθρωπίας τῦ κτίσαντ☉ εἰς ὐρανὸν ἀνεκλήθημεν. *Quoties genua flectimus, & rursus erigimur, ipso facto ostendimus, quod per peccatum in terram sumus delapsi, & per humanitatem ejus qui creavit nos in cœlum sumus revocati.* Attamen hæc plus subtilitatis quam soliditatis habere videntur: quamvis negandum non sit, tales cogitationes, quavis data, imo & arrepta occasione, pias, & precanti oportunas esse.

VI. Veteres nefas duxerunt de geniculis orare Die Dominico, atque inter Pascha & Pentecosten.

VI. At sæpius sibi in hujusmodi subtilitatum minutiis indulserunt Veteres. Ex eodem fonte derivatum est, quod die Dominico, totoque illo tempore quod inter Pascha & Pentecosten intercedit, de geniculis orare, uti & jejunare, nefas duxerint. *Tertullianus, de Corona militis Cap.* III. *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Pascha in Pentecosten usque gaudemus.* Quumque id non satis accurate à quibusdam observaretur, tanti ea res visa est Synodi Nicænæ Patribus, ut districte omnes isthoc tempore stantes orare jusserint. Sic enim habet *Canon.* XX. Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες· κ) ἐν ταῖς τῆς πεντεκοςῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τῦ πάντα ἐν πάσῃ παςοικία ὁμοίως φυλάττεσθαι, ἑςῶτας ἔδοξε τῇ ἁγία Συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ. *Quoniam quidam sunt qui die Dominico genua flectunt, & in diebus Pentecostes, ut omnia similiter in omni paræcia serventur, visum est Sanctæ Synodo, stantes Deo orationes persolvere.* Estque illud passim à Patribus inculcatum, inque aliis Synodis repetitum: & pro ratione dicitur, esse ea in re symbolum resurrectionis, per quam Christi gratiâ, & à peccatis & à morte, quæ ab illo interfecta est, liberati sumus: uti habet *Auctor Quæst. ad Orthod. apud Justin. Mart. Quæst.* cxv.

VII. At superstitiose.

VII. Sed quantumvis hæc antiqua sint, nulla nos antiquitatis reverentia

rentia impedire potest debetve, quo minus libere pronunciemus, ea superstitiosa esse, ab Apostolici Christianismi simplicitate aliena; imo ei contraria. Certe Paulus Apostolus, cum iis omnibus qui ipsum Tyro ad navigium deducebant, positis in litore genubus oravit. Act. XXI. 5. Id autem factum esse iis diebus qui non procul à Pentecoste aberant, colligi potest ex Act. XX. 16. ubi narratur eum festinasse, ut si fieri potuerit, die Pentecostes Hierosolymis esset.

VIII. Incurvatio versus scabellum pedum Dei.

VIII. Affinis genuflexioni est CORPORIS INCURVATIO versus Sanctuarium, Israëlitis in suo cultu usurpata. Ps. v. 8. *Incurvabo me versus templum Sanctitatis tuæ cum reverentia tui.* Iterumque Ps. XCIX. 5. *Incurvate vos versus scabellum pedum ejus.* Quid est scabellum pedum Dei? Deus ipse declarat, *terram* esse Jes. LXVI. 1. *Posset*, inquit *Coccejus*, *existimari hoc ita dictum: Adorate Deum demississimâ adoratione.* Sed puto subesse plura, Rabbini intelligunt בית המקדש / *domum Sanctuarii*; & juvat eos vers. 9. *Incurvate vos ad montem Sanctitatis ejus.* Eadem mente consimilis locutio exstat. Jes. LX. 13. *Gloria Libani ad te perveniet, abies, tædæ, arboresque opacæ pariter; ad ornandum locum Sanctuarii mei, ut locum pedum meorum cohonestem.* Ubi locus Sanctuarii, & locus pedum Dei pro eodem sumi videntur. At nec sic existimo satisfactum esse omni vi phraseos, In domo Sanctuarii sacratissimum κειμήλιον erat *Arca Fœderis.* Ea videtur hoc nomine designari. Sic enim David. 1 Chr. XXVIII. 2. *Ego quum esset mihi in animo ædificandi locum quietis pro arca fœderis Jehovæ, & pro scabello pedum Dei nostri.* Ubi scabellum pedum Dei à loco quietis, id est à templo, distinguitur. Adde Ezech. XLIII. 7. *Fili hominis, neque locum solii mei, neque locum plantarum pedum meorum, ubi habitaturus sum inter filios Israëlis in seculum, neque nomen Sanctitatis meæ contaminaturi sunt amplius.* Ita autem arcam vocari credibile est, partim in relatione ad cœlum, ubi Deus thronum Majestatis suæ habet in plenissima gloriæ demonstratione, sic ut quidquid in terra est, atque illud præcipue in terra in quo præsentem sese exhibebat Deus, scabelli instar sit. Jes. LXVI. 1. partim quod Deus alis Cherubinorum expansis ac se mutuo contingentibus videretur insidere, pedibus arcæ operculo tanquam scabello impositis. Huc conversi adorare jubentur: non quod scabellum statuatur adorationis vel objectum, vel terminus, sed locus tantum quo oranti respiciendum erat; etiam si absens esset. Hoc enim volebat Salomon 1 Reg. VIII. 29. 30. *Ut sint oculi aperti erga domum hanc noctu & interdiu, erga locum illum de quo dixisti, futurum est nomen meum ibi; auscultando orationi qua orabit servus tuus versus locum hunc. Et auscultes deprecationi servi tui & populi tui Israelis, qua orabunt versus locum hunc.* Quod aliquoties repetitur in sequentibus: & exigitur ab Israëlitis è terra sua ho-

ſtium violentiâ expulſis. verſ. 33. 34. Uti religioſe illud obſervavit Daniël, Cap. VI. 11. qui oraturus ingreſſus eſt domum ſuam, cui feneſtræ apertæ erant in cœnaculo verſus Hieroſolymam, ubi procumbens orabat. Ut ergo omnia ſimul comprehendamus, incurvare ſe verſus ſcabellum pedum Dei, eſt incurvare ſe demiſſiſſime in terram uſque, idque corpore atque animo verſus Sanctuarium, in Sanctuario verſus arcam Fœderis.

IX. Qua reſtabantur ſe è cœlo opem exſpectare. IX. Indubium eſt ſubfuiſſe huic rei myſterium aliquod. Quid autem illud? Incurvatio humiliationis ſignum eſt. Incurvans enim videtur ſe ad alterius pedes demittere, ſeque pro ſcabello offerre. Jeſ. LI. 23. *Dicebant animæ tuæ, abjice te ut tranſeamus; quibus exponebas tanquam humum corpus tuum, & tanquam plateam tranſeuntibus.* Principes Orientis habebant mulieres, *Climaces* dictas, quarum tergo inſiſtebant equum conſcenſuri. Sed quid incurvatio verſus Sanctuarium & ſcabellum Dei notabat? Sanctuarium typus erat cœli: cœlum recta adiri non poterat eo tempore, ἔτι τῆς πρώτης σκηνῆς ἐχούσης στάσιν. Hebr. IX. 8. Ad Sanctuarium ergo ſe inclinando, teſtabuntur ſe è cœlo opem, & precum ſuarum exauditionem exſpectare. Iſraelitæ orantes verſus Sanctuarium, orabant ut auſcultaret Deus in loco habitationis ſuæ in cœlis, & auſcultans condonaret. 1 Reg. VIII. 30.

X. Propter Meſſiam. X. Sed & aliud ſuberat myſterium. Tam templum quam arca fœderis ſymbolum Chriſti eſt, *in quo omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter.* Col. II. 9. de quo dictum eſt Jeſ. VIII. 14. *Eritque vobis Jehova* למקדש *in Sanctuarium*: quemque *propoſuit Deus in ἱλαστήριον per fidem in ſanguine ejus.* Rom. III. 25. Huc ergo redit ſenſus nobiliſſimi quod explicamus commatis: *Exaltate Jehovam Deum noſtrum, & incurvate vos ad ſcabellum pedum ejus. Sanctus eſt.* Vos, qui adoratis, ſolum reſpicite Deum, omni religioſa veneratione proſequendum; & ut rite adoretis, ſolum reſpicite Chriſtum, in quo habitat & invenitur Deus; per eum elevate animos ad Deum in cœlis habitantem; qui, quum Sanctus ſit, non admittit ad ſui familiare commercium peccatores niſi interventu magni illius Mediatoris.

XI. Proſtratio ſignum mœroris. XI. Non minus humiliationis, ſed & mœroris magni ſignum eſt PROSTRATIO in terram, quæ Hebræis dicitur נפל ארצה אפים. Exemplum habemus in ipſo Domino Matth: XXVI. 39. Ἔπεσεν ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ προσευχόμενος. Et 1 Cor. XIV. 25. καὶ οὕτω πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, προσκυνήσει τῷ Θεῷ. De Chriſtianis militibus apud *Juſtinum Marcus Aurelius*, ῥίψαντες ἑαυτοὺς ἐπὶ τὴν γῆν. *quum ſe ipſos in terram projeciſſent. De Theodoſio Theodoretus Lib. v. Cap.* XVIII. ubi profundam Imperatoris pœnitentiam narrat, cujus intuitu excommunicationis vinculo eum ſolverit Ambroſius: *Atque ita demum, inquit, in Dei templum intrare auſus fideliſſimus Imperator*

Imperator, *οὐκ ἑστὼς τὴν δεσπότην ἱκέτευεν, οὐδὲ τὰ γόνατα κλίνας, ἀλλὰ πρηνὴς ἐπὶ τοῦ δαπέδου κείμενος, τὴν Δαυϊδικὴν ἀφῆκε φωνήν· ἐκολλήθη τῷ ἐδάφει ἡ ψυχή μου.* *non ſtans; nec genibus flexis ſupplicavit Deo, ſed pronus humi jacens Davidicam hanc vocem emiſit: Adhæſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundum verbum tuum.* Quod conſcientia graviſſimorum peccatorum in Imperatore effecit, id humiliter precantibus quibuſvis commendat *Cæſarius Arelatenſis. Sine dubio ille ſe peccatum grave habere non credit, qui proſtratus aut incurvatus animæ ſuæ remedium non quærit .... Non ergo pigeat, ſi infirmitas non prohibet, ut ſe unuſquiſque in terram proſtratus humiliet.*

XII. Sed & STATIO in precibus uſurpata fuit. Etiam ab Antiquiſſimis. XII. Statio.
Huc referunt Judæi Gen. XVIII: 22. *Abraham ſtetit coram Jehova.* Iterumque Gen: XIX: 27. *Abiit in locum illum, ubi ſteterat coram Jehova.* Ad quem locum Talmudici אין עמידה אלא תפילה· *Non eſt ſtatio ſine Oratione.* Volunt dicere, nuſquam fieri mentionem ſtationis, ubi non deſignetur aut connotetur oratio. Eadem mente interpretatur *David Kimchi*, verba Eliæ I Reg. XVII: I. *Vivit Jehova, Deus Iſraelis, ante quem ſto*- id eſt, inquit, שאני רגיל לעמוד לפניו בתפילה· *coram quo ego ſtare ſoleo in oratione. Maimonides* alicubi: אין מתפלל אלא מעומד / *nemo rite niſi ſtans orat.* Quod ea, niſi fallor, mente intelligendum eſt, ut ad minimum teneatur ſtare, neque geſtum abhibere fas ſit qui minus idoneus ſit demonſtrandæ reverentiæ.

XIII. Habebant antiquitus Judæi אנשי מעמדות / *Viros ſtationarios* XIII. Viri ſtationarii.
in viginti quatuor claſſes diſtributos, qui erant legati totius Iſraëlis, eumque quotidie repræſentabant in precibus & ſacrificiis, quibus ſtantes intererant. Quandoquidem enim pro quibus ſacra fiebant, ſuis quique ſacris faciendis intereſſe debere cenſerentur, totius autem populi ſacris totus populus intereſſe non poſſet, hinc uſu venit ut optimi quique deligerentur, qui totius populi perſonam gerentes, ſacris publicis intereſſent. Iis præerant præfecti templi, quorum primus Sacerdotes, Levitas, Viroſque ſtationarios hoc præconio evocabat. עמדו כהנים לוים לדוכן וישראל למעמד *Surgite Sacerdotes, Levitæ ad ſuggeſtus, & Iſraëlitæ ad ſtationem. Maimon: in Celei Hammikd: Cap:* VII. Hinc etiam libellus eſt dictus סדר מעמדות / *ordo ſtationum*, id eſt Lectionum & præcum liturgicarum. Vide ſodes *Buxtorf. Lex. Talm. ad vocem* עמד· *Cunæum de Reipubl. Hebr. Lib.* II. *Cap.* X. *Outram. de Sacrif. Lib.* I. *Cap.* II. §. VI. Tantique hæ ſtationes habitæ ſunt Judæis, ut dixerint in libro *Muſar*, *ſine ſtationibus non ſtaret mundus.* In novo quoque Teſtamento aliquoties ſtationis mentio eſt. Mat. VI. 5. De hypocritis: *amant in Synagogis & angulis platearum ἑστῶτες προσεύχεσθαι.* In quem locum operæ pretium erit conſuluiſſe

Lichtfootum. Mar: XI: 25. Ὅταν ϛήκετε προσευχόμενοι. Luc. XVIII. 13. Μάκρωθεν ἑϛως.

XIV. Statio etiam Chriſtianis uſurpata.

XIV. Quod è Synagoga in Chriſtianam quoque Eccleſiam tranſſumtum eſt. *Juſtinus* in *Apologia ad Antonium Pium*, exercitia publica diei Dominicæ deſcribens, hæc inter alia habet ἔπειτα ἀνιϛάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν; *Dein ſurgimus communiter omnes, & preces fundimus.* In Liturgia Marco, ſed temere, adſcripta, Diaconus aliquoties inclamat: *Ad orationem ſtate.* Et, *ſtate recti.* Et, *qui ſedetis, ſurgite.* De hodiernis Græcis *Chriſtophorus Angelus Cap.* XXI. προσεύχονται οἱ Ἕλληνες ἀεὶ ἐν τῷ ναῷ ὀρθῶς ἱϛάμενοι. *Orant Græci in templis erecti ſemper & ſtantes.* De Armeniorum ſtationibus videri poteſt *Tabernarius Itiner. Tom.* I. *Cap.* III. In Latina quoque Eccleſia frequentiſſimum fuit ſtationum nomen. Deſumtum ex militia Romana, ubi notæ militum ſtationes, & ſtationarii milites, qui certis locis jubebantur conſiſtere, & excubias agere; & Chriſtianorum ſacris exercitiis applicatum *Tertul. de Oratione: Si ſtatio de militari exemplo nomen accipit, & nos militia Dei ſumus.* *Ambroſius*, ad mentionem ſtationum, *Sermone* XXXVI. *Caſtra enim nobis ſunt noſtra jejunia quæ nos à Diaboli oppugnatione defendunt. Denique ſtationes vocantur, quod ſtantes & commorantes in iis, inimicos ſidiantes repellamus.*

XV. Eſt ſignum reverentiæ, & promtitudinis.

XV. Eſt autem ſtatio ſignum *reverentiæ, obedientiæ,* & *promtitudinis* erga ſuperiorem. Uti colligi poteſt ex exemplo Joſephi *ſtantis* coram Rege Pharaone. Gen. XLI: 46. Et Danielis ac ſociorum, quos erudiri Nebucadnezar juſſit *ut conſiſterent coram Rege. Dan.* I: 5. Hinc Angeli quoque repræſentantur, ut miniſtri, coram Deo; ut Rege ac Domino ſuo, *ſtantes.* Dan. VII: 10. Zach. III: 7: Quod & Paulus urget. Heb. I: 13. *cui angelorum dixit unquam, ſede ad dextram meam? Maimonides in Biat Hamikdas:* ואין עבודה אלא מעומד *non eſt miniſterium niſi ſtantis: quia dictum eſt, ut ſtent ad miniſtrandum.* Deut. XVIII: 5.

XVI. Quibus & alia myſteria addiderunt Chriſtiani Veteres.

XVI. Chriſtiani Veteres in ſtationibus ſuis præterea obſervabant ſymbolum *reſurrectionis* tam *Chriſti* quam *noſtræ*, & ſignum *animi ad cæleſtia erecti*, atque *promtitudinis* ad *emigrationem* ex hac vita, & denique geſtum *rei adſiſtentis coram judice. Clem. Conſtit. Apoſtol. Lib.* II. *Cap.* LXIII. *Die Dominico tres orationes ſtantes concipimus, in memoriam illius, qui tertia die reſurrexit. Chriſoſtomus* formulam Diaconi clamantis, STEMUS HONESTE, ad rectum animi ſtatum hoc modo accommodat: *Tempore Divini ſacrificii ſtare honeſte jubemur, ut cogitationes humi repentes erigamus, ut languore quem ex hujus vitæ negotiis contraximus, excuſſo, rectum coram Deo animum exſuſcitare poſſimus. Baſilius*, ſive quicunque auctor eſt libri *de Spiritu S. ad Amphilochium.* Cap. XXVII. *Neceſſarium igitur in hoc die Eccleſia ſuos alumnos docet, ſtantes abſolvere preces*

tes suas, ut assidua commonitione vitæ illius nunquam desituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Johannes Climacus, cujus scripta exstant in Bibliotheca Patrum, *de Luctu, gradu* VII. *Sta in Orationis prece tremens, nec aliter quam reus judici adsistens, ut & interiori, & exteriori habitu, favorem justi judicis concilies.* Sed & hæc fortassis subtiliora sunt.

XVII. Qui vero stantes oraverunt, ii non omnes ad eandem cœli plagam versa facie stabant. Judæi se vertebant ad *Occidentem.* Nam Templi ostium erat ab Oriente, Sanctum vero Sanctorum ad partem templi Occidentalem, quo respiciendum ipsis erat. Hinc *Rabbenu Ascher ad Megilla Cap.* III. p. 36. *Non faciunt ostia Synagogæ nisi ad Orientem: quia sic legimus de Templo, quod illius janua fuerit ad Occidentem; sicuti dicitur: Et castra metantes coram tabernaculo Orientem versus: coram tentorio conventus Orientem versus.* Secus faciebant Idololatræ, quibus se horrendis criminibus sociabant Judæorum aliquot: de quibus Ezech. VIII: 16. *Ecce autem in porta templi Jehovæ, inter porticum & altare quasi viginti quinque viros: quorum posteriora erant versus templum Jehovæ, facies autem Orientem versus, & adoratio ipsorum Orientem versus ad solem ferebatur.* XVII. Judæi in terra sua versus Occidentem stantes orabant.

XVIII. Observandum tamen, Judæos patria sua extorres, & in partibus Occidentalibus degentes, ita Synagogas suas exstruere, ut januæ in Occidente sint, Arca in qua liber legis asservatur, januæ è regione opposita, in Oriente, versus quam ingredientes sese incurvant, atque orant, Ratio discriminis hæc est: Quia, qui in occidente sunt Judæi, terram Canaan, & consequenter locum ubi Sanctuarium fuit, ad Orientem habent. Hæc enim constans apud ipsos doctrina est; quando quis consistit ad precandum, si stet extra terram Israël, convertat faciem suam versus terram Israel, & dirigat etiam versus Hierosolymam, & Sanctuarium, & Sanctum Sanctorum. Adeo omnia ad Sanctum Sanctorum respectum suum in orationibus habebant, ut in ipsa terra Israël, si quis consisteret pone propitiatorium, is faciem suam versus propitiatorium, & sic versus orientem convertere debuerit. De qua re erudite, pro more suo, disputat Vir eximius *Campegius Vitringa Archi Synagogi sui Cap:* IX. XVIII. At qui nunc in partibus Occidentalibus degunt, versus Orientem.

XIX. Neque carebat ea res mysterio, quod tamen recentiores non intellectum prave neglexerunt. Uti Arca universa typus erat Christi, ita כפורת / propitiatorium Arcæ opercelum potissimum ad Christum referebatur, & significabat propitiationem quam in Christo habemus; nostro apud Patrem Intercessore. Rom. III: 25. I Joh. II: 2. In ipso Deus habitat, uti quondam in propitiatorio, ibi compellandus, inde exaudiens preces supplicum; nunquam rite adoratus nunquam exoratus, nisi intuitu propitiationis per Messiam faciendæ, aut factæ. XIX. Quo mysterio;

XX. Hæc & quæ his similia sunt prorsus ignorantes, ob longe diver-

XX. Gentilium plerique: & Christiani Veteres, versus Orientem orabant, ob diversas caussas.

ſas cauſſas verſus Orientem in precibus ſe flectebant Gentilium plerique, teſte *Tertulliano Apologet. Cap.* XVI. *Sed & plerique veſtrûm, affectatione aliquando & cœleſtia adorandi, ad ſolis ortum labia vibratis.* Idem & Veteres Chriſtiani religioſiſſime obſervarunt; more, ut nonnulli aſſerunt, ab Apoſtolis tradito. At temere, quippe in quorum ſcriptis nihil de hac re exſtat. Atque, ut ingenioſa eſt ſuperſtitio, multa commenti ſunt, quæ huic ſuæ conſuetudini firmandæ facerent. *Pſeudo-Athanaſius Quæſt.* XXXVII. *ad Antiochum*, pro diverſa ratione interrogantium, cur ad Orientem converſi orent Chriſtiani, diverſimode reſpondendum eſſe cenſet. Et Judæis quidem reſponderi jubet, quia Spiritus S. præceperit nobis per Davidem, Pſ. CXXXII. *Adoremus in loco ubi ſteterunt pedes tui, Domine.* Vult dicere, quia Chriſtus in Oriente natus, educatus & crucifixus eſt. Gentilibus vero: *non quaſi Deus Oriente circumſcribatur, ad Orientem verſi adoramus; ſed quoniam Deus lux vera eſt & nominatur, hanc ob cauſſam ad lumen creatum reſpicientes, non illud, ſed illius Creatorem adoramus.* Chriſtianos autem docet, ideo Eccleſias ad Orientem exſtructas eſſe, *ut ad Paradiſum reſpiciamus, unde excidimus, rogantes Deum Dominum noſtrum, ut nos in antiquam Patriam reſtituat.* Alii alias rationes addunt. *Juſtinus Martyr* id fieri dicit propter Orientis præ aliis omnibus creaturæ partibus præſtantiam. *Clemens Alexandrinus*, quia hinc lux & natalis diei. *Damaſcenus*, quia Chriſtus vocatur Lux, & Sol Juſtitiæ, & Oriens ex alto. Alii, quos nimis ἀρχαϊκῶς magnus *Seldenus* ſequitur, *De Diis Syris Syntagm:* II. *Cap.* VIII. quia Chriſtus crucifixus Occidentem, id eſt, ab Oriente ſpectavit, atque ita ab adorantibus verſus Orientem quaſi ſuſpici potuit: & quia, uti fulguris ab Oriente in Occidentem motus, ita magno illo, quem omnes exſpectamus, die erit adventus filii hominis. Matth. XXIV. 27. Sed hæc frigida ſunt; nec conſiſtit in quæſitis hujusmodi myſteriis res Chriſtiana.

XXI. Pii Veteres ſedentes aliquando precati ſunt.

XXI. SESSIO an ad geſtus orantium pertineat, diſquiritur inter eruditos. Id enimvero invenimus in ſacris literis, factum aliquando eſſe ut orantes conſiderent. Soletque huc referri exemplum Moſis, cui pro Iſraelitis adverſus Amalecitas deprecanti *ſuppoſuerunt lapidem ut inſideret illi.* Exod. XVII. 12. Davidis: de quo precante dicitur, *Et ingreſſus eſt Rex David,* וישב לפני יהוה *& conſedit coram Domino.* 2 Sam. VII. 18. Eliæ, qui oravit *conſidens ſub junipero quadam.* I. Reg. XIX. 4. Nehemiæ, qui *ſedens flevit ac luxit, & jejunavit ac oravit coram Deo cœli.* Neh. I. 4. & denique turbæ totius quam juſſit Chriſtus per herbas diſcumbere, quando ſuſpiciens in cœlum precibus ſuis benedixit quinque panibus & duobus piſcibus. Matth. XIV. 19.

XXII. Non tamen ex eo, quod ſedentes aliquando oraverint, confici neceſſario

necessario potest quod ad orandum consederint, & sessionem non minus decorum oranti gestum esse existimaverint, quam aut genuflexionem, aut stationem. Aliud est, si sedentes ob aliam caussam, occupaverit precandi ardor. Et sane si rite perpendamus allegata modo exempla, in singulis videmur tale aliquid deprehendere. Mosen clarum est consedisse ob lassitudinem. Eandem sedendi caussam Elias habuit, molesto itinere fatigatus: ejusque preces magis ex tædio profectæ, occasionatæ, ejaculatoriæ, quam statæ fuisse videntur. Nehemias consedit ob mœrorem: sic enim mœsti solent. Thr. III. 28. *Sedeat solitarius, & acquiescat.* Nec sine temeritate asseritur, eum omnibus illis diebus quibus consedisse, luxisse, & jejunasse legitur, non surrexisse ad orandum. Verbo sedendi non exprimitur gestus *precantis*, sed *lugentis*. Confer Jobi III. 23. ubi de amicis Jobo condolentibus: *ita sedebant cum eo humi septem diebus, & septem noctibus.* Turba à Christo ad edendum considere jussa est: Christum autem precantem consedisse non dicitur. XXII. Non tamen ad precandum consedisse videntur.

XXIII. Major difficultas in Davidis exemplo est. Sed observandum I. Quod vox Hebræa ישב non solum significet *sedere*, sed & *manere, permanere.* Græcus interpres Deut. IX. 9. exponit per *καταγίνεσθαι, perseverare.* Eundem sensum hic quoque habere posset ut non desidem indicet & mollem oratoris habitum, qui supplicem minime decet: sed constantiam in orando significet. Et sane quum David populum frequenter hortatus sit ut incurvarent se ad scabellum Dei, an credibile est ipsum, non optimo exemplo, consedisse versus arcam? Aliter visum est *Josepho Antiq. Lib.* VII. *Cap.* IV. *His*, inquit, *à Propheta auditis, David lætus --- ad Arcam se convertit, procidensque in faciem adoravit Deum.* II. Si retinere debeat communis sedendi significatio, cogitari potest de jure quod soli Regi concessum esse Hebræorum magistri tradunt, ut in templo considere ei liceret. Qua de re videri potest *Schickardus de Jure Regio Hebræorum Cap.* IV. *Theorem.* XIII. Ubi *Maimonidem* citat de Regibus in hæc verba disserentem: *Quum intraverit atrium Sanctuarii, si est de semine David, assidet. Neque enim locus est sedendi in atrio, nisi regibus familiæ Davidis tantum: sicut dicitur* 2 Sam. VII. 18. *Ingressus est Rex David, & consedit coram Domino.* Consedit ergo David, non ad orandum, sed ut more Regio interesset sacris; quibus dum intererat oravit. III. Quid obstat, quo minus eum primò quidem consedisse, dein quum orandum erat, surrexisse aut genua flexisse credamus? Sicuti Ezras, audita populi in peccato perseverantia, primum *stupens sedebat* aliquamdiu, dein *surgebat & flectebat se in genua, & expandens manus ad Jehovam Deum suum orabat.* Ezr. IX. 3. 4. 5. XXIII. Ne quidem Rex ipse David.

XXIV. Alias sessionem non esse gestum in oratione decentem, plurimæ gentes

XXIV. Seſſio non eſt geſtus orantem decens.

gentes conſentiunt. Hebræi certe putant, non convenire id cum reverentia quæ numini debetur. *Maimonides in Biat Hammikdas Cap.* v. כל העובד והוא יושב חלל ועבודתו פסולה· *Quicunque ſedens miniſtrat, profanus eſt irritumque eſt miniſterium ejus.* Alexander ad Siſygambim Darii matrem, quamvis captivam, apud *Curtium Lib.* v. *Quotieſcunque ad te veni, donec ut conſiderem annueres, reſtiti. Tertullianus de Oratione Cap.* XII. *Irreverens aſſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum ejus, quem cum maxime reverearis aut venereris: quanto magis ſub conſpectu Dei vivi?*

XXV. Capitis opertio in cultu Judæis uſitata.

XXV. Hactenus de iis Geſtibus egimus quæ *totius corporis habitum* ſpectant: nunc ad eos accedamus qui ad *certas* corporis *partes* referuntur. Ubi primo loco occurrit CAPITIS OPERTIO vel APERTIO. Apud Hebræos non Pontifex ſolum & ſacerdotes operto ſemper vertice erant, dum ſacris fungebantur, ſed & quotquot iis intererant Iſraelitæ velato capite adſtabant. *Maimonides* in tractatu *De Oratione Cap.* v. לא יעמוד בתפלה בראש מגולה *non ſtabit in Oratione Capite aperto.* Idem ſciſcitur in Libro *Muſar Cap.* IV. quod in hanc rem laudat *Druſius ad* I Cor. XI. 4. *Debet homo tegere caput, qua hora precatur, propter Deum ante quem ipſe orat: & ſtat cum timore & metu.* Habebant enim id pro ſigno *reverentiæ.* Sic habet alicubi gloſſa Talmudica citata *Lichtfooto* in eundem Paulii Apoſtoli locum מתעטף מאימת שכינה *velat ſe præ reverentia erga Divinam majeſtatem.* Eodem Moſis & Eliæ factum refert *Jacobus Altingius, Oratione de Mitra ſacerdotis ſummi:* qui ſe Deo ſiſtentes, ejusque præſentiam animadvertentes, abſconderunt faciem obducta veſte, indignos ſe rati, qui nudo vertice comparerent. Exod. III. 6. I Reg. XIX. 13. Addunt quoque, ſignum fuiſſe *pudoris:* atque idcirco diſcipulos ſapientum in ſolennibus jejuniis velatos ſediſſe, ut lugentes atque excommunicatos, כבני אדם נזופים למקום *ſicut qui increpiti ſunt à Deo.* Sic ille נזוף increpitus à grandi aliquo Rabbino domi ſe continuit ut pudefactus, nec coram eo ſtetit qui ipſum pudefecerat capite detecto. Et ſicut caput *opertum pudoris,* ita *apertum audaciæ* ſignum habebatur. Atque hæc ratio eſt, cur, quos Moſes ex Ægypto ביד רמה *elata manu* exiviſſe dicit, Exod. XIV. 8. eoſdem Chaldæus Paraphraſtes בריש גלי *nudo capite* exiviſſe memoret. Similiter Num. XV. 30. ubi de anima agitur quæ delicti quicquam commiſerit *elata manu;* ibi Chaldæus iterum habet, *nudo capite.*

XXVI. Et pleriſque Orientalibus.

XXVI. Nec Hebræis ſolis capitis velatio reverentiæ in cultu indicium fuit, ſed & pleriſque Orientalibus, *Curtius Lib.* IV. *Capite velato præibat preces Regis.* Eandem conſuetudinem, Phyrgas, Aſiæ populum obſervaſſe, hinc colligitur, quod Helenus Trojanus Æneæ inculcavit Æneid. III.

Purpureo velare comas adopertus amictu.
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto.

Hæc

Hac casti maneant in religione nepotes.
Eum morem in Italiam intulit Æneas.

XXVII. Secuti Romani sunt; qui extra sacra vulgo erant aperto capite: vixque caput tegebant, nisi in morbo, aut luctu, aut cœli intemperie; aut forte per nimiam mollitiem. In sacris autem Pontifices & Sacerdotes, pileo vel apice, infulis & vittis utebantur; populus rejecta in caput vestis lacinia, obnubilato capite adstabat. Hinc *Flamines*, Sacerdotes Jovis, *Plutarcho* dicti creduntur, quasi *Pileamines*, a pileis capitum tegumentis, quod pileum sive apicem nunquam deponerent. Sed id longiusscule petitum videtur. Melius Flamen dicitur quasi *Filamen*, à *filo:* sive quod filum esset annexum pileo sacerdotali, sive, quod solo filo, urgente æstu, caput cingeret. Dilucide hoc exponit *Servius in Lib.* VIII. *Æneid. Flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga, desuper habens lanæ aliquid. Quod quum per æstus portare non possent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuit. Unde à filo quo utebantur flamines sunt dicti, quasi filamines. Verum festis diebus filo deposito, pilea necesse erat accipere.* Hæc Servius. At omnium optime, nisi fallor, *Vossius Etymologico*, flamen deducit à *flameo*, hoc est, albo galero, seu velamento capitis, quo utebantur. Id autem flameum vocatur, à flameo colore. Hujus vero coloris erat; quia erant sacerdotes Jovis Tonantis, cui is color convenit. Sed è diverticulo in viam. Hoc ostendere volebam, Romanos velato capite honorem diis exhibuisse. Unde & L. Vitellius ex Syria redux, quum putide ac serviliter adulando divinos honores Cajo Cæsari deferre vellet, *capite velato* eum *adiit, deinde & procubuit*, referente Suetonio, *Vitel. Cap.* II. In quem locum videri possunt *Torrentii* observationes, ubi & alia in hanc rem.

XXVII. Romanis etiam. Quorum Flamines à capitis tegumento sic dicti.

XXVIII. Longe aliter instituerunt Græci: de quibus *Macrobius Saturn. Lib.* VIII. *Illic Græco ritu, capite aperto, res Divina fit.* Ita enim legendum monet *Grotius*, ex cap. x. ubi Sacrum Saturno fieri dicitur *aperto capite, ritu peregrino*, id est, Græco. *Plutarchus* de iisdem Saturnalibus Sacris agens, ea fieri dicit ἀπαραχαλύπτῳ κεφαλῇ. *Lucem facere* id dici solitum *Festus* testatur.

XXVIII. Græci aperto capite res Divinas fecere.

XXIX. Paulus Corinthiis, qui Græci erant, scribens, eum morem præfert. 1 Cor. XI. 4. Non quod communem legem præscribere vellet, omnibus ubique servandum: sed quod civili se accommodaret consuetudini, apud eos, ad quos scribebat, tunc temporis receptæ. Egregie id mihi exposuisse videtur *Altingius*, oratione suprà laudatâ. Græci, ut dictum, nudo capite sacra sua peragere consueverant, dum idolis serviebant. Quum enim centonibus caput operire solerent, rem pudendam patrantes; contra aperto capite essent, qui in re honesta occupabantur (unde natum proverbium,

XXIX. Quod cur Paulus apud Corinthios præferat.

Altingii observatio.

bium, γυμνῇ κεφαλῇ, de iis usurpatum, qui palam ac citra pudorem quicquam agerent) utique quia religione nihil dignius, in hujus exercitiis aperta retectaque capita habenda censuerunt. Postquam vero Græcorum multi deserta Idololatria ad Christianam fidem transiissent, videntur quoque ab illa consuetudine aperiendi capitis deflexisse: sive Judæorum id imitatione factum fuerit, sive odio moris antiqui. Verum hoc pacto Græcorum aliis prophanitatom & contemtum numinis induisse credi poterant, quod omni testimonio reverentiæ in sacris novis abstinerent. Monet ergo Paulus ut in precibus & prophetia gentile decus observarent, nec magis pudendæ religionis speciem præberent extraneis, postquam Christiani facti essent, quam olim præbuissent Idololatræ. Hactenus *Altingius*.

XXX. Et Ludovici Capelli.

XXX. Cujus observationi id fortassis addi potest, quod *Ludovicus Capellus* habet. Nimirum tam apud Græcos, quam apud Romanos, omnes ingenui nudo & aperto capite in publicum prodibant; neque caput tegere solebant nisi luctu, morbo, aliave necessitate coacti, aut vero effœminata fracti mollitie. Noluit ergo Apostolus Corinthios in sacris velato capite adstare superstitiosorum aut idololatrarum more: quod is ritus argueret perversam, certe non necessariam, Judaici moris æmulationem, vel δεισιδαιμονίαν tristemque ac servilem Divinitatis metum redoleret, non vero ingenuam Christianorum, quam apud Deum habent, & profiteri debent, libertatem atque fiduciam; vel denique quod omni modo improbatam vellet in Christianorum cœtibus conformitatem cum illa quorundam Trimalcionum tum temporis mollitie, qui nullam se aëris inclementiam perferre postulabant.

XXXI. Non tamen videtur Apostolicus canon omnes semper & ubique Christianos obligare.

XXXI. Non tamen quod Corinthiis, habita moris eorum ratione, præscribebat, idem fortassis præscripsisset Hebræis in sua terra commorantibus aut Ægyptiis, & Arabibus, qui alio more utebantur. Quum enim civilis consuetudo pro locorum ac temporum ratione diversissima sit: id quod hic & nunc decorum est, alio tempore ac loco prorsus indecorum haberetur. Obtinuit tamen Apostolicus canon ab eo tempore inter Christianos propemodum omnes. An quia caput aperire ab omnibus *signum reverentiæ* censetur? Vix putem. Id nunc quidem in Septentrione per Gallicas & Germanicas nationes late manavit. At Judæis, Græcis, Veteri Italiæ, & etiamnum universo Orienti prorsus est incognitum. Videtur ergo potius pertinere ad *libertatem novi Testamenti*. Tertullianus: *Capite nudo, quia non erubescimus*.

XXXII. Manuum lotio: apud Judæos.

XXXII. A Capite ad MANUS veniamus: circa quas hæc tria potissimum consideranda veniunt, *Lotio*, *Expansio*, *Osculum*. *Lotio manuum* in precibus, multis usitata fuit gentibus, Hebræis, Græcis, Romanis, Christianis. *Aristeas*, sive quisquis auctor est historiæ de LXX. Interpretibus, inter

inter cætera hoc quoque de iis narrat, quod Rege consalutato ad sueta loca diverterint: *atque, uti mos est Judæis omnibus, manibus primum in mari lotis, Deo preces effuderint. Interroganti autem Regi, cujus rei gratia quum vota facerent manus prius lavarent; responderunt illud testimonium esse, ne quid perperam agant, sed pie sancteque perficiant, quandoquidem universa opera manibus exercentur.* Hodierni etiamnum Judæi, quotidie dum ad preces se accingunt, manus lavare solent, addita hac oratiuncula: ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו על נטילת ידים *Benedictus tu Domine Deus noster, Rex seculi, qui sanctificasti nos præceptis tuis, & præcepisti de lotione manum.*

XXXIII. De Græcis *Homerus Odys.* II. XXXIII. Gentiles.

χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς εὔχετ᾽ Ἀθήνῃ.
Lotis manibus in mari cano precabatur Minervam.

De Romanis *Tibullus, Lib:* I. *Eleg:* II.

Casta placent superis, pura cum veste venite.
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Et apud *Plutarchum* Marius vota facit *νιψάμενος τὰς χεῖρας lotis manibus.*

XXXIV. Christiani etiam, ex eo quod Paulus jubet *puras ad Deum manus omni loco tollere*, 1. Tim. II. 8. externam manuum lotionem intulerunt. *Chrysostomus Homilia* XLIII, *in* I Cor. *Οὐκ ἂν ἕλοιο χερσὶν ἀνίπτοις εὔξασθαι. Illotis manibus nequaquam ores.* In hunc finem templorum atria habebant fontes, cisternas, vel puteos, vel cantharos etiam, ne fideles illotis manibus ad publicas accederent preces. Græci *λυτῆρας, κρήνας, νιπτῆρας, φρέατα* vocant. *Chrysost. Homil.* LVII. *Tom.* V. *Κρήνας εἶναι ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν εὐκτηρίων οἴκων νενόμισαι, ἵνα οἱ μέλλοντες εὔχεσθαι τῷ Θεῷ, πρότερον ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας, οὕτως αὐτὰς εἰς εὐχὴν ἀνατείνωσι. Ut in atriis domuum oratoriarum fontes sint constitutum est, quo sic Deum oraturi prius manus abluant, & tunc demum eas ad preces extendant. Paulinus Nolanus* ad Aletium scribens, *Epist.* XXXI. *Cantharum* vocat. *In Vestibulo* (Basilicæ Vaticanæ, quam ibi describit) *cantharum ministra manibus & oribus nostris fluenta ructantem fastigiatus solido ære tholus ornat, & inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens; decet enim ingressum Ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur.* Vid. *Baron. Ann.* I. *Ad Annum* LV. *Num.* CVII. Illud autem omnes passim Veteres urgent, frustra esse omnem, quantumvis accuratam, manuum ablutionem, nisi animi à vitiis mundatio, isthac ablutione figurata, accederet. Sine qua externum illum ablutionis ritum vocant *γέλωτα καὶ λῆρον, παίγνια καὶ παίδων ἀθύρματα, risum, nugas, jocos, & puerorum ludicra.* Vide sis prolixe de hac differentem *Suicerum in Observationibus Sacris Cap.* VI.

XXXIV. Christianos. Quorum templa in eam rem fontes habebant.

XXXV. Manuum Expansio, & Protensio.

XXXV. *Expansio manuum & protensio in cælum*, in omnium fere precibus locum invenit. *Aristoteles de mundo: πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν χεῖρας εἰς οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι: Omnes quotquot sumus mortales manus in cælum protendimus orantes.* De Veteribus Hebræis res est notissima ex Jobi XI. 13. Thr. III. 41. Apud Gentiles nihil frequentins. *Virgilius:*

—— *cælo palmas cum voce tetendit.*

Livius Lib. V. *Dicitur manus ad cælum tollens ita precatus.* De Christianis *Tertullianus: manibus expansis, quia innocuis.* Estque ea res adeo ubique obvia, ut plura addere nimiæ cujusdam diligentiæ videri queat.

XXXVI. Quarum rerum signum sit.

XXXVI. Satius est ut quid gestus ille significet inquiramus. Et primo quidem creditus est notare *sinceritatem*; est enim gestus quasi nudantis operta, effundentis intima, reserantis abstrusa. Hinc Propheta jubet *cor in palmis ad Deum in cælis elevare.* Thren. III. 41. Deinde etiam *spem*, ab omnibus rebus abductam, & ad Deum conversam. Solent pueri parentibus manus tendere, quasi ansam sui apprehendendi dantes. Idem faciunt qui gurgitibus pessum eunt. Manus porrecta, cordis paternam manum obviam summa cupiditate invadere & retinere gestientis formam exhibet. Ita *Coccejus ad* Job. XI: 13. Porro significare potest, *fidem operosam;* quasi petita bona ex manu Dei mox accepturi, vel luctando veluti extorsuri. Denique docet, non decere orantem ut *desidiosus* sit, sed potius in diligenti legitimorum mediorum usu benedictionem Divinam præstoletur. Quo pertinet Laconum monitum: *admotâ operi manu, Deum implorandum esse.* Multas Græcorum sententias in hanc mentem collegit *Gathakerus ad Marci Antonini Lib.* II. §. XL. *p.* 347. ex quibus has pauculas libet excerpere.

Τὴν χεῖρα προσφέροντα τὸν Θεὸν καλεῖν.
Deum invocare oportet admotâ manu.
Αὐτός τι νῦν δρῶν, εἶτα τοὺς Θεοὺς κάλει.
Molire primus ipse mox Deum invoca.
Ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς, Θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα
Βίον δύναιτ᾽ ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου.
Expers laboris atque inops nemo potest
Rem facere, quamvis sæpe compellet Deos.

XXXVII. Chrysostomus laudatus.

XXXVII. Sed nec temnenda *Chrysostomi* observatio est, qui exinde argumentum petit quo ab omni operum improbitate orantes absterreat. Verba ipsius in *Ps.* CXLI. digna notatu sunt, sed prolixiuscula; ideoque Latine exhibebo. *Quid manuum in precibus sibi vult extensio? Quoniam illa multis malis ministrant actionibus, cujusmodi sunt verbera, cædes, rapinæ, avaritia, & illicitus quæstus: hanc ipsam ob caussam jubemur eas levare, ut, quia nobis in precibus ministrant, illud eas à malitia abstrahat, & à nequitia abducat: uti si quid rapere, vel aliena invadere,*

vel

vel alium percutere velles, memor quod easdem manus, veluti deprecatrices & patronas, ad Deum mittas, & per eas sacrificium illud spirituale offeras, eas non pudefacias, nec per malam actionem libertate sua spolies.

XXXVIII. Sed & *osculum manuum* in sacris usitatum fuit. Jobus, de sua apud Deum hominesque innocentia accurate protestans, solis lunæque cultum his à se verbis amolitur. Cap. XXXI. 26. 27. *Si vidi lucem, quod splenderet, & lunam pulchre incedentem; & seductum est in secreto cor meum*, & OSCULUM TULIT MANUS MEA ORI MEO. Negat se pulchritudine cœlestium luminarium eo seductum fuisse, ut in secreto, nedum palam, religiose ea veneratus sit. At locutio mira videtur. Non enim manus ori osulum fert, sed os manui. Verum difficultatem hanc erudita observatione semovit *Coccejus*. Verbum Hebræum נשק non est proprie *ore premere*, sed *quamvis partem parti jungere*. Inde est, quod & pro *armari* venit. Ergo verteris: *manus mea se applicuit ori meo.* Uti fecerunt LXX. Εἰ δὲ καὶ χεῖρα μȣ ἐπιθεὶς ἐπι ϛόματι ἐφίλησα. Est hic gestus colentis. Fuerunt oscula religiosa, quibus gentiles sua coluerunt simulachra, os iis admovendo. 1. Reg. XIX. 18. Hos. XIII. 2. Quibus cum testimoniis conferri meretur *Ciceronis* illud *in Verrem Lib.* V. *Ibi est ex ære simulachrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim me quicquam vidisse pulchrius: usque eo, judices, ut rictum ejus ac mentum paullo sit attritius: quod in precibus ac gratulationibus nonsolum id venerari, sed etiam osculari solent.* Atque hæc quidem in Divino cultu simplex osculorum ratio fuit. Sed & alia erat magis superstitiosa & quæsiti cultus. Vice dissuaviationis oris, ubi aut distantia, aut verecundia impedit, est osculum quod fit manu ori appressa. Verèbantur plerumque Deos ipsos ore prophano suo tangere, sed eminus stantes manum porrigebant, eamque statim verenter ad os suum referebant & suaviabantur. Hic habitus receptissimus, & velut solennis adorantium fuit. Atque hinc formatum ipsum *adorandi* verbum: quia manus *ad ora* admovebant. Plinius: *in adorando dextram ad osculum referimus. Lipsius Elector: Lib.* II. *Cap.* VI.

XXXVIII. Manuum osculum.

XXXIX. Tandem etiam de PEDIBUS aliquid dicamus. Eos calceis exuere jussi sunt Moses & Josua, præsentiam numinis propius subituri. Exod. III. 5. Jos. V. 14. Sed id extraordinarium aliquid fuisse videtur. Neuter enim id fecisset, nisi monitus. Hebræi tamen tradunt Sacerdotes ipsorum nudis semper pedibus sacra fecisse. Adeo quidem ut prophanum censeretur illius ministerium, cui inter pedes & atrii solum medium aliquod interpositum erat. Videri super hac re meretur Viri eruditissimi *Antonii Binæi de Calceis Hebræorum commentarius Lib.* II. *Cap.* III. De Berenice *Josephus* narrat, *de Bello Jud: Lib.* II. *Cap.* XV. quod votum pro salute nuncupans templum ingressura calceos exuerit. Exstat cautio apud

XXXIX. Pedibus calceos exuere in re sacra multæ gentes solent.

G 3 *Maimoni-*

Maimonidem, in Bethhabbebhira Cap. VII. לא יכנס אדם לחר הבית במקלו או במנעל שברגליו. *Ne quis cum baculo, aut cum calceis ad pedes suos, montem domus Domini invaditos.* Pythagoræ quoque notissimum monitum est: ἀνυπόδητος θύε, καὶ προσκύνει. *Nudis pedibus rem sacram facito, & adorato.* Quod tamen ad mores potius quam ad ritus pertinere haud ab surde arbitreris. Multæ gentes fana sua ingressuræ calceos exuebant. Quod à Græcis sæpius factum, ex *Callimacho* & *Valerio Flacco* discere licet. Apud Cretenses qui Dianam religiosissime venerabuntur, *ædem numinis, præter nudus vestigia, nullus licite ingrediebatur*: uti *Solinus* refert. *Cap* XVII. Apud Romanos quoque Vestæ ædem nudis pedibus matronæ adibant. Mahumedani etiam ædes suas sacras subituri, calceos religiose exuunt.

LX. Quod Abissini Christiani æmulantur, ob rationem futilem.

XL. Eundem morem observari ab Æthiopibus, sive Abissinis Christianis auctor est *Zaga Zabo* apud *Damianum à Goes*: *Non datur*, inquit, *potestas nobis adeundi templum, nisi nudis pedibus.* Additâ ratione superstitiosa & futili. Sic enim pergit. *Quia Ecclesiæ Æthiopicæ non sunt similes terræ illi, ubi populus Israel comedit agnum Paschalem decedens ab Ægypto; in quo loco Deus jussit eos comedere indutos calceamentis, & zonis accinctos propter terræ pollutionem. Sed similes sunt monti Sinai, ubi locutus est Dominus Mosi, dicens, Moyses, Moyses, exue calceamenta tua, quoniam terra quam pedes tui premunt sancta est. Et hic mons Sinai parens nostrarum Ecclesiarum est, ex quo suam acceperunt originem; ita ut Apostoli ex Prophetis, & Novum Testamentum à Vetere.* In quas non ineptias prolabuntur mortales, ubi propriæ sapientiæ fastu turgidi à simplicitate Divinæ intitutionis descisunt.

XLI. Ratio solidior ejus ritus.

XLI. Nos solidiora sectemur. Exutio calceorum fuit signum I. *Subjectionis, & servitutes.* Nam servi olim nudis pedibus Dominis suis ministrabant, & Jesaias in omnem servitutis imminentis discalceatus procedere jubetur. Jes. XX. 2. Ei autem qui ad Deum accedit decorum est subjectionem suam testari, atqui omni modo ei dicere, uti David olim, Ps. CXVI. 16. *Certe Domine, servus tuus sum, & filius ancillæ tuæ.* II. *Luctus ac mæroris.* Unde Ezechiel à luctu supersedere jussus, calceos induere jubetur. Ezech. XXIV. 17. Et Hebræorum magistri tradunt die expiationis inderdictam fuisse תנעול את הסנדיל *indutionem Sandalii.* Quod & in omni graviori luctu & solennibus jejuniis etiamnum à Judæis observatur. Et quid in sacris Deo gratius, quid numini ad misericordiam flectendo magis idoneum, quam demonstratio mœroris super criminibus nostris? Non ignorabat id superba cæteroqui Berenice, quæ Florum deprecatura, nudipes ante tribunal stetit. III. *Puritatis.* Nam quæ ex via contractæ sunt sordes una cum calceis deponuntur. Pura autem mente castum numen colendum esse, cui non dictat conscientia? Haut immerito huc refertur Ec-

clesiastis

cleſiaſtis monitum Cap. IV. verſ. ultimo. *Obſerva pedem tuum ingreſſurus Domum Dei.* Quod ita commentatur *Chaldæus Paraphraſtes* : אנת ברנשא טר ריגלך בעדן דתזיל לבית מוקדשא די לצלאה דלאתהך תמן מלא חובין קדם עד לא תתוב· *Tu, fili hominis, obſerva pedem tuum quo tempore ingueſſurus es domum Sanctuarii Domini ad orandum, ne eo concedas plenus debitis reſipiſcentia nondum expunctis.* Quæ ſubtilius ab aliis obſervata ſunt, ea ſuis relinquimus auctoribus.

XLII. An & qui geſtus homini Chriſtiano in Oratione adhibendi ſunt.

XLII. Hactenus Hiſtoricum fere egi aut Criticum: nunc ea quæ magis Theologica ſunt abſolvam. Quæritur ergo, an & qui Geſtus, homini Chriſtiano, qui libertate Teſtamenti Novi gaudet, in Oratione adhibendi ſint. Cui quæſtioni non niſi diſtinctionibus aliquot ſatisfieri poſſe videtur, quorum aliæ preces ſpectant, aliæ corporis habitum.

XLIII. Aliquæ preces nullos geſtus exigunt.

XLIII. Preces *ejaculatoriæ*, uti vocantur, ſive breves illæ mentis ad Deum elevationes, quæ omni tempore ac loco, atque in omnibus actionibus noſtris fieri poſſunt, certum aliquem corporis habitum non exigunt. Pro exemplo ſit Nehemias, qui, dum Regi vinum miniſtrabat, & cum eo loquebatur, ſupplex orabat Deum cœli. Neh. II. 1-4. Idem ſtatuendum de precibus *clandeſtinis*, licet prolixioribus, quæ ſola mente peraguntur, in aliorum aliud agentium conſortio, verbi gratia, in itinere, curru, navigio: ne videamur apparere velle hominibus, quod hypocritarum eſt. Mat. VI: 5. *Chryſoſtomus, Homilia* LXXIX: *ad populum Antiochenum. Licet genua non flectas, nec percutias pectus, nec in cælum manus extendas, ſi mentem tantum ferventem exhibeas, orationis perfectionem conſummaveris. Licet enim & forum petentem, & ambulantem prolixas facere orationes. Licet & in officina ſedentem, & ſuentem pelles animam Deo dedicare. Licet & ſervo & menti, & adſcendenti, & adſtanti coquo, quum ad Eccleſiam ire non poterit, orationem facere prolixam, & ſolertem.* Preces *ægrorum*, etiam ſtatæ, non ſunt ordinariis adſtrictæ geſtibus. Nam Hizkias æger, facie ad lectuli ſui parietem converſa, Deum pie deprecabatur. Jeſ. XXXVIII: 2. Preces *nocturnæ*, ex ſanctis meditationibus ortæ, etiam a jacentibus in lecto pie peragi poſſunt. Pſ. VI. 7.

XLIV. Aliæ eos exigunt, qui affectibus animi excitandis vel teſtandis idonei ſunt.

XLIV. At preces *Ordinariæ*, *ſtatæ*, ſive *Privatæ* eæ ſint, ſive *Domeſticæ* ſive *Eccleſiaſticæ*, eos requirunt geſtus, qui humilitati, reverentiæ, ſpei, zelo, ſimilibuſque animi affectibus, tam excitandis quam demonſtrandis idonei ſunt. Nam I. Et corpus noſtrum Dei ſe eſſe in Oratione oſtendat. II. Ita nobis exemplo ſuo præiverunt Sancti, tam Veteris quam Novi Teſtamenti, & Sanctorum omnium princeps ipſe Chriſtus Dominus. Uti ex exemplis ſupra allegatis conſtat. III. Ita quandoque juſſi ſumus. Quamvis enim, quæ de incurvatione, & genuflexione & manuum expanſione exſtant præcepta ad animum potiſſimum pertineant, ſupponunt tamen

men eum corporis habitum, cui animi dispositionem respondere Deus vult. IV. Multifariam expedit. Respectu Dei, cui ita demonstramus obsequium & reverentiam. Respectu aliorum, qui præsentes sunt, & conspectu eorum, quæ nos gerimus, ad similem excitantur reverentiam. Denique respectu nostri: nam dum gestus aliquid significant, suo modo nobis loquentes, recordari faciunt nos Deo loqui.

XLV. Augustinus laudatus.

XLV. Pulcherrime id explicuit *Augustinus, in Libro de Cura pro mortuis gerenda. Nam & orantes*, inquit, *de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, quum genua figunt, quum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt: quamvis eorum invisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit: nec ille indigeat his indiciis ut humanus ei pandatur animus: sed his magis se ipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius. Et nescio quo modo quum hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, non possint, eisdemque rursus exterius visibiliter factis ille interior invisibilis, qui illos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit.*

XLVI. Forma gestuum pro temporum locorumque diversitate diversificari potest.

XLVI. De speciali forma ac modo gestuum illud in universum tenendum est, quod idem *Augustinus* monet, *Variar: Quæst: ad Simplicianum Lib:* II. *Quæst:* IV. *Non esse præscriptum Dei verbo, quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus præsens peragat suam intentionem.* Id tamen agendum ut servetur decorum personæ nostræ, & disciplina ejus Ecclesiæ in qua versamur. Nulli uni gestui omnes, semper, & ubique alligamur. Temporum & regionum usus, qui signa honoris varie dispensat, varietatem hic quoque admittit, imo infert. Veteres Hebræi operto capite orabant, & bene: quia id apud Orientales, uti olim, ita & nunc, reverentiæ signum erat. Nos in Occidente & Septentrionalibus Europæ partibus, detectionem capitis pro signo honoris nunc habemus: ideoque detecto capite rite oramus. Neque in eadem quamvis regione omnibus locis & personis eadem conveniunt. Major est libertas in precibus solitariis, ubi sequi licet sacrorum commotionem affectuum; quam in sociis, domesticis, aut ecclesiasticis, ubi magis attendendum ad τὸ πρέπον, & ædificationem aliorum. In talibus omnium commodissimi censendi sunt illi corporis gestus; qui in sacris literis laudati sunt & commendati: uti genuflexio, aut statio, manuum expansio: & similes: Duo hic vitandi scopuli; secura prophanitas, & anxia superstitio.

EXER-

EXERCITATIO. V.

DE

STATIS PRECUM HORIS.

BREVIARIUM.

I. *Stata orandi tempora gentes pleræque habuerunt.* II. *Hebræi quotidie tria.* III. *Matutinarum precum tempus, ab Oriente sole usque in horam* IV. IV. *Hinc illustratur Act.* II: 15. V. *Meridianarum, Hora* VI. *aut* IX. VI. *Vespertinarum, ab initio noctis usque ad auroram.* VII. *Barbari non minus quam Græci mane & vesperi orabant.* VIII. *Mahumedani quotidie quinquies, vel septies.* IX. *Idque admodum adstricte.* X. *Christiani Veteres tria quotidie orandi habuere tempora: primo liberius.* XI. *Dein, adstrictius.* XII. *Quæsitis etiam in horarum definitione mysteriis.* XIII. *Alii sexies orare jusserunt, aut septies.* XIV. *Græcorum in precibus diligentia.* XV. *Romanenses ter quotidie Beatam Virginem salutari jubent.* XVI. *Horæ Canonicæ.* XVII. *Personæ ad eas obligatæ.* XVIII. *Earum Modus.* XIX. *Partes.* XX. *Septem horæ una hora deproperari possunt.* XXI. *Origo horarum canonicarum ex Psalmodiis Angelorum.* XXII. *Preces publicæ stata tempora exigunt.* XXIII. *Privatim omni tempore certo sensu orandum est.* XXIV. *Quotiescunque id postulat occasio.* XXV. *Et quando Spiritus precum impellit animum.* XXVI. *Expedit tamen ordinariis pietatis exercitiis certas destinare horas.* XXVII. *At sub cautelis quibusdam.* XXVIII. *Non statuitur isthac precum ordinatione ullus Spiritui S. terminus.*

I. POstulat nunc ordinis instituti ratio, ut de STATIS ORATIONIS TEMPORIBUS agamus; ubi eadem qua nuper procedentes methodo, primo exponemus quid plerisque gentibus in more fuerit positum; deinde quid homini Christiano conveniat. *I. Stata Orandi tempora gentes pleræque habuerunt.*

II. HEBRAEI, ab antiquissimis seculis *tria* habuerunt quotidie orandi tempora. Sic enim de Daniele narratur Dan. VI: 11. *Temporibus tribus de die ipse procumbens in genua sua orabat, & confitebatur coram Deo, quemadmodum fecerat antea.* Eique consuetudini tam severa lege se adstringebat Vir sanctissimus, ut spreto regis Darii edicto, leonibus se objicere mallet, quam eo numinis cultu vel unum diem supersedere. Quænam porro tria ista tempora fuerint, David explicat Ps. LV: 18. *Vespere, & mane, atque meridie meditabor & perstrepam, donec audiverit vocem meam.* Nihil quidem super hac re expressa lege præcepit Deus; sed Ju- *II. Hebræi quotidie tria.*

dæorum recentiores magiſtri tradunt, majores ſuos hanc conſuetudinem a veterrimis Patriarchis accepiſſe. Orationem matutinam, quam vocant תפלת שחרית / vel תפלת אור /. imputant Abrahamo. Orationem meridianam, תפלת מנחה Iſaaco. Orationem Veſpertinam, תפלת ערבית / Jacobo. Rationem hujus inſtituti reddit *Kimchius in Pſ.* LV: 18. *Nam debet homo Deum laudare quum dies mutatur: mutatur autem ter, mane, meridie, & veſpere.* Ludovicus Capellus exiſtimat reſpectum eſſe ad numerum oblationum. Illæ binæ fuerunt quotidie: hinc binæ preces ſingulis diebus, quæ reſponderent ſacrificio jugi, quod mane & veſpere quotidie offerebatur. Quia autem victimæ artus tota nocte ſuper altari ardent, hinc tertiam veſpertinam, ſive nocturnam, addidere; jejunii potiſſimum die peragendam. Quam vocant נעילה / *occluſoriam*, habendam poſt occaſum ſolis, propterea quod tunc occludantur cœli portæ ſuper ſolem, qui abſconditur. Diebus feſtis, & jejunii addiderunt & alias de quibus videri poteſt laudatus modo *Capellus ad Act.* III: I.

III. Matutinarum precum tempus, ab oriente ſole uſque ad horam IV.

III. Tempus precibus his ita definiverunt. Matutinæ concipiebantur ab oriente ſole uſque ad horam diei quartam. Sic enim *Maimonides, Tractatu Tephilla Cap.* III. §. I. תפלת השחר מצותה שיתחיל להתפלל עם הנץ החמה וזמנה עד סוף שעה רביעית שהיא שלישית היום: *De oratione matutina præceptum eſt ut incipiat cum ortu ſolis, tempuſque ejus eſt ad finem horæ quartæ: quia hæc eſt tertia pars diei.* quia vero Sabbatho & diebus feſtis, præter ſacrificium matutinum addebant aliud ſacrificium; hinc factum eſt ut ejus vicem illis diebus aliæ preces conciperentur. Et quia id ſacrificium vocabatur קרבן מוסף / *ſacrificium additum*, oratio etiam illi ſacrificio reſpondens vocabatur תפלת המוספין *oratio additamentorum.* Durabatque, ſecundum Maimonidem, ad horam ſeptimam: ſecundum alios, ad ſextam. Neque dimitti ſolebat populus ad prandium, niſi poſt finitas illas preces. *Joſephus in ſua vita:* τὸν σύνοδον διέλυσεν ἐπελθοῦσα ἕκτη ὥρα, καθ' ἣν τοῖς σάββασιν ἀριστοποιεῖσθαι νόμιμόν ἐστιν ἡμῖν. *Superveniente hora ſextâ ſolutus eſt cœtus, qua hora fas nobis eſt Sabbatis pranſum ire.* At aliis diebus præterquam feſtis licebat epulis operari poſt horam diei tertiam. Quamvis qui religioſiores erant cibum non ſumerent ante ſextam. De talibus dicit *Maimonides:* קבל עלי תענית ועד חצי יום / *ſuſcepit in ſe jejunium uſque ad dimidium diei.*

IV. Hinc illuſtratur Act. II: 15.

IV. Hinc lux affulget apologiæ illi, qua ſe & coapoſtolos ab intentata ebrietatis abſurdiſſima calumnia purgabat Petrus: Act. II: 15. *Non enim inquit, ut vos præſumitis iſti ebrii ſunt, quum ſit hora diei tertia.* Non lubet nunc repetere quæ paſſim ab interpretibus ad vim hujus argumenti oſtendendam obſervata ſunt. Omnibus iis id addi poteſt, quod ex Judæorum ritibus erudite annotavit *Petitus.* Erat nimirum iſte dies Pentecoſtes,

tecostes, ac proinde singulari modo festus: nec licuit per instituta patria, ante peractas preces, non matutinas solum, sed & adjectitias, quæ non nisi meridie finiebantur, quicquam gustare. Vix autem tunc erat hora diei tertia. Quæ ergo in viris antiquæ pietatis vel species ebrietatis suspicioni patebat, ea hora qua vel minimum procurando corpori indulgere nefas erat? Sed hoc ἐν παρόδῳ.

V. Preces respondentes Minchæ, sive sacrificio pomeridiano, uti & Mincha, duo habebant tempora. Scilicet erat מנחה גדולה / *Mincha magna*, quando sacrificium juge vespertinum offerebatur, hora sexta & dimidia, uti tempore Pascatis si illud mactandum veniebat in Sabbathi parasceve: & מנחה קטנה / *Mincha parva*, ab hora nona & dimidia usque ad occasum solis. Licebatque pro arbitrio vel hoc vel illo tempore preces suas concipere: quamquam satius arbitretur Maimonides id facere, mox a meridie. Sic faciebat Petrus Act. x: 9. *Adscendit in solarium, ut oraret, circa horam sextam.* Sed & aliter, pro libertate sua. Act: III: I. Petrus & Johannes simul adscendebant in templum, *sub horam precationis, nempe nonam.* Qua eadem hora, etiam Cornelius precatus esse legitur. Act. x: 3. 30. V. Meridianarum, hora VI. aut IX.

VI. Precis, quæ ערבית *vespertina* dicitur, tempus est ab initio noctis, usque ad primum auroræ radium. Ea autem quæ נעילה *occlusoria* vocatur, perfici debet circa solis occasum. Cæterum non tam arctam volunt esse obligationem ad preces vespertinas, vel nocturnas potius, quam ad matutinas, easque quæ respondent Minchæ: quamvis tamen Israëlitæ omnes ubique terrarum nocturnas quoque preces usurpant. VI. Vespertinarum, ab initio noctis usque ad auroram.

VII. Nec apud Hebræos solum, sed & apud plerasque GENTES hic mos obtinuit, ut matutinis ac vespertinis precibus numen adorent. Ideoque Atheos eo remittit *Plato de Legib. Lib.* x. Ἀνατέλλοντός τε ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων προσκλήσεις ἅμα καὶ προσκυνήσεις ἀκούοντές τε καὶ ὁρῶντες Ἑλλήνων τε καὶ Βαρβάρων πάντων ἐν συμφοραῖς παντοίαις εὐχομένων καὶ εὐπραγίαις: *ut qui quotidie in ortu & occasu solis & lunæ Græcos & Barbaros omnes, tam in rebus adversis quam secundis, audirent conspicerentque suppliciter adorare. Apollonius* quoque *Thyanæus* auroram precibus dandam, atque ita totius diei actiones quasi sanctificandas consuluit. Ita enim diei tempora dispescit apud *Philostratum, Lib.* I. *Cap.* XII. Ἔφασκε γὰρ χρῆναι τοὺς οὕτω φιλοσοφοῦντας ἠοῦς μὲν ἀρχομένης ξυνεῖναι Θεοῖς, προϊούσης δὲ περὶ Θεῶν (supple διαλέγεσθαι, vel simile quid) τὸν δὲ μετὰ ταῦτα καιρὸν ἀνθρωπείων περὶ τὰς ξυνουσίας ποιεῖσθαι. *Ajebat eum qui recte philosophatur oportere veniente aurora cum Diis conversari, procedente autem die de Diis loqui, reliquum vero tempus humanis rebus & sermonibus impendere.* VII. Barbari non minus quam Græci, mane ac vesperi orabant.

VIII. Muhammedani quotidie quinquies, vel septies.

VIII. MUHAMMEDANI quinquies quotidie precantur. I. Diluculo II. Oriente sole. III. Meridie. IV. Inter meridiem & vesperam. V. Occidente sole. Atque hæc quidem institutionis Muhammedicæ sunt & usus necessarii. Accesserunt duæ aliæ precationes: I. In vespera, hora una & dimidia post occasum solis. II. Circa mediam noctem. Hæc sunt traditionis & consuetudinis. Sed ad imitationem Muhammedis a devotis observantur. Vide *de Dieu ad Act*. III: I. Ultimam precationem omnium faciunt longissimam: quia decet, inquiunt, ut devotio crescat, & postrema opera meliora sint antegressis.

IX. Idque admodum adstricte.

IX. Tam præcise hæc tempora observanda esse dictant, ut nemo sine crimine ea possit negligere. Adeo quidem ut si quis in mare fuerit præcipitatus, aut si quæ fœmina cum partus doloribus luctetur, ne ii quidem his orandi legibus soluti sint. Si quis itinere præpeditus publicis sacris interesse nequeat, is de stata orationis hora quomodocunquo monitus, iter ad istud tempus sistet, aquâ se, si quidem ea in promtu sit, abluet, sin minus pulvere se aut arena sparget, neque recedet loco, donec ordinarium precum pensum absolverit. Negligenti autem impune non est. Habent enim inquisitores, qui omissionis convictos non sine contumelia aut multa dimittunt. *Hotting. Hist. Orient. Lib*. II. *Cap*. V. §. III.

X. Christiani Veteres, tria quotidie orandi habuerunt tempora, primo liberius,

X. CHRISTIANI veteres, Hebræos imitati, stata quoque orandi tempora habuere: *at salva, ut Tertullianus* ait de *Jejunio*, *indifferentia, semper, & ubique, & omni tempore orandi. Clemens Alexandrinus Stromat. Lib*. VII. *p*. 728, Gnosticum suum, hoc est, pium ac spiritualem Christianum, iis describit verbis quæ auro pingi merentur. Ἅπας ὁ βίος αὐτοῦ πανήγυρις ἁγία· αὐτίκα θυσίαι μὲν αὐτῷ, εὐχαί τε καὶ αἶνοι, καὶ αἱ πρὸ τῆς ἑστιάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν ψαλμοὶ δὲ καὶ ὕμνοι παρὰ τὴν ἑστίασιν; πρό τε τῆς κοίτης. ἀλλὰ καὶ νύκτωρ εὐχαὶ πάλιν· Διὰ τούτων ἑαυτὸν ἑνοποιεῖ τῷ θείῳ χορῷ ἐκ τῆς συνεχοῦς μνήμης εἰς ἀεί μνηστὸν θεωρίαν συντεταγμένος· *Universa ejus vita tanquam celebris ac sanctus dies festus est. Atque ei sacrificia sunt ipsæ preces ac laudes, & quæ ante cibum fiunt scripturarum lectiones, psalmi autem & hymni dum cibus sumitur. Antequam autem eatur cubitum, sed & noctu rursus orationes. Per hæc se ipsum unit choro Divino, ex memoria continua in æternæ memoriæ contemplatione positus*. Sed & alibi apud ipsum matutinas, & vespertinas, & nocturnas, & diurnas ante ac post cibum preces commendatas videmus, quas tamen nullis hactenus horis alligat.

XI. Dein adstrictius.

XI. At p 722. *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam* laudat. Εἰ δέ τινες καὶ ὥρας τακτὰς ἀπονέμουσιν εὐχῇ, ὡς τρίτην φέρε καὶ ἕκτην καὶ ἐννάτην, ἀλλ' οὖν γε ὁ γνωστικὸς παρὰ ὅλον εὔχεται τὸν βίον, δι' εὐχῆς συνεῖναι σπεύδων Θεῷ· *Quod si nonnulli certas & definitas horas constituunt orationi, ut, verbi*

caussa

caussa, tertiam, sextam, nonam, at is qui est cognitione præditus per totam orat vitam; dum per preces suas cum Deo studet versari. Alter *Clemens*, auctor διαταξέων sive *constitutionum Apostolicarum, Lib.* VII. *Cap.* XLVIII. ter quotidie orare jubet, præscriptis etiam orationum formulis, quas *mane*, & *vespere, & ἐπ' ἀρίςῳ ad prandium* circa meridiem recitari vult. Eusebius Constantini pietatem hoc quoque nomine laudat, quod *in intimis palatii sui penetralibus quotidie sese* STATIS HORIS *includens, remotis arbitris solus cum solo colloquebatur Deo: & in genua provolutus ea quibus opus haberet supplici prece postulabat. De Vit. Const. Lib.* IV. *Cap.* XXII. Ubi statas quidem horas memorat: at non definit, quas.

XII. Qui horas definiunt, plerique in illa definitione quærunt mysterium. Quod à diversis diversimode exponitur. *Cyprianus*, in *expositione Orationis Dominicæ*, in hora tertia, sexta, nona invenit *sacramentum Trinitatis, quæ novissimis temporibus manifestari habebat. Nam prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum Trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quarta procedens, declarat alteram Trinitatem. Et quando à septima nona completur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur.* Quibus speculationibus, admodum sublimibus, quid significare voluerit Vir Sanctus, difficile explicatu est. Sed & aliud sacramentum observat in statutis & legitimis illis serviendi temporibus. Eas subjungens rationes quas suas quoque deinceps fecit Hieronymus. *in Dan.* VI. *Tria*, inquit, *tempora sunt, quibus flectenda Deo sunt genua: tertiam, sextam, & nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Hora tertia descendit Spiritus S. super Apostolos: sexta volens Petrus comedere ad Orationem adscendit in cœnaculum. Nona Petrus & Johannes pergebant im templum.* Alias rationes *Augustinus* reddit, in *Sentent. Num.* 203. *Vigor*, ait, *fidei Christianæ tribus temporibus initiatur: vespere, mane, meridie. Vespere enim Dominus in cruce; mane in resurrectione; meridie in adscensione: unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam majestatis in Patris dextera considentis.* Pintus Christianorum institutum cum illo Judæorum contendit; quam perite & solide ipse viderit. *Tribus horis*, inquit, *orabant Judæi in die, scilicet tertia, sexta, & nona. Tertia, quia tunc data est Lex in Sinai; & eadem hora orat Ecclesia, quia tunc datus est Spiritus Sanctus in Pentecoste. Sextâ, quia tunc erectus fuit serpens æneus in deserto: eâdem orat Ecclesia, quia tunc crucifixus est Christus. Nonâ, tunc petra dedit aquas in Kades: uti & Christi latus in cruce tunc perforatum sanguinem dedit & aquam.* An Judæorum Doctores has instituti sui rationes laudent, equidem nescio: Hoc video, non deesse superstitiosis ingeniis quibus sibi placeant commenta, quantumvis aliena & frigida.

XII. Quæsitis etiam in horarum definitione mysteriis.

XIII. Alii sexies orare jusserunt: aut septies.

XIII. Alii *sexies* quotidie orandum dixerunt. Ita habent *Constitutiones*, quae *Apostolicæ* dicuntur, *Lib.* VIII. *Cap.* XXXIV. Circa auroram, hora Tertia, Sexta, Nona, Vesperi, circa Gallicinium. Additis singulorum temporum rationibus. Idem habet *Chrysostomus Homilia in Ps.* CXIX. ubi tamen & alias hujus distributionis rationes laudat. Nonnulli etiam Davidis exemplo *septies* preces ad Deum quotidie fundendas voluerunt.

XIV. Græcorum in precibus diligentia.

XIV. GRAECI recentiores, diebus festis, Dominica, & quolibet die Saturni circa vesperam in templum se conferunt. Iterumque summo mane, id est hora post mediam noctem secunda, etiam fœminæ cum liberis, domi puero solum vel puella relictis: ibique manent usque ad tempus matutinum, vacantes precibus & hymnis. Oriente sole domum redeunt, ab omni cibo potuque usque ad horam nonam abstinentes. Qua Sacerdos iterum iis in templum præcedit. *Christoph. Angel. Cap* XIII. Adde annotationes *Fehlavii.*

XV. Romanenses ter quotidie Beatam Virginem salutari jubent.

XV. ROMANENSES hodierni, omnes fideles cujuscunque sexus aut status obligatos ajunt ut ter quotidie Beatam Virginem salutatione Angelica venerentur: mane, meridie, vesperi. Addunt, terna illa salutatione revocari in memoriam tria maxima Christianismi mysteria. Matutinâ, Christi Resurrectionem; Meridianâ, Passionem; Vespertina, Incarnationem. Sic docent Bellarminus, Canisius, alii. Sed quantopere ea à Veteris ac purioris Christianismi praxi recedant, prolixe demonstravit *Dallæus, de Objecto Cultus Religiosi Lib.* III. *Cap.* XIV.

XVI. Horæ Canonicæ.

XVI. Maxime apud ipsos memorabiles sunt HORAE CANONICAE, sive *Officium Divinum*, Quod ita definit Bellarminus: *Est certa ratio publice laudandi precandique Deum, mente simul & voce, auctoritate præsulum Ecclesiæ instituta.* Dicuntur *Horæ*, quia statutis horis recitantur. *Canonicæ:* vel quia Ecclesiasticæ; nam Canonicum & Ecclesiasticum pro eodem habent: vel quia sunt preces Cononicorum, choro addictorum. Materia Officii, secundum Bellarminum, partes decem habet: Psalmos, Cantica, Hymnos, Lectiones, Responsoria, Antiphonas, Litanias, Capitula, Collectas, Symbolum, & Confessionem. Quæ quid singula significent, & quo modo à se invicem distinguantur prolixum esset exponere. Neque vel ad eruditionem, vel ad pietatem multum refert.

XVII. Personæ ad eas obligatæ.

XVII. *Personæ* ad officium illud obligatæ, non sunt Christiani omnes, sed I. *Beneficiati*, qui titulum habent beneficii Ecclesiastici, incipiendo à die possessionis adeptæ. II. *Sacris ordinibus initiati.* III. *Regulares professi*, tam mares, quam fœminæ, choro addicti: quorum obligatio incipit ab ea hora qua solemnem votorum professionem emiserunt. Hæc tamen multas patiuntur exceptiones. Non enim omnes illi quibus officii ratione incumbit, horas illas ipsi observant, sed per alios vicarios chorales observari

observari curant. Imprimis obligari negant eos, qui nullos ex Beneficio suo fructus percipiunt: teste Jesuita *Sa*, qui se quadraginta annos in elegantibus hisce arcanis explicandis consumsisse narrat. Docetque eos qui valde exiguos fructus, verbi gratia octo duntaxat ducatorum, accipiunt, secundum quosdam non teneri.

XVIII. Ad *modum* pertinet. I. Ut fiant lingua non vulgari, sed Latina. II. Non sola vocis pronunciatione, sed & cantu, & quidem symphonico, tum vocali, tum instrumentali. At hoc publicum in Ecclesia chorum spectat: non extenditur ad Horarum per Beneficiatos pronunciationem domi factam. III. Debitis conditionibus: quas septem Bellarminus enumerat. Ut servetur præscripta integritas, ordo, qualitas officii, locus, tempus, attentio, devotio. XVIII. Earum modus.

XIX. *Partes* sunt, septem horæ. Matutinum, seu Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. Quibus hæc subesse censentur mysteria. Media nocte, sive Matutinâ, natus est Christus, & resurrexit. Hora Prima, ductus est ad Pilatum. Tertia, linguis Judæorum in crucem actus, & flagellis cæsus, spinis coronatus. Sexta, vere cruci affixus. Nona, exspiravit, & ad inferos descendit. Vespertina, de cruce depositus est. Eâdem hora cœnavit, pedes lavit, eucharistiam confecit. Hora completorii oravit in horto. XIX. Partes.

XX. At ne quis putet septem integras horas officio huic impendendas esse, ars aliqua inventa est qua non contemnendum temporis compendium fiat. Sciendum enim est, sacerdotem una hora omnes horas suas deproperantem officio satisfacere. Matutinas etiam vesperi, & Vespertinas mane dicere poterit, nec tamen errabit. *Potest ex caussa statim post Completorium dici Matutinum sequens, & mane totum officium diei*, ait modo nobis laudatus *Sa*. Etiam quis Vespertinas post mediam noctem dicere posset, atque ita præcedentis diei officium transire. XX. Septem horæ unâ deproperari possunt.

XXI. Egregiam hanc Divini cultus rationem *præsulum auctoritate* institutam esse Bellarminus definit. At *Johannes Cassianus Lib.* 11. *de instit. Cœnobit*: refert, non solum humano, sed Angelico etiam ministerio & magisterio, Canonicarum Horarum ordinem esse constitutum. Et *Ado Trevirensis in Martyrologio ad nonum diem Januarii* ait: *tempore persecutionis Diocletiani auditam fuisse circa Sanctorum reliquias cœlestem Psalmodiam Mane & Vespere, & rursus Hora Tertia, Sexta & Nona.* In vita Magdalenæ narrant, *Angelos quotidie in cœlo Canonicas illas Horas decantare.* Idcirco constitutiones hasce de Horis Canonicis Divinis fere mandatis exæquant: intermissionem hujus officii peccatum mortale statuunt. Opus autem ipsum cantandi Horas Canonicas tanti æstimant, *ut licet sine actuali attentione, & mentis ad Deum elevatione peragatur, tamen sit cultus* XXI. Origo horarum Canonicarum ex Psalmodiis Angelorum.

cultus

cultus Deo gratissimus. Qui plura de his desiderat, adeat *Casalium, de Vet. Sacr. Christ. Ritibus Cap.* XLIV. *Johannem Gerhardum, Disput. Part.* I. *Disputatione* VIII. *Thes.* III. *Rivetum, Cathol. Orthod. Quæst.* XXXV. *Gisbertum Voetium Disput. Select. Tom.* III. *p.* 1056.

XXII. Preces publicæ stata tempora exigunt.

XXII. At nos, missis his Romanensium næniis, de reipsa potius inquiramus, an homini Christiano conveniat habere stata precandi tempora. Quæ quæstio iterum sine varia precum distinctione rite expediri non potest. I. Preces publicæ certos dies certasque horas exigunt, omnibus ad eam Ecclesiam pertinentibus notas, ut ordine convenire possint.

XXIII. Privatim omni tempore certo sensu orandum est.

XXIII. II. Quod ad preces privatas attinet, certo sensu orandum est omni tempore, sine intermissione, Col. IV. 2. 1 Thes. V. 17. Eph. VI. 18. Hoc est, animum ita dispositum esse oportet, ut promptus ad preces sit, quoties commoda orandi occasio inciderit, utque ex bona ista dispositione frequentissima cum Deo colloquia oriantur, & continua fere sanctarum meditationum exhalatio. Ita de Socrate Maximum Tyrium, de homine Christiano Clementem Alexandrinum nuper dicentes audivimus, *totam ipsorum vitam continuam esse orationem.* Nec abludit illud *Epicteti, apud Arrian. Lib.* II *Cap.* XIX. Εἰς τὸν Θεὸν ἀφορῶν ἐν παντὶ, καὶ μικρῷ καὶ μεγάλῳ, *Deum in quacunque re respiciens, tam parva quam magna.* Bonum Sanctumque *Johannis Lanspergii* consilium est, *Enchir. Mili. Christ. Cap.* X. *Ex omnibus quæ vides, quæque audis, disce orandi sumere occasionem, mentemque ad Deum elevandi. Nihil enim adeo potest audiri absurdum, nihil fieri, quod bonæ menti sese ad Deum convertendi, cum Deoque tractandi, non præbeat occasionem.*

XXIV. Quotiescunque id postulat occasio.

XXIV. III. Præter hasce preces, quas *ejaculatorias* Practici vocant, quibus omnes actiones nostras tanquam sale condiri oportet, aliæ sunt prolixiores, magisque, ut ita dicam formatæ, quæ nullis certis temporibus alligari possunt: quippe quibus occasio datur ex iis quæ cuivis in cursu rerum suarum accidunt. Non nostræ solum pietatis doctores, sed & gentiles observarunt, nihil quod alicujus momenti sit aggrediendum esse, nisi invocato prius numine. Notum est Epicteti illud: ΕΠΙ ΠΑΝΤΟΣ ΠΡΟΧΕΙΡΟΥ ΕΥΚΤΕΟΝ. Et memorabile admodum. Scipionis exemplum *Livio* laudatum *Lib.* XXVI. dignumque quod nostris sæpe Politicis hominibus inculcetur. *Nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret, ingressusque ædem consideret, & plerumque tempus solus in secreto ibi tereret.* Sed & orandi necessitatem impositam sibi sentit Christianus quivis, quoties tentationibus ad peccandum exponitur, vel peccato se præoccupatum cum dolore animadvertit, vel repentina affligitur calamitate, vel ingruens deprehendit periculum, vel recenti afficitur beneficio,

beneficio, & quæ id genus plura enumerare infinitum foret. Hæc nullis se temporum periodis circumscribi patiuntur.

XXV. IV. Uti nec Spiritus precum, qui quandocunque animum invadit, & ad orandum excitat, rejectis protinus omnibus impedimentis id agendum est quo impelli nos à Divino Spiritu sentimus. Secunda cœlestis istius venti aura flante sine mora expandere votorum nostrorum vela oportet: neque ullo committendum est modo, ut nostrâ vel tarditate, vel importuna πολυπραγμοσύνῃ, optatam adeo tempestatem præterlabi sinamus. Non habemus in potestate nostra suavissimas illas Spiritus emotiones: idcirco quotiescunque contingunt, promtissima eis alacritate obsecundandum est. XXV. Et quando Spiritus precum impellit animum.

XXVI. V. Pro ordinariis & quotidianis pietatis exercitiis, sive solitariis, sive domesticis, multifariam utile est statas horas habere. Etenim I. Conducit id ad vitæ nostræ ordinem, qui in rebus omnibus maximam semper commoditatem habet. II. Ita occurritur socordiæ, tepori, negligentiæ quæ animo cæteroqui facile obrepunt. *Calvin. in Act.* x. *Nam quia totum fere diem distrahimur variis negotiis, nec finis est tumultuandi, nisi tanquam injecto freno nos retinemus, utile est certas horas habere precibus dicatas: non quod horis simus astricti, sed ne memoria effluat oratio, quæ omnibus curis debebat prior esse.* III. Ita præivere omnium temporum laudatissimi mortales, quorum exempla ex sacris, ecclesiasticis, profanis etiam scriptis prolixe allegata modo sunt, quibus plurima alia superaddere in promtu nobis foret. Si quis plura desideret, adeat Venerandi *Voetii Politicam Ecclesiasticam Tom.* 1. *p.* 161. & seq. & inveniet quo sitim expleat. XXVI. Expedit tamen ordinariis pietatis exercitiis certas destinare horas.

XXVII. Observandæ tamen hæ cautelæ sunt. I. Non est quærendum mysterium aliquod in horarum spatiis; quod non sine superstitione à Veteribus factum esse dolemus. Cui recentiores Romanensium doctores in suis horis Canonicis infinita propemodum adjunxere nugamenta. Nihil hic attendendum nisi pietatis commoditas, ordo, & felicius ac constantius exercitium. II. Non omnes ad eadem tempora obligari possunt, debentve. Neque enim ullum in sacris literis mandatum exstat de determinatione temporis, sive quoad numerum, sive quoad horas precum. Et quæ inibi laudantur exempla, ea imitanda sunt quoad rem ipsam, non præcise quoad omnes rei circumstantias. Non enim omnia tempora conveniunt omnibus. Alia est ratio eorum qui suis vivunt reditibus, suique adeo per magnam diei partem juris sunt, & de temporibus suis disponere pro suo lubitu possunt; alia eorum quibus alieno vivendum est arbitrio, & quorum ministeria circumscripta tempora habent, uti operarii, famuli, ac similes. Æquitas exigit, ut in tam dispari hominum conditione non eadem præscribantur omnibus. Cuique integrum est ea seligere tempora, quæ sibi ac familiæ suæ comperit esse convenientissima. III. Quum ista ho- XXVII. At sub cautelis quibusdam.

rarum selectio non sit Divinæ obligationis, sed privatæ prudentiæ, non nimis se iis alligare debet animus: ut vel existimet se officio egregie defunctum esse iis horis precando, vel magnum se crimen admisisse, si sueta hora impeditus in aliud tempus orationem differe coactus fuerit. Omnes diei horæ æque Dei sunt. IV. Non tamen temere negligenda sunt solita tempora. Sed dolere debet animus, si impediatur; desiderare & quærere impedimenti remotionem; sarcire defectum proximo tempore. Sicut qui stato tempore edere vel dormire solent, instante illo tempore sentiunt cibi appetitum, vel inclinationem ad somnum, atque ægre iis est si cibo somnove potiri non liceat: ita quibus cordi est ordine Deum venerari, iis jucundæ accidunt precum horæ, & nescio quid incommoditatis animo sentiunt, si aliis occupationibus interpellentur.

XXVIII. Non statuitur isthac precum ordinatione ullus Spiritui S. terminus.

XXVIII. Non est existimandum hac precum ordinatione modum terminumque poni Spiritui Sancto, quasi illum ad statas horas præsto esse oporteat. Nam I. In antecessum nunc monuimus, quandocunque quis sanctos spiritus ad orandum impulsus persentiscit, eum rupta omni mora, sepositisque omnibus impedimentis, mox se debere accingere ad preces, non exspectata ordinaria precum horâ. II. Id quod adversus stata precum tempora objicitur eodem modo valet adversus stata tempora publicæ lectionis, auditionis, celebrationis Eucharistiæ. Hæc enim non minus præsentiam Spiritus Sancti exigunt: & tamen commode & ordine nisi statis temporibus fieri non possunt. III. Nec David, nec Daniel, nec Apostoli, statis temporibus orantes, quicquam fecerunt quod Spiritu precum indignum sit. IV. Male supponitur, non esse precandum nisi tum quando Spiritu nos ad precandum excitari deprehendimus. Obligatio nostra ad officium non pendet ab influxu Spiritus, qui, uti Dominus omnium, sua agendi tempora in sua etiam habet potestate: sed pendet unice à Divina institutione quæ nobis pro actionum nostrarum morma est. Influxus Spiritus in ipso pietatis exercitio per fidem est exspectandus.

EXERCITATIO VI.

DE

Rebus à Deo petendis, quarum summa continetur in Oratione Dominica.

BREVIARIUM.

I. *Circa preces nos informat Deus.* II. *Intus per Spiritum.* III. *Extus per Filium.* IV. *Judæi ex instituto Gamalielis habebant preces* XVIII. V. *Quo vel*

vel integra, vel per compendium recitanda erant. VI. *Id genus compendia discipulis suis tradebant magistri.* VII. *Quod imitatus Johannes est.* VIII. *Solebant & oratiunculam pro clausula addere.* IX. *Christus hac quoque in re se accommodavit moribus suæ gentis.* X. *Orationem suis dictans, quæ non pro exemplari solum, sed & pro formula sit.* XI. *Huc enim nos Christi verba ducunt.* XII. *Et praxis Ecclesiæ, tam Israeliticæ.* XIII. *Quam Veteris Christianæ.* XIV. *Quæ Orationem Dominicam cum aliis precibus jungebat.* XV. *At non docebat eam Catechumenos.* XVI. *Argumenta eorum qui orationem hanc pronunciandam esse negant.* XVII. *Prisci Israelitæ formularum quarundam verbis adstricti fuerunt.* XVIII. *Quæ iisdem premuntur difficultatibus, quibus usus Orationis Dominicæ.* XIX. *Uti & Psalmorum cantus.* XX. *Attenta verborum Christi pronunciatione non suffocatur spiritus.* XXI. *Nec committitur idololatria.* XXII. *Aut Battologia.* XXIII. *Repetitio hujus orationis apud Lucam facit eam commendabiliorem.* XXIV. *Apostolos ea usos non esse, ex scripturarum silentio non invicte concluditur.* XXV. *Complectitur, saltem generatim, omnes necessitates nostras.* XXVI. *Nec ulli tempori incongrua est.* XXVII. *Qui non habet animum condonandi, ad nullam precem idoneus est.* XXVIII. *Absurde Bogomili reliquas omnes orationes ob hanc unam spernebant.* XXIX. *Quum nequidem necesse sit eam aliis semper precibus adjungere.* XXX. *Non sunt Christiani exercitati alligandi formulis humanis.* XXXI. *Quarum necessitatem quorundam ignorantia, & socordia introduxit.* XXXII. XXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. *Pleraque Dominicæ Orationis ex Hebræorum sunt desumpta formulis.* XXXVII. *Amen, ubi, quando, & quomodo sit subjunctum precibus.* XXXVIII. *Probabilius est Christum has phrases ex Veteribus Hebræis, quam recentiores ex Evangelio habere.* XXXIX. *Orationis Dominicæ præstantia.* XL. *Partitio.*

NUnc id restat ut QUID A DEO LEGITIME PETI POSSIT inquiramus. Atque hiç sese mortalium omnium prodit ignorantia. *Quid enim oremus ut oportet, non novimus.* Rom. VIII. 26. Sed & simul sese pandit immensa numinis benignitas, dum imperitiæ succurrens nostræ, exemplaria aut formulas orandi clementer nobis suggerit. Nimirum plus uno modo circa preces nos informat Deus. Facit illud intus, per Spiritum; extus, per Filium. I. Circa preces nos informat Deus.

II. *Spiritus sublevat infirmitates nostras, & intercedit pro nobis.* Rom. VIII. 26. Qua de re supra quoque diximus. Res huc redit. I. Mentis nostræ oculos aperit, ut videamus, indigentiam nostram, atque indignitatem: quippe qui sumus *ærumnosi, & miserabiles, & pauperes, & cæci: & nudi.* Apoc. III. 17. II. Facit ut animadvertamus spiritualium bonorum præstantiam: *ac sciamus quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes* II. Intus, per Spiritum.

gloria hæreditatis ipsius in sanctis. Eph. I. 18. III. Ardens eorum bonorum desiderium excitat, quale est cervi glocitantis ad alveos aquarum. Ps. XLII. 2. IV. Mentem imbuit iis affectibus, qui Dei Majestate, nostra vilitate atque indignitate, & rerum desideratarum præstantia digni sunt. Atque hoc nomine *Spiritus precum* dicitur. Zach. XII. 10.

III. Extus per Filium.

III. Sed & Filius Dei suos docuit, quo modo orandum sit. Et quidem bis. Primo sua sponte, occasione sumta ex pravis Pharisæorum precibus. Mat. VI. 9. Dein rogatu discipuli alicujus, postquam ipse ab oratione surrexerat. Luc. XI. 1. Sive discipulus ille non interfuerit præsens, quando Christus docebat turbam; sive oblitus fuerit eorum quæ tunc à Domino dicta erant; sive aliam aliquam formulam ampliorem expetierit. Christo autem eandem ingeminare placuit: quippe qua nulla consummatior atque exactior præscribi potest.

IV. Judæi ex instituto Gamalielis habebant preces XVIII.

IV. Operæ pretium est hæc ex antiquitatibus Hebraicis paullo enucleatius exponere. Uti Judæi quotidie statas precum horas habebant, ita iis horis statas habebant preces, quas conceptis verbis proferrent, institutas, ut ajunt, ab Ezra, & viris Synagogæ Magnæ, & in certum ordinem, ad numerum duodeviginti, redactas à Gamaliele Seniore, qui vixit tempore Christi, & fuit præceptor Pauli Apostoli. Hujus hæc memoratur in Talmude constitutio: *Dicit Rabban Gamaliel, unoquoque die oret unusquisque octodecim orationes.*

V. Quæ vel integræ, vel per compendium recitandæ erant.

V. Qui non valebat promtitudine aut memoria ut numerosas illas preces commode recitare posset, ei licebat compendiosa summula uti, in qua omnium istarum medulla esset veluti compacta. Hanc summulam vocabant מעין / sive *fontem*. De qua Rabbi Aquiba. אם שגורה תפלתו בפיו מתפלל
יח ואם לאו מעין יח *Si expedita sit oratio in ore ejus oret octodecim; sin minus, oret summulam istarum octodecim.*

VI. Id genus compendia discipulis suis, tradebant Magistri.

VI. Porro Usitatissimum erat Doctoribus Judæorum, ut sibi suisque discipulis, formulas ejusmodi summulasque struerent, quarum aliquot in Talmude exempla occurrunt. Quæ non eo erant comparatæ, ut ordinarias statasque gentis preces è medio tollerent, vel ullum iis crearent præjudicium, sed ut haberent aliquid quod sibi suisque privatis rebus esset accommodatum.

VII. Quod imitatus Johannes est.

VII. Receptum hunc seculo suo morem imitatus fuit Johannes, qui sicuti singulare aliquid habebat in doctrina sua, quæ plurimum à Pharisæorum disciplina distabat, unde tantus ad eum factus est hominum concursus; ita etiam suis orandi formulas tradidisse videtur, ab illis Pharisæorum, & communibus Synagogæ, diversas. Luc. XI. 1.

VIII. Solebant & oratiunculam pro clausula addere.

VIII. Nec inusitatum erat precibus statis oratiunculam addere, quæ clausulæ loco esset. *Rabbi Eliezer* finitis orationibus solitus erat dicere: *Sit*

Sit beneplacitum tuum; Domine, ut habitet in sorte nostra amor, & fraternitas. *Rabbi Jochanan*, finitis orationibus sic dicebat: *sit beneplacitum tuum, Domine, ut observes contumeliam nostram, & respicias miserias nostras.* Vide *Lichtf. ad Mat.* VI. 9.

IX. Christus igitur, qui passim se accommodavit seculi sui moribus ac institutis quæ mala non erant, tam sua sponte, quam rogatus à discipulis suis, hanc iis præscripsit formulam, quæ vel pro summula prolixiorum precum, vel pro conclusione earundem usurpari posset: à nobis certe amplectenda est ut θεοδίδακτος εὐχὴ quemadmodum vocatur à *Cyrillo Hierosolymitano Catech.* IV. IX. Christus hac quoque in re se accommodavit moribus suæ gentis.

X. Hæc aditum nobis faciunt ad solutionem quæstionis: utrum Oratio Dominica *Exemplar* duntaxat sit, an vero & *Formula* orandi: sive an ad id solum nobis sit data, ut disceremus qualia & qualiter à Deo petenda sint; an vero & ipsa ea verba ab hominibus Christianis recitari conveniat. Dico, conveniat. Vix enim existimo quenquam esse qui serio pugnet, Christum discipulos suos iis præcise verbis adstrinxisse. Uti nollem inter Christianos inveniri, qui, nescio qua superstitione, Christi verba suppressa mallent, quam ut sua Deo vota Christi verbis exprimerent. Equidem non censemus cum iis esse litigandum, qui etiam pro formula usurpant, modo id faciant cum intelligentia & devotione. X. Orationem suis dictans, quæ non solum pro exemplari, sed & pro formula sit.

XI. Nam ipsa simplicitas verborum Christi huc nos ducere videtur. Mat. VI. 9. *Vos igitur ita precamini.* Et magis adhuc. Luc. XI. 2. QUUM ORATIS, DICITE. Vult ergo ut ea verba nobiscum sumamus. Hos. XIV. 2. Et sane qui rogabat ipsum discipulus, non tam cupiebat de orandi modo informari, quam desiderabat exemplar & formulam orationis; quomodo Pharisæi suis asseclis, Johannes suis auditoribus, precandi formulas tradiderant. Cui desiderio promte satisfacit Dominus Jesus: non dicens, hoc fere modo orate; sed, *quum oratis, dicite.* Non dicit, petite ut nomen Dei sanctificetur, Regnum ejus adveniat, &c. quomodo locutus fuisset, si solum præbuisset exemplar. Sed ait, *Dicite, Pater noster, Sanctificetur nomen tuum.* Non res solum, neque dispositionem, sed & verba suggerens, quibus Pater noster cœlestis compellari amat. Quisquamne sine præjudicio hæç considerans, animum suum inducere potest ut credat, ea intentione ita locutum esse Dominum, ut religiosissimi Patris cœlestis adoratores existimarent orationis hujus usu sibi vel plerumque vel semper interdictum esse? Ubi Christum docentem audimus, *vos, quum oratis, dicite*: licetne id ita παραφράζειν, vestris quidem verbis has ipsas res utcunque exponite; at scitote cavendum vobis religiose ne iis ipsis verbis utamini quæ ego nunç vobis præeo. XI. Huc enim nos verba Christi ducunt.

XII. Accedit praxis Ecclesiæ Israëliticæ, quæ ex præscripto Divino,

 conceptis

XII. Et praxis Ecclesiæ, tam Israëliticæ, conceptis verbis, & solemni carmine, Deum alloquebatur. Ita formulam Benedictionis Aaroni & filiis ejus Deo mandante præivit Moses: Num. VI. 23. *Alloquere Aaronem & filios ejus, dicendo: sic Benedicitote filiis Israëlis, dicendo eis.* Exstat & præscripta formula confessionis atque precationis, usurpanda in oblatione primitiarum: Deut. XXVI. 5. & decimarum. ibid. vers. 13. Ubi notandum, præceptum hoc in singulari numero proponi, ut singuli scirent his sibi verbis utendum esse. *Tunc dices coram Jehova Deo tuo, sustuli quod sanctum est è domo mea, &c.* Joël quoque Sacerdotibus supplicationis formulam præivit. Cap. II. 17. *Inter ipsum vestibulum & altare fleant sacerdotes, ministri Jehovæ: & dicant, parce, Jehova, populo tuo, &c.* Et in Davidicis hymnis, quotquot sunt εὐκτικοὶ, quales sane sunt plurimi, quid aliud sunt, nisi quædam formulæ orationum, in communem Ecclesiæ usum traditæ; 2 Chron. XXIX. 30. *Edixitque Ezechias Rex, & principes, Levitis, ut laudarent Jehovam verbis Davidis, & Asaphi videntis.* Quod ita decorum fuit Ecclesiæ Veteri, ut certis orandi formulis uteretur, non debet indecorum censeri Ecclesiæ recentiori: in cujus usum jam inde à priscis temporibus formulæ quædam tam precum quam gratiarum actionum conceptæ sunt. Exstant enim tam in Psalmis, quam in Prophetis non pauca, quæ ab antiquis, in exspectatione futurorum, recitata ac decantata, nostris proprie temporibus conveniunt.

XIII. Quam Veteris Christianæ. XIII. Eadem est praxis Veteris Ecclesiæ Christianæ. Cui in summa veneratione fuit Dominicæ orationis recitatio. *Tertullianus in Libro de Oratione: Quid mirum? Deus solus docere potuit, ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius, jam tunc quum ex ore Divino ferretur, animata, suo privilegio adscendit in cælum, commendans Patri, quæ Filius docuit.* Cyprianus similiter, in *Sermone de Oratione Dominica, initio. Christus inter cætera sua salutaria monita & præcepta Divina, quibus populo suo consulit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit, ipse quid precaremur monuit & instruxit. Qui fecit vivere, docuit & orare, benignitate scilicet qua & cætera dare & conferre dignatus est, ut dum prece & oratione quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur.* Post pauca: *Quæ potest magis spiritualis esse oratio, quam quæ à Christo nobis data est, à quo nobis & Spiritus Sanctus missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ à Filio, qui est Veritas, de ejus ore prolata est? ut aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa..... Oremus itaque, Fratres dilectissimi, sicut Magister Deus docuit. Amica & familiaris oratio est, Deum de suo rogare, ad aures ejus adscendere Christi orationem. Agnoscat Pater filii sui verba, quum precem facimus... Nam quum dicat, quia quodcunque petieritis à Patre in nomine meo dabit vobis;*

quanto

quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?

XIV. Ita autem Dominica Oratione utebantur Veteres, ut ea absoluta, alias preces pro rei exigentia subjungerent. Sic enim Tertullianus ea quæ modo laudavimus prosequitur: *Quoniam tamen Dominus, prospector humanarum necessitatum, seorsim post traditam orandi disciplinam, Petite, inquit, & accipietis, & sunt quæ petantur pro circumstantia cujusque: præmissa* LEGITIMA ET ORDINARIA ORATIONE, (sic Dominicam vocat) *quasi fundamento, jus est superstruendi extrinsecus petitiones.* Sic ergo Tertulliani tempore in Africa oratio Dominica præmittebatur subsequebantur preces aliæ. Verum aliis temporibus locisque, præmissis aliis precibus, Oratio Dominica pro conclusione addebatur. *Gregorius: Lib.* VII, *Epistola* LXIV. *Orationem Dominicam mox post precem dicimus.* XIV. Quæ Orationem Dominicam cum aliis precibus jungebat.

XV. Cæterum hic singulare aliquid habebant Veteres, quod a nostro usu longe semotum est. Orationem Dominicam non docebant Catechumenos; neque fas esse existimabant nondum baptizatis ea oratione uti; imo nequidem publicæ illius recitationi interresse non initiatos permittebant. Illius rei duas potissimum habebant caussas. Prior hæc erat, quia, quum Baptismus regenerationis Sacramentum sit, non videbatur decorum ab iis Deum Patris nomine compellari, qui regenerationem suam baptismi receptione non comprobaverant. *Theodoretus in Epitome Divinorum Decretorum Cap.* XXXVIII. *Ταύτην τὴν προσευχὴν οὐ τοὺς ἀμυήτους, ἀλλὰ τοὺς μυσταγωγουμένους διδάσκομεν. Οὐδεὶς γὰρ τῶν ἀμυήτων λέγειν τολμᾷ, Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, μήπω δεξάμενος τῆς υἱοθεσίας τὸ χάρισμα. Ὁ δὲ τῆς τοῦ βαπτίσματος τετυχηκὼς δωρεᾶς πατέρα καλεῖ τὸν Θεὸν, ὡς εἰς τοὺς υἱοὺς τελέσας τῆς χάριτος. Hanc nos orationem non initiatos non docemus, sed initiatos: nullus enim eorum qui initiati non sunt dicere audet, Pater noster qui es in cælis, quum adoptionis donum nondum acceperit. Qui autem baptismi donum consecutus est, Deum Patrem vocat, tanquam in gratiæ filios adscitus.* Altera ratio erat, quod veterum nonnulli existimarent orationis Dominicæ recitatione factam esse Eucharisticorum Symbolorum consecrationem ab ipsis Apostolis: saltem ipsi eam ad Euchariſtiam Symbolorum consecrationem ab ipsis Apostolis: saltem ipsi eam ad Euchariſtiam adhibebant; & petitionem quartam *περὶ τοῦ ἄρτου τοῦ ἐπιουσίου* plurimi de Euchariſtia interpretabantur. Cujus mysterii quum Catechumeni non initiati participes esse non potuerint, frustra orationem hanc, tot modis Euchariſtiæ innexam recitassent. Sed hæc, ut multa Veterum, superstitione non carent. Nam neque regeneratio aut adoptio a Baptismo pendent; neque in omni recitatione orationis Dominicæ de Euchariſtia cogitare necesse est. XV. Sed non docebat eam Cathechumenos.

XVI. At

XVI. Argumenta eorum qui Orationem hanc pronunciandam esse negant.

XVI. At neque eos superstitionis culpa libero, qui Orationis Dominicæ recitationem non aliter ac periculosum aliquem scopulum refugiunt; & partem aliquam defæcatioris pietatis in eo constituunt, quod formulam istam ex familiis Christianorum, & cœtibus Ecclesiasticis exulare jusserint. Et quandoquidem id nobis nunc agendum, ut incomparabilem illam Domini nostri sapientiam exponamus, quam in concinnatione hujus Orationis ostendit, operæ pretium erit præcipuas eorum rationes expendere, qui illius usu piis hominibus interdicunt. Pugnant ergo. I. Non esse eum qui in Spiritu Deum colit, verbis adstringendum, ne, dum nimis attente syllabas pensitat, generosioris spiritus emotiones sufflaminentur. II. Non abesse periculum idololatriæ alicujus, circa verba toties repetita, & pro Divinis identidem solicite commendata. III. Tam frequentem eorundem verborum recitationem Battologiam esse, Christo condemnatam. IV. Diversitatem verborum quæ deprehenditur in sacra Matthæi & Lucæ historia, satis ostendere non fuisse mentem Domini nos verbis alligare. V. Apostolos, quamvis orationem istam ex ore Domini audiverint, nunquam tamen ea esse usos. VI. Orationem istam non satis in specie exprimere necessitates omnes, quarum gratia sæpe numero compellandum numen est. VII. Neque omnibus omni occasione ac tempore convenire. Quorsum enim quis in confinio mortis positus panem quotidianum peteret? VIII. Imo esse qui eâ utentes maledictionem potius quam benedictionem sibi accerserent. Si quis enim, qui animum peccata inimicis suis condonandi in se non deprehendit, Deo tamen dicat, remitte mihi debita mea, sicuti ego meis ea debitoribus remitto; is revera non remissionem suorum debitorum, atque adeo sui ipsius condemnationem petit.

XVII. Prisci Israëlitæ formularum quarundam verbis adstricti fuerunt.

XVII. Quibus argutationibus primo generales quasdam observationes opponam; mox distinctim ad singulas responsurus. Id itaque attendi velim, citra controversiam esse quod Deus in prisca Israëlitarum Ecclesia certas quasdam formulas Benedictionis, Confessionis, Precationis, Gratiarum actionis, dictaverit; ut jam antea a nobis probatum est. Addo, voluisse Deum ut in sacris exercitiis iisdem verbis ex præscripto uterentur, saltem in carminibus & canticis religiosis, ubi rythmus & moduli non facile patiuntur verba verbis, sententias, sententiis substitui. Imo est ubi adstrictos suos voluit ad ipsas Alphabeti literas, a quibus singula ordine commata incipiunt: magna arte ita concinnata, ut eo facilius verba memoriæ imprimerentur. Quæ si consulto transponere, aut alia iis substituere, in animum induxissent cantores, aut quicunque Isaëlitæ, profecto hoc fuisset injuriam facere arti cujus magister in hominibus θεοπνεύστοις ipse Dei Spiritus fuit, & sapientiam illius superstitiosa temeritate eludere, Sed nec illud

illud omittendum, fuisse nonnulla sacra illiusmodi cantica quæ singulis sabbathis recitanda erant. Quod de Ps. XCII. illius inscriptio docet.

XVIII. Jam obtestor quemvis, qui animum præjudiciis vacuum habet, annon illæ quæ modo adversus orationis Dominicæ usum prolatæ sunt argutationes æque validæ sint adversus formulas Israëlitis olim à Deo præscriptas? Licuitne tunc Deo opponere, motus a Spiritu gratiæ & precum profectos perperam angustis formularum cancellis cohiberi? Discrimen esse ne idololatria circa verba sic publice identidem recitata committatur: saltem battologiam non abesse a crebra eorundem repetitione: neque contineri iis quidquid pia mens subinde exponere gestit Deo; denique non convenire eas formulas omnibus omnium conditionibus aut statibus: consequenter satius esse ut sepositis omnibus istis formulis, quisque pro Spiritus sibi indulti mensura ipse preces, confessiones, gratiarum actiones formet, quibus multo liberius ac generosius, sine ulla Spiritus in se operantis præjudicio, cogitata animi sui Deo exponat. Si ita Deo responsare Israelitis non licuit, cur nobis hodie licet? Si validæ sint rationes istæ contra formulam orationis Dominicæ, qui fit ut validæ non sint adversus priscas formulas? Aut si adversus has nihil valeant, quid demum est quod persuadere nobis debeat eorum valorem adversus illam? Solane temporum & Oeconomiarum differentia rationibus valorem addit aut demit in re, quæ ad rationalem Dei cultum pertinens, nulli temporum aut Oeconomiarum diversitati obnoxia est: qualis est devotio spiritualis in precatione? XVIII. Quæ iisdem premuntur difficultatibus, quibus usus Orationis Dominicæ.

XIX. Adde & hanc observationem. Psalmorum usum in decantandis Divinis laudibus commendatissimum sibi universa Ecclesia Christiana habet. Nihil autem Orationis Dominicæ recitationi opponitur, quod non perinde adversus sacrorum carminum cantum valeat. Si nefas sit verbis orationis insistere, qui fas est Psalmi verba strictim retinere? Minusne constringitur spiritus si ad cantici arte compositas lexeis se accommodet, quam si simpliciorem precis sermonem sectetur? Qui fit ut verba orationis mentis attentionem turbent, Psalmi verba non item? Minusne idololatriæ periculum est circa Psalmi alicujus elegantem atque affectuosam grandiloquentiam, quæ aures animumque incredibili blanditie demulcet; quam circa precationem cujus sermo sola se incompta castitate & nativa munditie commendat? Ubi earundem & rerum & verborum repetitiones crebrius quam in Psalmis occurrunt? quas Battalogiæ convitio infamare, horrenda esset profanitas & vera blasphemia. Annon multi a nobis Psalmi Davidici cantantur, nostris temporibus rebusque multo minus convenientes, quam ea quæ in Oratione Dominica exstant? Denique si ad ædificationem atque excitationem animorum nostrorum inserviat, uti revera XIX. Usi & Psalmorum cantus.

inservit, crebra eorundem Psalmorum decantatio: quâ tandem caussa fit, ut ædificationi obsit, ut excitationem animi impediat, attenta, qualem volumus, Dominicæ orationis recitatio?

XX. Attenta verborum Christi pronunciatione, non suffocatur spiritus.

XX. Sed & singulis hisce argumentis breviter aliquid reponamus. I. Neque nos ii sumus qui verbis adstringere spiritum precum, aut orantes ex spiritu, postulemus; sed non quia certis verbis alligati non sumus idcirco nefas aut inconveniens est ea adhibere. Si Deum nostris nobis verbis compellare liceat, ideone non licebit eum compellare suis? Speramusne nostra balbutientia gratiora ei fore suis, quæ sapientiam continent inenarrabilem? Non est etiam illud universaliter verum quod attenta verborum consideratio devotionem turbet. Id fortasse fecerit, si quis in verborum cortice & apice hæreat, non si per verba, plurimi significatus fœta, ad meditationem rerum sublimium ac cœlestium, quæ iis verbis significatæ sunt, enitatur. Non minore devotione animi atque emotione spiritus audienda nobis Dei vox est, quoties nos compellare dignatur; quam ipse à nobis compellandus est: non tamen idcirco minus attente pensitandæ syllabæ, si quidem ita loqui libeat, Divini sermonis sunt. Imo attendendum *attente, attentissime*, Jes. XXI. 7. ut eo sanctius Divinam sapientiam in iis stupeamus.

XXI. Nec committitur idololatria.

XX. II. Idololatriam circa Orationem Dominicam committere, est ei vim aliquam aut reverentiam Divinam attribuere quam non habet. Id illi faciunt qui existimant verba ipsa, quia à Christo profecta, tantæ esse dignationis atque efficaciæ apud Patrem, ut nude recitata, etiam sine mente atque attentatione, quidlibet impetrare valeant. Huic periculo non est obviam eundum abrogatione sive omissione hujus orationis, sed seria atque animum convincente informatione, irreligiosum esse Deo verba qualiacunque admurmurare, nihil in eorum sono esse valoris, pia devotione attendendas esse res efficacibus illis verbis significatas, ita componendum esse animum ut occasione horum verborum ad rerum cœlestium excitetur desiderium, atque ita excitatus iisdem rursus verbis desiderium suum numini exponat. Id si fiat, ne ulla quidem idololatriæ species remanet. Neque profecto frequens Orationis Dominicæ repetitio, qua mentes ad solum Patrem nostrum cœlestem excitantur, ei soli regnum, gloriam & potentiam attribuere docentur, majus idololatriæ circa eam discrimen inducit, quam crebra repetitio, accurata inculcatio & diligens discussio verborum præcepti secundi, qua omnis idololatria interdicitur.

XXII. Aut Battologia.

XXII. III. Battologia Christo condemnata, quid sit, jam antea à nobis est expositum. *Exercit.* I. §. XLIII. Repetitio autem quotidiana, sed attenta atque devota, ejusdem orationis nihil cum Battologia commune habet. Nisi velimus ipsum Dominum in crimen a se damnatum incidisse,

quo

quo tempore ferventiſſime orabat, ter repetitis vicibus eundem ſermonem prolocutus. Mat. XXVI: 44.

XXIII. IV. Quandoquidem Dominus apud Lucam eandem orationis formulam repetit, alio tempore, loco atque occaſione olim traditam, uti Matthæus memorat; eo nobis debet eſſe commendatior. Meritoque exinde colligimus, voluiſſe Dominum ut illius uſus familiaris diſcipulis ſuis eſſet; quum eandem reponere maluerit, quam plures dictare, quarum veluti optionem ſuis faceret. Porro quum tam exigua verborum apud Matthæum ac Lucam differitas ſit ut pene nulla videri debeat, ſi modo excipias id quod à Luca omiſſum Matthæus exhibet; interceſſiſſe potius exemplo ſuo videtur Dominus conſultæ aliorum verborum ſubſtitutioni, quam ut eam probabilem fecerit. Neque nos, quod ſæpius jam monitum, orantem ſyllabis adſtringimus.

XXIII. Repetitio hujus Orationis apud Lucam facit eam commendabiliorem.

XXIV. V. Non legimus equidem Apoſtolos hac formula uſos; verum non debet mox negari, imo ne quidem pro dubio ſemper habere licet, id quod factum eſſe expreſſe non narratur. Nuſpiam gentium exſtat, quod Elias Elizæum in Prophetam, Hazaëlem in Regem Syriæ unxerit; ſicut à Deo juſſus erat. An quia id non legitur, inferre nobis licet neglectum à pio vate Domini, mandatum eſſe? Nunquam, quod memini, narratur in ſacris hiſtoria celebrati à Judæis Jubilæi: neque tamen fas eſt dubitare, quin id, ſi non ſemper, at plerumque certe obſervatum ſit. Nuſpiam exſerte ſcriptum eſt, Apoſtolos baptizaſſe in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti: quia tamen id facere juſſi erant, pie colligimus, ipſos, ut obſequibiles miniſtros, id nequaquam neglexiſſe. Si itaque non liceat libeatve nobis ex commendatione orationis Dominicæ colligere, Apoſtolos ea eſſe uſos; ſaltem ex ſcripturæ ſilentio non negemus id ab ipſis eſſe factum, quod legimus ipſis à Domino eſſe commendatum: maneatque ad minimum ea quæſtio indeciſa, neutram ut partem juvet.

XXIV. Apoſtolos ea uſos non eſſe ex ſcripturæ ſilentio non invicte concluditur.

XXV. VI. Fatemur utique non eſſe neceſſitates noſtras omnes in ſpecie hic expreſſas, nullæ tamen ſunt, quæ huc uti ad ſedes ſuas & generaliora principia referri non poſſint. Tum quis intercedit, quo minus ea quæ nos urgent aliis precibus, prolixe, ſi quidem res ferat, Deo exponantur? modo id ea cautione fiat, ne ad nimis ſingularia deſcendentes, nocitura potius quam profutura petamus, pro ovo ſcorpionem. Aliarum precum uſus, hujus uſum non deſtruit. Imo vero, quum contingere facile poſſit, atque adeo contingat frequenter, ut in prolixiſſimis quoque precibus nonnulla à nobis omiſſa ſint; ad Dei gloriam regnumque plurimum tamen facientia; nonne conſultum eſt noſtris precibus eam orationem addere, in qua certi ſumus nihil eſſe omiſſum?

XXV. Complectitur, ſaltem generatim, omnes neceſſitates noſtras.

XXVI. VII. Neque nos volumus neceſſum eſſe ut omni tempore at-

XXVI. Nec nisi tempori est incongrua.

que occasione recitetur hæc oratio. Sapientis est, tempus & modum nosse. Nec tamen video, esse aliqua tempora, quibus ea incongrua censeri debeat. Ecquid in eo est absurdi, quando preces funduntur pro vel ab homine moribundo, si tum quotidiani panis mentio fiat? Non enim sibi quisque solum orat, sed & suis. Est hæc oratio, si non plurium, certe pro pluribus; quibus se jungere quemque fidelium oportet, ut se iis indigere, eave accipere arbitretur, quibus indigent, aut quæ accipiunt fratres sui. Tum panis nomine omnia ad hanc vitam pertinentia intelliguntur: etiam doloris mitigatio, & respiratio libera? Quid impedit hæc iisque similia petere, vel ad momentum?

XXVII. Qui non habet animum condonandi, ad nullam precem idoneus est.

XXVII. VIII. Qui non habet animum offensas condonandi iis à quibus offensus est, is non magis est dispositus ad aliam quamcunque precem Deo offerendam, quam ad hanc. Nam quibuscunque verbis peccatorum suorum remissionem petat, ne speret se quicquam impetraturum, si odio & vindictæ cupidini indulgens implacabilem se proximo præbeat. Itaque ut justam numinis vindictam effugiat, non desinat orationem Dominicam recitare, cujus utique omissio nihil ipsi proderit; sed ita componat animum, ut dicere sine hypocrisi queat: remitte, sicut ego remitto. Hæc est voluntas Domini, qua obligamur omnes & semper Mat. VI: 14. 15. Atque ita existimo satis retusam esse vim earum argumentationum, quibus nonnullis adversus Orationis Dominicæ usum pugnare lubuit.

XXVIII. Absurde Bogomili reliquas omnes orationes ob hanc unam spernebant.

XXVIII. Quamvis autem Orationem Dominicam rite atque legitime à Christianis hominibus usurpari posse atque oportere existimamus; non tamen idcirco putandum est, eam solam nude recitatam sufficere, reliquas omnes preces propemodum supervacaneas esse. Exorta est sub finem seculi XI. *Bogomilorum* secta longe lateque per totum Orientem sparsa, Veterum Euchitarum & Massalianorum propago. Cujus sectæ historiam brevi quidem, sed accurata atque erudita oppido Dissertatione, complexus est, Vir Clarissimus SAMUEL ANDREÆ, Theologus omni laudum genere cumulatissimus. Inter errores quorum insani isti hæretici accusantur, hunc quoque numerat *Harmenopulus de sectis, sect* XIX. *Μόνην ὀνομάζουσιν προσευχὴν, τὸ Πάτερ ἡμῶν, τὰς δὲ ἄλλας ἀθετοῦσι, βαττολογίαν καλοῦντες. Solam orationem Dominicam preces appellant: reliquas vero rejiciunt, easque inanem clamorem vocant.* Sed hæc ipsius Christi Domini, & Apostolorum, & fidelium omnis temporis constanti praxi repugnant, quippe qui iis Deum precibus compellasse leguntur, quas extorquebat occasio, pro rei temporisque varia ratione variatas.

XXIX. Quum nequidem ne-

XXIX. At neque omnibus necessario precibus hanc pro clausula adjungendam esse arbitramur; quasi nullæ consummatæ, Deove gratæ sint, nisi

nisi hac accedente. Omnium minime eorundem verborum repetitio annumeranda Deo est, uti Pontificii faciunt, quibus sacratissima oratio in cantandi fere formulam abiisse videtur.

cesse sit eam aliis semper precibus adjungere.

XXX. Non sunt Christiani exercitati alligandi formulis humanis.

XXX. Denique ita existimo, id officii cuivis homini Christiano incumbere, ut Spiritum precum excitet, Deumque de pectore compellare discat, accommodate ad singulas rerum circumstantias. Et sane, ubi suæ miseriæ, aut Divinæ majestatis atque bonitatis sensu tactus est animus, & inflammatus præstantissimorum bonorum desiderio, non patitur se quarumcunque formularum cancellis contineri. Non sunt exercitati Christiani in precibus sive privatis, sive domesticis, multo minus Antecessores Ecclesiarum in Exercitiis publicis præscriptis semper formulis alligandi. Nam nec Deus, nec Christus, nec Apostoli, statam precum liturgiam unquam præscripserunt. Nec in antiquissima post Apostolos Ecclesia universalis aliqua liturgia fuit. Quod *Justinus*, in sua ad Antoninum Imperatorem Apologia docet: *ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅσῃ δυνατὸν αὐτῷ ἀναπέμπει. Et præpositus itidem, quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit.* Cui consimile testimonium junge ex *Tertulliani Apologetico Cap.* XXX. *Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore quia de pectore oramus.*

XXXI. Quarum necessitatem quorundam ignorantia & socordia introduxit.

XXXI. Dein defervescente pietate, & crescente socordia, propter hæreticorum pravitatem, & propudiosam multorum ignorantiam, de certa liturgia aliquid præscribi cœptum est. Cujus prima initia, quantum animadvertere licuit, deprehenduntur in *Concilio* particulari *Laodiceno*: habito A°. CCCLXIV. Ubi canone XVIII. exstat decretum, *περὶ τοῦ τὴν αὐτὴν λειτουργίαν τῶν εὐχῶν πάντοτε καὶ ἐν ταῖς ἐννάταις καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις ὀφείλειν γίνεσθαι. De eo, quod eadem liturgia precum, semper & in Nonis & in Vesperis, fieri debeat.* Non multo tempore post prohibitum est propriis uti precibus, nisi postquam communicatæ essent cum peritioribus. Hoc jubet *Canon* XXIII. *Carthaginensis Concilii*, habiti A°. CCCXCVII. *Quicunque sibi preces aliunde describit, ne eis utatur, nisi prius cum instructioribus fratribus contulerit.* Sed & processum est ulterius: neque visum est preces permittere, nisi à Synodo approbatas. Sic enim cavetur in *Concilio Milevitano*, A°. CCCCXVI. *Can.* XII. *Placuit etiam & illud, ut preces, vel orationes, seu missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ amnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodis fuerint: ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel minus studium, sit compositum.* Certe propudiosum ministrorum istius temporis, inque istis re-

gionibus, ſtuporem fuiſſe oportuit, qui iſtiuſmodi decretorum neceſſitatem induxit. Quibus carere facile poſſumus, ubi miniſterio melius proſpectum eſt. Neque quæ imperitis pudendæ exprobratio ſunt ignorantiæ, ea probe exercitatis, non tam pro normis, quam numellis ac compedibus ſuarum meditationum, perpetuo edicto injicienda ſunt.

XXXII. Pleraque Dominicæ Orationis ex Hebræorum ſunt deſumta formulis.

XXXII. Sed ad Orationem Dominicam redeamus. Eam ita inſtituit Jeſus, ut verba, phraſes, petitiones fere omnes, ex Hebræorum deſumtæ ſint formulis. Sic ut & in concionibus plerumque utitur notis eo ſeculo proverbiis. Pridem hæc ab eruditis annotata ſunt: quæ ut juniores in promptu habeant, huc transferre non pigebit. Sicuti Dominus Jeſus ſuos *Patris cæleſtis* nomine Deum compellare docet: ſic & Judæi paſſim: אבינו שבשמים· *Pater noſter qui es in cælis. Maimonides in Tephilot: Pater noſter qui es in cælis, ſic nobiſcum agito, ſicuti promiſiſti per Prophetas tuos.* Et in orationibus quotidianis Judæorum Luſitanorum: אבינו שבשמים עשה עמנו חסד / *Pater noſter qui es in cælis, fac nobis gratiam.*

XXXIII. De *ſanctificatione nominis Dei*, & *adventu regni* ipſius, ſuas quoque formulas Judæi habent. *Druſius ex Libro Muſar* hæc deprompſit: *Deus noſter, qui in cælo unicus es, ſtabiliatur nomen tuum ſemper: Regnum tuum regnet ſuper nos in ſeculum & æternum. Sanctificetur autem nomen tuum per opera noſtra.* Capellus non abſimilia habet ex Euchologiis Judæorum: שמך ײ אלהינו יתקדש / *nomen tuum, Domine Deus noſter, ſanctificetur: & memoria tua glorificetur, Rex noſter, in cælo deſuper, & in terra inferne.* Exſtat & alia precatio, cujus hoc eſt initium: נקדש את שמך בעולם כשם שמקדישים אותו בשמי מרום· *Sanctificemus nomen tuum in hoc mundo, ſicuti ſanctificant illud in cælis excelſis.* In eadem precatione hæc quoque invenitur petitio: ממקומך מלכינו תופיע ותמלוך עלינו כמחכים אנחנו לך מתי תמלוך בציון *Ex loco tuo Domine cum ſplendore prodi, & regnato ſuper nobis, ſicut exſpectamus te. Quando regnabis in Zione?* Paullo poſt: ועינינו תראנה מלכותך· *Et oculi noſtri videant regnum tuum.* Iterumque: *Super omnia magnificetur, & ſanctificetur, & laudetur, & glorificetur, & exaltetur, & amplificetur nomen Regis, Regis inquam Regum, Sancti Benedicti.* Imo, Lichtfooto obſervante in Scholis Judaicis pro axiomate obtinuit: כל ברכה שאין בה מלכות אינה ברכה *Iſta oratio in qua non eſt memoria regni Dei, non eſt oratio.* Unde verba illa offerentis primitias *non transgreſſus ſum præcepta tua, nec ſum oblitus*, Deut. XXVI. 13. ita in Talmude exponuntur: *Non ſum tranſgreſſus, id eſt, non agendo gratias; nec ſum oblitus, id eſt non oblitus ſum memorare nomen tuum.* At à Rabbi Jochanan ſic traditur: *Non oblitus ſum memorare Nomen tuum, & Regnum tuum.*

XXXIV. De *Divinæ voluntatis* præſtatione ſuam quoque habuere formu-

formulam. *In Bab. Beracha rogatur, quæ est Oratio brevis? Rabbi Eliezer respondet:* עשה רצונך בשמים / *fac voluntatem tuam in cœlis, & dato quietem spiritus timentibus te in terris.* Neque deest quod respondeat quartæ petitioni de pane quotidiano; ibidem. *Necessitates populi tui Israelis sunt multæ, & cognitio eorum tenuis, ita ut non norint necessitates suas patefacere: sit beneplacitum tuum, ut des unicuique* בדי פרנסתו *quod sufficit ipsi in alimentum suum.* De *remissione peccatorum* infinita obvia sunt in omnibus ipsorum precationibus. Atque neque illud ignorarunt, eum qui sibi remissionem petit obligatum esse ut eam iis quoque petat, à quibus injuria affectus est. Sic enim loquuntur in commentariis super libro *Abot. fol.* 24. *Pii priores dicebant, Remitte & condona omnibus qui vexant me.*

XXXV. Sextam quoque petitionem iisdem propemodum verbis alibi expressam invenimus. In libro *Musar* apud Drusium: *Ne inducas nos in manus peccati, neque in manus tentationis; sed libera nos ab omni occursu malo.* Et in *Berachot* apud Lichtfootum: *Rabbi Juda precari sic fuit solitus: sit beneplacitum tuum ut liberes nos ab impudentibus & impudentia, ab homine malo, & ab occursu malo, ab affectu malo, à socio malo, à vicino malo, à Satana destructore. &c.* In Liturgiis suis precationem ita conceperunt: *Ne me inducas in peccatum, neque in transgressionem, neque in tentationem, neque in contemtum, & remove à me figmentum malum.* Ubi יצר הרע videtur respondere τῷ πονηρῷ. Alibi ita habent: ואל ישלוט בנו שטן ויצר הרע. *Neque dominetur nobis Satan & figmentum malum.*

XXXVI. Denique nec Doxologia caruerunt, quæ plane similis ei est qua suam Orationem concludere Domino libuit. In tractatu *Joma*, post recitatas varias oratiunculas, quibus Pontifex utebatur die expiationis, dicitur populum respondisse: ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד. *Benedictum sit nomen gloriæ regni ejus, in seculum & sempiternum.* In Liturgiis hoc modo concepta est: כי המלכות שלך היא ולעולמים עד תמלוך בכבוד / *quia tuum est regnum, & in secula seculorum regnabis gloriose.*

XXXVII. Amen ubi, quando, & quomodo subjunctum precibus.

XXXVII. De votiva particula AMEN observat Lichtfootus: quod sicuti publicis precibus in templo prorsus non responderint voce Amen, ita raro etiam subjunxerint precibus privatis. De templo exstat traditio: לא היו עונין אמן בבית המקדש. *Non responderunt Amen in domo Sanctuarii.* In synagoga tamen à populo responsum est Amen ad preces fusas à ministro. Vide 1. Cor. XIV. 16. itemque domi, patri familias benedicenti, aut oranti. At rarius, aut nunquam quidem, privatim quis orans hoc suis precibus subjunxit. Magnam tamen hujus particulæ crediderunt esse vim, modo debita fide ac devotione pronuncietur. Scriptum est Ps. XXXI. 24. אמונים נוצר יהוה. *fideles custodit Jehova.* At quinam sunt אמונים. Illi nimirum שאומרים אמן באמונה / *qui dicunt Amen cum vera fide.* Additur in libro *Musar*: quicun-

quicunque dicit Amen omnibus viribus suis, ei aperiuntur portæ paradisi; sicut dictum est, Jes. xxvi. 2. *& ingredietur gens justa* שומר אמונים *id est, qui dicunt Amen omni virium suarum intensione. Buxtorf. Lexic. Talmud.*

XXXVIII. Probabilius est Christum has phrases ex Veteribus Hebræis, quam recentiores ex Evangelio habere.

XXXVIII. Procul ab omni verisimilitudine repulsum est, ut tanta phrasium ac petitionum convenientia, quanta deprehenditur inter Orationem Dominicam easque precationes quæ Judæis in usu sunt, casu fortuito contigerit. Unde alterutrum factum esse oportet: vel ut recentiores Hebræorum Magistri ea ex Evangelio desumta ad Synagogæ suæ transtulerint usus; vel ut Christus ea ex Veterum Catechesi, ac Judæorum sui temporis consuetudine, mutuatus, Discipulis suis ut bona & sancta commendaverit. Utrumvis dicatur, certe in honorem Christi, hujusque orationis, cedit. Nam si Judæi, jurati Evangelii hostes, ea ex Evangelio sua fecerint; oportet eos admodum captos fuisse elegantia, sapientia, ac sanctitate istorum dictorum: ut non absterriti exosi sibi nominis auctoritate, ea in suorum quotidie ore esse voluerint. Sed difficulter ab animo meo impetro, ut id factum esse credam. Probabilius longe videtur; Christum se, quantum sapienter ac sancte fieri poterat, populi genio accommodantem, quæ bona apud ipsos inveniebantur, ut priscæ fidei ac spei aureas reliquias, suis usibus applicuisse. Ita factum est, ut neque nimiæ & affectatæ novitatis avidus videri posset, & facilius intelligerentur atque acciperentur ea quæ tradebat, si pateret, ea collectionem esse præstantissimorum cimeliorum quæ adhuc in Ecclesiæ Judaicæ thesauro restabant. Non nescio quæ in contrarium prolixe disputantur ab eximio Viro *Johanne Ouweno Theologum: Lib.* v. *Digress.* 1. Sed quod pace tanti Theologi dictum sit, adeo me à sententia hac non dimovent, ut potius luculento exemplo discam, quantum in præstantissimis etiam ingeniis valeat studium partium, & quam facilis, æquis etiam animis, sit inclinatio εἰς ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς.

XXXIX. Orationis Dominicæ præstantia.

XXXIX. Neque quicquam hac observatione de præstantia Orationis Dominicæ detrahitur; quæ non novitate, sed rerum excellentia, & petitionum ubertate, & concinnitate ordinis, & verborum sententiosa brevitate, sese commendare debebat. Et sane hæc singula atque universa, tam abunde hic inveniuntur, ut nihil huic orationi par aut simile ostendi possit.

XL. Partitio.

XL. In tres ea partes commode dispesci potest. I. *Compellationem Patris nostri cœlestis.* II. *Explicationem petitionum.* III. *Epilogum Doxologicum.* Compellatio, præterquam quod res in se maximas paucissimis verbis comprehendat, ea de Deo in mentem oranti revocat, quæ ad reverentiam, fidem, spem, ac cœlestia desideria excitanda cum primis idonea sunt. Quibus affectibus nihil in oratione prius atque potius est. Petitiones ordine sex, ea complectuntur omnia quæ ad Dei gloriam, nostræque

que

que salutis consummationem, pie à nobis sancteque desiderari possunt. Ea ordinis concinnitate, ut omnium primo id proponatur, quod, veluti supremus finis, maxime expeti ac quæri meretur, Divini nimirum nominis sanctificatio. Tum media exponantur ad summi istius finis consecutionem destinata: quæ partim consistunt in apprecatione bonorum, tam spiritualem, quam animalem hanc vitam spectantium; partim in deprecatione malorum, tam præteritorum, quam futurorum. Doxologia, omnia quæ à Deo descendunt bona, ad Deum iterum referenda esse monet. Sic ut in exigua hac Oratione *Breviarium* habeamus *totius Evangelii*, uti Tertullianus loquitur. Addo ego, & totius legis. Quod ex accuratiore singulorum explicatione patebit.

EXERCITATIO VII.

DE

Compellatione Patris nostri Cœlestis.

ΠΑΤΕΡ ἩΜΩΝ Ὁ ΕΝ ΤΟΙΣ ΟΥΡΑΝΟΙΣ.

BREVIARIUM.

I. *Singulis verbis sua inest emphasis.* II. III. IV. V. VI. VII. *Patris vox hic primam electe personam notat.* VIII. *Non exclusis tamen ex adorationis objecto Filio & S. S.* IX. *Deus pater noster dicitur, respectu* I. *Creationis & Sustentationis.* X. II. *Regenerationis.* XI. *Qua ex Deo geniti sumus.* XII. III. *Adoptionis.* XIII. *Omni tempore licuit fidelibus Deum Patrem suum dicere.* XIV. *Attamen major παῤῥησία filiis T. N. data est.* XV. *Patris appellatio commodior hic visa est quam Domini.* XVI. *Seldeni observatio.* XVII. Nostrum *Patrem quum dicimus, id partim fidei est.* XVIII. *Partim charitatis.* XIX. XX. XXI. XXII. *An nemini fas sit hac oratione uti, nisi regenito, & regenerationis sua certo?* XXIII. *Deum in cœlis thronum suum habere insigniter cecinit Orpheus.* XXIV. *Eoque meditationibus suis adscendendum oranti esse, monuit Euripides.* XXV. *Pater noster ex invisibili cœlo venerabilem se inferiori mundo ostentat.* XXVI. *Præcipue tamen Majestatem gloriæ suæ tuetur in Excelsis.* XXVII. *Etiam quum Deus in terrestri habitaret sanctuario, animus ad cœlum elevandus fuit.* XXVIII. *At Christus nunc recta eo contendere jubet.* XXIX. *Praxis.* XXX. *Bonitatem Patris nostri rite æstimemus.* XXXI. *Non nisi reverenter ad eum accedamus.* XXXII. *Attamen cum fiducia.* XXXIII. *Et cum amore.* XXXIV. *Anhelantes ad cœlestia.* XXXV. *Sed & vitam universam, uti tanto Patre dignum*

est, instituamus. XXXVI. *Et præ cælestibus contemnamus terrena.* XXXVII. *Ne Seneca grandiloquentia pudorem nobis incutiat.*

I. Singulis verbis sua inest emphasis.

NUnc denique ad ipsius Orationis Dominicæ meditationem accedamus, singula illius verba quanta possumus attentione ac diligentia pensitantes. Ubi primo occurrit Procemium, eum nobis repræsentans qui sacra prece compellandus est. Is vocatur PATER NOSTER QUI EST IN COELIS. Ubi nullum occurrit verbum, quod non insigni sua emphasi memorabile sit. Nihil quidem vulgatius est in Hebræorum orationibus quam ut Deo dicant אבינו שבשמים / *Pater noster qui in cælis es*: at pauci adsequebantur, quid illa Dei compellatio valeret. Nos id conemur, quibus beatioribus datum est vivere temporibus.

II. Patris vox hic primam electe personam notat.

II. PATREM quum Filius nos dicere jubet, electe primam Deitatis personam intelligit, eum nimirum, qui, uti Christi Pater est, ita & in Christo & propter Christum noster. Indubium quidem Orthodoxis omnibus est, non posse Patrem rite invocari, sejuncto ab invocatione Filio ac Spiritu Sancto, *διὰ τὸ ὁμοούσιον καὶ ὁμότιμον*, pridem & valide à nobis assertum. Neque illud negandum esse videtur, Deum, non considerata explicite personarum distinctione, propter ea quæ omnibus Divinis personis communia sunt, Patrem nostrum nuncupari posse. Iis tamen judiciosis Interpretibus facile conscisco, qui hic signate Patrem Domini nostri Jesu Christi denotari arbitrantur.

III. Nam I In Oeconomia gratiæ Pater nobis proponitur uti qui *ἐξοχὴν* ac Majestatem Deitatis tuetur, primusque beneficiorum salutarium auctor datorque est, ideoque precibus nostris compellandus. Filius, uti qui meritis suis atque intercessione molles nobis apud Patrem aditus facit, & commoda fandi tempora. Spiritus Sanctus, uti qui preces ac suspiria intus præformat. Atque hæc est ratio, cur Patrem frequentissime ac pene semper in sacris literis adoratum legamus; Filium, rarius; Spiritum Sanctum, rarissime.

IV. II. Phrasis ea Pater noster, passim in Novo Testamento, & fortasse semper, eum notat qui ut *Pater Christi cælestis.* Matth. XVIII. 35. ita & *noster Pater cælestis est.* Matth. V. 48. aliter tamen Christi, aliter noster. Christi naturâ: noster gratia. Hinc distincte dixit Dominus: Joh. XX. 17. *Adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Ad quem locum *Epiphanius Hæres.* LXIX. *Πατέρα μου μὲν κατὰ φύσιν ἐν τῇ θεότητι, καὶ πατέρα ὑμῶν κατὰ χάριν δι' ἐμὲ ἐν υἱοθεσίᾳ. Patrem quidem meum, secundum naturam, respectu Deitatis: & Patrem vestrum, secundum gratiam propter me, respectu Adoptionis.* Unde etiam *Pater omnium*, à Christo ut *Domino* distinguitur. Eph. IV. 5. 6. *Unus est Dominus. Unus Deus*

Deus & Pater omnium. 1 Cor. VIII. 6. *Nobis tamen est unus Deus, Pater ille, à quo omnia, & nos in ipso: & unus Dominus, Jesus Christus.* Matth. XXIII. 8. 9. *Unus est Doctor vester, nempe Christus. Unus est Pater vester, qui in cœlis est.* Neque ullus, quod memini, in Novo Testamento locus exstat, qui expresse tres personas simul, aut distincte, Filium aut Spiritum Sanctum, Patrem nostrum vocet.

V. III. Idem in precibus Apostolorum fere continuo observatur, ut Patrem à Christo, & ubi res ita fert, à Spiritu Sancto, distinguant. Solemne est, & frequentissimum Pauli votum, toties in Epistolis repetitum: *Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.* Sic & Ephes. III. 14. *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Et sane Spiritus Sanctus quando fideles facit clamare Abba Pater, à Patre quem inclamare facit distinguitur. Rom. VIII. 14. 15. Breviter, huc tendunt omnia, in Orationibus Apostolorum, quando Deus Patris nomine compellatur, toties intellectum fuisse Patrem Domini nostri Jesu Christi.

VI. IV. Denique quid multum laboramus, quum ipse sese interpretetur? Joh. XV. 16. & XVI. 23. *Amen dico vobis, quæcunque petieritis à Patre in nomine meo dabit vobis.* Neque alium unquam præter Patrem Messiæ, discipulis Christi in mentem venisse credibile est, quando toties Christus id nominis repetiit. Matth. VI. 6. *Pater tuus adspicit in occulto.* vers. 8. *novit Pater ille vester, quibus vobis sit opus antequam petatis ab eo.* vers. 14. 15. *remittat vobis Pater ille vester cœlestis.*

VII. Non abludit etiam ab hac interpretatione Catechesis Palatina. Nam in expositione secundæ petitionis ita loquitur: *Rege nos verbo & Spiritu tuo.* Iterumque in expositione sextæ petitionis: *Tu nos sustentes ac Spiritus tui robore firmes.* Ubi manifeste Pater noster quem oramus distinguitur à Spiritu suo, & consequenter exponitur ὑποστατικῶς. Vide sis *Gomarum* accurate & copiose de hoc negotio disserentem.

VIII. Cæterum eo solum hæc à nobis observata sunt animo, ut ἀκρίβειαν sectantes phrasin scripturæ certius intelligamus: nequaquam quasi interdictum velimus piis Dei adoratoribus; ut Patrem cœlestem nuncupantes, de Filio etiam & Spiritu Sancto, tanquam ejusdem adorationis objecto cogitent. Nam, ut bene *Tertullianus* notavit, *de Orat: Domin: In Patre Filius invocatur. Ego enim, inquit, & Pater unum sumus.* **VIII. Non exclusis tamen ab adorationis objecto Filio & Spiritu S.**

IX. Sed illud fortassis utilius ac fructuosius inquisitu erit, cur Pater ille Jesu Christi, etiam *noster Pater* dicatur. Indubium est id ob eam quoque rationem fieri, quam communem cum aliis omnibus hominibus habemus: quia videlicet ipse *dat omnibus vitam & halitum & omnia*; unde de genere humano pulchre Aratus cecinit: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. **IX. Deus Pater noster dicitur, respectu I. Creationis & Sustentationis.**

Act: XVII: 25. 28. Id Malachias urget: Cap. II: 10. *Nonne Pater unus omnibus nobis est? nonne Deus fortis unicus creavit nos?* Inficiandum utique non est, plurimum nos terrenis Patribus nostris, quos *Patres carnis* Paulus nominat Heb. XII: 9. quoad nostri generationem & sustentationem, debere: non tamen ita quin omnia debeamus Patri nostro cœlesti, qui *Pater* est *spirituum.* Nam præterquam quod ipse solus *formet spiritum hominis in eo*: Zach. XII: 1. obque eam rem *Deus spirituum omnis carnis vocetur.* Num. XVI: 22. ne ea quidem quæ naturalis corporis nostri generatio dicitur, quamque parentibus nostris imputare solemus, sine eo est. Deus est, cui non minus vere quam pie occinuit. Psaltes: Psal. CXXXIX: 14. 15. 16. *Celebro te,* כי נוראות נפלאתי *quia suspiciendis modis mirabiliter factus sum. Mirabilia sunt opera tua: quam maxime id novit animus meus. Non celata est apparatio ossium meorum tibi, ex quo factus sum in abdito, veluti phrygionico opere confectus, in imis partibus terræ. Massam meam viderunt oculi tui; & in libro tuo hæc omnia scripta sunt.* Consentit Jobus: Cap. X: 10. 11. *Nonne sicut lac fudisti me? & tanquam caseum coagulasti me? Cute & carne induisti me? ossibusque & nervis texisti me?* Nec minus vitæ nostræ continuationem, & quidquid in ea nobis boni accidit, Deo debemus, quam illius initium. Quod eleganter prosequitur Jobus: vers: 12. *Cum vita benignitatem exercuisti erga me: & visitatio tua conservavit spiritum meum.* Cujusvis est, grato simul humilique animo agnoscere, animam suam continuo in manu Dei esse, Dan. V: 25. piisque meditationibus dicere: *ubi est Deus qui fecit me, qui dat Psalmorum materiem de nocte?* Job. XXXV: 10. Non male hæc exsecutus est *Basilius M. Lib. II. contra Eunomium.* Πατὴρ ἡμῶν ὁ Θεὸς, ὐ καταχρηστικῶς, ὐδ᾽ ἐκ μεταφορᾶς, ἀλλὰ κυρίως, καὶ πρώτως, καὶ ἀληθινῶς ὀνομάζεται, διὰ τῶν σωματικῶν γονέων εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἐκ τῦ μὴ εἶναι παράγων, καὶ ταῖς κηδεμονίαις προσοικειύμενος. *Pater noster Deus, non abusione, aut translatione, sed proprie, primo & vere nominatur, quum per hos corporeos parentes ex nihilo nos ad esse produxerit; & singulari cura sibi adjungat.* Paulo fortius *Damascenus, de Orthodoxa fide, Lib. I. Cap. XIII.* κυριότερον ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐστι Πατὴρ, ὁ ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παράγων, ἢ οἱ γεννήσαντες, οἱ ἐξ αὐτῦ καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ γεννᾷν εἰληφότες. *Magis proprie Deus Pater noster est, qui nos ex nihilo ad esse perduxit, quam illi qui nos genuerunt, qui ab ipso & esse & generare acceperunt.* Atque hinc nonnulli Deum πατέρα dici volunt, ὡσανεί τὸν πάντων τηρητὴν, *veluti omnium conservatorem.* Quæ tamen allusio magis est quam etymologia.

X. II. Regeneratio-nis.

X. Cæterum hæc neque sola, neque præcipua ratio est, quamvis in se magna sit, cur Deum Patrem nostrum dicamus. Accedit alia, momentosior

tosior, quam electi & fideles sibi privam habent. Quia scilicet Deus per Spiritum suum eos *regenuit*, & gratiose in filios *adoptavit*. Hinc fideles *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati dicuntur*. Joh. I: 12. Non censentur filii Dei, quomodo nonnulli erant filii Patriarcharum secundum carnem, quidam *ex sanguinibus*, via ordinaria generationis; quidam *ex voluntate carnis*, nimio desiderio quolibet modo liberos habendi, quo factum est ut quis carnis ratiocinationi plus justo indulgens media adhibeat a Deo non præscripta, cujus exemplum esse potest Ismaëlis generatio; alii denique *ex voluntate viri*, aliquem præ cæteris, ob rationes quasdam suas, easque non satis prægnantes seligentis, cui præcipuam hæreditatis partem animo destinet; quemadmodum Isaaci hæc circa Esavum voluntas erat. Sed Filii Dei sunt, quia revera *ex Deo geniti*.

XI. Atque hac quoque in parte, qui sunt Filii Dei per gratiam, similitudinem quandam habent cum eo qui est Filius Dei per naturam: servata interim ea proportione, quam inter infinitam Domini ὑπεροχὴν & illius tenue in nobis ἀποσκίασμα intercedere par est. Cur Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi dicitur? Quia *genuit eum*. Ps. II: 7. In quo consistit ea generatio? In eo quod *sicuti Pater vitam habet in se ipso, ita & Filio dedit vitam habere in se ipso*. Joh. V: 26. Cur Deus noster quoque Pater vocatur? Idem respodendum est; quia genuit nos: non solum quatenus homines sumus, sed & quatenus fideles sumus. Jac. I: 18. Βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς, *voluntate sua genuit nos, sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam earum rerum quas fecit*. Adde I Joh. V: 4. 18. In quo generatio illa sita est? Fecit nos *consortes Divinæ naturæ*. 2 Pet. I: 4. id nobis pro nostro modulo, indulgens ex gratia, quod Filio sibi æquali communicavit modo nobis incomprehensibili, sed qui Deo dante, Deo accipiente dignus sit. Saltem nos quoque ad similitudinem ejus transformamur, neque contemnendam sanctissimæ gloriæ effulgentiam acquirimus. **XI. Qua ex Deo geniti sumus.**

XII. Verum & ob eam caussam Deus Pater noster dicitur, quod gratiose nos in filios *adoptavit*; atque ita in familiam suam adscitis, omnes filiorum dignitates, ipsiusque hæreditatis adeundæ jus clementer concessit. Hæc est illa adoptio quæ toties laudatur. Rom. VIII: 23. Eph. I: 5. Gal. IV: 5. Eaque parit ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, Joh. I. 12. facultatem ita se gerendi ut filiis Dei dignum est, fruendi omnibus privilegiis quæ isti statui competunt, exspectandi hæreditatem testamento addictam, imo & perfectum illum statum filialem qui cum liberatione nostri corporis conjunctus erit. Rom. VIII.: 23. Breviter per Adoptionem Filiis Dei conceditur jus ad hæreditatem cœlestem, & eam eximiam dignitatem, **XII. III. Adoptionis.**

 qua

qua quoad corpus & animam, ut filii familias, in Palatio Patris sui gaudebunt: atque ita quidem ut in nullius creaturæ potestate sit, eam dignitatem ipsis eripere, minuere, vel intercidere. Et sic Pauli illud obtinet: Rom. VIII: 17. *Quod si filii, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

XIII. Omni tempore licuit fidelibus Deum Patrem suum dicere.

XIII. Hactenus omnibus omnium temporum fidelibus Deum Patrem suum dicere licuit: quum omnes a Deo regeniti, & in filiorum jura adoptati sunt. Etiam Israëlitis dictum est: Deut. XIV: I. *Filii estis Jehovæ Dei vestri*: quod ita toti populo dicitur ratione confœderationis externæ, ut in electis è populo verum sit respectu adoptionis ad hæreditatem æternam. Iique vicissim in fide dixerunt Deo: Jes. LXIII.: 16. *Sane tu Pater noster es. Tu, Jehova, Pater noster es.* Iterumque: Jes. LXIV: 7. *Jam vero, Jehova, Pater noster es.* Et extra conmmunionem populi Israëlitici Elihu Deum Patrem suum nuncupat. Job. XXXIV: 36. *Pater mi, probetur Job etiam atque etiam.* Quod ut sensu tam minuto intelligamus quomodo & Gentiles Jovem Patrem dicebant, a fide & pietate viri, & familiaritate quam cum Deo habebat, alienum est. Acute observavit Celeberrimus Interpres, quod Elihu ita compellans Deum, ea appellatione indicet I. Affectum Dei in hoc judicio, scilicet paternam solicitudinem. II. Affectum sui petentis, fraternam charitaten. III. Finem probationis, filialem reverentiam atque fiduciam. Quæ omnia involvunt tales de Deo cogitationes, quales auditores suos habere voluit Dominus, quum hæc iis quæ exponimus verba præiret. Et sane ab omni ævo fuerunt fideles, ut filii, ita *hæredes omnium.* Gal. IV: I. Hæredes, inquam, tam Divinæ gratiæ, in hac, quam, gloriæ, in futura vita. Ps. XVII: 15. Neque dubitare fas est, quin hac fiducia & spe Deum ut Patrem suum invocaverint. Jer. III: 4. *An non saltem ab hoc tempore te docuero, ut voces me, Pater mi, tu dux adolescentiæ meæ?*

XIV. Attamen major παῤῥησία Filiis T. N. data est.

XIV. Attamen major adhuc dignitas & παῤῥησία filiis Testamenti Novi concessa est. Profecto illustris admodum fuit status fidelium Veteris Testamenti, si contendatur cum statu gentilium, imo & cum statu eorum, qui in sola externa fœderis communione viventes, veræ pietatis & salutaris gratiæ exsortes fuere. Hi enim omnes manent filii iræ, & hæredes thesaurorum excandescentiæ Divinæ. Verum omnis illa felicitas non parum de splendore suo amittit, si comparetur cum iis privilegiis quæ Pater cœlestis beatioribus Novi Testamenti temporibus reservavit. Antiquitus enim fideles, quamvis *Domini omnium, non admodum a servis differebant*: quippe *qui sub tutoribus & curatoribus erant, usque ad tempus à Patre præstitutum. At postquam venit plenum tempus, emisit Deus Filium suum, ut eos qui legi erant subjecti redimeret*, liberando illos, quum ab

ab aliis incommodis, tum ab infantili illa legum quas Cerimoniales dicere solemus observantia, *& ut adoptionem acciperemus*, non eam modo qua a filiis Diaboli & iræ discriminamur, sed eam etiam qua excellimus supra infantes, qui non multum a servis differunt. Nobis itaque Deum Patrem nostrum appellare fas est ea libertate, fiducia, & gratiosæ dignationis conscientia, qualem quantamque filii Dei antiquis temporibus non potuerunt habere.

XV. Porro hæc Patris appellatio commodior visa est in precum exordio, præsertim in ista familiaritate quam Novi Testamenti gratia parit, quam *Domini*; aut quocunque alio honoris titulo alibi Deum compellari deprehendimus. Quod & *Theodoretus* observavit ad *Cap.* I. *Cantici.* *ὦ δέσποτα καὶ πάτερ· τοῦτο γὰρ μᾶλλον ἢ ἐκεῖνο θέλεις ἀκούειν. O Domine & Pater; magis enim Patris quam Domini apellatione delectaris.* Quia hac appellatione validissime commoventur affectus reverentiæ, fidei, spei, charitias, *παῤῥησίας*, similesque quorum in orante maxime est habenda ratio. Et profecto singularis hæc est Dei erga nos benignitas, quod Spiritus ille quo donamur, faciat nos clamare *Abba Pater*. **XV. Patris appellatio commodior hic visa est quam Domini.**

XVI. Non licuisse olim servis & ancillis Dominos suos Patris nomine compellare Hebræorum Magistri tradunt: uti ex iis demonstravit *Seldenus, de Successs. in Bona* Defunct. *Cap.* IV. Libero autem homini omnino fas erat quempiam, sive frequenti adlocutione compellando, sive aliis inter loquendum appellando, patrem ita sibi adsciscere, ut adoptionem ab isthoc homine veluti ambiendo sibi præpararet. Quæ à patre ita adscito, & filium agnoscente, ad successionem demum firmabatur. Cæterum servis atque ancillis id non permisere, ne patris sic adsciti familia, servilis maculæ fama adspergeretur. Non est difficile hæc ad institutum nostrum transferre. Omnes equidem natura servi sumus peccati, & diaboli. Antiquorum temporum fideles, quamvis ab isthac servitute liberati, servi tamen sub lege erant. Nos, quotquot Christum consummatum verà fide recipimus, ab utraque servitute in libertatem asserti, facultatem habemus Deum ut patrem compellandi. Id non invitus audit, quum Spiritus ipsius dictamen sit. Atque ita firmatur nobis hac compellatione, à nobis per Spiritum facta, à Deo admissa, jus hæreditatis. **XVI. Seldeni observatio.**

XVII. At neque de nihilo est, quod NOSTRUM Patrem dicere nos Christus jusserit. Hoc enim partim *fidei* est, partim *charitatis*. *Fidei*, quatenus ea omnia quæ isthac appellatione continentur nobis quoque applicamus. Nostram protestamur esse & regenerationem & adoptionem & charitatem illam incredibilem qua electos suos prosequitur Deus. Nos quoque profitemur ea adversus tantam benignissimi Numinis pietatem reverentia ac redamatione, ea fide ac spe, ea subjectione ac obedientia præditos **XVII. Nostrum Patrem quum dicimus, id partim fidei est.**

ditos esse, quæ tali tantoque Patri debetur. Fidei enim est, ex omni tentationum lucta feliciter tandem caput exsertantis, Deo dicere, *certe Tu es Pater noster.* Jes. LXIII: 16:

XVIII. Partim charitatis.

XVIII. Sed & *charitatis* est erga proximum, quem ita oratione nostra includimus, uti ejusdem nobiscum gratiæ atque adoptionis, vel re, vel spe, consortem. Hoc quoque ex priscæ Ecclesiæ Israëliticæ scitis est. De quo talis exstat Canon: לעולם לישתף איניש נפשיה בהדי צבורא / *Orantem quotiescunque orat oportet se semper cum Ecclesia sociare.* Quod non ea solum mente dicitur, quasi necesse sit precibus publicis in Synagoga interesse: sed ut is qui precatur, ubicunque terrarum positus, etiamsi vel maxime solus sit, semper precetur in numero plurali. Sic enim explicat glossa: אל יתפלל ת״ק בלשון יחיד אלא בלשון רבים *Ne oret quis orationem brevem*, id est aliam à statis precibus, *numero singulari, sed numero plurali. Lichtfootus in h. l.*

XIX. An nemini fas sit hac oratione uti, nisi regenito, & regenerationis suæ certo?

XIX. Cæterum hic disquiri meretur; quandoquidem impium est Deo in precibus mentiri, nullæque preces acceptæ Deo sunt nisi quæ ex fide proficiscuntur; an nemini fas sit hac oratione uti, & Deum Patrem suum appellare; nisi qui & revera filius Dei sit per regenerationem atque adoptionem, & insimul de ista sua regeneratione atque adoptione per Spiritum Sanctum firmiter persuasus.

XX. Ego sic existimo. I. Nemo uti par est Deum orat, gratasque numini preces offert, nisi qui vere fidelis atque sanctificatus est. Illæ enim demum preces suo sunt nomine dignæ, quæ ex Spiritu precum proficiscuntur. Spiritus autem precum est Spiritus regenerationis atque adoptionis. Unde consequitur, neminem rite orare, nisi qui revera filius Dei sit. Gal. IV. 6. *Quandoquidem autem estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in cordibus vestris clamantem Abba Pater.*

XXI. II. Fieri potest uti quis regenitus & in filium Dei adoptatus sit, qui tamen id ad tempus ignoret: & indicia gratiæ non satis dilucide in se deprehendens, aut non satis diligenter attendens, υἱοθεσίαν suam in dubium revocet; imo vero, si validis tentationibus exponatur, aut si fortassis, in grande aliquod peccatum, aut statum animæ languentem ac torpidum inciderit, inclinet in contrarium, seque potius existimet non esse filium Dei. Certe qui in eo constitutus est statu non potest cum plena certioratione fidei Deum Patrem suum dicere. Nec tamen idcirco jubendus est ab oratione abstinere; aut, si oret, Deum potius alio quovis quam Patris nomine compellare. Nam quamvis fidelibus omnibus incumbat ut ad distinctissimam fidei certiorationem enitantur; non tamen propter aliquem, imo ne quidem propter magnum luctantis fidei defectum, continuo eos spernit Deus. Patrem dicant Deum, respectu ingentium quæ in eos cumulavit

mulavit beneficiorum; quæ ſane neque ignorare, neque inficiari unquam poſſunt. Patrem dicant, intuitu iſtius reverentiæ quæ nulla unquam peccatorum violentia expectorari ita è fidelibus poteſt, quin identidem recurrat, animumque ſubmittat Deo. Patrem dicant, ex deſiderio obtinendæ Paternæ ſuæ gratiæ, qua nihil ipſis accidere poſſit jucundius. Patrem denique dicant, ſi non ex fidei perſuaſione quod jam Pater ipſorum factus ſit; ſaltem cum ſpe, certe cum voto, ut Pater ipſorum fieri velit, ipſoſque in filios tanto Patre dignos formare. Et faciet ſane illa Patris compellatio ut in animo excitetur pudor ob antegreſſa peccata, & deſiderium gratiæ, & ſpes veniæ, & propoſitum accuratioris pietatis: atque ita quamvis non ſit alacris fidei effectus, ad promovendam tamen fidei alacritatem plurimum inſerviet.

XXIII. Deum in cœlis thronum ſuum habere, inſigniter cecinit Orpheus.

XXII. III. Qui in Eccleſiæ inſtitutæ communione degunt, nec tamen regeniti ſunt per Spiritum Sanctum, illi non poſſunt Deum Patrem ſuum dicere eo ſenſu, quo fideles. Nihilominus incumbit ipſis orandi officium, uti & cætera pietatis officia. Nec præſcribenda ipſis alia orationis formula, ut Deum Creatorem potius aut Dominum nuncupent. Fruſtra enim ſemper erunt, quamdiu non invocant eum filiali affectu. Doceantur ergo, neminem rite orare poſſe niſi qui ſit filius Dei: ideoque id ſibi omnibus votis contendendum eſſe ut eam felicitatem à numine conſequantur. Deum quidem Patrem ipſorum eſſe, & dici ab ipſis poſſe, reſpectu creationis, conſervationis, multorumque beneficiorum, quibus eos auxit atque ornavit: cæterum id nequaquam ad ſolidam felicitatem ſufficere, niſi Patrem eum nanciſcantur per regenerationem, & adoptionem. Patrem itaque dicant Deum, quatenus poſſunt dicere, ad eam interim anhelantes gratiam, ut in omni verborum vi ita eum vocare ipſis liceat. De cætero non amat Deus in orando nimias curioſarum plerumque quæſtionum ſubtilitates.

XXIII. Nunc ad id accedamus, quod Pater ille noſter IN COELIS ESSE dicitur; pluraliter ut reſpondeat voci Hebraicæ שמים: Deum in cœlo thronum ſuum fixiſſe, & ut *Heſiodus* canit, *ὑπέρτατα δώματα ναίειν*, omnium fere nationum religio præſcripſit. Inſignia ſun tquæ in hanc rem ex *Orpheo* habet *Clemens Alexandrinus*, *Strom. Lib.* v. *p.* 607. 608.

Αὐτὸς δ᾽ αὖ μέγαν αὖθις ἐπ᾽ οὐρανὸν ἐστήρικται,
Χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ γαίη δ᾽ ὑπὸ ποσσὶ βέβηκεν,
Χεῖρα δὲ δεξιτερὴν περὶ τέρμασιν ὠκεανοῖο
Ἐκτέτακεν. ὀρέων δὲ τρέμει βάσις ἔνδοθι θυμοῦ
Οὐδὲ φέρειν δύναται κρατερὸν μένος. ἔστι δὲ πάντῃ
Αὐτὸς ἐπουράνιος. καὶ ἐπὶ χθονὶ πάντα τελευτᾷ.
Ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων, καὶ μέσσατον, ἠδὲ τελευτήν.

Ἄλλως ἐ θεμιτόν σε λέγειν. τρεμέω δὲ τε γυῖα
Ἐν νόῳ ἐξ ὑπάτε κράνει.
Ipse autem in magno constans & firmus olympo est.
Aureus huic thronus est, pedibus subjectaque terra.
Oceani ad fines illi pertingitur ingens
Dextera, montanas atque intus incutit illi
Ira bases, motus nec possunt ferre valentes.
Ipse est in cœlis, & terram amplectitur omnem.
Principium solus, medium est ille, atque supremum.
Nec aliter fas est te dicere, membra tremiscunt
Cogito dum summum.

XXIV. Eoque meditationibus suis adscendendum oranti esse, monuit Euripides.

XXIV. Atque uti in cœlo Deum gentiles collocarunt; ita etiam oranti meditationibus suis, veluti alis, in cœlum adscendendum esse monuerunt. Memorabilia sunt *Euripidis* illa apud eundem *Clementem Strom. Lib.* IV, *p.* 543. Χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ, καὶ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέδιλα ἁρμόζεται, Βάσομαί τ' ἐς αἰθέρα πολὺν ἀερθεὶς Ζηνὶ προσμίξων. *In meo*, inquit, *tergo sunt pennæ aureæ, & aptantur grata Sirenum talaria, Iboque in immensum sublatus æthera, Jovem conventurus.* Cæterum quantumvis hæc magnifice dicta à Gentilibus videantur, non cognoverunt tamen thronum illum in quo Deus residet: quem confusis ac male sibi constantibus ideis in cœlo stellifero, vel in aliqua stellarum collocarunt, vel in aliqua nescio qua sublimi Regia, quam inter aut super astra suis imaginationibus fabricarunt.

XXV. Pater noster ex invisibili cœlo venerabilem se inferiori mundo ostentat.

XXV. Nobis Christianis haut paullo altius enitendum est; superatisque cœlis omnibus visibilibus, invisibile cœlum, multo iis celsius, fide contemplandum, ubi Pater & Rex simul noster Majestatem suam, sicuti ipso dignum est, augustissime tuetur. Inde se venerabilem, aut terribilem etiam, inferiori huic mundo ostentat, dum, *lucem habitans inaccessam* I Tim. VI. 16. *se luce operit veluti amictu, & extendit cœlos tanquam aulæum, & contignat in aquis cœnacula sua, & disponit nubes in vehiculum suum & itat super alis venti.* Ps. CIV. 2. 3. Inde diei noctisque alternationes, caloris frigorisque ac tempestatum anni vicissitudines, sapientissimo ac constantissimo ordine dispensat; *faciens Arcturum, Orionem, & Pleiadas, ac penetralia Austri.* Job. IX. 9. Inde *loquelam tonitruum ex ore suo prodeuntem sub omnibus cœlis dirigit, & lucem fulgetrorum suorum ad oras terræ, tonatque voce excellentiæ suæ, neque differt illa quum audienda est vox ejus.* Job. XXXVII. 1. 2. 3. *Vox*, inquam, *Jehovæ, quæ est plena potentiæ atque decoris, vox quæ confringit cedros, etiam cedros Libani, facitque ut exiliant sicuti vitulus, Libanon & Sirion, ut pullus unicornium, vox denique quæ cædit flammas ignis.* Ps. XXIX. 4. 5. 6. 7. Quis est,

est, qui hæc attenta mente pensitans, non gestiat exclamare; *Jehova regnat, exsultet terra, lætentur regiones plurimæ Nubes & caligo circumstant eum: justitia & judicium locum solii ejus. Ignis ante eum incedit, & inflammat circumquaque hostes ejus. Perlustrant fulgura ejus orbem habitabilem, videns formidat terra. Montes ut cera liquefiunt à præsentia Jehovæ, à præsentia Domini totius terræ. Indicant cœli justitiam ejus; adeo ut videant omnes populi honorem ejus.* Ps. XCVII. 1. 6. Talis tantusque est cœlestis ille Rex, quem nos Christiani ut Patrem nostrum invocamus.

XXVI. Cæterum hæc omnia non nisi *extremæ partes viarum ejus sunt; & quantillam hactenus rei particulam de illo audivimus?* Job. XXVI. 14. Quæ enim è cœlo in inferioribus mundi regionibus patrat, comparari cum iis non possunt quæ Scripturæ nos de Dei in excelsis gloria condocefaciunt. Ibi in throno gloriæ suæ considens, cinctus myriadibus Angelorum, quos ad nutum semper suum præsto habet, eo splendore micat, ad quem non luna solum cæteraque astra, sed ipse sol pallescat; quemque ne Seraphini quidem irretortis audent possuntve intueri oculis, dum in laudibus ejus decantandis beatissimam transigunt æternitatem. Jes. VI. Ibi electis suis post peractos hujus seculi labores, & emensum per deserta mundi molestissimum iter, jucundissimæ felicissimæque quietis locum præparavit: ad cujus incredibilem præstantiam mera ac cassa rerum somnia sunt, quæ in Somnio Scipionis magnificentissimis verbis apud Ciceronem disseruntur. Ibi invisibilia quidem, sed eo pretiosiora, quia immutabilia, inalienabilia, atque æterna bona suis reposuit, tum demum perfectissime fruenda; quibus simile aliquid vel secundum nullus unquam conspexit oculus, aut audivit auris, aut cogitando sibi finxit mens. Ibi se, quod beatitudinis supremus apex est, cognoscendum, amandum, fruendum cœlitibus omnibus dabit, eo modo qui modum omnem mensuramque superat; & ad quem si ea conferas quæ ex inexhaustis opulentiæ suæ thesauris hæredibus salutis in hoc seculo impertiit, ea quantumvis exuberantia nil nisi tenues pauperesque primitias merito dixeris. Quam oportunum atque conveniens est, hæc, & quæ his sunt similia, eum cogitare, qui sancta prece aditurus Deum est?

XXVI. Præcipue tamen Majestatem gloriæ suæ tuetur in Excelsis.

XXVII. Omnes equidem omnium temporum fideles decuit in cœlum cogitationibus suis eniti, atque ea quæ diximus sibi repræsentare, quando meditata oratione compellandus Deus erat. Fuit tamen tempus quum in terrestri habitaret Sanctuario: ibique à suis compellari, inde iis respondere vellet. Idcirco se versus *templum Sanctitatis Dei reverenter incurvabant.* Ps. V. 8. Eo faciem atque oculos convertebant. 1 Reg. VIII. 29. 44. Dan. VI. 11. Ibi Deum inter Cherubinos habitantem implorabant. Ps. LXXX. 2. Inde Dei alloquium, opem, ac bona omnia salutaria exspectabant, & consequebantur:

XXVII. Etiam quum Deus in terrestri habitaret Sanctuario animus ad cœlum elevandus fuit.

sequebantur: secundum promissionem Exod. XXIX. 42. *Intra portam tentorii conventus, ibi conveniam vobiscum, alloquendo te ibi. Conveniam autem illuc cum filiis Israelis, ut sanctificentur gloria mea.* Sed hæc à plerisque nimis jejune intellecta, neque eo quo pertinent relata sunt. Sanctuarium illud terrestre, quod supra quoque monuimus, typus cœli erat: eoque elevandus erat animus dum oculi templum respiciebant. In cujus templi dedicatione ipse rogabat Salomon, ut quoties oraturi erant Israëlitæ versus locum illum, Deus auscultaret in loco habitationis suæ in cœlis. I Reg. VIII. 30.32. Et sane dicendum fuit omni tempore: *Attollamus animum cum manibus ad Deum fortem in cœlis.* Thr. III. 41. *Intuere è cœlis & vide ex habitaculo sanctitatis tuæ, & ornatus tui.* Jes. LXIII. 15.

XXVIII. At Christus nunc recta eo contendere jubet.

XXVIII. Sed quum id à paucioribus rite observaretur, plerorumque autem animus Christi tempore, *ad clivum*, id est templum materiale in monte situm *se subduceret* (sic enim non incommode Habacuci verba Cap. II. 4. exponere videtur Celeberrimus Interpres) oportune Dominus Jesus monendos suos duxit, ut recta in cœlum tenderent. Idque eo magis, quod ea nunc instarent tempora, quibus omnis terrestris Sanctuarii religio, una cum ipso Sanctuario, cessatura erat. Sic enim decet novam Hierosolymam quæ è cœlo descendit; in qua nullum vidit Johannes templum. *Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est, & Agnus.* Ap. XXI. 22. Sicut prædictum erat, Jes. VIII. 14. *Jehovam exercituum suis futurum esse* למקדש *pro Sanctuario.* Atque hic iterum eximium aliquid habet Novi Testamenti Oeconomia præ illa Veteris.

XXIX. Praxis.

XXIX. Plurima hac compellatione continentur, quorum insignis USUS est, non solum ad orationem bene formandam, sed & ad Universum vitæ Christianæ institutum: ut non modo in precibus, verum etiam in omni conversatione nostra, ita nos geramus sicuti cœlesti illo Patre, cujus nos filios profitemur, dignum est.

XXX. Bonitatem Patris nostri rite æstimemus.

XXX. Atque illud quidem ante omnia, quantum fieri potest, altissime infigendum est animo; eximiam plane atque incredibilem hanc esse Dei erga miseros peccatores charitatem; quod non solum ab iis se adiri in oratione patiatur, sed & facultatem iis faciat ipsum blando illo Patris nomine compellandi. Quantum illud, & quam inæstimabile beneficium est, quod nobis homullis, aut vermiculis potius; terræ filiis, iræ filiis, concedatur, tremendum Omnipotentis Dei numen, cœlestibus angelis adeo venerabile ut cernui illud adorent, non Creatorem, Dominum aut Herum, sed Patrem nostrum dicere, atque ita, ipso non nolente, ingerere nos in dignationem & jura filiorum? Pulcherrimis verbis hanc Dei nostri φιλανθρωπίαν prædicavit *Chrysostomus. Homilia* XXX. *Tom.* V. Ὢ πόση τῆς φιλανθρωπίας

θρωπίας ἡ ὑπερβολή; ὢ πόση τῆς φιλοτιμίας ὑπεροχή; &c. *Quanta hæc humanitatis excellentia? Quanta honoris & dignitatis eminentia? Quæ, quæso, oratio sufficiens esse queat ad gratias ei agendas, qui tanta in nos effundit bona? Considera, dilecte mi, & tuæ & meæ naturæ vilitatem, scrutare cognationem; terram, pulverem, lutum, limum, cinerem, quum enim ex terra simus formati, rursus in terram tandem resolvimur. Hæc ubi consideraveris, cum stupore admirare impervestigabiles divitias summæ Dei erga nos Bonitatis, quod ipsum jussus es vocare* PATREM, *terrenus* COELESTEM, *mortalis* IMMORTALEM, *corruptibilis* INCORRUPTIBILEM, *temporalis* ÆTERNUM *heri aut nudius tertius lutum, eum qui* ANTE SECULA DEUS *est.*

XXXI. Non nisi reverenter ad eum accedamus.

XXXI. Sed Patrem quum dicimus, ipsa illa appellatio docet, ut non nisi *reverenter* ad eum accedamus. Est enim hæc non scripta, sed nata lex, quam non aliunde didicimus, sed ex ipsa natura hausimus, æquum esse ut Filius Patrem revereatur ac veneretur. Mal. I. 6. Quanto magis, si idem qui *Pater* noster, simul etiam *Rex* noster sit? Id quamvis fucato animo, & arte composito vultu, erga Davidem, & Patrem & Regem, præstiterit Absalomus; docet tamen quid homini ingenuo, ac vere nobili, sincere præstandum sit. Absalomus enim ad Davidis alloquium admissus, *veniens ad Regem, incurvavit se super faciem suam in terram coram Rege.* 2. Sam. XIV. 34. Quantam ergo eam par est esse reverentiam, quam Deo, PATRI & Regi nostro, & Patri quidem ac Regi COELESTI, in oratione exhibeamus? *Ne acceleres ore tuo, & animus tuus ne festinet proferre quicquam coram ipso Deo; nam Deus ipse in cœlis est, tu autem super terram: idcirco sunto verba tua pauca.* Eccl. V. I.

XXXII. At tamen cum fiducia.

XXXII. Non obstat tamen hæc reverentia, quin idem Patris nomen *παῤῥησίαν fidei* ingeneret. Quid enim non speremus à *Patre*, & quidem *cœlesti Patre?* Si Pater est, pro Paterna sua bonitate nihil filiis negabit quod norit ipsis usui fore. Ps. CIII. 13. *Ut miseretur Pater filiorum, miseretur Jehova timentium ipsum.* Imo est aliquid in bonitate Dei, quod omnem non *paternæ* solum, sed & *maternæ* στοργῆς pietatem immensum superet. Jes. XLIX. 15. *An oblivisci potest mulier fœtus sui, ut non misereatur fructus uteri sui? Etiamsi hæ oblivisci possint, tamen ego non obliviscar tui.* Omnis humanus affectus angustis est circumscriptus limitibus: Dei erga suos charitas æterna est atque infinita. Jer. XXXI. 3. Quæ conferre, etiam in dilectissimos suos humani amoris paupertas potest, ea adeo sunt exigua, ut qui largissime boni sunt, si ad Divinæ bonitatis opulentiam exigantur, mali sint. Ita nos argumentari ipse Christus docuit: Luc. XI. 13. *Si vos igitur qui mali estis nostis bona dona dare liberis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit?* Quod enim *cœlestis Pater* sit; & hoc plu-

rimum ad fidei ac spei firmamen facit. Qui in cœlis habitat, is unico obtutu omnes & miserias nostras & desideria cernit. Ps. XXXIII. 13. Ejus erga suos cœlestis est bonitas. Ps. CIII. 11. *Quam alti sunt cœli supra terram, prævalet benignitas ejus erga timentes eum.* Ejus etiam omnipentiæ, ad suos juvandos promptissimæ, nulla rerum creatarum vis resistere potest. Ps. CXV. 3. *Deus noster in ipsis cœlis est, quidquid placet facit.* Ejus denique cogitationes & viæ omnes humanas cogitationes & vias tanto præcellunt, quanto cœlum terra celsius est. Jes. LV. 8. 9.

XXXIII. Et cum amore.

XXXIII. Sed & docet Patris appellatio cum *amore* ad Deum accedere. Cum amore, inquam, tam erga *Deum*, quam erga *proximum*. Nostrum erga Deum amorem quid validius excitet, quam meditatio tantæ erga nos pietatis, quæ uno *Patris* vocabulo continetur; & tantarum præterea tamque amabilium perfectionum, quas ut Deo inesse cogitemus epithetum *Cœlestis* admonet? Et qui fieri potest ut charitas erga proximos non inflammetur, dum Patrem NOSTRUM dicendo, profitemur ejusdem cum iis fraternitatis communicationem? Excludit ea meditatio invidiam; acuit desiderium bona pro fratribus nostris petendi; excitat gaudium in bonis proximi, quippe ad nostram quoque intercessionem ei concessis. Atque ita in hac sincera & devota Patris nostri cœlestis compellatione est castissimæ purissimæque charitatis exercitium, totiusque legis Divinæ completio.

XXXIV. Anhelantes ad cœlestia.

XXXIV. Denique quum Patrem appellamus *qui in cœlis est*, oportet cogitationes nostras inter orandum ita ab omni terrenæ vilitatis mistura defæcare, ut de Deo ipso non nisi sublimia, spiritualia, cœlestia, & incomprehensibili illus Majestate digna nobis figuremus; & à Deo ea potissimum in precibus nostris petamus, quæ cœlesti Patri dare, & nobis, tanti Patris filiis accipere convenit. *Chrysostomus Homil.* XIX: *in Mat.* Ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὅταν εἴπῃ οὐκ ἐκεῖ τὸν Θεὸν συγκλείων τοῦτο φησιν, ἀλλὰ τῆς γῆς ἀπάγων τὸν προσευχόμενον, καὶ τοῖς ὑψηλοῖς προσηλῶν χωρίοις, καὶ ταῖς ἄνω διατριβαῖς. *Quando dicit, qui es in cœlis, hoc non ideo dicit ut Deum ibi concludat, sed ut orantem à rebus terrenis abstractum sublimibus affigat locis, & supernis conversationibus.*

XXXV. Sed & vitam universam, uti tanto Patre dignum est, instituamus.

XXXV. Cæterum quum Deus veritatem in præcordiis amet, opera nobis imprimis danda est, ut vitæ nostræ institutum cum orantium professione conveniat, ne facta verbis contraria os nostrum, in ipsius numinis alloquio, mendacii insimulent. Qua re profecto nihil potest esse turpius propudiosiusque. Pulcherrime hæc exsecutus est *Gregorius Nyssenus Orat.* II. *in Orat. Domin:* Cujus verba quædam huc facientia neminem bonum pigebit hic appicta legere. Ὅταν τοίνυν Πατέρα τὸν Θεὸν λέγειν ἡμᾶς ἐν τῇ προσευχῇ διδάσκῃ ὁ κύριος, οὐδὲν ἕτερόν μοι δοκεῖ ποιεῖν, ἢ τὸν ὑψηλόν τε καὶ ἐπηρμένον νομοθετεῖν βίον· οὐ γὰρ δὴ ψεύδεσθαι διδάσκει ἡμᾶς ἡ ἀλήθεια,

θεία, ὥστε λέγειν ὃ μὴ ἐσμεν, καὶ ὀνομάζειν ὃ μὴ πεφύκαμεν. Ἀλλὰ Πατέρα λέγοντες ἑαυτῶν τὸν ἄφθαρτόν τε, καὶ δίκαιον, καὶ ἀγαθὸν, ἐπαληθεύειν τῷ βίῳ τὴν ἀγχιστείαν. Ὁρᾷς ὅσης ἡμῖν παρασκευῆς ἐστι χρεία; οἵου βίου; πόσης καὶ ποταπῆς ἐστι τῆς σπουδῆς; ὥστε ποτὲ πρὸς τοῦτο τὸ μέτρον τῆς παῤῥησίας ὑψωθείσης ἡμῖν τῆς συνειδήσεως, τολμῆσαι εἰπεῖν τῷ Θεῷ ὅτι Πατερ. *Quum igitur ut Deum in Oratione Patrem dicamus Dominus nos docet, nihil aliud mihi facere videtur, quam sublimen & altam instituere atque præscribere vitam. Non enim utique mentiri nos veritas docet, ut dicamus nos esse quod non simus, & appellemus nos eo nomine quod tamen nobis attributum non sit. Sed ut dum incorruptum, & justum, & bonum Patrem nostrum dicimus, vitæ integritate propinquitatem exprimamus, eamque veram esse ostendamus. Vides, quanto nobis opus sit apparatu? quali vita? quanto ac quali studio? ut ad eundem modum fiduciæ, erecta tandem conscientia nostra ad Deum, dicere audeamus, Pater.*

XXXVI. Quisquis igitur in spiritu & veritate Deum *Patrem* nuncupas, vide ut eum toto vitæ tuæ instituto colas ac reverearis, ut mandatis ejus omnibus dicto te audientem præstes, ut ad similitudinem sanctitatis ejus te componas, & virtutes ejus æmuleris. Quisquis *Pater Noster* dicendo aliis te in oratione jungis, eos ut fratres tuos diligito, eorum bonum promoveto, idque pro virili tua parte annititor ut ejusdem tecum hæreditatis evadant consortes. Quisquis Patrem te *in cœlis* habere credis, minuta hæc & caduca contemnito, ad cœlestia, gloriosa illa, æterna, & vere bona anhelato: 2. Cor. IV. 18. Col. III. 1. 2. atque ita te componito ut in consortium Deo venias. **XXXVI. Et præ cœlestibus contemnamus terrena.**

XXXVII. Tunc animus consummatum habet plenumque bonum sortis humanæ, quum, calcato omni malo petit altum, & in ipsum Dei sacrarium venit. Tunc juvat supra siderum altitudinem generosis meditationibus enisum, divitum pavimenta ridere, & totam cum auro & argento suo terram. Tunc juvat contemnere porticus & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles sylvas, & derivata in domos flumina, & quidquid stulte sibi placens avaritia atque ambitio miratur. Inde si terrarum orbem superne despicias, angustum, & magna ex parte opertum mari, etiam qua exstat late squalidum, & aut ustum aut rigentem, tunc libebit tibi ipsi dicere: hoc est punctum illud quod inter tot gentes ferro & igni dividitur? Quum te in illa vere magna sustuleris, quoties videbis exercitus subrectis ire vexilis, & quasi magnum aliquod agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo à lateribus affusum, formicarum iste tibi discursus videbitur in angusto laborantium, de quibus cum Poëta dicas, *It nigrum campis agmen.* Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita, si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, & expedi- **XXXVII. Ne Senecæ grandiloquentia pudorem nobis incutiat.**

expeditus levisque, ac contentus modico, emicuit. Quum illa tetigit, alitur, orescit: ac veluti vinculis liberatus in originem redit. Et hoc habet argumentum Divinitatis suæ, quod illum Divina delectant; nec ut alienis interest, sed ut suis. Nisi ad hæc admitterer, non fuerat nasci. Quid enim erat, cur in numero viventium me positum esse gauderem? An ut cibos & potiones percolarem? ut hoc corpus caussarium ac fluidum, periturumque nisi subinde impleatur, farcirem, & viverem ægri minister? Detrahe hoc inæstimabile bonum, non est vita tanti, ut sudem, ut æstuem. O quam contemta res est homo, nisi supra humana surrexerit? *Seneca Quæst. Nat. Lib.* I. *in initio.* Ita fere Romanus ille sapiens affectum se fuisse testatur, ex nuda visibilium cœlorum contemplatione, quatenus illa Philosopho, Physicæ scientiæ studioso, obversantur. Quos non sublimes affectus in nobis Christianis, nobilioris sapientiæ canditatis, excitare debebat ea meditatio, quod Patrem habeamus longe supra omnes istos cœlos, in se ipso suaque inaccessa luce habitantem; & Fratrem primogenitum, qui eo nobis præivit paraturus habitaculum; & hæreditatem quæ nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, repositam in super cœlestibus? Hæc, hæc demum tua, Christiane, cura, amore, satagentia digna sunt. Reliqua præ illis omnia, crepundia, nugæ, umbra, nihil, damnum, stercora. Concludo verbis *Chrysostomi Homil.* XIV. *in Epist. ad Ephes.* Εὐθέως εἴπες, Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ἀνέστησέ σε τὸ ῥῆμα, ἐπτέρωσέ σου τὴν διάνοιαν, ἔδειξεν ὅτι πατέρα ἔχεις ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Μηδὲν πράττε, μηδὲν λέγε τῶν ἐπὶ τῆς γῆς. Εἰς ἐκείνην σε τὴν τάξιν ἔστησε τῶν ἄνω, ἐκείνῳ σε ἐνέκρινε τῷ χορῷ; τί σαυτὸν κάτω καθέλκεις; *Simul atque dixisti, Pater noster qui es in cælis, verbum te erexit, & mentem tuam in altum evexit, ostendit te Patrem habere in cælis. Nihil agas, nihil dicas, ex iis quæ sunt in terra. In supremum illum ordinem te retulit, illi choro te inseruit. Cur te ipsum deprimis?*

EXERCITATIO VIII.

DE

Sanctificatione Nominis Dei.

ΑΓΙΑΣΘΗΤΩ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΣΟΥ.

BREVIARIUM.

I. *Magna est animæ precantis cum Deo familiaritas.* II. *Quæ quando pro Deo orare videtur, orat pro se ipsa.* III. *Capita hic exponenda.* IV. *Nomen Dei notat Deum ipsum.* V. *Quatenus se cognoscendum præbet creaturis*

turis rationalibus. VI. *Sanctificatio Dei, est sanctitatis Divinæ declaratio.* VII. *Quæ fit* I. *Ab ipso Deo, quum exercet vindictam.* VIII. *Et asserit sibi populum electum.* IX. *Joh.* XII. 27. 28. X. II. *Ab omnibus creaturis.* XI. III. *Maxime à Rationalibus.* XII. *Cur sanctificationem nominis Dei, ab ipso petamus.* XIII. *Et quidem primo loco.* XIV. *Multorum facta arguunt eam non sincere ab iis peti.* XV. *Nos autem serio sanctificemus Deum.* I. *Meditando virtutes ejus, in operibus naturæ & gratiæ* XVI. II. *Eas celebrando.* XVII. *Epicteti memorabilia.* XVIII. III. *Omnia nostra ad Dei gloriam referendo.* XIX. *Epicteti & Antonini præclara in hanc rem.* XX. IV. *Sectando sanctitatem qua Deo digna sit.* XXI. V. *Præ Dei gloria nostram contemnendo.* XXII. VI. *Gaudendo, si modo glorificetur Deus, sive per nos, sive per alios.* XXIII. XXIV. *Motiva.*

EXimia admodum ac prope incredibilis familiaritas est, quam qui devote orat exercet cum Deo. Magnum certe est, quod vilis homuncio, damnabilis peccator, vermiculus conculcatione dignus, ad illius commercium numinis admittatur, cujus Majestatem sublimissimi cœlestium geniorum chori, etiam dum laudant venerabundi stupent. Majus est, quod ad illum gratiæ thronum ab ipso Dei Unigenito Filio oraturus deducatur, ac Spiritu precum verba simul ac suspiria suggerente, liceat παῤῥησιάζεσθαι, omniaque desideria, vota omnia, modo nihil Deo indignum, nihil oranti nociturum contineant, summa cum libertate exponere. Sed illud longe maximum est, ac fidem propemodum superat, quod homini apud Deum, non pro se solum, & proximo suo, agere liceat; sed & pro Deo: sic ut Deum, pro Dei gloria, Deique regno, oret. Quasi Deus gloriosus esse, & regnare nolit, nisi ad preces fidelium. Palam est, Psalmo LXXII. de Dei regno, Deoque Rege sermonem esse. Inter cætera autem quæ plane magnifica sunt, hoc quoque memorabile est quod commate 15. dicitur: *Orabitur pro illo* (Rege) *jugiter, toto die benedicetur ei.* Hæc autem gloria, ut homini pro Deo orare concedatur, tanti debet esse animæ fideli, ut Deum supra omnia, supra se ipsam quoque, diligens, sui tantisper obliviscatur, donec ea quæ Dei gloriam ac regnum spectant probe accuraverit. **I. Magna est animæ precantis cum Deo familiaritas.**

II. At revera nunquam sui minus obliviscitur anima, quam dum ita instituit. Nam præterquam quod desideria sua impendere non possit nobiliori objecto; quando pro Deo orat, maxime orat pro se. Ingentem profecto injuriam Divinæ faceret Omnisufficientiæ, si vel minima cogitatione eo inclinaret, posse Deo per preces suas aliquid perfectionis aut beatitudinis accedere; quum Deus in se & ex se habeat omnia. Quicquid à **II. Quæ quum pro Deo orare videtur, orat pro se ipsa.**

nobis proficisci potest in eo situm est, ut inserviamus consilio isti Divino quo ab æterno constituit gloriam suam illustrem facere, & virtutes ac perfectiones suas demonstrare in stupendis quibusdam operibus. Et dum nos ea re delectari sincere profitemur; non solum voluptatem illam nostram promovemus, qua nihil castius sanctiusque est: sed & in Dei gloria nostram invenimus gloriam, in Dei regno nostram felicitatem. Dum Dei gloriam pia prece poscimus, id simul rogamus, ut in nobis quoque gloriosus & admirabilis fieri velit: qui beatitudinis nostræ apex est. Atque hæc est ratio, cur Christus à Sanctificatione nominis Dei preces nos nostras exordiri jusserit.

III. Capita hic exponenda.

III. Ad cujus petitionis explicationem tria consideranda veniunt. I. Quid intelligatur per NOMEN DEI. II. Quid sit *nominis Divini* SANCTIFICATIO. III. Quorsum eam Sanctificationem nominis Dei AB IPSO DEO PETAMUS.

IV. Nomen Dei notat Deum ipsum.

IV. NOMEN DEI, significat *Deum ipsum*, quatenus se & virtutes suas, operibus & verbis, creaturis rationalibus manifestat. Nihil frequentius est in Veterum Hebræorum sermone, quàm ut Deum vocent שם שמים *nomen cælorum*, vel השם *nomen illud*, absolute Deut. XXVIII. 58. *Timendo nomen gloriosissimum & summe timendum istud, Jehovam tuum.* Eodem sensu dicitur Ps. XX. 2. *Exaudiat te Jehova tempore angustiæ: in edito te collocet nomen Dei Jacobi.* Id est ipse Deus Jacobi. Iterum Jes. L. 10. *Confidat nomini Jehovæ, & innitatur Deo suo.* Neque enim nomen Dei inane aliquid est, tinniens solummodo in auribus, aut pingens aliquid ante oculos, aut phantasma aliquod repræsentans menti: sed est תושיה *res ipsissima.* Nihilque tam magnificum de Deo vel verbis proferri, vel scripto consignari, vel mente concipi potest, quod non infinito magnificentius in Deo existat. Hoc est quod Agur docere voluit Prov. XXX. 4. *Quod est nomen ejus, & quod est nomen Filii ejus, si noris?* Nostine tu illum vel intellectu tuo imaginari, vel verbis effari, ut postquam multa conatus es, dicere ausis, hoc demum est Deus, nihilque aliud est? Nulli soni, nulli characteres, nullæ ideæ undecunque vel illatæ nobis, vel petitæ à nobis, millesimam illius præstantiæ partem repræsentare possunt quæ in Deo invenitur. Jer. X. 6. *Ex eo quod nullus tibi par est, O Jehova, maximus es, & maximum est nomen tuum in potentia.*

V. Quatenus se cognoscendum præbet creaturis rationalibus.

V. Non tamen nomen Dei præcise Deum notat, quatenus est in se; sed quatenus se manifestum facit & cognoscendum præbet creaturis rationalibus, in operibus tam creationis ac cummunis providentiæ, quam gratiæ & gloriæ; & maxime in verbo gratiosi fœderis; quo exponit quo modo Deus & salus hominis peccatoris nominari possit ac velit, cum demonstratione omnium virtutum suarum. Ita enim Deus nomen suum proclamans coram

coram Mose, eas potissimum virtutes suas laudat quæ se exercitio veritatis, gratiæ & justitiæ suæ prodant. Exod. XXXIV. 6. 7. Et Christus, dum Evangelium verbis annunciavit, & opere complevit, dicit *se nomen Dei manifestasse hominibus, sibi ex mundo datis.* Joh. XVII. 6. hoc est, sermone exposuisse, facto comprobasse, atque ita ad conscientiam electorum demonstrasse, id quod de Deo recte vereque ad laudem ejus cogitari dicique potest, quodque de ipso credendum est ut glorificetur, & non temere ab hominibus Deus ipsorum dicatur. De cætero necesse non est circa nomen Dei multa subtiliter λεπτολογεῖν. Id simpliciter teneamus, nomine Dei Deum ipsum intelligi quatenus virtutes suas cognoscendas nobis exhibet.

VI. SANCTIFICATUR Deus, dum Sanctus esse declaratur. Sanctitas autem Dei, est castissimus suarum virtutum ac perfectionum amor; vel si mavis, ea Divinæ voluntatis puritas, ut nihil intelligere, velle, agere possit, nisi quod perfectionibus suis dignum & ad eas illustrandas idoneum sit. Et quandoquidem ea Sanctitas perfectionum Divinarum decus atque ornamentum est; hinc totum, ut ita dicam, complexum perfectionum Dei, omnis Θεοπρέπεια, omnis gloria, qui quasi fulgor est ex omnibus perfectionibus simul sumtis resplendens, hoc Sanctitatis nomine comprehenduntur. Idcirco dicitur נאדר בקודש / *Magnificus Sanctitate* Exod. XV: 11. Quumque ea Dei Sanctitas omnibus numeris absolutissima sit; palam est, non posse Deum sanctificari novæ Sanctitatis additione; sed solummodo illius quam habet Sanctitatis declaratione.

VI. Sanctificatio Dei, est Sanctitatis Divinæ declaratio.

VII. Declaratio ista partim ab ipso *Deo* fit, partim à *Creaturis*; *Omnibus* quidem sua modo, at maxime *Rationalibus*. *Deus ipse se* sanctificat ejusmodi operibus in quibus evidentia, illustria, animumque convincentia documenta sapientiæ, bonitatis, justitiæ, cæterarumque virtutum suarum sunt. Sic aliquoties se sanctificasse & glorificasse Deus dicitur, quum in homines criminosos exempla statuit notabilis vindictæ. Exod: XIV: 18. *Glorificabor in Pharaone, & in omnibus copiis ejus, in curribus ejus, & in equitibus ejus, & experientur Ægyptii me esse Jehovam, quum glorificabor in Pharaone &c.* Levit. X: 3. *In propinquis meis sanctificabor, & ante conspectum totius populi glorificabor:* id est, ostendam gloriam sanctitatis meæ in justa vindicta eorum, qui non satis ex præscripto agunt in meo cultu. Hanc expositionem ipse nobis Dei Spiritus suggerit Ezech. XXVIII: 22. *Ecce me contra te, O Sidon, ut glorificer in medio tui: ut cognoscatur me esse Jehovam, quum exercuero in ea judicia, & sanctificavero me in ea.* Similia exstant, Cap. XXXVI: 23. XXXVIII: 16. 23.

VII. Quæ fit I. Ab ipso Deo, quum exercet vindictam.

VIII. At nunquam magis nomen suum sanctificavit Deus, quam in assertione populi sui electi, quomodo eam procuravit per Christum. In eo enim opere luculentissima, & plane incomparabilis omnium simul Di-

VIII. Et asserit sibi populum electum.

vinarum virtutum demonstratio est. Ibi φιλανθρωπία, sive pietas erga genus humanum, ibi sapientia, clementia, potentia, veritas, justitia, & nominatim ea, de qua nunc loquimur, Sanctitas, illustri splendore micant. Sanctitatis est, quod turpiter fœdatam sui imaginem in homine peccatore reparare animum induxerit. Sanctitatis est, quod facere illud noluerit sine demonstratione odii, quo prosequitur peccatum: quodque odium illud non verbis duntaxat ostendere voluerit, in quibus peccati detestatio est, sed & factis per מוסר / sive *exemplarem vindictam*. Sanctitatis est, quod, ut sanctificari electi sui possent, vindictam illam poposcerit à sanctissimo Filio suo, sponte se ad eam rem offerente; idque tam solemniter, ut cœlum & terra ad tam severæ justitiæ purissimæque sanctitatis exemplum exhorruerint. Sanctitatis est, quod Filium suum, per passiones consummatum, excitaverit ex mortuis, & coronaverit gloria atque honore: ita enim sibi sanctissimum Filii sui sacrificium placuisse ostendit. Sanctitatis denique est, quod redemtos sanguine Filii ad gloriosam ipsius imaginem transformet, ut is sit primogenitus inter multos fratres.

IX. Job. XII: 27. 28. IX. Hæc, atque his similia Christum in animo habuisse credibile est, quando instante illo tempore quo justitiæ Divinæ satisfacturus erat, in hæc verba erupit. Joh: XII: 27. 28. *Nunc anima mea turbata est*, consideratione gravissimarum illarum perpessionum quæ me manent. *Et quid dicam?* Omnes vellem intelligere affectum meum, sed eum verbis exponere difficile est. *Pater libera me ab hac hora.* Si fieri potest, fac ut hic à me dolor abeat: *sed propterea veni in hanc horam.* Scio dolores hos constanter mihi ferendos esse: ea lege mediatorium munus suscepi, ut hoc pretio, & tuæ satisfacerem justitiæ, & meos mihi redimerem electos. Neque etiamnum conditionem detrecto. Itaque, *Pater glorifica nomen tuum;* ostende in perpessionibus, quibus me promtus offero, sanctitatem & justitiam tuam; sed & easdem ostende in liberatione mei, & vindicatione meorum postquam tibi satisfecero. *Venit ergo vox è cælo, dicens, & glorificavi,* multis virtutum mearum demonstrationibus in regimine universi, ac novissime in datione tui, in prædicatione Evangelii, & patratione tam stupendorum operum, quibus Evangelii veritas confirmata est. *Et rursus glorificabo*: acceptando satisfactionem tuam, illiusque fructum tibi ac tuis, ut par est, imputando. Omnia huc tendunt, ut doceamur in opere redemtionis nostræ illustrem esse sanctificationem nominis Dei. Ita ergo Deus ipse se sanctificat.

X. II. Ab omnibus creaturis. X. Sed & ab *omnibus Creaturis* suo modo sanctificatur. Quatenus virtutum Divinarum gloriam, in iis elucentem, Angelis atque hominibus conspiciendam præbent. Hoc David petiit Ps. CIII. 22. *Benedicite Jehovæ omnia opera ejus, in omnibus locis dominationis ejus.* Ps. CXLV: 10.

Celebrent

Celebrent te, Jehova, omnia opera tua. Pf. CXLVIII: 3-10. *Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ lucidæ. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ supra cælum sunt, &c.* Neque frustra id petiit. Nam revera *cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus indicat expansum eorum &c.* Pf. XIX: 2. Id faciunt, dum homines Angelosque per contemplationem admirandi ordinis exactæque pulchritudinis suæ ad laudes Dei excitant.

XI. Proprie tamen loquendo sanctificatur Deus à solis *creaturis rationalibus.* Quando illæ I. Mentem suam impendunt cognoscendis atque agnoscendis Divinis virtutibus. *Quis est sapiens? Attendant ad hæc: & animadvertant benignitates Jehovæ.* Pf. CVII: 43. Estque hac in re sapientiæ humanæ caput, & summa hominis, si quam habere possit, gloriatio. Jer. IX: 24. *In hoc glorietur, qui gloriatur, se intelligere & cognoscere me; me esse Jehovam exercentem benignitatem, jus & justitiam in terra: quia istis delector dictum Jehovæ.* II. Quando virtutes illas celebrant. Id quod Angeli faciunt Pf. CIII: 20. *Benedicite Jehovæ, Angeli ejus, valentissimi robore.* Et beati cælites. Ap, IV: 10. 11. Quod Sanctis adhuc in terra degentibus pro exemplo esse debet. Pf. CXXXV: 1. 2. 3. 19. 20. 21. III. Quando universum vitæ suæ institutum ita componunt, ut non sermonibus modo suis, sed & actionibus omnibus glorificetur Deus. 1 Pet. II: 9. 12. Mat. V: 16. 1 Cor. X: 31. Id quoque ad Sanctificationem nominis Dei pertinere, ab Hebræorum Magistris pridem observatum est. Huc enim facit quod ex libro *Musar* citat Drusius in hæc verba: *Postquam omnia opera nostra conformari debent ad similitudinem operum Dei benedicti; liquet quocunque tempore facimus quod bonum rectumque est, nos sanctificare nomen ejus magnum .... Summa horum quæ diximus: quandoquidem ei similes sumus operibus nostris, sanctificatio & pollutio sive profanatio nominis ejus pendet ab iis, hoc est ab operibus nostris.*

XI. III. Maxime à Rationalibus.

XII. Quotiescunque autem DEUM ROGAMUS ut nomen ipsius sanctificetur, toties declaramus I. Serium ac sincerum nostrum desiderium, quo gloriam ipsius supra omnia expetimus. Jes. XXVI: 8. *Ad nomen tuum & ad memoriam tui fertur desiderium animæ nostræ.* Pf. XL: 17. *Gaudeant & lætentur in te omnes quærentes te: ac dicant jugiter, magnificetur Jehova, omnes amantes salutis tuæ.* II. Deum ipsum esse unde glorificatio nominis sui procedere debeat: quippe qui solus idoneus est suas ipsius demonstrare virtutes. Ipse A. & Ω. Primum initium ultimi finis. Pf. LVII: 6. *Exaltare supra cælos, ô Deus, super totam terram gloria tua.* Pf. CXV: 1. *Nomini tuo da gloriam, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.* III. Rogamus ut nos ad sui sanctificationem idoneos faciat.

XII. Cur Sanctificationem nominis Dei ab ipso Deo petamus.

A. Illuminando intellectum nostrum, ut virtutes ipsius in liquida luce cernere valeamus. Ephes. I: 17. B. Excitando cor nostrum, ut cum Davide dicere nobis liceat Ps. LVII: 8. *Erectus est animus meus, ô Deus, erectus est animus meus; canam & psallam.* C. Ciendo linguam nostram. Ps. LI: 17. *Domine labia mea aperias, & os meum annunciabit laudem tuam.* D. Regendo nos suo Spiritu, ut totam vitam nostram ad nominis sui gloriam componamus: ut ipse primo in sanctificatione, tum in glorificatione nostri, appareat gloriosus & admirabilis.

XIII. Et quidem primo loco.

XIII. Quum hæc *primo loco*, atque ante alia omnia petimus; ostendimus nihil nobis magis curæ ac cordi esse debere quam hoc ipsum. Hic ultimus finis est, quo cætera referenda sunt omnia. Ad hoc nobis vitæ nostræ sustentacula chara esse oportet, & vita ipsa optabilis; ad hoc salutis nostræ media desiderabilia nobis esse debent; ad hoc ipsa salus nostra expetenda est, ut ad Dei gloriam cuncta referantur. Non licet nobis in ullo bono nostro, quatenus nostrum est, & nos inde utilitatem aut voluptatem percipimus, acquiescere. Ne ipsa quidem beatitudo nobis ad id unice quærenda est, ut nos in illius possessione deliciemur; sed ad id quoque, ut peculium Dei, quod nos sumus, reddatur auctius ac locupletius; & ut tantis à Deo bonis ditati, quæ felicitatem nostram absolvunt, ad virtutes Dei celebrandas instructiores simus, & Deus ipse sibi in isthac opulentiæ suæ demonstratione complaceat. Hæc demum suprema nostra felicitas est, si maxime ad Dei gloriam simus. Hoc culmen gloriationis nostræ, quod *gloriemur in spe gloriæ Dei.* Rom. V: 2.

XIV. Multorum facta arguunt, eam non sincere ab iis peti.

XIV. Verum si credi postulemus, sincere hæc à nobis dici, opera præprimis danda est, ut dicta factis comprobemus. Eosne credibile est Dei gloriam sincere expetere; qui proprii honoris mancipia sunt; & quidquid sunt, quidquid possunt, quidquid habent, quidquid insanis præterea votis desiderant, & habere quocunque modo annituntur, suæ duntaxat ambitioni famulari cogunt? Qui ita sibi in suis placent vel opibus, vel honoribus, vel ingenio aut arte, vel eleganter dictis, vel erudite scriptis, vel præclare gestis, sive revera sive in ipsorum duntaxat stulta ac prætumida imaginatione talia sint, ut de se ipsis idolum faciant, postulentque digito monstrari, ac dicier, hic est? Jes. X: 13. Dan. IV: 10. Qui Divinæ bonitatis munera suorum meritorum adscribunt dignitati; eoque superbiunt quod egregia Dei dona supra alios, vel habeant, vel habere se præsumant? I Cor. IV: 7. Qui ne ipsum quidem numinis cultum ad ejus referunt honorem, sed tunc maxime videri se volunt, ut sancti & religiosi ab aliis habeantur; deque isthac sua sanctitate non solum tacite ac in sinu, sed & apud alios, imo apud ipsum Deum, gloriantur? Jes. LXVI: 5. Luc. XVIII: 11. 12. Qui veluti bruta animantia non attendunt

tendunt ad opera manuum Dei, vel certe tam perfunctorie ea considerant, ut plerorumque Philosophorum more in caussis secundis haerentes, virtutes Dei, quas stupendis ostentat operibus, clausis coecisve oculis praetereant? Jes. v: 12. Qui Dei sanctificationem ore profitentes, factis suis ipsi dedecori sunt, faciuntque ut nomen Dei blasphemetur? Rom. 11: 24. Quicunque ita instituunt, eos quidquid praetexatur, cum Deo ludere certum est, quotiescunque dicunt, *Sanctificetur nomen tuum.* At non frustra ludent. Invitis ipsis, imo & in ipsis si quidem ita perrexerint, sanctificabitur Deus demonstratione justitiae, & vindicta severissima.

XV. Nos autem, qui, Deum Patrem nostrum agnoscentes, Sanctificationem nominis ejus sincere desideramus, omni ope niti oporet, ut ad Dei gloriam esse comperiamur. Quam nobis dedit intelligendi facultatem, eam contemplandis, cognoscendis, meditandis virtutibus ipsius impendamus, quas in operibus naturae ac gratiae, & in verbo supernaturalis revelationis suae, clementer nobis patefecit. Nihil oculis mentive nostrae occurrere potest tam exiguum, quod non uberrimam in eam rem materiam nobis suppeditet: modo didicerimus invisibilia Dei perspicere in visibilibus, & per creaturas, veluti per scalas quasdam, via eminentiae, ad summum Deum adscendere. Id statuentes, quidquid bonitatis, lucis, pulchritudinis in creaturis est, id omne modo perfectissimo in Creatore inveniri. Ita nos assuefaciamus, ut res hujus mundi, naturales, civiles, oeconomicas, tanquam figuras aut picturas quasdam consideremus rerum spiritualium ac coelestium, earumque quae ad regnum Dei pertinent. Hujus artis callentissimus fuit Dominus Jesus, cui nihil unquam tam minutum obversabatur, quin sufficeret ad illustrandum ea occasione Regnum coelorum, ne aquae quidem situla, aut grano sinapis exceptis. Joh. IV: 10. Mat. XIII: 31. Eandem artem discipulis suis commendavit; ut piae meditationis alembico ex crassioribus istis Chymicorum more spiritum extrahere discerent. Mat. XXIV: 32. Verum ante omnia ea Dei opera frequenter meditemur, quibus gloriam suam asseruit in procuranda salute generis humani, quae non docentur nisi in schola gratiae: atque ita se pie sancteque delectet animus in luce notitiae gloriae Dei, splendentis in facie Jesu Christi. Non potest nobilissima illa intelligendi facultas, nobiliori se impendere objecto, neque nobiliori occupari exercitio, quam contemplatione τῆς αὐτοαληθείας, caeterarumque veritatum sublimium atque salutarium quas de se suprema illa Veritas nobis revelare dignata est. Atque hoc quidem modo intellectu nostro nomen Dei sanctificatur.

XV. Nos autem Sanctificemus Deum. I. Meditando virtutes ejus in operibus Naturae & Gratiae.

XVI. Sed non est hic subsistendum. Quas ita cognoscimus virtutes Dei, eas amare, venerari, mirari, ac quovis modo celebrare par est. Ut saepe

XVI. II. Eas celebrando.

sæpe numero ex pleno cordis nostri thesauro proclamemus. *Quam ampla sunt opera tua, ô Jehova? quam ea sapienter fecisti? quam plena est terra possessione tua?* Ps. CIV. 24. *Jehova Domine noster, quam magnificum est nomen tuum in universa terra, qui ponis majestatem tuam supra cælos? Quum respicio cælos tuos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas, quas statuisti: Quid est mortalis quod memor sis ejus? aut filius hominis, quod visites eum?* Ps. VIII. 2. 4. 5. *Ego semper sperabo, & addam ad omnem celebrationem tui. Os meum narraturum est justitiam tuam, toto die salutem tuam, quamvis numeros ejus ignorem. Veniam per præpotentias Domini Dei, memorabo justitiam tuam, tuam solius. Etiam celebraturus sum te instrumento nablii, fidemque tuam, Deus mi: psallam tibi cithara, ô Sancte Israëlis. Cantabunt labia mea, quando psallam tibi, & anima quam redemisti. Etiam lingua mea quotidie enunciabit justitiam tuam.* Ps. LXXI: 14. 15. 16. 22. 23. 24. Non possunt hæc Jehovæ, aut de Jehova, melius atque affectuosius dici, quam iis verbis quæ sacer Dei Spiritus dictavit: quæque idcirco ita nobis legenda, meditanda & quasi ruminanda sunt, ut iisdem imbuti affectibus, quibus olim sanctissimi vates, ea nostra quoque facere valeamus.

XVII. Epicteti memorabilia.

XVII. Non tamen mihi tempero, quin hic repetam ea quæ EPICTETUS, Gentilis Philosophus, sed supra Philosophum & Gentilem, commentatus est apud *Arrianum Dissert. Lib.* I. *Cap.* XVI. Verba prolixiuscula sunt: ideoque Latine solummodo adscribam ex versione *Hieronymi Wolfii. Si sani essemus, quid nobis aliud agendum erat & publice & privatim: quam numen celebrandum, & laudandum, & grates persolvendæ? Nonne & inter fodiendum, & arandum, & edendum, hymnus hic cantandus erat Deo, Magnus est Deus, qui nobis instrumenta præbuerit hæc quibus terram excolamus. Magnus est Deus, qui manus dederit, qui deglutiendi vim, qui ventrem, qui effecerit ut latenter crescamus, ut dormientes respiremus. Hæc singulis in rebus cantanda erant, & hymnus maximus ac Divinissimus resonandus, quod facultatem dederit harum rerum intelligentem, & utendi ratione instructam. Quid ergo? Quum vulgo excæcati sitis, nonne oportebat esse aliquem qui hoc munere fungeretur, & loco omnium hymnum Deo publicaret?* QUID ENIM POSSUM ALIUD SENEX CLAUDUS, NISI CELEBRARE DEUM? QUOD SI LUSCINIA ESSEM, LUSCINIÆ OFFICIO FUNGERER: SI OLOR, OLORIS. NUNC RATIONIS QUUM PARTICEPS SIM, DEUS MIHI CELEBRANDUS EST. HOC MEUM MUNUS EST. HOC EXSEQUOR. NEQUE STATIONEM HANC DESERAM QUOAD LICUERIT. *Et vos ad eandem hanc cantilenam exhortor.* O quantum ignaviæ atque inertiæ nostræ pudorem incutere par est tam sanctum hominis Gentilis sermonem, tam pium institutum? Hæccine Philosophus dicat, agat? Nos Christiani, quid?

XVIII. Ve-

XVIII. Verum uti Deum celebrare decet in suis operibus, ita & eundem nobis proponere oportet in nostris, nostraque agere cum certo quodam ad ipsum adspectu. Prov. III. 6. *In omnibus viis tuis agnosce eum.* Egregia sententia est quæ exstat in *Pirke Aboth. Cap.* II. 12. כל מעשיך יהיו לשם שמים *omnia opera tua fiant cum intentione ad nomen cælorum*, id est ad Deum. Consentit Paulus Col. III. 23. *Quidquid feceritis, ex animo præstate, tanquam Domino, & non hominibus.* Nimirum homo Christianus in communibus vitæ civilis officiis *eadem* omnia agit quæ cæteri mortales: at non *eodem modo.* Alii *civiliter*, ille *spiritualiter.* Alii, *hominibus & sibi*; ille, *Deo*: idque non in προφάσει, sed ἐκ ψυχῆς, non in *quibusdam* quæ Deum propius spectare videntur, sed in *omnibus. Quidquid feceritis.* Non claudicando, ut ubi commodum est, Deum, ubi secus, homines respiciat: sed *tanquam Domino, non hominibus.* Atque id eo usque extendit Apostolus, ut ad quotidianam manducationem referat. I Cor. X. 31. *Sive editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Non quasi necessum sit in omnibus & singulis vitæ nostræ actionibus, explicitam eam intentionem habere, ut Deum per eas glorificemus. Hoc enim per rerum naturam fieri non potest. Verum id universaliter firmum fixumque filiis Dei esse debet; Deo se consecratos esse, ne quid posthac cogitent, loquantur, agant, nisi in quo expressio quædam virtutum Dei, & manifestatio gloriæ ipsius sit, in omnibus ad præcepta ipsius attendentes, omniaque facientes cum studio ipsi placendi. Vide quæ prolixius de hac re scripsimus *Oecon. Fœd. Dei. Lib.* III. *Cap.* XII. *Sect.* XCVII. *& seq.*

XVIII. III. Omnia nostra ad Dei gloriam faciendo.

XIX. Officii hujus æquitatem ac pulchritudinem aliquo saltem modo *Epictetus* conspexisse videtur, dum id magno serio agit, ut faciat auditores suos εἰς τὸν Θεὸν ἀφορῶντας ἐν παντὶ μικρῷ καὶ μεγάλῳ: *tales qui in magnis æque ac parvis rebus omnibus Deum intueantur. Arrian. Diss. Lib.* II. *Cap.* XIX. Id ab Epicteto didicisse videtur MARCUS ANTONINUS IMPERATOR, cujus hæc exstat aurea ad semet ipsum monela. *Lib.* III. §. XIII. *Quemadmodum chirurgi instrumenta & ferramenta sua ad curationes subitaneas semper habent ad manum: ita tu dogmata in promptu apud te habeas, quorum ope res quum Divinas tum humanas dignoscas.* Καὶ πᾶν, καὶ τὸ μικρότατον ὕτως ποιεῖν, ὡς τῆς ἀμφοτέρων πρὸς ἄλληλα συνδέσεως μεμνημένον. ὔτε γὰρ ἀνθρώπινόν τι ἄνευ τῆς ἐπὶ τὰ Θεῖα συναφορᾶς εὖ πράξεις, ὔτε ἔμπαλιν. *Et rem quamque, etiam levissimam, ita peragas, ut qui memineris duo ista esse invicem connexa.* NEQUE ENIM HOMINES QUOD SPECTAT QUIDQUAM RECTE EGERIS SINE HABITO AD RES DIVINAS RESPECTU; *nec vice versa.* Quæ non eo à nobis laudantur, quasi pietatis nostræ de Sanctificatione Divini nominis mysteria æque

XIX. Epicteti & Marci Antonini præclara in hanc rem.

ex Philosophorum placitis, ac Sacrarum nostrarum literarum monumentis, hauriri possent. Nam quidquid illi dicunt longe infra harum subsidit sublimitatem, & quod dicunt, hinc fortassis etiam petitum est. Vix enim tam præclara apud Philosophos invenias, nisi post publicatum Evangelium. Cæterum ad zelotypiam excitare nos debent tam sancta Ethnicorum monita atque exempla.

XX. IV. Sectando sanctitatem quæ Deo digna sit.

XX. Quanto autem Evangelii doctrina omnibus Philosophorum, Legislatorum, Hierophantarum placitis præstat, tanto etiam sublimius vitæ institutum Christianos sectari par est: in quo imago Patris cœlestis, & vis meritorum Christi, & efficacia regenerantis atque sanctificantis Spiritus singulariter eluceat. Hoc enim cum maxime ad sanctificationem Divini nominis facit, ut qui illud profitentur inculpati sint ac simplices, in medio gentis pravæ & perversæ, inter quam splendeant uti faces in mundo: sic ut ipsorum probitas pietasque, omnem Gentilium virtutem quantumvis pomposam, omnem Pharisæorum Scribarumque scrupulosam accurationem immenso intervallo anteeat. Hi demum sunt *fructus illi justitiæ, quibus repletos* nos esse oportet, quique sunt *per Jesum Christum ad gloriam & laudem Dei* Phil. I. 11. Sic uti & Dominus dicit Joh. XIV. 8. *In hac re glorificatus fuerit Pater meus, ut fructum multum adferatis.* Imo sic ipsi erimus gloria Dei & Christi. 2 Cor. VIII. 23.

XXI. V. Præ Dei gloria, nostram contemnendo.

XXI. Porro ita hanc Dei gloriam cordi nobis esse oportet, ut nihil nobis ægrius sit quam Divini numinis contemtus. Ps. XLII. 12. paratique simus omnem, si quam habemus, aut habere possumus, nostram gloriam sacrificare Deo, & propter ipsum ignominia adfici. Sic præivit Filius Dei naturalis. Joh. XVII. 4. *Ego te glorificavi in terra: opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem.* Quomodo autem glorificaverat Patrem Christus? & quo opere? Id Paulus dixerit Heb. XII. 2. *Intuentes in fidei ducem ac consummatorem Jesum, qui pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem, ignominia contemta.* Sic præeuntem Jesum sequi decet omnes Dei filios adoptivos; ut qui gloriæ sibi ducant, quod *digni habiti sint qui pro Dei nomine contumelia adficerentur.* Act. V. 41. magno animo regiam virtutis viam insistentes *per gloriam & dedecus, per convitia & laudes.* 2 Cor. VI. 8. eam solum habentes φιλοτιμίαν ut placere possint Deo. 2. Cor. V. 9. de cætero securi; quamvis contingeret colaphis cædi, & convitiis adfici, & infamari, imo tanquam purgamenta mundi, & omnium ramentum esse. 1. Cor. II. 12. 13.

XXII. VI. Gaudendo, si modo Deus glorificetur,

XXII. Ita qui fuerit adfectus is certe non invidebit fratribus suis, si quos videat aut locupletioribus instructos donis, aut honoratiori loco in domo Dei collocatos, aut plus operis studiique ad Dei gloriam conferentes; sed volupe ipsi erit, modo sanctificetur Deus, sive per se, sive per alium

alium quemcunque, & quia sibi conscius est id per se non satis, neque uti par est, fieri; hinc gaudet alios esse, qui in subsidium sibi veniant, & in magno hoc opere plura quam ipse possit præstent. Nihilque est celebrandis Divinis laudibus idoneum, quod non eo secum invitare atque incitare velit, dicendo: *Cantate Jehovæ canticum novum, canticum laudis ejus ab extremo terræ, qui descenditis in mare, & in flumina implentia illud, insulæ & habitatores earum. Attollant vocem desertum & civitates ejus, & villæ quas inhabitat Kedar: canant habitatores petræ, è vertice montium vociferentur. Tribuant Jehovæ gloriam, & laudem ejus indicent.* Jes. XLII. 10. 11. 12. sive per nos, sive per alios.

XXIII. Multa profecto sunt, quæ nos ad nomen Dei, eo quo dictum est modo, sanctificandum impellere deberent. Nam opus ipsum tale tantumque est, nihil ut à nobis proficisci possit quod præstantius, jucundius, utilius, atque omni ratione dignius sit. Hoc est opus beatorum cœlitum, quo suavissime interminabilem transigunt æternitatem; in cujus jugi ac nunquam interrumpendo exercitio tranquillissimam inveniunt sine cessatione quietem. Hæc nostra gloria est, quod ad Dei gloriam quidquid sumus, quidquid possumus, impendamus. Cui nos ac nostra potius reservabimus quam Deo? aut cui potius exercitio, quam ei quod maximum est circa maximum? XXIII. Motiva.

XXIV. Et sane quidquid homo Christianus est, ad id est ut in ipso sanctificetur Deus. Ad id *creatus*, ac mente rerum Divinarum intelligente præditus, ut dicat, *ubi est Deus qui fecit me, qui dat psalmorum argumentum de nocte? qui docet nos præ bestiis terræ, & præ volatilibus cœli sapientes nos facit.* Job. XXXV. 10. 11. Ad id à Deo per Jesum Christum *electus* est, *pro benevolo adfectu voluntatis Divinæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, quâ nos gratis sibi acceptos effecit in illo dilecto.* Eph. I. 5. 6. Ad id *redemtus* est sanguine Christi, ut sit inter primitias Deo & Agno sacras, canatque canticum novum ante thronum cum iis qui nomen Patris inscriptum frontibus suis habent, quod canticum nemo discere potest, nisi illi qui emti sunt è terra. Ap. XIV. 3. 4. Ad id *vocatus* est per Evangelium, & *regenitus* ac *sanctificatus* per Spiritum, *ut virtutes prædicet illius qui vocavit ipsum è tenebris in admirabilem suam lucem.* I Pet. II. 9. *Populus quem formavi mihi laudem meam enarrabunt* Jes. XLIII. 21. Ad id denique *glorificabitur* aliquando, ut cum quatuor animalibus, & viginti quatuor senioribus, & innumerabilibus Sanctorum Angelorum myriadibus dicat: *Ei qui insidet throno, & Agno, sit benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Ap. V. 14. Amen.

EXERCITATIO IX.
DE
ADVENTU REGNI DEI.
ΕΛΘΕΤΩ Η ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΣΟΥ.
BREVIARIUM.

I. *Prima Orationis verba continent fundamentum earum rerum quæ deinceps petuntur.* II. *Summa eorum quæ dicenda sunt.* III. *Regnum Dei geminum est.* IV. *Universale.* V. *Speciale.* VI. *Sub Testamento Veteri: ubi formam habebat regiminis Politici.* VII. *Attamen & Ceremoniale ac Typicum fuit.* VIII. *Imo vero & Spirituale.* IX. *Hebræorum Magistri regnum cœlorum quandoque exponunt de timore & amore Dei.* X. *Maxime ad T. N. pertinet,* XI. *Notatque statum Ecclesiæ liberum.* XII. *Cur Patris hic potius quam Christi dicatur.* XIII. *Forma illius externa.* XIV. *Interna.* XV. *Regnum Gloriæ.* XVI. *Adventus Regni ad universam Ecclesiam.* XVII. *His perficitur gradibus.* I. *Efficaci Evangelii prædicatione inter Judæos.* XVIII. II. *Conversione gentium.* XIX. III. *Excidione rebellium Judæorum.* XX. IV. *Liberatione Ecclesiæ à persecutionibus gentilium.* XXI. V. *Reformatione errorum Antichristi.* XXII. VI. *Destructione mystica Babelis.* XXIII. XXIV. *Cujus ruina est augmentum Regni Christi.* XXV. *Et conjuncta erit cum Israelitarum multarumque aliarum gentium conversione.* XXVI. *Et abundantia spiritualium bonorum.* XXVII. *Et unitate Religionis in Festo Tabernaculorum.* XXVIII. *Quæ tamen sua iterum habebunt decrementa.* XXIX. *Donec ad judicium veniat Dominus, consummaturus omnia.* XXX. *Adventus Regni Dei ad singulos electos.* XXXI. *Qua mente olim à Veteribus, nunc à nobis, adventus Regni Dei petatur.* XXXII. *Praxis.* I. *Fateamur nos natura extra regnum Dei esse.* XXXIII. *In conditione miserrima.* XXXIV. *Invalidos ad exuendas servitutis catenas.* XXXV. *Adeo quidem ut regnum Dei fundari videatur in impossibilibus.* XXXVI. *Quæ tamen possibilia credimus esse Deo.* XXXVII. II. *Felicitatem nostram in Adventu regni Dei quæramus.* XXXVIII. *Quippe quod est Regnum* A. *Meræ æquitatis.* XXXIX. B. *Incredibilis opulentiæ.* XL. *Jer.* XXXI. 12. 14. *exponitur.* XLI. C. *Securæ Tranquillitatis.* XLII. D. *Incomparabilis Dignitatis.* XLIII. III. *Omnia pro Rege & Regno illo faciamus.*

I. Primo Orationis verba continent fun-

VTi Christi Domini sapientia in omnibus sermonibus atque actionibus ipsius eximie elucet; ita illius summam & quasi synopsin exhibet ea quam nobis tradidit Orationis formula. Prætermit-

termitto cætera quæ eam nobis prorsus admirabilem debent reddere: id unice nunc observari velim, quomodo in primæ compellationis paucissimis verbis fundamentum jecerit earum rerum omnium quæ ordine concinnissimo deinceps petuntur. Jussit ut in ipso precis exordio diceremus, *Pater noster qui in cœlis es.* Hoc si rite intelligatur, reliqua quæ mox adduntur evidenti satis consecutione inde deduci facile animadvertemus. Si enim Deum pro cœlesti nostro Patre agnoscimus, quid convenientius est quam ut ad tanti nominis sacram glorificationem animæ nostræ desiderium ante omnia tendat? Id quod votum est Filii Dei Unigeniti atque æterni: *Pater glorifica nomen tuum.* Joh. XII. 28. idem oportet esse votum eorum qui filii Dei facti sunt ex gratia. *Dicant jugiter, Magnificetur Jehova, amantes salutis tuæ.* Ps. XL. 17. Porro si Pater ille noster in cœlis habitet & dominetur, oportet ipsum pro Rege quoque à nobis agnosci; neque certe sanctificaretur à nobis nomen ipsius, si Regiam ipsi detraheremus Majestatem. Atque hinc Regni ipsius in nobis amor nascitur ac desiderium: quod quum Regnum Patris nostri esse supponatur, non potest non in nostrum quoque cedere commodum ac gloriam. Deinde si Deus Rex noster sit, res ipsa loquitur, nihil esse magis necessarium, quam ut supremæ ipsius, ac sanctissimæ semper voluntati debita nos veneratione submittamus, eamque non minus in terra fieri petamus quám fit in cœlo. Cætera quæ sequuntur paullo nos longius ab instituto abducerent; & quomodo cum dictis cohæreant, suo loco ostendetur. Nunc ea nobis petitio exponenda est, qua *Adventum Regni Dei* poscimus.

damentum earum rerum quæ deinceps petuntur.

II. Ad quam clarandam observanda sunt hæc tria. I. Quid REGNUM DEI sit. II. Quid ADVENTUS istius REGNI. III. Qua mente illum ADVENTUM REGNI DEI PETAMUS.

II. Summa eorum quæ dicenda sunt.

III. Dubium non est quin DEUS REX magnus sit, non supra homines solum, sed & supra omnes eos qui Deorum insigniuntur nomine. Ps. XCV. 9. Estque istud Dei Regnum in duplici nobis differentia considerandum, ut alterum UNIVERSALE sit, alterum magis SPECIALE.

III. Regnum Dei geminum est.

IV. UNIVERSALE REGNUM appello infinitam illam eminentiam, dignitatem, auctoritatem ac potestatem in omnes & omnia. Ps. CIII. 19. *Jehova in cœlis stabilivit solium suum, & regnum ipsius omnibus præsidet.* Atque hoc est Regnum illud, cui sol cum omnibus astris, cui mare cum suis fluctibus, cui venti cum omni flatuum suorum vehementia, cui anni tempestates cum suis vicissitudinibus, cui diei noctisque alternæ reciprocationes, cui omnia terræ imperia, quantumvis sibi invicem minitantia, subsunt; cui cœlestes genii obsequiose parent; cujus jussa Diabolorum ferocissimi, quamvis renitentes, exsequuntur tamen; quod superbissimi tyranni nolentes agnoscunt; quod ipsi, qui vocantur Athei, insanientis sapientiæ

IV. Universale.

tiæ

tiæ magistri, arcanis animi sui convictionibus inviti experiuntur. In hoc Regno Deus pro throno cœlum habet, terram pro scabello pedum suorum, pro satellitibus cœlestes Angelos, pro vehiculo nubes, pro equis ventos, pro hostibus improbos, pro tormentis bellicis fulgura & tonitrua, pro carcere infernum, pro executoribus vindictæ suæ atros dæmonas. De hoc Regno insignis exstat Nebucadnetzaris confessio Dan. IV. 34. 35. Et piorum omnium Ps. CXLV. 10. 11. 12. 13.

V. Speciale.

V. Sed præter hoc *Universale Regnum*, quod *Naturæ* possis dicere; aliud sibi SPECIALE formavit Deus, in populo huic fini singulariter electo. Idque iterum vel GRATIÆ est in hoc *seculo*, vel GLORIÆ in *futuro*. Regnum *Gratiæ* rursus considerari potest, vel uti olim fuit sub OECONOMIA TESTAMENTI VETERIS; vel uti nunc est sub TESTAMENTO NOVO.

VI. Sub Testamento Veteri, ubi formam habebat Regiminis Politici.

VI. Certe sub *Veteri Testamento* Deus Rex populi Israëlitici fuit; quem valida manu, ac fidem propemodum superantibus portentis, Ægypti ergastulis extractum sibi asseruit; quem solemni sibi fœdere junxit; cui, ad radices Sinai convocato, è cacumine montis, coruscantibus fulgetris, crepitantibus tonitruis, mugientibus ventis, horrida caligine, trepidante terra, sacratissimas leges suas promulgavit. Apud quem, in ipsis Arabum desertis palantem, omnia sibi ad quæsitissimam Regiæ magnificentiæ pompam parari jussit. Tabernaculum enim ad monstratum è cœlo instar constructum est; multa cedro conspicuum, multo auro splendidum, vasisque materia & arte pretiosissimis superbe ornatum, variis etiam distinctum receptaculis. Exterius atrium, populo omni, nulla immunditie polluto, ad obsequia precesque Regi offerendas patebat. In interiori aula consistebant sacerdotes, veluti purpurati Regis, & familiarioris admissionis ministri. At in intimo adyto, cui oppansum pretiosissimum aulæum erat, & quod Sanctum Sanctorum dicebatur, solium erat Divinæ gloriæ: quo pedem penetrare mortalibus omnibus sub mortis comminatione interdictum; solo excepto Pontifice, idque non nisi semel quotannis. Ibi propitiatorio operculo Arcæ cujusdam aureæ, prodiga arte factæ, & Cherubinis aureis, monstrosæ formæ animantibus, facie ad operculum conversa, & alis operculum tegentibus, symbolo singulari præsentis Majestatis suæ, insidebat Deus. Inde consultus responsa dabat: inde precibus votisque annuebat: inde velut ex abdito venerabilem se faciebat suis. *Jehova Rex est, commoveantur populi: insidet Cherubinis, contremiscat terra.* Ps. XCIX. 1. Prolixum esset cætera persequi, quomodo omnes Regis partes ex decoro absolverit; pacis ac belli negotia moderatus sit, populum in terram patribus promissam introduxerit, Rempublicam universam disposuerit, Magistratus ac Judicis mandatis suis instructos constituerit; omnia denique sic ordinaverit, ut à suo solius penderent nutu atque arbitrio. Sic ut Politia

Israëlitica

Israëlitica omni jure *Theocratia* dici meruerit. Quod debita pietate agnovit Gideon, quum hæreditarium ipsi imperium populus deferret. *Non habebo*, inquiebat, *ego dominium in vos, neque filius meus habebit dominium in vos; Jehova habiturus est dominium in vos.* Jud. VIII. 23.

VII. Attamen & Ceremoniale ac Typicum fuit.

VII. At non ea solum facie Regnum Dei in Israëlem intueri vos volo quatenus *civile* fuit, atque externa specie Politiis hujus mundi haut usquequaque dissimile. Majora sub hoc velo latent. Præfiguratum hisce omnibus Dei in Messia regnum, & status melioris ecclesiæ est. Huc tendebat omnis ille sacer apparatus, ut Israëlitæ, tum demum feliciter secum actum iri crederent, si *spirituali* Dei regno quoad animum & conscientiam subsint. Si à cæteris mortalibus juxta immutabile electionis decretum distincti, è servitute peccati atque diaboli in veram libertatem filiorum Dei asserti, gratioso fœdere ei juncti sint; si legem non tabulis sed cordibus inscriptam habeant; si ceremoniis ritibusque suis deducantur ad Messiam, illiusque officia & beneficia; si accessum habeant non ad tabernaculum templumve manu factum, vel ad typicam aliquam Dei præsentiam, sed ad eum qui pollicitus est se suis pro Sanctuario fore; si non in terra solum Jehovæ habitent, sed eam velut cœli pignus possideant, jus habentes ad hæreditatem hoc typo figuratam. Breviter Regnum Dei in Israelem non *civile* solum fuit, quatenus Rempublicam habebant in terra Canaan; sed & *ceremoniale* longe majora ac meliora significans & figurans, quatenus Ecclesiam faciebant Testamenti Veteris.

VIII. Imo vero & Spirituale.

VIII. At ne hic quidem subsistendum est. Deus in ipsos *spirituale* quoque regnum habuit, quantum temporis illius dispensatio patiebatur. Non enim est existimandum, ceremonias istas ea solum bona præfigurasse, quæ ab aliis fidelibus longo post tempore possidenda erant. Earum etiam rerum symbola ac sacramenta fuerunt quibus jam tum fruebantur quotquot pii erant in Israële. Nam & hi sane exemti regno Diaboli & præsenti seculo malo, participes eorum facti sunt privilegiorum in quibus regnum Dei consistere Apostolus monet Rom. XIV. 17. Habuerunt *justitiam*, virtute tam justificationis quam sanctificationis. Ps. XXXII. 1. 2. 3. Habuerunt *pacem*, reconciliati Deo per sanguinem Messiæ suo tempore fundendum: & pacis illius conscientiam, indeque ortam beatam animi tranquillitatem, & *gaudium per Spiritum Sanctum.* Quæ omnia uti sibi fide precatur David; Ps. LI. 9. 10. 13. 14. ita & à Deo impetravisse gloriatur. Ps. IV. 8. 9. Ex quibus conficitur, Deum *triplex Regnum* in prisco Israële habuisse, *Politicum, Ceremoniale, Spirituale.*

IX. Hebræorum Magistri Regnum

IX. Et sane postremum hoc recentiores quoque Hebræorum Magistri agnoverunt: qui ex Veterum Catechesi internum Dei timorem atque amorem vocant מלכות שמים שלמה *regnum cælorum completum.* Id enim frequenter

cœlorum quandoque exponunt de timore & amore Dei.

frequenter repetunt, in recitandis phylacteriis primo ea verba recitanda esse, *Audi Israël Jehova, Deus noster, Jehova, unus est.* Deut. VI. 4. antequam recitentur ea quæ exstant Deut. XI. 13. *Erit si serio auscultaveritis præceptis meis* &c. quia, inquiunt, *homo primo in se suscipere debet regnum cœlorum, deinde jugum præcepti.* Unde recitationem prioris illius pericopæ passim nuncupant קבלת מלכות שמים *susceptionem regni cœlorum.* Et quamvis velint sponsum prima nuptiarum suarum nocte à recitatione phylacteriorum liberum esse; narrant tamen Rabban Gamalielem ea exemtione noluisse gaudere, addita hac ratione, *quod ne ad horulam quidem seponere à se regnum cœlorum vellet.* In libro autem *Zohar* rogatur, *quid est jugum regni cœlorum?* Et respondetur, *servire Deo in timore, illo nempe timore de quo scriptum est, timor Domini est initium sapientiæ. Et hoc est Regnum cœlorum.* Vid. *Lichtf. ad M.* III. 2.

X. Maxime ad N. T. pertinet.

X. Verum enimvero ita passim sacræ literæ loquuntur, quasi *Regnum* Dei, sive quod idem est, *Regnum cœlorum*, exspectandum non esset nisi post revelationem Messiæ. Hinc & Johannes & Christus ipse dixerunt, *Regnum cœlorum prope esse.* Matth. III. 2. IV. 17. Et Pharisæi rogarunt Jesum, *quandonam venturum esset Regnum Dei.* Luc. XVII. 20. Et Josephus Arimathæensis *exspectabat Regnum Dei.* Luc. XXIII. 52. Neque incredibile est phrasiologiam hanc eo sensu desumtam esse ex Dan. VII. 13. 14. Ubi post repræsentatas quatuor præcipuas noti tunc orbis monarchias, describitur Regnum Dei in Christo, ad quod pii omnes ingenti desiderio anhelabant.

XI. Notatque statum Ecclesiæ liberum.

XI. Idcirco Regnum Dei in Evangelio vix alia significatione venit, quam ut notet *statum illum eximium & vere liberum Ecclesiæ Testamenti Novi sub Rege Messia.* Et distinguitur illud Dei regnum non solum à Regno *Universali & Naturæ*, quod sine ulla variatione semper idem est; sed & à Regno Dei *Speciali* quale obtinuit sub *Testamento Veteri.* Quippe quod tunc *Civile* erat, unius populi genio attemperatum; & *Ceremoniale*, figuris constans, & *Spirituale* quidem, sed sub *involucro elementorum mundi;* nunc autem nihil humanum habet, nullos Principes aut Seniores, qui cum imperio Ecclesiæ præsint, nihil mundanum, nullum ἅγιον κοσμικόν; sed omni modo Regnum Dei, & Regnum cœlorum est.

XII. Cur Patris hic potius quam Christi dicatur.

XII. Est quidem hoc *Christi* Regnum; attamen rationes fuere prægnantes, cur Christus id nunc *Patri* attribueret. Nam I. Christus, quando orationem hanc dictabat, apparebat in forma servi, qui non venerat ut suam gloriam quæreret, aut quærere ullo modo videretur, sed *gloriam ejus à quo missus est.* Joh. VII. 18. II. In Christo regnat Pater. Pater ipsum in Regem unxit; Pater ipsi subditos dedit, quos redimeret. Quos redemit, eos emit Patri. Ideo Patris nomen gerunt inscriptum frontibus suis. Ap. XIV.

Ap. XIV. I. 4. Atque hæc duo junguntur: *Nunc facta est salus & potentia, &* REGNUM DEI NOSTRI, ET POTESTAS CHRISTI EJUS. Apoc. XII. 10. Denique in consummatione seculorum Christus omne regnum suum Oeconomicum ac Mediatorium *Patri tradet, ut Deus sit omnia in omnibus.* I Cor. XV. 24. 28. Merito ergo Christus id regnum, quod cæteroquin & suum est, Patris hic dicere maluit.

XIII. Cæterum hic status Ecclesiæ Testamenti Novi dupliciter considerari potest; vel quoad *externam*, vel quoad *internam* formam. *Externa forma* consistit in prædicatione Evangelii, & administratione Sacramentorum, quibus adjungi potest Disciplina Ecclesiastica, quam magnus Theologus recte dixit, *Thronum Christi in Ecclesia regnantis.* Hoc sensu Christus Judæis, quibus sermo Evangelii factus, plurimisque miraculis confirmatus erat, de regno Dei sciscitantibus respondit, *Regnum Dei intus ipsos esse.* Luc. XVII. 21. Quia Deum Regem in Filio suo præsentem conspicabantur & verbum regni publice prædicari audiebant; licet neutrum intelligerent ac fide reciperent. Illi tale Regnum Dei exspectabant quo Messias Dei nomine veniens ipsos liberatos à jugo Gentilium omni opulentiæ genere auctos atque ornatos redderet. Christus negat regnum Dei venturum esse cum tali pompa atque apparatu mundano, sic ut observari possit ex regio splendore, divitiis, triumpho, qualia exspectabant Pharisæi; sed consistere in publicatione, Evangelii animata per Spiritum Sanctum: quæ quamvis ab ipsis non recte attenderentur, faciebant tamen ut regnum Dei jam in medio ipsorum esset. Confer. Matth. XII. 28. *Si autem per Spiritum Dei ejicio dæmonia, nempe pervenit ad vos regnum Dei.* Et Matth. XIII. prædicatio Evangelii cum diversis suis effectibus ac fructibus passim *regnum cœlorum* dicitur: quod variis ibi similitudinibus à Christo illustratur. Atque hoc adspectu ad regnum Dei omnes illi pertinent, qui externa professione Evangelium libertatis recipiunt, sive sincere, sive fucate. Confer Mat. VIII: 12. *Filii regni ejicientur in tenebras exteriores.* Id est, hi qui externe solum fæderati Dei sunt. Tales dicuntur *mentiri Christo*, sive fraudulenter se ei subjicere. Ps. XVIII: 45.

XIII. Forma illius externa.

XIV. *Interna forma* hujus regni in eo sita est, quod in electis fidelibus per regenerationem & sanctificationem infringatur vis peccati atque diaboli; quod cordibus ipsorum inscribatur lex Dei, quod animo pariter & corpore ad Dei obsequium promti alacresque reddantur; quod loco vehementium istarum ac vitiosarum perturbationum quibus olim exagitatus fuit animus, oriatur placida tranquillitas, pax & gaudium per Spiritum Sanctum; quod fideles, ita asserti Deo conserventur virtute ipsius in fide ac sanctimonia; quod sub vexillis Christi Imperatoris adversus satanam fortiter dimicent, non posituri arma, donec patrato bello integram nacti

XIV. Interna.

fuerint victoriam. Ubicunque hæc sunt; ibi sane regnum Dei in mentibus mortalium est.

XV. Regnum Gloriæ.

XV. Quæcunque dicta sunt hactenus pertinent ad *Regnum Gratiæ*; cujus complementum futurum est in REGNO GLORIÆ. Quo nomine intelligitur status ille beatissimus Ecclesiæ in cœlis, quando superatis omnibus hostibus, abolitis omnibus peccati reliquiis atque sequelis, in unum coactis omnibus omnium temporum, inde ab orbe condito usque ad illius consummationem, electis, tota quanta quanta est subjicietur Deo, eoque implebitur ad fruitionem perfectissimam æternæ felicitatis. Quæ Divine exsecutus est Paulus 1 Cor. xv: 24. & seq.

XVI. Adventus Regni Dei ad universam Ecclesiam.

XVI. Ex his quæ de Regno Dei hactenus disseruimus satis est evidens, non agi hic de Regno Dei Universali, neque de eo Dei Regno quod speciali ratione in prisco olim Israële habuit, sed de Regno Dei prout manifestandum erat sub Oeconomia Testamenti Novi: per cujus ADVENTUM quid intelligi debeat; id nunc inquirendum nobis restat. Et nisi fallor; adventus Regni Dei bifariam considerari potest. I. In ordine ad *Universam Ecclesiam*, II. In ordine ad *singulos electos*.

XVII. His conficitur gradibus. I. Efficaci prædicatione Evangelii inter Judæos.

XVII. In ordine ad *universam Ecclesiam* Regnum Dei venit hisce gradibus. I. Quando Doctrina Evangelii per Christum & Apostolos publice est prædicata, miraculis confirmata, morte Christi consummata, Resurrectione ipsius è mortuis & Adscensione in cœlum vindicata, Effusione Spiritus Sancti obsignata, & per eundem Spiritum ad multorum convictionem ac salutarem conversionem efficax facta. Tunc *emisit Jehova sceptrum roboris Messiæ ex Sione, ut dominetur in medio hostium suorum*, à quibus nuper erat crucifixus. Ps. cx: 2. Tunc impletum est, aut saltem cœptum est impleri, quod prædixerat Dominus, Mat. xvi: 28. *Amen dico vobis, sunt quidam ex his qui hic adstant, qui nequaquam gustabunt mortem, usque dum viderint Filium hominis venientem in regnum suum.* Ex iis quæ tunc facta sunt *certo cognoscere* potuit debuitque *universa domus Israëlis, quod Deus hunc fecerit Dominum & Christum, hunc, inquam, Jesum quem ipsi crucifixerant*; atque ita regnum Dei manifestatum esse in medio eorum. Act. ii: 36.

XVIII. II. Conversione gentium.

XVIII. II. Magis adhuc venit Regnum Dei, quando Evangelium *Gentilibus* prædicatum, & ab iis fide receptum est. Sicuti prædictum erat Jes: xlix: 6. Iterumque Ps. xcvi: 3. 7. 8. *Narrate in gentibus honorem ejus, in omnibus populis mirabilia ejus opera. Cedite Jehovæ familiæ populorum, cedite Jehovæ gloriam & laudem. Cedite Jehovæ honorem nominis ejus; adferte munus, & venite ad atria ejus.* Et profecto nonne illustrissimum indicium Regni Dei est, quod gentes, olim à communione cultuque numinis remotissimæ, conversæ sint ab idololatria

& mori-

& moribus profligatissimis ad Deum Israëlis, ut eum ex sanctissimæ legis suæ præscripto venerarentur? Nimirum hunc nobis characterem Regni Dei sacra vatum carmina aliquoties cecinere. Ps. II: 8. & LXXII.: 8. Zach. IX: 10: Atque alibi sæpius. Hoc autem Apostolos Evangelii sui præconio inter Gentes effecisse, res ipsa cum multorum stupore evicit.

XIX. III. Sed & tum Regnum Dei venit, quando vindicta sumta est de rebellibus Judæis, præfractis regni istius hostibus; qui neque ipsi intrabant, & alios intrare cupientes arcebant; quando Politia ipsorum & Carnalis cultus, una cum Hierosolyma & Templo, eversa sunt; quando plenaria libertas ab omni ceremoniarum servitute parta populo Dei est, quam de jure quidem habuerant, de facto autem non ita, donec Templum, quod ceremoniarum omnium veluti centrum erat, adhuc stabat in honore. *Ab eo tempore viderunt* Judæi *Filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli.* Mat. XXVI: 64. Tunc enim *in nubibus* dicitur venire Dominus, quando venit ad demonstrationem Divini alicujus judicii. Jes. XIX: 1. *Ecce Jehova insidens densæ nubi levi invasurus est Ægyptum.* Isthoc urbis ac templi sui excidio experti sunt Judæi, Deum gloriose regnare in Messia. Tunc impletum est illud Christi dictum Luc. XIX: 27. *Quin etiam meos illos inimicos, qui voluerunt me regnare supra se, adducite huc & jugulate coram me.* In scholis Judæorum à longo tempore perversus admodum viguit de Regno Dei conceptus. Opinabantur Messiam excisurum esse omnes gentes quotquot legi Judaicæ morem gerere detrectarent; Judæos autem liberaturum à jugo gentium, ac formaturum inter eos regnum mundanum, daturumque tempora omni deliciarum genere adfluentia. Verum longe aliter cecidit. Judæi immorigeri cum omni suo cultu justo Dei judicio rejecti sunt; gentes in eorum assumtæ locum, in eoque constitutæ statu, ut sine Mosaicorum rituum jugo Deo servirent, in libertate Regni cælorum.

XIX. III. Excidione rebellium Judæorum.

XX. IV. Novus adventus Regni Dei in illa incidit tempora, quibus Ecclesia liberata est à persecutionibus Gentilium, & publice in lucem prodiit, rerum in mundo potiri cœpit, Imperatoribus ac Principibus religioni Christianæ non faventibus solum, sed & eam amplexantibus, profitentibus, tuentibus, omnique splendore exornantibus. Quod factum est sub Constantino magno, multum adnitente matre ipsius, Imperatrice Helena. *Tunc projectus est Draco ille magnus, serpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem; projectus, inquam, est in terram, & Angeli ejus cum eo projecti sunt. Tunc audita est vox magna, dicens in cælo: Nunc facta est salus & potentia, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, quia dejectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos in conspectu Dei nostri, die ac nocte.* Ap. XII: 9. 10. Tunc

XX. IV. Liberatione Ecclesiæ à persecutionibus gentilium.

10. Tunc *Sancti* inceperunt *judicare mundum*. 1 Cor. VI: 2. id est homines Christiani, qui hactenus iniquissime ad tribunalia rapti, injustissime damnati, crudelissime plexi erant, publicis judiciis præfecti sunt, & magistratus in republica Romana gesserunt.

XXI. V. Reformatione errorum Antichristi.

XXI. V. Iterum advenit Regnum Dei, quando Ecclesia asserta est ab humanis institutis, superstitione, idololatria ac tyrannide Romanæ Babelis; quando vis secundæ illius Bestiæ plurimum imminuta, nuditas Antichristi & Antichristianismi detecta, æternum Evangelium denuo prædicatum, omnibusque ex Babele illa exire cupientibus apertæ fores sunt. Quod patrum nostrorum memoria per illustrem illam Reformationem factum est, in cujus luce etiamnum, Deo favente, ambulamus. Ad ea tempora commode referri potest Ap. XIV: 6. 7. 8. *Deinde vidi alium Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret incolis terræ, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo: Dicentem magna voce, timete Deum, & tribuite ei gloriam: nam venit hora judicii ejus; & adorate eum qui fecit cœlum & terram & mare & fontes aquarum. Et alius Angelus secutus est, dicens, cecidit Babylon.*

XXII. VI. Destructione mysticæ Babelis.

XXII. VI. Major adhuc adventus Regni Dei exspectandus est, quando Babylon prorsus concidet, & Antichristi Regnum destruetur, illudque implebitur quod Ap: XVIII. prolixe atque accurate figuratum est. Quam ruinam Babelis non immediate conjunctam fore cum die novissimi judicii, multa probant. Nam com. 4. qui ad populum Dei pertinent jubentur ex ea exire, ne participes peccatorum & plagarum ejus sint. Et com. 9. 10. futurum esse dicitur, ut fleant & plangant super ea reges terræ qui cum illa scortati fuerant, quum viderint fumum incendii ejus; & procul stent propter terrorem tormenti ejus Com. 11. narratur fletus ac luctus mercatorum terræ super ea, quoniam merces eorum nemo emit amplius. Com. 17. additur, omnes gubernatores, & omnem in navibus versantium turbam, & nautas, & quotquot ex mari quæstum faciunt, procul constituros esse, & exclamaturos ad fumum incendii ejus. Quæ quomodocunque exponantur, talia sane sunt, ut die novissimo, multo minus post eum locum habere non possint.

XXIII. Cujus ruina est augmentum Regni Christi.

XXIII. Ea autem est oppositio inter Regnum Christi & Antichristi, ut hujus ruina illius sit augmentum. Idcirco mox post Babylonis excidium audivit Johannes *vocem magnam turbæ multæ in cœlo*, quo repræsentatur Ecclesia, *dicentis, Halleluja; salus & gloria & honor & virtus Domino Deo nostro*. Ap. XIX: 1. Iterumque com. 6. *Et audivi tanquam sonitum turbæ multæ, & tanquam sonitum aquarum multarum, & tanquam sonitum tonitruorum vehementium, dicentium, Halleluja: quoniam regnum iniit Dominus, Deus ille noster omnipotens.* Ab eo tempore vidit Johannes

nes Christum Regem insidentem equo albo, cum multis in capite suo diadematibus, & hoc nomine quod in vestimento ac femore suo scriptum habebat, REX REGUM, ET DOMINUS DOMINANTIUM. Com. II. & seq.

XXIV. Deinde vidit Diabolum & Satanam vinctum ad mille annos, conjectumque in abyssum conclusam & obsignatam, ut non seduceret amplius gentes, donec consummarentur mille illi anni: quibus cum Christo vivunt ac regnant animæ eorum qui securi percussi sunt propter testimonium Jesu, iique qui non adorant bestiam neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus & manibus suis. Ap. XX: I. & seq. Quos mille annos ligati Satanæ in Ecclesiæ Historia non invenio; nunquam enim tam diu ligatus fuisse videtur Diabolus, quum gentes primo seduxerit per idololatriam gentilem, mox per consimilem illi idololatriam Antichristianam (nam in utraque potestatem suam idem Draco exercuit. Conf. Ap: XII: 5: & XIII. 4.) denique per deliria Muhammedis, quibus totum fascinavit orientem, & Indiam universam, nisi qua parte adhuc gentilis est. Neque regnum illud mille annorum de æterno Christi regno in cœlis exponere audeo; quum expresse dicatur, *consummandos esse istos mille annos*, & exinde *solvendum Satanam è carcere suo, ad gentes iterum seducendas*. Ap. XX: 7. 8. Unde consequitur tempus illud fide exspectandum, & votis nostris expetendum esse, quando eventus optimus erit erit obscuræ prophetiæ interpres.

XXV. Illam regni Antichristiani ruinam comitabitur illustris ac nationalis Israëlitarum ad Christum Dominum conversio, quæ universæ Ecclesiæ veluti *vitam ex mortuis adferet*. Rom. XI: 15. Remotissimæ gentes eorum excitatæ exemplo, ne iis quidem exceptis quæ olim populo Dei fuerunt inimicissimæ, ad renovatæ Ecclesiæ limen alacriter concurrent. *Tempore illo erit Israëlitarum gens tertia Ægyptiæ atque Assyriæ: benedictio in medio terræ. Cui benedicturus est Johova exercituum, dicendo, Benedictus populus meus Æpyptius, & opus manuum mearum Assyrius, & possessio mea Israeliticus*. Jes: XIX: 24. In quarum gentium ambitu specialem quoque TURCARUM conversionis, sub *Assyriorum* nomine atque emblemate, in Prophetiis spem fieri, non absurda quorundam conjectura est. **XXV. Et conjuncta erit cum Israëlitarum, multarumque aliarum gentium conversione.**

XXVI. Quidquid ea de re sit, tum sane æterni Evangelii & salutaris sapientiæ lux radios suos quaquaversum spargens eximio fulgore micabit, ac triumphabit de tenebris erroris atque ignorantiæ, quibus mersus olim mundus fuit. Jes: XI: 9. & XXX: 26. Nec deerit splendor sanctitatis Deo dignæ, & lætitia spiritualis ex Divinæ bonitatis suavissimo gustu sensuque. Nempe *quum advenerit Sioni vindex, & conversis à defectione in* **XXVI. Et abundantia spiritualium bonorum.**

Jacobo (quod, Paulo interprete, de futura Iſraëlitarum converſione intelligendum eſt) *tunc dicetur Hieroſolyma, ſurge, luce; quandoquidem advenit lux tua, & gloria Jehovæ ſuper te orta eſt. Nam ecce tenebræ operiunt terram, & caliga nationes, ſed ſuper te orietur Jehova, & gloria ejus ſuper te conſpicua erit: Ut accedant gentes ad lucem tuam, & reges ad ſplendorem exortum tibi.* Jeſ: LIX: 20. LX: 1. 2. 3.

XXVII. Et unitate Religionis in Feſto Tabernaculorum.

XXVII. Tunc gentes in unitate fidei ac charitatis ſibi invicem junctæ, unum Deum in Chriſto ex præſcripto verbi ipſius adorabunt ac colent. *Eritque Jehova Rex ſuper totam terram: tempore illo erit Jehova unus, & nomen ejus unum: atque ex omnibus gentibus venient, qui adſcendant de anno in annum, ut incurvent ſe Regi Jehovæ exercituum, & ut celebrent* FESTUM TABERNACULORUM. Zach. XIV: 9. 16. Sicuti feſtum tabernaculorum & lætiſſimum Iſraëlitis fuit, & ultimum in anno ſacro; ita aptiſſimum fuit ad deſignanda lætiſſima illa tempora quæ Deus ante conſummationem ſeculorum gratificaturus pupulo ſuo eſt.

XXVIII. Quæ tamen ſua iterum habebunt decrementa.

XXVIII. Cæterum illud in hoc feſto notabile fuit, quod in dies holocauſtorum numerus minueretur. Primo enim die tredecim juvenci offerendi erant; ſecundo, duodecim; tertio, undecim, & ſic porro donec in ſeptenis juvencis ſubſiſteretur. Num. XXIX: 13. & ſeq. Qua re ſignificari potuit futurum eſſe, ut in illa magna Eccleſiæ pace, & bonorum abundantia, cognitio, fides, charitas, & fervor in Divino cultu, paullatim imminuantur. Univerſus enim ſacrorum vaticiniorum tenor eo nos ducere videtur, ut credamus non ad extremum uſque duraturam eſſe illam Eccleſiæ felicitatem, ſed impietatem paullatim reſumturam vires, & ad caſtigationem Eccleſiæ nova illi bella impendere ab hoſtibus ferociſſimis, qui ſub *Gogi* & *Magogi* nomine in prophetiis celebrantur. Apoc. XX: 8.

XXIX. Donec ad judicium veniat Dominus, conſummaturus omnia.

XXIX. Iis autem ſuperatis ad judicium veniet Dominus, & Eccleſiam univerſam ſanctificabit, glorificabit, æternumque beabit in cœlis, Diabolo cum beſtia illa & Pſeudo propheta conjecto in ſtagnum ignis ac ſulphuris, ubi torquebuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum. Atque hic noviſſimus ac glorioſiſſimus eſt Regni Dei adventus, omnium votorum noſtrorum interminabilis terminus.

XXX. Adventus Regni ad ſingulos electos.

XXX. Vidimus hactenus, quis & qualis ſit adventus Regni Dei in ordine ad *univerſam Eccleſiam;* nunc videamus qualis ſit in ordine ad *ſingulos electos.* Ad eos venit regnum Dei hiſce gradibus. I. Quando Deus admirabili ſua providentia alicui procurat media gratiæ, ſine quibus vix eſt, aut ne vix quidem ut adultus aliquis è ſervitute Diaboli & peccati tranſducatur in ſtatum gratiæ. Nam, uti aliquoties nunc monuimus, Evangelium eſt *verbum Regni.* II. Quando Spiritus Dei per Evangelium

lium aliquem regenerat. Tunc enim panduntur portæ cordis, ut intret Rex gloriæ. Tunc Satan cum veteri illo homine deturbatur de solio suo, affixus cruci Christi. Tunc lex libertatis & regni publicatur in animo per Spiritum gratiæ, & inscribitur menti, omnesque facultates tam animæ quam corporis ita disponuntur ut præsto sint ad Dei obsequium. Uno verbo, tunc quis revera *eripitur ex potestate tenebrarum, & transfertur in regnum dilecti Dei Flii.* Col. 1: 13. quod eopse die fit quo *vere audivit & cognovit Dei gratiam.* com. 6. III. Quando deprehenditur notabile gratiæ augmentum, in cognitione, consolatione, sanctificatione; maxime si id fiat post torpentem, mœstum, sordidum, ac multis modis turpatum turbatumque animæ statum: IV. Quando anima, certamine suo in corpore & adversus corpus peccati defuncta, illiusque soluta nexibus, suscipitur in cœlum, ut propius fruatur Deo, tantâque gaudeat beatitudine quantam anima corpore suo viduata potest capere. Phil. 1: 27. Apoc. XIV: 13. V. Quando animâ corpori in gloriosa resuscitatione unitâ, totus homo glorificabitur, & admittetur ad perfectissimam Dei possessionem. 1 Cor. XV: 52. 53. 54. Omnia hæc ad adventum Regni Dei pertinent.

XXXI. Quo tempore Dominus Jesus discipulis suis jussit ut adventum hujus regni stata oratione exposcerent, omnia ea quæ hactenus exposuimus adhuc futura erant, & pleraque in arcanis fatorum abdita, ab oppido paucis, distincte intelligebantur. Pii ergo istorum temporum homines, quicquid sub communi conceptu adventus regni Dei comprehendi ab ipsis poterat, commendabant Deo. Cætera Deo permittentes, quæ secundum diversam temporum Oeconomiam, clarius revelanda, distinctius demonstranda, ulterius amplificanda atque consummanda erant. Nos autem quibus tam felicibus esse contigit, ut non solum regni illius primordia viderimus, sed & mirabilem ejus progressum, stupendumque augmentum; quoties eandem proferimus orationem, toties gratias Deo agere oportet pro iis quæ hactenus ad Regni sui promotionem tam magnifice præstitit, in iis cum acquiescentia animi nostri summaque lætitia exsultantes, ea laudantes ac celebrantes; & tum porro precari, ut ea omnia gloriose perficere dignetur, quæcunque ad nostram ipsorum, totiusque Ecclesiæ consummationem, & complementum omnium prophetiarum restant: ex iis quæ hactenus completa sunt, certa spe cætera complenda præsumentes. Et quandoquidem ea haut paullo distinctius nobis quam priscis illis fidelibus exposita sunt; non ingratum Deo erit, si profectum sapientiæ spiritualis etiam in orationibus nostris ostendentes, ea ipsi aliquanto explicatius & enucleatius proponamus. Non Deo quæ facienda sunt ullo modo præscribentes; quod a modestia nostra, & reverentia Divinæ Majestatis perquam debet esse alienum; sed ut palam faciamus, nos

XXXI. Qua mente olim a Veteribus, nunc à nobis, adventus regni Dei petatur.

non

non prorsus indiligenter & opera ipsius observasse, & verbum meditatum esse; neque minori fiducia exspectare futura, quam ea est contenti animi alacritas quâ laudamus præterita.

XXXII. Praxis. I. Fateamur nos natura extra regnum Dei esse.

XXXII. Nunc tandem ad eas observationes accedamus quas attenta petitionis hujus meditatio ingenerare animis nostris debet. Et primo quidem si adventus Regni Dei petendus nobis est, eo ipso fatemur naturâ nos extra Regnum Dei esse, omniumque privilegiorum ejus exsortes, *absque Christo, extraneos quod ad pactorum promissiones attinet, spem non habentes, & absque Deo in mundo.* Eph. II: 12. Nimirum per peccatum homo se imperio Dei subduxit. Dum sui ipsius, & actionum suarum Dominum se esse postulabat, infelicis arboris fructu se ipsum Satanæ vendidit, factusque est Diaboli & pravarum cupiditatum suarum vile mancipium. Injusta equidem hæc omnia sunt. Neque enim integrum erat homini subducere se Deo, legitimo possessori ac Domino. Neque Diabolus quicquam juris in eos, qui Dei erant, habebat, ut eos pelliceret, seduceret, & à Creatore suo ac Rege alienaret. Placuit tamen Deo in justam peccati pœnam hominem Diabolo ac peccato subjicere; ab utroque miserum in modum vexandum torquendumque: secundum eam æquissimam sententiam quæ exstat 2 Pet. II: 21. *A quo quis superatus est, ei etiam in servitium addictus est.* Si attendatur pravitas ac nequitia Diaboli seductoris, hi qui ab ipso seducti sunt, sunt *captura violenti* atque *tyranni*: sin justitia Dei, hominem in suo crimine punientis, & Diabolo ad torturam tradentis, hactenus iidem sunt *captura justi.* Jes. XLIX: 24. 25.

XXXIII. In conditione miserrima.

XXXIII. O miseram vero, nullisque satis lacrymis deplorandam eorum conditionem, qui tam iniquo & crudeli subsunt Domino, nec Domino sed carnifici, sævissimæque vindictæ Divinæ exsecutori. Qui in miserrimo vilissimæ ac laboriosissimæ servitutis ergastulo occupatos semper suos tenet; qui æternis tenebrarum catenis constrictos rigidissimus exactor ad continua impellit crimina; qui nullam unquam indulget requiem, nisi ut inanium somniorum mendacibus suaviludiis pastos eo certius & arctius laqueis suis retineat; & securius interim ad tartarum vehat; qui denique pro omni operæ, etiam diligentissime sibi navatæ, pretio, igne torquebit nunquam extinguendo, & verme rodet nunquam morituro. Talis est status, non eorum solum quos scelera sua infames atque intestabiles reddidere, sed omnium nostrum, quamdiu in ea versamur calamitate, in quam nos nostræ ex Adamo originis conditio induxit. Duo duntaxat magna in mundo imperia sunt: alterum Dei, alterum Diaboli, qui est Deus hujus seculi. Et quicunque non pertinent ad Regnum Dei in quo nihil est nisi felicitas; hunc pertinere necesse est ad Regnum Diaboli, in quo nihil est nisi merissima miseria. Utinam illud ita incul-

cari

cari cœcis, surdis, amentibus, & insensatis mortalibus posset, qui in sua sibi servitute stulte blandientes catenas suas depereunt; *ut ad resipiscentiam & agnitionem veritatis redeant, & sanitate mentis recepta evadant ex Diaboli laqueo, à quo captivi facti sunt ad ipsius libitum.* 2 Tim. II: 25. 26.

XXXIV. Porro si à Deo petendum sit, ut Regnum ejus ad nos alios que veniat, simul fatemur nos ex nobis ipsis invalidos esse, ad exuendas crudelissimæ servitutis catenas, & enitendum ad libertatem Regni Dei. Adeo Deus hujus seculi constrictos tyrannicis funibus suis miseros mortales tenet! Excœcavit oculos ipsorum, ne veram libertatem, ac viam eo tendentem cernant. 2 Cor. IV: 4. Arcta obsidione premit voluntatem atque affectus, ut ne quidem animum inducant, ullasve serias cogitationes forment de abjiciendo fœdissimæ servitutis jugo. Omnem iis sapientiam expectorat, ut compedes suas, veluti libertatis indicia, ac voluptatis instrumenta, fatui exosculentur. Ita denique validus iste domum suam ac vasa custodit, ut diripi non possint, nisi a validiore, qui primo vinxerit potentem illum ac tum domum ejus diripiat. Luc. XI: 21. 22. Is autem validior est *Rex gloriæ, Jehova robustissimus, & potentissimus, Jehova potentissimus Bellator*, Ps. XXIV: 8. Quid itaque superest, nisi ut edita humili nostræ impotentiæ confessione arcem salutis ipsius apprehendamus, Regumque omnium maximum accuratis precibus rogemus, velit quod solus potest, velit, inquam, nos Satanæ ac peccati nexibus solutos Regno suo adserere? Hic solus est qui, contra quam fieri posse videatur, spem aliquam evasionis facere suis queat. *At an auferetur à robusto captura? an etiam captiva turba justi eriperetur? Quin, sic ait Jehova, & turba captiva robusti auferetur, & captura violenti eripietur: nam adversus contendentes tecum ego contendam, & filios tuos ego servabo.* Jes. XLIX: 24. 25.

XXXIV. Invalidos ad exuendas servitutis catenas.

XXXV. Mira sunt quæ dicere nunc incepi, ac porro dicturus sum: attamen vera. Fundatur hoc regnum Dei in impossibilibus. Magisque contrarium est suis initiis, quam primum Regnum Naturæ. Illius enim initia sunt, non esse: hujus, esse non posse. Potest id existere atque oriri, Deo vocante, quod non est: sed ad vitam pervenire, quod injustum damnatumque est, & æternæ morti implicatum; cum natura & virtutibus Dei pugnat. Neque enim vita absque justitia est. At ubi injustitia, ibi justitia non est; imo ibi damnatio & mors est. Quem vero Deus juste ad mortem damnat, eum non potest juste vivificare. Quare nec in eo regnare potest. Exstat Lex, quæ quum peccatorem damnet, non potest damnare accusans peccatum. Exstat caro, sive natura spiritu rectore orbata, quæ non ptest subjici legi. Exstat sensus & factio carnis, quæ est inimicitia adversus Deum. Nam odit necessario eum quem sib cognoscit contrarium,

XXXV. Adeo quidem ut regnum Dei fundari videatur in impossibilibus.

quemque ut amabilem peccatori cognoscere non potest, aut, ubi peccatori animadvertit lenem ac clementem, etiam reputat similem. Ita, ut Regnum Dei novum exoriretur, impossibilia necesse erat fieri; nempe ut Lex, quæ peccatum accusans damnare non potuerat, id damnaret; ut Caro sentiret quæ sunt Dei, injustus justus pronunciaretur à justo, qui mentiri seque ipse abnegare & peccatori similis esse non potest. Nemo regnum Dei habet, nemo id cognoscit aut videt, qui id non ab impossibilibus proficisci persuasus sit. Neque ullus hanc impossibilitatem salutis videt, nisi qui regnum Dei videt, idque in se exoriri persentiscit. Simul cognoscuntur, &, quod impossibile est omni creaturæ, &, quod solus Deus potest, & solus facit. *Coccej. in Panegyr. de Regno Dei.*

XXXVI. Quæ tamen possibilia credimus esse Deo.

XXXVI. Quando itaque adventum Regni Dei à Deo petimus; profitemur I. Nostram impotentiam ad illius regni adsecutionem. II. Omnimodam hujus rei impossibilitatem, si creaturæ solum spectentur, ut homo peccator regni Dei particeps evadat. III. Spem nostram in omnisufficientiam Dei, qui quod impossibile nobis, & omnibus prorsus creaturis est, solus effectum dare & potest & vult. Quarum veritatum devota meditatio ad pietatis Christianæ praxin magnam habet efficaciam.

XXXVII. II. Felicitatem nostram in adventu Regni Dei quæramus.

XXXVII. Præter hæc, ex petitione ipsa, & ordine quo ea collocata est, colligere licet, post Divini nominis sanctificationem nihil nobis esse optabilius quam adventum regni Dei. In hoc enim regno omnis nostra sita est felicitas.

XXXVIII. Quippe quod est regnum. A. Meræ æquitatis.

XXXVIII. Quippe quod Regnum est A. *Meræ æquitatis.* Rex ille noster est ipsissima Sanctitas, Justitia, Bonitas. De eo dictum est, *Et stabilietur benignitate solium, cui insideat, constanter in tentorio Davidis; judex & procurans jus, & promtus ad justitiam.* Jes. XVI: 5. *Justitia & judicium sunt firmitas solii ipsius, benignitas & fides faciei ejus præeunt.* Ps. LXXXIX: 15. *Sceptrum ipsius est sceptrum rectitudinis.* Ps. XLV: 7. Lex Regni est *Lex libertatis* Jac. I: 25. Hæc enim vera libertas est, facere quod velis. Ita tamen ut intelligatur neminem posse velle, nisi quod animo solidam jucunditatem adfert; id autem vere jucundum esse, quod conscientiam bonam gignit; porro nihil esse quod conscientiam bonam gignat, nisi ea fiducia ac bene fundata persuasio quod facta nostra cum Dei voluntate conveniant. Unde consequitur, unumquemque eo liberiorem esse quo addictius servit Deo.

XXXIX. B. Incredibilis opulentiæ.

XXXIX. B. *Incredibilis opulentiæ.* Quacum uno die vix narrare fas est quidquid de Salomonici Regni divitiis magnifice sacra prædicat historia. 1 Reg. X: 27. Digna consideratione nostra est Regiæ civitatis delineatio quam Johannes reliquit Ap. XXI... Ubi plateas, muros, portas, omnia, auro, crystallo, gemmis ac margaritis fulgere videas. Non quod

ea

ea proprie ad opes hujus regni pertineant, multo minus ut eas absolvant. Nam quantivis pretii alibi esse videantur, hic nimis exilia, tenuia, vilia sunt, quam ut in censum veniant. Sed quia nobis mortalibus pretium rerum spiritualium atque cœlestium vix aliter indicari potest, quam earum rerum comparatione, quas, non dico quam sapienter, præ aliis omnibus tamen æstimare solemus. Opes hujus regni sunt verbum Dei in sanctiori animi ærario repositum. Ps. CXIX: 72. Et sapientia spiritualis inde hausta. Job. XXVIII: 15. Prov. III: 14. 15. Et gratiæ Divinæ ubertas, cujus vel minima guttula totius universi auro contra non chara est.

XL. Elegantibus symbolis hæc exponuntur Jerem. XXXI: 12. 14. *Venientes cantabunt in excelso Sionis, & confluent ad bonitatem Jehovæ, ad frumentum, & mustum, & oleum, ad fœtus gregis & armenti, eritque anima eorum similis horto irriguo, neque pergent mœrere amplius. Et irrigabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonitate mea saturabuntur, dictum Jehovæ.* In *Sione*, uti omnes novimus, ædificatum templum erat. Templum ipsum cæteris partibus Sionis *celsius*. In Templo Sanctuarium celsius Atriis. At Sanctum Sanctorum omnium celsissimum. Israëlitis communibus nefas erat ulterius quam in Atrio se ingerere. Solis Sacerdotibus licebat in Sanctuarium, atque Uni Pontifici in Sanctum Sanctorum pedem penetrare. Sacerdotum etiam erant, quæ in Sionem conferebantur neque cedebant altari; eaque, quum Domino sacrata essent, *Domini bona* nuncupantur. At hic prædicitur, in spirituali isthoc Dei regno omnes veros Israëlitas, hoc est sinceros subditos, Sacerdotum gavisuros esse præeminentiis, quibus non *Sionem* solum, sed & *Excelsum Sionis* conscendere liceat, nulla celsitudine excepta, ibique ubertim iis bonis frui quæ ex inexhausta, benignitate sua intimæ familiaritatis amicis largitur Deus; ne *pinguedine* quidem demta, quam olim aræ suæ reservaverat, ibi cremandam. Quis non ad hæc exclamet: *O quam multa est bonitas tua, quam recondis reverentibus te? operaris erga eos, qui se recipiunt ad te, coram filiis hominum?* Ps. XXXI: 20. *Uberrime explentur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis.* Ps. XXXVI: 9. Ridicula quidem hæc videri possent hominibus hujus seculi, non æstimantibus res nisi ex iis quæ in oculos incurrunt, & sensus adficiunt. Verum nos melius, edocti, *non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur: nam quæ cernuntur temporaria sunt, at quæ non cernuntur, æterna.* 2 Cor: IV: 18. Non diffitemur, regnum Dei esse pauperum; sed hos *pauperes elegit Deus ut divites sint in fide & hæredes regni quod promisit iis qui ipsum diligunt.* Jac. II: 5. Atque istas spiritualis regni divitias, quas & pauperrimi participant, omnibus Crœsi Crassique bonis, omnibus Persarum gazis, immensum quantum anteferimus. Rideat mundus, sed & videat, & intabescat.

XL. Jerem. XXXI: 12. 14. exponitur.

 XLI.

XLI. C. Securæ tranquillitatis.

XLI. C. *Securæ tranquillitatis.* Enimvero non desunt huic regno hostes; quum Satanas dux militiæ infernalis, & mundus universus qui in malo jacet, & Antichristus cum suis satellitibus, stipendiariis, ac turmis auxiliaribus, continuo illud impetant atque lacessant. Ceterum Rex ipse perpetuas agit excubias, neque quenquam suorum perire sinit. Si quando in prælium eos educat, pro pietate & fide quæ semel sanctis tradita est, id eo facit animo ut postquam victores evasere, de triumpho participent, coronam gloriæ reportent, secumque in suo consideant solio. Etiam quum victi videntur, vincunt tamen: si non aliter, certe *per sanguinem agni; & sermonem testimonii sui; & quod animæ suæ prodigi sint usque ad mortem* Ap. XII: 11. Sed non semper belli tempora durabunt. Est, eritque aliquando huic vaticinio locus Jes: LX: 18. *Non audietur amplius violentia in terra tua, vastatio aut contritio in terminis tuis: sed nominabis muros tuos salutem, & portas tuas laudem.*

XLII. D. Incomparabilis Dignitatis.

XLII. D. *Incomparabilis dignitatis.* Quod enim in nullo unquam observatum est regno, hic subditi omnes non modo liberi sunt, sed ad sacerdotum, imo principum Regumque dignitatem vocati. *Regale sacerdotium.* 1 Pet. II. 9. Jesus Christus, *Princeps regum terræ, fecit nos Reges & sacerdotes, Deo & Patri suo.* Ap. I. 5. 6. Reges, inquam, qui præditi רוח נדיבה *spiritu ingenuitatis,* Ps. LI. 14. רוח יתירא *spiritu excellenti,* Dan. V. 12. VI. 4. & Sanctæ cujusdam φιλοτιμίας generosis stimulis agitati, heroico ausu præstare cæteris hominibus nituntur Prov. XII. 25. tantumque iis præcellere opibus mysticæ sapientiæ, decore spiritualis gratiæ, eminentia virtutum Christianarum, quantum reges antecellunt suos subjectos. Qui peccatis & concupiscentiis suis imperant, quibus cæteroqui rerum domini timendique tyranni abjecte serviunt. Qui totum cum inveteratis consuetudinibus ac pravis moribus suis mundum, magno animo spernunt rejiciunt, conculcant, non ferentes se sub ullius rei redigi potestatem. 1 Cor. VI. 12. Qui denique ipsius Satanæ victores, & *plusquam victores,* Rom. VIII. 37. exspectant præmium à Christo promissum Ap. III. 21. *Qui vicerit, tribuam ei ut sedeat mecum in throno meo, ut & ego vici, & sedeo cum Patre in throno ejus.* Quandoquidem ergo tantæ hujus regni præ aliis omnibus prærogativæ sunt, tantaque eorum quæ huic regno subsunt felicitas, nihil nobis post Dei gloriam debet esse antiquius, quam ut felicitate ista frui à Deo rege nobis concedatur.

XLIII. III. Omnia pro Rege & Regno illo faciamus.

XLIII. Id si serio desideremus, aliquid & nobis ipsis est *agendum.* Ejurandum omne Diaboli, mundi & peccati Obsequium. Obnitendum etiam dulcissimis cupiditatibus, quibus olim fuimus mancipati. Aperiendæ portæ cordis nostri, ut intret Rex gloriæ. Excipienda jussa ipsius omni animi alacritate. Removenda omnia quæ Regi sanctissimo displicent. Conferen-

Conferendum omne studium ad regni illius in nobis, & aliis, iis potissimum qui curæ nostræ commissi sunt, promotionem. Si quid nobis ingenii, eloquentiæ, auctoritatis est, id omne Regi nostro sacrum sit. In sua singuli statione fidos nos promptosque præstemus ministros, qui, ubicunque Regis & Regni gloria agitur, vitam ipsam prodigere parati simus: eos demum beatissime vivere persuasi, qui, ubi omnia quæ possunt pro regno Dei amplificando fecere, tandem pro eo gloriosam mortem oppetunt.

EXERCITATIO X.

DE FACIENDA VOLUNTATE DEI.

ΓΕΝΗΘΗΤΩ ΤΟ ΘΕΛΗΜΑ ΣΟΥ, ΩΣ ΕΝ ΟΥΡΑΝΩ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΗΣ ΓΗΣ.

BREVIARIUM.

I. *Nexus tertiæ petitionis cum antecedentibus.* II. *Illius summa & partitio.* III. *Voluntas Dei est vel decernens vel jubens.* IV. *Qua mente precemur ut decernens Dei voluntas fiat.* V. *Itemque jubens.* VI. *In cœlo astrifero quidquid est jussa Dei constanter exsequitur.* VII. *Satius tamen est ut de Angelis & spiritibus cœlestibus hic cogitemus.* VIII. *Quorum submissio sub voluntate Dei esse qui in terra degunt pro exemplo est.* IX. *Quid petita iiscum conformitas importet.* X. *Liceatne in terra eundem perfectionis gradum exposcere, qui in cœlis obtinet.* XI. *Praxis.* I. *Discamus nostræ renunciare voluntati.* XII. *Quippe hac sola via ad tranquillitatem pervenitur.* XIII. *Quod & à Philosophis Gentilium observatum est.* XIV. II. *Unice acquiescamus in voluntate Dei decernente.* XV. III. *Obtemperemus voluntati jubenti.* XVI. IV. *Proponamus nobis perfectissimum exemplar cœlitum.* XVII. V. *Nostræ nobis impotentiæ conscii Divinum ad hæc omnia imploremus auxilium.*

Postquam ea quæ Regnum Dei illiusque adventum spectant, nostra absolvit oratio; ordinis concinnitas poscit, ut de facienda Magni Regis istius voluntate animi nostri desideria exponamus. Si enim quidquam, hoc certe ad Majestatem Regis nostri pertinet, ut penes eum rerum omnium dominium esse agnoscamus; adeo quidem ut nefas sit

I. Nexus tertiæ petitionis cum antecedentibus.

sit subjectos ipsius quacunque in re aliud velle quam velit ipse. Regis est dicere, *Consilium meum stabit, & omne beneplacitum meum faciam.* Jes. XLVI. 10. Subjectorum est, illi voluntati se conformare in omnibus; & cum grandævo illo Sacerdote respondere, *ipse est Jehova, quod bonum est in oculis suis faciat.* I Sam. III. 18. Porro quum Rex ille noster solium suum in cœlis stabiliverit, nihil æquius est quam ut subjecti quos in terra habet ad eos respiciant qui in cœlis sunt, eorum exemplum, quantum assequi possunt, æmulantes. Eo nos vocant Domini verba; quando jubet Divinæ voluntatis præstationem in terra petere, uti ea præstatur in cœlis.

II. Illius summa, & partitio.

II. In qua petitione est declaratio acquiescentiæ nostræ in voluntate Dei, & desiderii nostri ut ea omnibus modis impleatur. Duo autem hic distincte consideranda sunt. I. *petitionis propositio.* II. Ejusdem *amplificatio.*

III. Voluntas Dei est vel Decernens vel Jubens.

III. *Propositionem* hæc verba complectuntur; FIAT VOLUNTAS TUA. Id quidem maximo hic jure supponimus, Deum supremum rerum omnium *Dominum* esse, cui liceat de omnibus pro suo lubitu disponere. Quippe in *cujus manu est anima omnis viventis, & spiritus omnis carnis humanæ.* Job. XII. 10. *qui pro voluntate sua facit in exercitu cœli, & habitatoribus terræ? neque est qui prohibeat manum ejus aut dicat, cur facis ita?* Dan. IV. 35. Sed & illud supponimus, Deum esse *Legislatorem* supremum, qui creaturis rationalibus officii sui normam summa cum auctoritate præscribit. Jac. IV. 12. Jes. XXXIII. 22. *Jehova Legislator noster, Jehova Rex noster.* Ex hac observatione consequitur, Divinam *voluntatem* sub duplici nobis ratione obversari: primo quatenus DECRETUM aut *consilium Dei* notat, quo apud animum suum ab æterno constituit, quid futurum esset in tempore ad suam gloriam. De qua voluntate agitur Ps. cxv. 3. Eph. I. 5. Deinde quatenus MANDATUM Dei significat, quo creaturas rationales obligat ad obsequium. Qua voluntate indicatur quidem quid fieri oporteat; sed non determinatur quid reipsa futurum sit. De ea Paulus scribit I Thes. IV. 3. *Hæc est voluntas Dei, Sanctificatio vestri.* Altera voluntas est caussa eorum omnium quæ geruntur; altera, norma eorum quæ gerenda sunt. Utraque competit Deo ut Regi & Domino Absolutissimo: neque aliam sui rationem habet, nisi quæ in immensa potestate Dei, cæterisque illius perfectionibus ac virtutibus fundata est.

IV. Qua mente precemur ut Decernens Dei voluntas fiat.

IV. Circa utramque petimus ut FIAT. At diversimode. Circa voluntatem *Decreti* id petentes, declaramus I. Acquiescentiam & complacentiam nostram in omnibus iis quæ Deus constituit. Luc. I. 38. *Dixit Maria, ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Eodem sensu hoc loquendi genus usurpatur Matth. XXVI. 42. Luc. XXII. 42. Non male Tertul-

Tertullianus: *In hoc dicto ad sufferentiam nos ipsos admonemus.* II. Promtitudinem, ut precibus nostris Divino consilio inserviamus. Dan. IX. 2. 3. Ezech. XXXVI. 36. 37. III. Alacritatem animi, qua nos ipsos Deo offerimus, si forte ad beneplaciti sui exsecutionem nostro uti libeat ministerio. Jes. VI. 8. IV. Sin contingat carnem aliqua in re obstrepere, rogamus ut ad Dei obsequium victrice gratia ejus edometur, ut nihil aliud, vel in nobis, vel in aliis fieri velimus, nisi quod vult Deus. Cujus rei præclarum habemus exemplum in piis illis Cæsarensibus aliisque Pauli amicis, qui quum audivissent vincula ipsi instare apud Hierosolymam, omni opere ab isthac eum profectione dehortabantur, rogantes quam poterant accuratissime ne adscenderet Hierosolymam: attamen quum non adsentiretur Paulus, protestatus se paratum esse non solum vinciri, sed & mori Hierosolymis pro nomine Jesu, *acquieverunt, dicentes, Fiat voluntas Domini.* Act. XXI. 12. 13. 14.

V. Itemque Jubens.

V. At quando mente ad voluntatem Divini *mandati* intenta eam fieri rogamus, tunc I. Testamur nos eam pro sapienti, justa, æqua, sancta agnoscere, eaque delectari quoad interiorem hominem Rom. VII. 22. ut pro nostro quoque modulo dicamus, *Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector; & lex tua est in visceribus meis.* Ps. XL. 9. II. Fatemur deesse nobis vires quibus superemus carnis obstacula ac vim omnem hostilem, quæ tam in nobis quam extra nos Divinæ se voluntati opponit. Cujus præstatio ardua nimis est, quam ut nos ipsos, sicut ex nobis ipsis, pares ei esse præsumamus. Idcirco III. Cum omni propriæ abnegatione sufficientiæ humiliter Patris nostri cœlestis imploramus auxilium, sine quo nihil; quo adjuti valemus omnia. Joh. XVI. 5. Phil. II. 13. IV. 13.

VI. In coelo astrifero quidquid est jussa Dei constanter exsequitur.

VI. Atque hæc quidem ad *simplicem petitionis propositionem* pertinent. *Amplificatio* sequentibus verbis est, SICUT IN COELO, ITA ETIAM IN TERRA. Cœlum vel *astrorum* est, vel *beatorum spirituum.* Utriusque posset hic haberi ratio. Nam in astrifera ista regione quicquid est præscriptas sibi à Deo leges indeclinabili constantia exsequitur. *Observat luna stata tempora sua, agnoscit sol occasum suum.* Ps. CIV. 19. Agnoscit & ortum suum, & quo jubetur momento *prodit tanquam sponsus è thalamo suo, ac lætatur tanquam robustus decursurus viam.* Ps. XIX. 6. Atque ista sua exacta constantique tot jam seculis obedientia *laudant Deum sol & luna & omnes stellæ lucidæ. Ignis & grando, nix & exhalatio; ventus turbineus efficiens verbum ejus.* Ps. CXLVI. 3. 8. Et Lucanus sapientis animum ita se habere ait,

Sicut cœlestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera motu.

VII. At potius est ut de summo cœlo cogitemus: ubi beati Angeli & spiritus

VII. Satius tamen est ut de Angelis & spiritibus cœlestibus hic cogitemus.

spiritus justorum consummatorum felix sanctumque ævum transigunt. Ps. CIII: 20. 21. *Benedicite Jehovæ Angeli ejus, valentissimi robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus, Benedicite Jehovæ omnes exercitus ejus, ministri ejus facientes placitum ejus.* Hi faciunt voluntatem Dei. I. *Omnes & in omnibus.* II. Eo quo decet modo, *sapienter, prompte, constanter.* Quæ eleganter repræsentata sunt emblemate Cherubinorum Ezech. I: & Ap. IV. *Promtitudinem* docent quatuor alæ, & quod excurrebant & revertebantur in speciem fulguris vehementissimi. *Sapientiam*, quod & manus sub alis habebant, & intus atque extus pleni erant oculis. *Constantiam*, quod & pedes rectos habebant, qui firmum faciunt gressum, ibantque quocunque ducebat spiritus, non divertentes eundo. III. *Perfecte*, sine ulla vitii mixtura. Quidquid enim in cœlo est, aut nullum habuit vitium, aut jam deposuit. Consummata ibi omnia.

VIII. Quorum submissio sub voluntate Dei iis qui in terra degunt pro exemplo est.

VIII. Quando autem eo modo voluntatem Dei *in terra* fieri petimus, *quomodo* ea *in cœlis* fit, similitudo ponenda est. I. *In re ipsa.* Ut quemadmodum quidquid in cœlo est, totum se ad voluntatem Dei componit, ita etiam in terra omnes qui ad eundem nobiscum finem destinati sunt, Dei se voluntati nobiscum subjiciant. II. *In modo.* Simili promtitudine, sapientia, constantia, III. *In gradu.* Quantum quidem illius fieri potest, perfectissime. Proponimus ergo nobis pro exemplo beatos cœlites, sive familiam Dei, ut Talmudistæ loqui amant, supernam; qui sine ullo murmure decernenti voluntati Divinæ subjiciunt, Deum in omnibus judiciis suis glorificantes. Apoc. XVI: 5. 7. jubentem vero voluntatatem per omnia alacriter exsequuntur, etiam in iis quæ factu mira nobis viderentur. Ezech. IX: 7. Idque exemplar repetita sæpius meditatione identidem nobis est ponendum ob oculos, quam diu in terra versamur, ut neque de diuturna obligatione conqueramur, neque præsenti imperfectione nos excusemus.

IX. Quid petitæ iiscum conformitas importet.

IX. Tria ergo his verbis rogamus. I. Ut aliquando universalis omnium gentium obedientia & subjectio sub Divina voluntate in terris sit, quemadmodum ea est in cœlis. Pii enim homines sibi ipsis displicentes, ac imperfectionum sibi suarum conscii, optarent omnes, si pote, quotquot sunt mortales in exsequendis Divinis mandatis opem sibi ferre; uti in cœlis omnes ad id conspirant. II. Ut nobis quoque contingat filialis complacentia, acquiescentia, lætitia in volutate Dei, sanctissima, sapientissima, optima: sine ulla legali constrictione, quæ in cœlis non obtinet; ubi amor pro omni lege est. III. Testanur ægre nobis esse quod quidquam in nobis inveniatur, voluntati Divinæ minus consentaneum: nosque ad perfectionem anhelare, nec cessaturos in hac oratione donec acquisiverimus in cœlo quod desideravimus in terra.

X. Atque

X. Liceatne in terra eundem perfectionis gradum exposcere qui in cœlis obtinet.

X. Atque hæc observatio aditum nobis facit ad solutionem non contemnendæ difficultatis, liceatne in terra prece exposcere eundem perfectionis gradum qui in cœlis obtinet? Ad quam quæstionem hoc fere modo respondendum mihi esse videtur. Distincte hic consideranda veniunt, *Oeconomia Divinæ voluntatis decernentis*, & *Præceptum Divinæ voluntatis jubentis.* Secundum *illam* non vult Deus nobis in terra morantibus dare perfectionem cœlitum. Et dum petimus ut voluntas ejus per omnia fiat, simul protestamur nos in ea quoque dispensatione Dei acquiescere, ut sapienti, justa, bona, nobisque tandem evasura, in bonum. Secundum *hoc* tenemur, I. Perfectionem cœlestem amare ac desiderare. II. Omni conamine eo niti. III. Desiderium illud ac conamen Deo precibus nostris exponere, rogantes ut in terra quam proxime nos ad perfectionem promoveat, donec eam omnibus numeris suis absolutam nanciscamur in cœlis. Phil. III. 12. 13. 14.

XI. Praxis I. Discamus nostræ renunciare voluntati.

XI. Multa nobis virtutis officia hac parte Dominicæ orationis inculcantur. Et primo quidem discimus *nostræ* nobis ante omnia *renunciandum esse voluntati.* Dum enim Divinam fieri petimus, simul ostendimus æquum esse ut nostra ei submittatur. Et sane Divina voluntas, quum suprema sit, omnia præter se in se absorberi merito postulat. Nostra autem *inimicitia contra Deum est.* Rom. VIII. 7. Decernenti obmurmurans, contra præcipientem concupiscens. Nihil nobis ea carnis nostræ voluntate intimius. Sed & nihil nocentius. Ea in nobis omnis tædii ac perturbationis fons, domesticus hostis, continuus quietis atque εὐθυμίας nostræ turbo. Nihil actum, donec monstrum illud debellaverimus. Idolum illud, quod omnes ubique terrarum mortales religiosissime adorant, deturbandum suo altari est. Atque ita componendus est animus, ut dicere Deo possit, non habeo ego voluntatem Domine; tua mea est.

XII. Quippe hæc sola via ad tranquillitatem pervenitur.

XII. Unica hæc est ad veram tranquillitatem via. Quum enim fieri non possit, ut quæcunque eveniunt ita eveniant sicut nos volumus, necesse est animum cum sorte sua rixari donec in concordiam cum Divina providentia venerit. Quumque iniquissimum, neque impetrabile postulatum sit, ut supremus rerum arbiter cedat homuncioni, & Deus suam voluntatem humanæ accommodet; nihil ad pacem acquirendam & conservandam superest, nisi ut homo sine murmure vota sua omnia submittat Deo, aut potius nulla formet præter hoc unum, ut Divina fiat voluntas. Adeo quidem, ut si facultatem homini concederet Deus quidquid lubet expetendi, nihil se petere sincere protestetur, nisi ut id faciat Deus quod factu ipse novit optumum; Deo omnium votorum suorum optionem reddens atque resignans. Id ubi à nobis impetraverimus, tunc demum nostra semper potiemur voluntate, & brevi perveniemus ad eam εὐθυμίαν, quæ

consummatum sortis humanæ bonum est, omniumque fortuitarum rerum possessioni immensum quantum anteferenda.

XIII. Quod & à philosophis Gentilium observatum est.

XIII. Turpe profecto foret, si pudorem hic nobis Christianis gentilium incuterent Philosophi; quorum pulchras aliquas in hanc mentem sententias alibi dedimus. *In Symbol. Exerc.* XIII. §. XXI. Quibus nunc adde *Timaridæ* illud apud *Jamblichum, in vita Pithagoræ.* Timærides ille amico, qui discedenti tanquam fausta omnia precatus dixerat; *ὅσα βούλει παρὰ τῶν Θεῶν γένοιτό σοι: Dii tibi dent quæcunque voles*, regessit, *εὐφήμει, ἀλλὰ βουλοίμην μᾶλλον ὅσα μοι παρὰ τῶν Θεῶν γίνεται. Absit, sed ea malim omnia quæ Dii dant.* Quam sapienter & sancte, si pro Diis Deum dixisset! Nec abludit *Epicteti* illud apud *Stobæum Tom.* I. *Lib* II. *Tit.* VII. *μὴ ζήτει τὸ γιγνόμενα γίγνεσθαι ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε ὡς τὰ γιγνόμενα γίγνεται, καὶ εὐροήσεις. Ne quærito ut ea quæ fiunt fiant sicuti tu vis; sed tu potius velis ita quæque fieri ut fiunt, & succedet tibi semper.* Copiosius in hanc rem *Epictetus* est Apud *Arrianum Lib.* II. *Dissert.* XVII. Ubi eos primum increpat qui prava appetitionum suarum directione se ipsos reddunt miseros. *Διατί θέλοντος σου τὶ οὐ γίνεται, καὶ μὴ θέλοντος, γίνεται; ἀπόδειξις γὰρ αὕτη μεγίστη δυσροίας καὶ κακοδαιμονίας. θέλω τι, καὶ οὐ γίνεται, καὶ τί ἐστιν ἀθλιώτερον ἐμοῦ; Cur te volenti aliquid, non fit? Cur nolente, fit aliquid? Hæc enim demonstratio maxima est calamitatis & infelicitatis; Volo aliquid, & non fit; & non volente, fit. Quo quid infelicius?* Dein ostendit erroris istius fontem; quod nimirum non satis attendant homines, consecutionem eorum quæ volumus non esse petendam extrinsecus, neque res esse transferendas & mutandas ut consentiant nostræ voluntati, sed voluntatem nostram ita comparandam esse ut consentiat rebus. Denique optimum suggerit consilium, & auro contra non carum. ΚΑΙ ΑΠΑΩΣ ΜΗΔΕΝ ΑΛΛΟ ΘΕΛΕ ΗΑ Ο ΘΕΟΣ ΘΕΛΕΙ. καὶ τίς σε κωλύσει; τίς ἀναγκάσει; οὐ μᾶλλον ἢ τὸν Δία. Ὅταν τοιοῦτον ἔχῃς ἡγεμόνα, καὶ τούτῳ συνθέλῃς καὶ συνορέγῃ τί φοβῇ ἔτι μὴ ἀποτύχῃς; DENIQUE NIHIL VELIS, NISI EA QUÆ DEUS VULT. *Quis te prohibebit, quis coget? nemo, non magis quam Jovem. Si talem habens ducem, conjunctamque cum eo voluntatem & appetitionem, quid etiamnum times ne frustreris?* Pergit: *Si tuam appetitionem & aversationem paupertati & opulentiæ donaris, frustraberis, & incides in ea quæ nolles: si sanitati, calamitosus eris: si magistratibus, honoribus, patriæ, amicis, liberis, denique cuivis earum rerum quæ in nostra potestate non sunt.* SED JOVI (nos dicamus JEHOVÆ) DONATO EAS ILLI TRADITO. *Ille gubernet, cum illo stanto in acie. Ubi tunc successu carebis?* Hæc qui nondum eruditi sunt, sic ut ipso facto præstare annitantur, eos negotium ne quidem attigisse pronunciat.

XIV.

XIV. At misso Epicteto ad Jesu scholam redeamus; ubi & illud hac petitione docemur; æquum esse ut, post nostræ abnegationem voluntatis, unice acquiescamus in voluntate Dei decernente: non in prosperis modo, sed & in adversis. Cujus rei præclara aliquot in sacris literis exempla exstant. Expende sodes exemplum Aaronis. Lev. x. 3. Eli Pontificis. 1 Sam. III. 18. Davidis. 2 Sam. XIV. 27. 29. 30. Ezechiæ. Jes. XXXIX. 8. Et certe sic omnes decet. Nam & frustra voluntati ejus obnitaris, & improbe. Frustra; quia volentem ducit, nolentem trahit. Improbe; quia æquius est omnia nostra pessum ire, quam ut sacratissimæ illius voluntati minimum decedat. Confer quæ prolixius commentati sumus laudata modo Exercitatione in Symbolum. *Tmemate* XV.

XIV. II. Unice acquiescamus in voluntate Dei decernente.

XV. Sed & tertio discimus, id uti petendum, ita & agendum nobis esse, ut optemperemus Divinæ voluntati jubenti. Sic quidem ut I. Sedulo inquiramus ac *probemus quæ sit voluntas Dei, bona illa, placens ac perfecta.* Rom. XII. 2. & interrogemus identidem, *Domine, quid me vis facere?* Act. IX. 6. Dicamusque ei, *Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus es, Spiritu tuo bono deduc me per terram planam.* Ps. CXLIII. 10. Idque attendamus non universim solum, sed & in singulis, etiam in minimis, sermone, victu, amictu; nihil omnino audentes, quod non persuasi simus placere Deo. Hoc est magnum illud bonum quod Colossensibus apprecabatur Paulus Col. 1. 9. *Non desinimus pro vobis orare & petere, ut impleamini agnitione voluntatis ejus cum omni sapientia & intelligentia spirituali.* II. Agnitæ isti voluntati nos conformemus per omnia. Sic enim pergit Apostolus vers. 10. *Ut ambuletis sic ut Domino convenit, cui per omnia placeatis, omnis operis boni fructum proferentes.* Non tantum nobis unquam tribuamus ut de sapientia, æquitate, utilitate mandatorum Dei arbitrari præsumamus; sed quantumvis ingrata carni, aut absona fortassis male sanæ rationi videantur, alacri semper promtitudine obsecundemus. III. Idque ob eam potissimum rationem, quia Dei voluntas est. Jos. 1. 9. *Nonne ego præcepi tibi?* Id ubi constat, nihil præterea inquirendum, nihil hæsitandum est. Deus jubet: homo pareat.

XV. III. Obtemperemus voluntati jubenti.

XVI. Præterea discimus, non ad ipsa solum attendendum esse *officia*; sed ad eorum *modum*, SICUT; atque ita quidem ut *perfectissimum* nobis proponamus exemplum. Ea nimirum virtutis Christianæ præcellentia est, quod illius studiosi necesse non habeant Socratem aliquem aut Zenonem, Catonem vel Lelium, aliosve iis similes, quos hac fini Seneca alicubi commendat, ob oculos sibi ponere. Consummatiora longe exempla habent; eaque non in terris solum, sed & in cœlis. In terris habent Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, aliosque sanctos homines, generosiori Dei Spiritu agitatos, quos sua familiaritate, commendatione atque

XVI. IV. Proponamus nobis perfectissimum exemplar cœlitum.

elogio dignatus est Deus, & quorum institutum victuris chartis æternisque voluminibus, sine arte quidem & pigmentis, sed, quæ omni arte potior est, nativa simplicitate descriptum exstat. Sed & alia exempla in cœlis Christiani habent. Quidquid in inferioribus hujus mundi partibus unquam uspiamve conspectum est (si solum exceperis, Jesum) quamvis laudatissimum, suis tamen, semper taminatum fuit vitiis, suis turpatum nævis. Altius itaque enitendum homini Christiano est, ut perfectum inveniat non exemplum modo, sed & exemplar. Fidei alis evolandum in cœlos, ibique lynceis animi oculis contemplandi Sanctissimorum Angelorum justorumque spirituum chori, qui candidissima luce perfusi, & purissima, charitate flagrantes, omnia Dei jussa incredibili alacritate, dexteritate, atque constantia perficiunt. Horum nobis institutum repetitis frequenter meditationibus pro norma ingerendum est; ita quidem ut serio nobis ipsis irascamur, qua parte iis sumus dissimiles; & continuo studio ad sublimiora identidem profecti, quantum humanæ patitur imbecillitas sortis, quam proxime ad eos accedamus; donec ea quam ambivimus virtutis ac sanctitudinis perfectione tandem potiamur in cœlis. Ubi in consummatissima Dei visione, amore ac fruitione omne voluntatis nostræ desiderium, ut in infinito bono, sine termino terminabitur.

XVII. V. Nostræ nobis impotentiæ conscii, Divinum ad hæc omnia imploremus auxilium.

XVII. Denique quum nostræ nos impotentiæ hæc ipsa convincat oratio, necessum est ut ad omnium horum officiorum præstationem Divinum imploremus auxilium. Adeo enim voluntas nostra, inanibus decepta speciebus, imaginariis est agglutinata bonis, adeo cæco perditoque sui amore capta, adeo præjudiciorum ferreis constricta catenis, adeo denique Deo immorigera atque rebellis; ut nisi vis illa Dei omnipotens & vorticordia accesserit, neque vinculis eam suis exsolvere, neque Deo subjicere valeamus. Solus ille qui voluntatem nobis nostram fecit, &, postquam libertate sua turpiter abusa esset, perversis suis concupiscentiis justo judicio mancipavit; ille, inquam, solus eam liberare sibique morigeram reddere potis est. Hanc gloriam Deo dare Christiana pietas jubet, ut nullam eum creaturam fecisse credamus, quam non sua semper manu teneat, facileque quo vult dirigat & flectat. Et quamvis nostræ nobis libertatis adeo simus conscii, ut eam in dubium vocare sit rationem ipsam ejurare; tanta tamen & sapientia & potentia præditus est Deus noster, ut sine ulla libertatis læsione voluntatem quo lubet impellat. Habet ille occultos suos ad voluntatem aditus; & summa quidem vi in eam agit, quæ se repelli non patitur; at vi lubentifica, quæ, dum facit velle, libertati adeo non præjudicat, ut eam potius asserat, stabiliat, vindicet. Et sane non posset voluntas Dei fieri in omnibus, nisi & quidquid vult in nostra efficere valeret voluntate. Id sancte de Deo Patre nostro credamus

ac

ac profiteamur : eoque nixi fundamento crebris ab eo precibus contendamus, ut voluntatem nostram pravarum concupiscentiarum nexibus solutam suæ devinciat voluntati : ut mentem malesanis præjudiciis liberatam, sui Spiritus luce collustret, ad cernendam nostræ quidem voluntatis stultitiam & perversitatem, suæ vero sapientiam summam & æquitatem perpetuam : ut suæ nobis Majestatis reverentiam indat; qua impediamur & decretis ipsius obstrepere, & mandatis refragari : ut denique Spiritu ingenuitatis agiles nos alacresque ad omnia jussa præstet. Imo vero DOMINE DEUS, PATER COELESTIS, EFFICE IN NOBIS QUOD JUBES, ET JUBE QUOD VIS, NEQUE JUBEBIS FRUSTRA. AMEN.

EXERCITATIO XI.

DE

PANE QUOTIDIANO.

ΤΟΝ ΑΡΤΟΝ ΗΜΩΝ ΤΟΝ ΕΠΙΟΥΣΙΟΝ ΔΟΣ ΗΜΙΝ ΣΗΜΕΡΟΝ.

BREVIARIUM.

I. *Quarta petitio omni ævo diversimode fuit exposita.* II. *A qua tamen diversitate abesse debet acrimonia.* III. *Laudandi sunt qui plus de spiritualibus ac cælestibus rebus cogitant, quam de temporalibus.* IV. *At hic inquirendum, quid Christi verba significent.* V. *Tam corporis, quam animæ cura nobis incumbit.* VI. *Sed hujus præcipuè.* VII. *Eo nos ducit Orationis Dominicæ tam perfectio, quam ordo.* VIII. *Cujus quarta petitio de pane corporali agere videtur.* IX. *Panis nomine comprehenduntur omnia ad vivendum necessaria.* X. *Τὸ ἐπιούσιον est quod ad substantiæ nostræ conservationem sufficit.* XI. *Noster panis ille est, ad quem jus habemus, tam in foro poli.* XII. *Quam soli.* XIII. *Et distinguitur à pane qui indigentibus ut eleemosyna datur.* XIV. *Panem nobis dat Deus, tam κατὰ κτῆσιν.* XV. *Quam κατὰ χρῆσιν.* XVI. *Quid designetur voce Hodie.* XVII. *Non sibi quisque soli panem petit, sed & aliis.* XVIII. XIX. *Ordinis, quo hæc petitio locata est, concinnitas variis modis ostenditur.* XX. *Illius vera ratio.* XXI. *Transitus ad praxin.* XXII. *Observatio.* I. *Sancta rerum corporalium petitio ad Dei gloriam facit.* XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. *Etiam sub Oeconomia T. N.* XXIX. XXX. XXXI. II. *Modico contentos esse oportet.* XXXII. III. *Dum nostrum*

panem petimus nobis dari, docemur A *Diligentiam.* XXXIII. B. *Justitiam.* XXXIV. C. *Animi à Dei favore dependentiam.* XXXV. IV. *Obligat hæc petitio ad gratitudinem.* A *Ne nostræ quidquam attribuamus industriæ.* XXXVI. *Quod in Gentilibus quidem inultum sivit Deus.* XXXVII. B. *Sed omnia bona nostra imputemus Deo.* XXXVIII. C. *Iisque hilariter utamur.* XXXIX. *Semper tamen secundum Dei voluntatem.* XL. *Et ad ipsius gloriam.*

I. Quarta petitio omni ævo diversimode fuit exposita.

NUnc ad eam Dominicæ orationis petitionem devenimus, quæ diversis admodum, qua Veterum, qua Recentiorum, interpretationibus omni ævo obnoxia fuit. Aliis hic *panem Sacramentalem Eucharistiæ*, cujus quotidianus propemodum priscis usus erat; aliis *panem spiritualem atque cælestem*, qui est Christus Dominus cum sua gratia, qua anima sustentatur & nutritur ad vitam æternam; aliis *panem naturalem*, quo corpus nostrum conservatur in vita hac animali; aliis denique *hæc omnia simul* intelligentibus. Occasionem tantæ expositionum diversitati cum maxime dedit vox Græca ἐπιούσιος, quæ neque in sacris literis alibi exstat, neque in ullis è seculo scriptoribus, quantum viri literatissimi potuerunt deprehendere. Mirum itaque non est, quum ignoretur cui voci Hebraicæ à Christo usurpatæ respondeat, si diversimode à diversis accepta sit.

II. Cæterum ab ea diversitate abesse debet acrimonia.

II. At id dolendum foret, si propter sententiarum dissensum in re obscura, animorum quoque deprehenderetur divortium; neque posset ea res expediri sine quadam disputantium acrimonia. O quam illa omnis im meram dulcesceret lenitatem atque mansuetudinem, si cogitaremus de precibus agi, in quibus nobis non cum hominibus, sed cum Deo res est: & quidem de ea oratione, quæ uti tota Divinum fraternumque amorem spirat, ita eundem orantibus omnibus inspirare debebat.

III. Laudandi sunt qui plus de spiritualibus ac cœlestibus rebus cogitant, quam de temporalibus.

III. Mihi equidem religio est, eos ullo modo exagitare, qui hæc quartæ petitionis verba pronuntiantes de Christo Domino illiusqué gratia cogitant, enixisque suspiriis, tam sibi quam fratribus suis, à Patre Cœlesti poscunt, ut dignetur eos verbo & Spiritu suo ad veræ vitæ robur & augmentum continuo pascere, donec satietatem gaudii ad dextram Dei consequantur. Utinam cœlestium ac spiritualium rerum desiderio ita semper arderent animi nostri, ut quavis data, imo & quæsita occasione, erumperent in flammas flagrantium precum! Utinam ad terrenarum etiam ac animalium rerum mentionem edocti essemus assurgere; ut iis vel pro scalis uteremur ad sublimiora; vel sepositis etiam, & seclusis quodammodo è cogitationibus, præstantioribus illis inhæreremus unice; sic ut præ cœlestium rerum amore, omne in nobis rerum secularium flaccesceret desiderium

ſiderium! Et ſane nihil minus decet hominem Theologum, quam ut qualibuscunque ratiociniis mentem ſolidorum atque æternorum bonorum meditationi ac quæſtioni intentam, ad evanida ac caduca avocet.

IV. Verum non ea nunc res agitur. Quæritur duntaxat de ſenſu verborum, quæ ſuis Chriſtus dictavit auditoribus; ad quem indagandum non tam conſiderandum eſt, quid aliis alibi verbis de ſtudio eorum quæ ad regnum Dei pertinent inculcaverit; aut qua in re Chriſtianæ generoſitatis conſiſtat ſublimitas; quam quid ipſa verba in omni ſuo nexu ſignificare apta nata ſint, eo tamen ſemper ſuppoſito, nihil iis contineri, quod aut Chriſto docente, aut Chriſtianis diſcentibus indignum ſit. IV. At hic inquirendum, quid Chriſti verba ſignificent.

V. Mihi quidem ita videtur: Deus hominem anima & corpore junctis conſtare voluit. Utrique parti ſuas præſcripſit leges, ut in utraque ſuæ ſanctitatis conſpiceretur effigies. Utrique ſuas propoſuit præmii promiſſiones; ut in utraque & veritas & bonitas ſua eluceret. Utramque ſuis cumulat benedictionibus; ut utraque ſpeculum ſuæ eſſet providentiæ. Imo & Chriſtus ipſe tam corpore quam anima & obedivit, & paſſus eſt; ut non ſolum animam noſtram bearet, ſed & corpus noſtrum glorioſo ſuo corpori efficeret ſimile. Quandoquidem ergo utraque noſtri pars adeo curæ eſt Deo, oportet ut nos quoque ad exemplum Dei curemus utramque. V. Tam corporis quam animæ cura nobis incumbit.

VI. Cæterum quum anima noſtra pars noſtri longe potior ſit, bonaque eo ſpectantia ſolida atque æterna; corpus autem noſtrum fragile ſit, illiuſque bona & viliora multo, & caduca ac peritura; res ipſa loquitur longe majori ſolicitudine animam curandam eſſe quam corpus. Imo vix curandum eſſe corpus, aut ne vix quidem, niſi ea intentione, ut ſuis inſtructum bonis expeditius inſervire poſſit animæ in grandi iſthoc opere quod incumbit utrique, quod eſt glorificatio Divini nominis, in promovendo regno & facienda voluntate ejus. Unde conſequitur tunc demum hominem partibus ſuis rite fungi, quando tam corpore quam anima Deum glorificat; tunc demum vere beatum eſſe; quando Deus in ipſo, tam quoad corpus quam quoad animam, glorificatur. Sed & illud porro conſequitur, hanc eſſe officii noſtri partem, corpus ita curare, ne illud ſuo deſtitutum vigore, & animo & Deo deſit. Deſtitutum autem eſſet ſuo vigore, niſi illi de ſufficienti proſpectum eſſet alimento. Illiſque rebus omnibus quibus animalis hæc vita ſuſtentatur atque fovetur. Atque hæc quidem talia eſſe exiſtimo, ut nihil contineant, niſi quod citra controverſiam Chriſtianis hominibus, & meditatu & factu ſit digniſſimum. VI. Sed hujus præcipue.

VII. Porro quandoquidem orationem Dominicam omnium conſummatiſſimam eſſe merito credimus; ea autem demum conſummata eſt oratio quæ omnia comprehendit bona quæ ad totius hominis felicitatem requiruntur; VII. Eo nos ducit orationis Dominicæ tam

perfectio quam ordo.

runtur; quumque ad totius hominis felicitatem requiratur ut corpori in vita hac animali de iis prospectum sit sine quibus vita aut nulla, aut certe non vitalis est; conficitur conveniens esse ut in perfectissimâ oratione non prorsus omittatur bonorum ad vitam animalem pertinentium petitio. Cæterum quum sponte sua eo nimium quantum inclinet hominis animus, id quoque conveniens sapientiæ Christi est, ut talis petitio & paucis sit comprehensa verbis, ne diutius quam par est ei rei immoremur; eoque exponatur sermone qui frugalitatem testetur; & denique eo collocetur ordine qui ostendat bona corporis omnium infima esse, neque alio fine expetenda, nisi ut subserviant homini ad majora.

VIII. Cujus quarta petitio de pane corporali agere videtur.

VIII. Hæc autem omnia videre mihi videor acutissime & sapientissime observata esse in ea petitione quæ ordine quarta hoc solet proferri carmine, PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE. Quæ verba ita commentabimur, ut omni secus sentientium refutatione omissa, id solum adstruamus quod veritati maxime censemus esse consentaneum. Monemus autem initio, veriorem nobis videri eam explicationem, quæ in Ecclesiis nostris receptissima, & in Catechesi Palatina indicata est, quæque de *pane naturali* hic cogitare jubet. In eam sententiam nos induxit, tum SINGULORUM VERBORUM accurata meditatio, tum consideratio ORDINIS quo petitio hæc collocata est.

IX. Panis nomine comprehenduntur omnia ad vivendum necessaria.

IX. In verbis nihil est quod non habeat suum pondus, & mereatur exactissimam attentionem. Agitur hic de PANE, eoque ΕΠΙΟΥΣΙΩ, & quidem NOSTRO. Circa illum petimus ut Pater noster cœlestis eum DET, HODIE, NOBIS. PANIS vocem non tam stricta significatione in sacris literis usurpari ut eum solum cibum notet qui ex terræ frugibus conficitur, novimus omnes. *Omnis victus*, etiàm arborum fructus, etiam caprarum lacticinia, panis nomine veniunt. Jer. XI: 19. נשחיתה עץ בלחמו *corrumpamus arborem cum pane suo*. Prov. XXVII: 27. ודי חלב עזים ללחמך ללחם ביתך *Et quantum satis est lactis caprini ad panem tuum, ad panem familiæ tuæ*. Hoc igitur firmum maneat: panis omnèm victum significat, sive esculentum, sive potulentum. Gen. III: 19. XXVIII: 20. Prov. XXX: 7. At nihil vetat significationem panis paulo latius extendere, ut & *vestem*, & *habitationem*, & omnia corporis ac vitæ animalis commoda complectatur. Jacobus quidem Patriarcha panem â vestimentis distinguit Gen: XXVIII: 20. At Deus quum primo parenti eum imponit laborem ut in sudore vultus pane suo vescatur, futurum esse docet ut homo insigni cum molestia vitæ sibi suæ sustentacula comparare cogatur. Et Agur quando pane demensi sui se petit pasci, id omne, nisi fallor, intelligit, quod ad dignitatis suæ, in qua collocatus erat, tuitionem requirebatur. Apud Romanorum quoque Jurisconsultos amictus sub victu compre-

comprehenditur *ff. De Verbor. signif. L.* XLIII. *Verbo victus continentur quæ esui; potui cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem, Labeo ait.* Addit Gajus: *& cætera quibus tuendi, curandive, corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur.* Habemus igitur quid panis in sacris; & communi loquendi usu notet: ea nimirum omnia *queis humana sibi doleat natura negatis. Gregorius Nyssenus, Orat.* IV. *In Orat: Dom.* Ἄρτον εἰπὼν, πᾶσαν τὴν σωματικὴν περιλαμβάνει χρείαν. *Dum panem dicit, omnia ad corpus necessaria complectitur.* Atque hactenus nihil est quod ab ea notatione nos cogat discedere. Nisi fortean id lateat in epitheto ἐπιουσίῳ. De quo nunc inquirendun est.

X. Non revocabo jam ad examen plurimas quæ super hac voce exstant doctissimorum virorum commentationes. Prolixe illud atque erudite non ita pridem præstitum est à Clarissimo, Doctissimoque Viro, JOHANNE A MARCK, Collega quondam meo in Frisia Academia desideratissimo, in Exercitationibus quas Jeveniles vocat, sed quæ multum reconditæ sapientiæ continent. Mihi præ cæteris simplicissima & probabilissima semper visa est eorum sententia, qui existimant esse vocem compositam ex ἐπὶ & οὐσία: quemadmodum ex περὶ & οὐσία; est περιούσιος. Non enim obstat analogia compositionis: quæ non semper exigit ut in voce ἐπὶ jota ante vocalem absorbeatur. Uti probant voces ἐπιεικὴς, ἐπίογδος, ἐπίορκος, ἐπιόπλομαι, ἐπιοῦρος, multæque consimiles. Concessa hac derivatione, quæ nihil insueti & anomali habet, multum ad rei ipsius investigationem promotum est. Nam sicuti τὸ περιούσιον significat *quod plus satis est*, & ultra quam existentiæ conservatio requirit; ita τὸ ἐπιούσιον significat *quod satis est.* In hanc mentem exposuerunt Græci Veteres, linguæ suæ peritissimi. *Chrysostomus Homil.* XXX. *Tom.* V. Ἄρτον ἐπιούσιον, τουτέστιν ἐπὶ τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος διαβαίνοντα, καὶ συγκρατῆσαι ταύτην δυνάμενον: *qui ad substantiam corporis transit, eamque conservare potest. Gregorius Nyssenus:* ζητεῖν προσετάχθημεν τὸ πρὸς τὴν συντήρησιν ἐξαρκοῦν τῆς σωματικῆς οὐσίας. *Quærere jussi sumus id quod satis est, ad substantiam corporis conservandam. Basilius Cæsar: in Regul. Brevior. Interrog.* CCLII. exponit, τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα, *qui ad quotidianam vitæ, sustentationem substantiæ nostræ conducit.* Plura in hanc rem videre licet in *Thesauro Suiceri.* Atque iterum nos eo ducunt, *ut* hac petitione contineri credamus τὰ εἰς ζωὴν ἐπιτήδεια, *quæ ad vitam necessaria sunt*, uti *Cyrillus Alexandrinus* exponit; aut, ut *Theodoretus* ait, τὴν κατὰ τὸν παρόντα βίον χρείαν; *præsentis vitæ necessitatem*; & qui his omnibus major est Jacobus Apostolus, τὴν ἐφήμερον τροφὴν, *victum quotidianum.* Jac. II: 15.

X. Τὸ ἐπιούσιον est quod ad substantiæ nostræ conservationem sufficit.

XI. Noster panis ille est ad quem jus habemus, tam in foro poli.

XI. Eum panem NOSTRUM dicimus. Noster autem est., quando ad eum jus habemus in foro, ut ajunt, tam *Poli* quam *Soli*. In foro Poli, coram tribunali Dei jus habemus ad res hujus mundi, quando fide uniti sumus Christo, qui constitutus est hæres omnium. Nimirum Adamo mox à creatione concessum erat dominium in omnia ea quæ usibus ipsius inservire apta nata erant. Id jus dominii peccato suo amisit, justissimo Dei judicio abdicatus atque exheredatus; sic ut nemo filiorum Adami jus aliquod spirituale, quale filiis Dei dignum est, in ullam, vel minimam creaturarum, integrum sibi reservaverit, sed omnes homines in statu peccati injusti possessores, usurpatores, raptores bonorum Dei sint. Christus autem id quod Adami peccato deperditum erat suis recuperavit; ac Deus ipsum *paullisper minorem factum Angelis*, deinceps *gloria ac honore coronavit, & præfecit operibus manuum suarum: omnia posuit sub pedibus ejus: greges & armenta quotquot sunt, etiamque bestias agrestes; Aves cœli, & pisces maris: quidquid permeat semitas marium*, Ps. VIII: 6-9. Porro hoc jus communicat Christus cum iis, & solis & omnibus, qui ipsi fide uniuntur. 1 Cor. III: 22. *Omnia vestra sunt; vos autem Christi, Christus vero Dei*. Unde consequitur, in foro Dei fideles solos legitimos possessores esse omnium; quippe quæ pro suis habere possunt ex dono Patris sui cœlestis, secundum merita & voluntatem Fratris sui primogeniti. Adeo quidem ut nihil præter decorum faciant, si sui gratia hunc solem, hanc lunam, has stellas, veluti totidem faces accensas esse arbitrentur, ad quas ea quæ bona & homine digna sunt operentur: imo si sui caussa universum hoc in statu suo manere existiment, sibique istius rei gratiam ab improbis deberi: si denique creaturas omnes ita suas esse in Domino glorientur, ut & ipsæ, & universa Dei circa eas gubernatio, adjumento iis in bonum esse debeant. Rom. VIII: 28.

XII. Quam Soli.

XII. Sed & aliud præterea jus requiritur in foro hominum. Nam illud universale admodum est, nihilque derogat juri singulorum in singula. Non quia omnia fidelium sunt, idcirco singula desinunt, esse singulorum. Deus, bonorum suorum supremus diribitor, id uniuscujusque esse voluit; quod sibi justo titulo occupavit & subjecit: quod quisque secundum dispensationem Divinam vel hæreditate crevit, vel dono accepit, vel labore, vel prece, vel pretio, vel quovis alio legitimo acquirendi modo comparavit. De quibus acquirendi modis disserunt juris consulti. Certe quid in sacris *noster panis* significet, Paulus explicuit, quando Thessalonicensibus mandavit, *ἵνα μετὰ ἡσυχίας ἐργαζόμενοι τῶν ἑαυτῶν ἄρτον ἐσθίωσι, ut cum quiete operantes suo pane vescantur*, 2 Thes. III: 12.

XIII. Et distinguitur à pane, qui

XIII. Quando ergo NOSTRUM Panem petimus; id I. Primo cogitandum est, supponi justam acquisitionem, per laborem & diligentiam, sub

sub benedictione Divina ad exclusionem panis alieni, quo multi vel ex turpi pigritia, vel fœdo lucro, aut avara rapina vescuntur. II. Deinde, deprecamur quoque eam paupertatem, & indigentiam, qua per alienam liberalitatem nutriri cogamur. Quamvis enim id quod ex divitum liberalitate donatur, à pauperibus justo possideatur titulo, eoque tam coram Deo quam coram hominibus bonâ conscientiâ uti & frui possint; solet tamen panis nostro labore acquisitus, à pane qui indigentibus ut eleemosyna datus est, ut noster ab alieno distingui. Enimvero unicuique acquiescendum est in sorte sibi Divinitus attributa: attamen quum ipso Domino monente *beatius sit dare quam accipere*, Act. xx: 35. nihil ab officio suo alienum facit homo Christianus, si eam deprecetur paupertatem, qua cogatur de alterius bonis vivere. Eo pertinet sapientissimi Aguris oratio, Prov. xxx: 8. *Remove à me paupertatem, ale me cibo demensi mei.* III. Porro, quum vox nostri pluralitatem innuat, denotatur communio charitatis, per quam non sibi solum quisque fidelis, sed & suis atque universæ familiæ, neque suis solum, sed & cæteris fidelibus fratribus suis, & omnibus denique sine discrimine hominibus necessaria petit; eo quoque animo ut aliorum necessitatibus per eleemosynas possit succurrere.

indigentibus ut eleemosyna datur.

XIV. Atque ita paullatim deducimur ad considerationem eorum quæ circa hunc panem jussi sumus petere. Petimus autem primo ut Deus eum nobis DET. Dat Deus panem bifariam. I. Κατὰ κτῆσιν. II. Κατὰ χρῆσιν. Priori quidem modo A. Quando culturæ terræ benedicit, & lætas segetes uberemque proventum largitur: quum *irrigat montes è cœnaculis suis, ut à fructu operum suorum satietur terra. Faciens ut germinet fœnum ad jumentum, & herba ad hominis usum, ut depromant panem è terra.* Ps. CIV: 13. 14: B. Quando ea quæ ex benedictione sua provenerunt largitur singulis, ut in horreis, in ædibus, in mensis habeant. Tunc autem vere singulis largitur Deus, quando habent non uti panem pigritiæ, avaritiæ, doli, rapinæ; sed quando sua procurat providentia ut eum justo possideant titulo. Qui enim secus possident, ii non habent quod sibi à Deo datum, sed quod ab ipsis nequiter raptum est. Ps. CXLV: 15. 16. *Oculi omnium ad te spectant, quibus tu das escam tempore suo: aperis manum tuam, & saturas quidquid vivit ex beneplacito.* C. Quando fidelibus ea omnia largitur, non ex communi φιλανθρωπίᾳ sed ex Paterna charitate qua eos prosequitur in Christo. Quæ Dei Patris Christique charitas quando minimam panis micam, aut frigidæ guttam dat, facit ut illa omnibus divitum cupediis immensum quantum anteferenda sint. Quum in iis arrham habeant meliorum & cœlestium bonorum. *Pauculum illud quod justus habet, plus est copia multorum improborum.* Ps. XXXVII: 16.

XIV. Panem nobis dat Deus, tam κατὰ κτῆσιν.

XV. Quam κατα χρῆσιν.

XV. At non sufficit bona ista possidere, nisi & vim facultatemque habeas iis in commodum tuum utendi. Idcirco existimandum est tum quoque Deum nobis panem nostrum dare. A. Quando nos bona corporis valetudine donat, ut in usu bonorum ipsius sobrie deliciemur. Ægrorum enim animus *omnem cibum abominatur*. Ps. CVII. 18. *Abhorret vita eorum ipsum panem, & anima eorum escam desiderabilem.* Job. XXXIII. 20. Unde fit, ut etiam tum quum habent, non habere videantur. B. Quando animo nostro eam indit generositatem, ut singuli pro ratione status quem cuique in hoc seculo assignavit Deus, laute atque hilariter vitæ hujus commoditatibus fruamur. Præclare hoc exsecutus est Ecclesiastes Cap. v. 18. 19. *Ecce quod vidi ego, bonum pulchrum esse comedere & bibere, & frui bono ex toto labore suo quo laborat sub cœlo numero dierum vitæ suæ, quos dat ei Deus: nam ea est pars ejus. Etiam cuicunque homini dedit Deus divitias ac facultates, & cui copiam fecit comedendi ex illis, & percipiendi partem suam, ac lætandi de labore suo.* HOC DONUM DEI ESSE. C. Quando suis ipse bonis benedicit, ut eam nobis commoditatem adferant, cui adferendæ destinata sunt. Nam absque illa benedictione Dei nescio quomodo dilaberentur: atque etiamsi manerent, neque panis nutriret, neque potus sedaret sitim, neque vestes calefacerent. Hagg. 1. 5. 6. *Quapropter nunc sic ait Jehova exercituum, adhibete animum vestrum ad vias vestras. Seritis multum & infertis parum; comeditis, minime vero ad saturitatem; bibitis, & non est ad ebrietatem; induimini, sed nemo ita ut sit calor ipsi: & qui mercedem reportat sibi, mercedem reportat in loculum pertusum.* Hæc Dei benedictio est *baculus panis*, qui pani suam nutriendi vim conciliat; eoque sublato, quod aliquando se facturum minatur Deus, nihil juvabit omnis abundantia. Lev. XXVI. 26. *Quum fregero vobis scipionem panis, etiamsi decem mulieres panem vestrum in uno furno coxerint, eumque vobis suo pondere retulerint, comedetis quidem, nec tamen saturabimini.* Scipio iste panis vim suam omnem à Dei verbo habet; id est efficaci illo jussu, quo Deus vult hunc panem hoc tempore hunc hominem nutrire. Sicut enim omnia verbo Dei condita sunt, hoc est virtute omnipotentis jussionis illius existunt; ita etiam omnia ejusdem jussionis efficacitate operantur. Atque hoc est quod Moses dicit: Deut. VIII. 3. *Ut notum tibi facerem, non solo pane vivere hominem; sed omni eo quod prodit ex ore Jehovæ vivere hominem.* Ex quibus conficitur, etiam ditissimis mortalium æque necessariam hanc petitionem esse ac pauperrimis. Quid enim juvaret omnium bonorum affluentia, si absit Divina benedictio, quæ sola dat ut nobis cum lætitia quæ filiis Dei digna est, & ad corporis animique commodum, utamur.

XVI. Cæterum & illud emphasin suam habet, quod petamus panem eum

eum dari nobis HODIE. Multa hac quoque voce docemur notatu dignissima. I. Est in ea professio nostræ indigentiæ, quæ singulis diebus novam sustentationi materiem requirit: jubetque continuo à Deo, victum nobis in diem suppeditante, dependere. Ps. CIV. 27. 28. 29. *Omnia ista in te exspectationem habent, ut des ipsis escam eorum tempore suo. Te dante ipsis colligunt &c.* II. Revocamur ab anxia & infideli cura, quæ nimia solicitudine in crastinum prospicit, & dies nunquam fortasse futuros. Matth. VI. 34. Dico anxiam & infidelem curam; nam cura prudentiæ, conjuncta cum fiducia in Divinam bonitatem, non permissa solum, sed & commendata est. Vide Prov. VI. 6. 8. XXXI. 21. Imo Paulus dictat, ad officium parentum pertinere ut thesauros filiis suis recondant. 2. Cor. XII. 14. III. Revocamur à nimia rerum ad hanc vitam pertinentium aviditate, monemurque eo contenti esse quod in singulos dies suppeditatur. Omnino enim videtur *σήμερον* hic positum esse pro eo quod pleniore Hebraismo diceretur *σήμερον σήμερον*, hoc est Luca interprete, *τὸ καθ' ἡμέραν. in diem.* Luc. XI. 3. Hebræi dicunt דבר יום ביומו Dan. I. 5. Quod Græci transtulerunt. *τὸ τῆς ἡμέρας καθ' ἡμέραν.* Junius *demensum diei cujusque in diem quemque.* Optime Domini mentem expressisse mihi videtur Illustris *Grotius. Quemadmodum*, inquit, *hi qui in potestate sunt Patris familias & boni & sapientis & divitis, non postulabunt ut alimenta in multos annos sibi in cellis recondere liceat, sed contenti erunt demenso diurno; ita & Christus abesse vult à nostris precibus, tum diffidentiam, tum aviditatem. Sensus ergo horum verborum est: Da nobis, Deus, victum qui ætati in posterum agendæ sufficiat: & si non placet dare annua, da menstrua, da saltem diurna: quidquid ultra dabitur id erit adventitium.*

XVI. Quid designetur voce Hodie.

XVII. Denique non sibi quisque duntaxat panem petit, sed & aliis. Parci, avari, atque invidi animi est dicere, *da mihi.* Jesus jussit dicere da NOBIS. Ut quæ à Deo ad istas preces concessa sunt, ea lege concessa norimus ut communicentur quoque cum aliis. Hebræorum magistri virum *Justum*, quem צדיק dicunt, à viro *benefico ac pio* quem חסיד vocant, hac ratione solent distinguere; quod justus proximo dicat, *omnia mea mea sunt, & omnia tua tua.* Pius autem ac Beneficus dicat proximo: *omnia tua tua solius sunt, sed omnia mea tua quoque sunt.* Tales חסידים *Asidæos* Dominus Jesus suos esse vult, qui quæ à Deo acceperunt, ea aliorum quoque impendunt utilitati. Atque uti pane aliorum vesci, nisi necessitate cogente, haut desiderant: ita nec amant pane suo seorsim vesci, exclusis egenis. Quod pulcherrimis verbis de se protestatur Jobus. Cap. XXXI. 16. 17. 18. *Si cohibui me ab optato tenuium, & oculos viduæ confeci; & comedi fructum cibi mei solus; ac non comedit pupillus ex eo! Nam à pueritia*

XVII. Non sibi quisque soli panem petit, sed & aliis.

ritia mea adolevit apud me tanquam patrem; & ab utero matris meæ duxi illam.

XVIII. Ordinis quo hæc petitio locata est, concinnitas variis modis ostenditur.

XVIII. Hactenus singula petitionis verba exposuimus; nunc ORDINEM videamus, quo eam collocatam Dominus voluit. Ita autem dispositam invenimus ut postponatur quidem iis petitionibus quæ propius concernunt Deum; præponatur tamen iis quæ de avertenda animæ nostræ calamitate agunt. Ea res solicitos interpretes fecit, ordinis concinnitatem supponentes quidem, at non eodem modo demonstrantes. Nonnulli existimant, voluisse Dominum à corporalibus ordiri, ut ita paullatim animi eveherentur ad altiora, & ex minoribus fiducia conciperetur majorum. Horum mentem egregie exposuit *Calvinus. Etsi victui*, inquit, *præferenda est peccatorum remissio, quatenus scilicet anima corpori præcellit, initium tamen Christus fecit a pane & terrenæ vitæ subsidiis, ut à tali rudimento altius eveheret. Non ergo panem quotidianum prius nobis dari petimus quam Deo reconciliari, quasi nobis pluris esse debeat caducus ventris cibus quam æterna salus animæ, sed ut mentes nostræ quasi per scalas à terra ad cœlum conscendant. Nam quum se Deus ad alenda corpora demittat, minime dubium est quin de spirituali vita nostra longe sit magis solicitus. Ergo tam benigna ejus indulgentia fiduciam nostram altius erigit.* Acute quidem hæc & pie dicta arbitror; nescio tamen an cum ordine totius orationis bene conveniant. Non enim id agit Dominus ut ab humilioribus nos paullatim evehat ad celsiora; sed ab eo orsus quod omnium supremum est, ad humiliora descendit. Primo omnium id proponit quod ultimus est votorum nostrorum finis; dein de mediis agit ad eum finem ducentibus. Si per scalas ascendere docuisset, initium fecisset à gradu infimo, donec procedente ordine perventum esset ad summum. Nunc autem secus factum deprehendimus.

XIX. Sunt qui aliquanto adhuc subtilius commentantur. Eo, inquiunt, tota Evangelii doctrina nos ducit, ut sciamus cœlestia, spiritualia atque æterna animæ bona longe enixioribus votis petenda esse, quam caduca illa quæ ad vitam hanc animalem spectant. Tanta interim hominum, eorum etiam qui se Christi disciplinæ tradiderunt, est imbecillitas, ut prius de corpore quam de anima cogitare soleant. Jesus ergo, pro incredibili sua tam bonitate quam sapientia, humanæ imbecillitati hactenus se accomodat, ut patiatur corporalium ac terrenorum bonorum prius in oratione mentionem fieri; quo animus isthac sollicitudine liberatus, eo securior atque alacrior quæstioni rerum spiritualium se impenderet. Verum enim vero hoc non tam esset medicinam facere morbo, quam eum fovendo roborare. Hæccine via est qua avocetur animus à nimio earum rerum studio quibus corporis procuratur incolumitas, si permittatur eas primum in tuto collocare,

ut isthoc exsolutus metu deinceps accuratius de aliis cogitet? Nonne oportet hominem Christianum majoribus intentum cætera illa non nisi pro adjectamentis habere? Hoc sane inculcat Jesus Matth. VI. 33. Atque si isthac sibi insistendum via arbitratus fuisset, nonne hanc de quotidiano pane petitionem præmisisset cæteris omnibus, ut quum naturali isti atque animali satisfactum esset desiderio, mens nostra liberius atque alacrius circa res Dei versaretur?

XX. Quid ergo? Nihil mihi potius esse videtur simplicitate. Ita autem deprehendimus Dominum totam hanc orationem dispofuisse, ut petitiones ipsius duabus absolvantur partibus: I. Postulatione Bonorum. II. Deprecatione malorum. Bona iterum in duplici sunt differentia: alia Divina, cœlestia spiritualia; alia terrena, corporalia, animalia. Illa quum longe præstantissima sint, primo ordine collocari oportuit; quod & factum à Domino, quum tres priores petitiones iis occupentur. Hæc quum multo sint viliora, in infimum merito sunt relegata locum. Ibi enim, quoad bonorum petitionem subsistitur. Mox sequitur deprecatio malorum, nimirum ablatio reatus, quo constrictos nos commissa peccata tenent; & vindicatio à peccati atque diaboli tyrannide. Quo enim nobis vita attineret, si cum illis semper confligtandum esset malis? Et quam quæso voluptatem adferre nobis posset bonorum hujus seculi affluentia, si iratum peccatis nostris Deum experiremur, & sævum criminum exactorem Diabolum? Bene *Tertullianus*: *Quam eleganter Divina sapientia ordinem orationis instruxit; ut post cœlestia, hoc est Dei nomen, Dei regnum, Dei voluntatem, de terrenis quoque necessitatibus petitioni locum faceret?* Cæterum quum liberatio ab iis quæ diximus malis magnum revera bonum sit, ipsaque vita animali optabilius; non absque ratione est, quod vitæ animalis sustentacula medio ponantur loco, ut ab æternis bonis orsi, in æternorum malorum deprecatione desinamus. Appositissime id observavit *Crocius*, *Antiweigelii Part.* II. *Cap.* V. *Quæst.* I. *Placuit Domino in media oratione panem hunc ponere, ut à spiritualibus incipiamus, & in eadem desinamus; scientes terrena petenda esse, solum hoc nomine, ut possimus laborem ferre in via ad regnum cœlorum.*

XX. Illius vera ratio.

XXI. Atque ita videri possumus non incommode mentem Domini explicuisse; nihil dicentes nisi quod & nativæ singulorum verborum significationi, & sermoni universo, & orationis cum præcedentibus ac sequentibus connexioni, apprime sit consentaneum; quodque & sapientiam Christo dignam demonstret, & exercitium virtutum doceat quibus Christiani hominis in hoc seculo vita exornetur. Illud autem manifestius fiet, ubi paullo enucleatius ostenderimus quot quantaque morum præcepta pauculis

XXI. Transitus ad praxin.

culis hisce verbis contineantur: id enim nobis ad praxin hujus petitionis restat.

XXII. Observatio I. Sancta rerum corporalium petitio ad Dei gloriam facit.

XXII. Ac PRIMO quidem docemur ad Dei gloriam facere, ut homo Christianus ea etiam quæ ad vitæ hujus sustentationem pertinent, ab ipso, uti Patre suo cœlesti, petat. Id laudatissimi homines, qui familiares ac necessarii summi numinis fuerunt, ingentibusque ab ipso promissis aucti, omni tempore fecerunt. Nota sunt sapientissimi Aguris, & Israëlis patris nostri exempla. Prov. xxx. 8. Gen. xxviii. 20. Imo & præcepta Dei in eam rem exstant, quibus supplicia atque jejunia indici jussit ad avertenda incommoda & impetranda hujus vitæ bona. Joël. ii. 16. 19. Et Salomo in templi dedicatione docet, id genus vota frequentissime ibi concipienda esse. 1 Reg. viii. 33 - 37.

XXIII. Etiam sub Oeconomia Testamenti Novi.

XXIII. Neque excipi velim, omnia hæc ad Vetus Testamentum pertinere, ubi populo amplissimæ terrestrium bonorum factæ sunt promissiones; secus esse in Oeconomia Testamenti Novi, cujus promissa omnia spiritualia sunt atque cœlestia. Etenim longe aliter Paulus id intellexit, qui non dubitavit Corinthiis bona terrestria apprecari, quæ & ipsis vitam jucundiorem facerent, & novæ erga egenos liberalitati præberent materiem. *Qui autem suppeditat semen serenti, & panem ad escam suppeditet, & multiplicet sementem vestram, & augeat fructus justitiæ vestræ. Vobis omni modo ditatis ad omnem benignitatem, quæ per nos efficit ut gratiæ agantur Deo.* 2. Cor. ix. 10. 11. Ubi multa occurrunt notatu dignissima. I. Petit Apostolus expressis verbis ut panis ipsis detur ad escam. II. Imo ut mulmultiplicetur ipsorum sementis. III. Idque in mercedem pietatis ac charitatis ipsorum. IV. Ut & ipsi ditentur, & habeant unde aliorum necessitatibus possint prospicere. V. Denique docet talem opulentiam in gloriam Dei cedere, ut à quamplurimis ipsi reddantur gratiæ.

XXIV. Omitti sane hic non potest id quod omnibus Christianis tanto serio inculcat idem Paulus, ut orent *pro omnibus quidem hominibus, sed & speciatim pro regibus, & quibusvis in eminentia constitutis; ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate ac veneratione.* 1. Tim. ii. 2. Ubi quod de tranquilla ac quieta vita dicitur, pertinet ad vitam in Republica; quod de pietate ac veneratione additur, ad vitam in Regno Christi. Sapienter observatum est à Celeberrimo Interprete, duo hic jungi, quorum alterum ab omnibus hominibus quæritur, alterum à filiis Dei tantum. Omnes homines quærunt vitam quietam & tranquillam; h. e. commodam, sine tumultu, sine metu ac sollicitudine, sine penuria ac defectu bonorum, quæ homini ab homine per varias artes aut operas conciliari possunt; cum mutuo honore & reverentia; cum amicitia & mutua fiducia. Hoc est illud bonum propter quod homines congregantur; cui procurando

curando & tuendo potestates constituuntur; propter quod & vectigalia & tributa conferimus. Quod Christiani itaque quatenus cives sunt, juxta cum aliis civibus quærere, & à Deo petere tenentur. Sed & alium societatis humanæ finem sibi proponunt, longe excellentiorem, ut liceat ipsis sub tutela justi ac pii Magistratus, in omni pietate ac sanctitudine vitam transigere, sine ulla vexatione quæ pietatis caussa filiis Dei inferatur. Hoc autem votum Christianis proprium est.

XXV. Neque profecto in eo statuenda est Novi ac Veteris Testamenti differentia, quod hoc duum generum promissiones habuerit, temporales ac æternas; illud autem æternas atque spirituales solum. Secus enim ipse Christus docet *Matth.* VI. 33. *Ista omnia adjicientur vobis.* Quænam sunt ista omnia? Ea de quibus paullo ante fuerat locutus, quæ edimus, quæ bibimus, quibus amicimur, quibus omnibus nos indigere Pater noster cœlestis novit, quæque sancta animi fiducia ab ipsius bonitate sperare jubemur. Ista vero fiducia ac spes cui rei certius innititur quam promissioni Patris nostri? Et hæc saltem Christi verba quid aliud nisi promissionem continent?

XXVI. Adde Pauli illud, 1. Tim. IV. 8. *At pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ.* Non nego ad bona vitæ præsentis pertinere quoque spiritualia illa quæ nobis hic in terra commorantibus Divina indulget benignitas: at nego excludenda esse ea quæ ad vitam animalem pertinent. Nam I. Paulus dum promissiones pietati factas laudat, eas intendit quæ pridem scriptis consignatæ exstabant, quibus citra controversiam bona hujus seculi comprehenduntur. Eas autem ad nos quoque pertinere testatur. II. Nonne certum est bona vitæ animalis promitti præcepto quinto? Sed & ea promissione tanquam argumento apud Christianos utitur. Eph. VI. 2. 3. Quorsum? ut eam quoque nobis factam esse intelligamus. Ut Christianorum etiam filii, parentibus suis morigeri in Domino, sciant beatam sibi longævamque in terra vitam addictam esse. Ea enim verba prout Judæis dicta sunt nativo suo sensu, & proprie exponere; quando Christianis applicantur in meram allegoriam vertere, religio nobis est. III. Observandum Paulum in antecedentibus egisse de cibis quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione, vers. 3. Ab iis per σωματικὴν γυμνασίαν superstitiosi & falsiloqui quidam abstinere jubebant. At contra docet Paulus, sinceram pietatem ad omnia utilem esse, atque id inter cætera præstare homini ut omnibus bonis quæ condidit Deus cum lætitia & gratiarum actione fruatur. IV. Quomodo pietas promissiones hujus vitæ haberet, si istis destituta esset promissionibus, sine quibus non est ut quis vivat? Præsens enim vita est vita hæc animalis, *vita quam vivimus in carne*, uti Paulus amat loqui Gal. II. 20.

Phil. I. 22. Eam ergo ipsam cum suis necessariis sustentaculis promissam esse supponi debet. V. Denique quid dubitamus de promissionibus vitæ animalis, quum diserta Domini verba in Evangelio habeamus? Matth. VI. 30. *Quod si herbam agri, quæ hodie exstat & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumvestit: nonne multo magis vos ô exigua fide præditi?* Est hic promissio, promissio vestitus quo corpus tegitur, promissio confirmata argumento, quod desumtum est à minori, promissio fide amplectenda, ita quidem ut propter fidei istius defectum non perfunctorie culpentur auditores.

XXVII. Vera itaque differentia Veteris & Novi Testamenti, quantum promissiones bonorum temporalium & spiritualium attinet, in eo consistit; quod in Testamento Veteri spiritualia atque æterna bona parcius atque obscurius promissa sint, & plerumque sub involucro bonorum temporalium: bona vero ipsa temporalia promissa sint, ut figuræ, symbola ac pignora bonorum cœlestium: at in Testamento Novo bona spiritualia atque cœlestia frequentissime, clarissime, nudis ac propriis verbis, atque in majori abundantia promittantur; & bona temporalia atque corporalia, uti spiritualium ac cœlestium adjectamenta, & adjumenta, sine ratione typi ac pignoris, cui quodammodo inserviendum sit.

XXVIII. At pressius ostendamus, quomodo earum quoque rerum petitio quibus vita hæc animalis sustentanda est, ad Patris nostri cœlestis gloriam faciat. I. Ita profitemur vitam nostram in manu Dei positam esse, qui uti eam nobis solus dedit, ita & solus sua virtute & bonitate conservat: eaque suppeditat adminicula, sine quibus, secundum ordinem à se constitutum, vita conservari non potest. Quæ postquam meditationibus suis accurate prosecutus esset Psaltes, mox subjungit Ps. CIV. 31. *Sit honor Jehovæ in seculum, lætetur Jehova in operibus suis.* II. Laudamus providentiam illam Dei, qua statis anni temporibus frugibus terræ atque animantium fœtibus benedicit Ps. LXV. 10-14. *Visitas terram hanc, & appetis eam; plurimum ditas eam rivo Dei pleno aquæ: paras frumentum eorum, quum ita præparaveris eam &c.* III. Agnoscimus omnem nostrum laborem, diligentiam, industriam, nihil prodesse, nisi quatenus ipse suo conatus nostros favore prosequitur: Ps. CXXVII. I. 2. Atque ita docemur in omnibus actionibus nostris ab ipsius gratia unice dependere. Quæ profecto magna pietatis veræque religionis pars est. Ps. CXXIII. I. 2. IV. Agnoscimus valetudinem nostram, per quam donis Dei frui nobis licet, & quidquid in hac vita honestæ percipimus voluptatis, merum Divinæ benignitatis munus esse. Sic ut ad Deum ipsum adsurgere discamus per sua nos bona delectantem. Eccl. II. 24. In quibus omnibus ea est Divinæ bonitatis prædicatio, quæ à pio profecta animo, non potest ei non grata atque accepta esse.

XXIX.

XXIX. Secundo loco eſt in hac petitione inculcatio *frugalitatis* & commendatio *animi modico contenti*. Quoquo enim mentem flectamus, huc nos ducunt omnia; ſive numerum petitionis ſpectemus, ſive ordinem, ſive denique verba quibus exponitur. Petitio rerum terrenarum numero non niſi unica eſt, & breviſſimo comprehenſa ſermone; quum Divinarum ac cœleſtium rerum deſideria, in exiguo orationis compendio, pluribus diſtincta capitibus, quinque petitionibus abſolvantur. Unde inferimus, illis vix ſextam partem ſolicitudinis impendendam eſſe quæ his debetur. Eſt etiam hæc petitio in ordine bonorum deſiderabilium omnium infima atque ultima: ut ſciamus ante omnia nobis regnum Dei quærendum eſſe cum juſtitia illius; cætera, ut longe minora, non niſi poſt, & propter vitam. Denique ipſa orationis verba ita comparata ſunt ut nil niſi frugalitatem ſpirent. Panem petimus, non lautitias; eumque ἐπιούσιον non περιούσιον; idque in dies ſingulos.

XXIX. II. Oportet contentos eſſe modico.

XXX. Præclare hæc ab antiquis Eccleſiæ Doctoribus obſervata, & inſigni verborum gravitate auditoribus ſuis inculcata ſunt. Ex quibus paucula quædam hic transſcribere non pigebit. *Chryſoſtomus in Pſ.* CXXVIII. *Διὰ τοιαύτην ἐκελεύσθης εὔχεσθαι εὐχὴν, ἐν ᾗ μόνον ἓν ἄιτημα ἄισθητὸν αἰτεῖς, ϗ πλέον οὐδέν. Propterea talem juſſus es precari orationem, in qua unam tantum petis petitionem terrenam, ac præterea nihil.* Quod paullo latius perſequitur *Homil.* LIV. *in Geneſ.* *Διὰ γὰρ τοῦτο ϗ ἐν τοῖς τῆς εὐχῆς ῥήμασιν ὅρους ἡμῖν ϗ κανόνας τιθεὶς, μέχρι τίνος δεῖ τὴν περὶ τῶν βιοτικῶν ἄιτησιν ποιεῖσθαι, τὰ ῥήματα ἐκεῖνα λέγειν ἡμᾶς ἐκέλευσε,* ΤΑ ΠΑΣΗΣ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ ΓΕΜΟΝΤΑ, *τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον, ἀντὶ τοῦ τὴν τῆς ἡμέρας τροφήν. Propterea etiam in verbis orationis terminos nobis & cancellos poſuit, quatenus mundana ſint petenda, dum nos iſta verba recitare juſſit,* QUÆ SUMMAM OMNIS PHILOSOPHIÆ CONTINENT, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, *pro diei alimentum.* Prolixus hic eſt, & diſertus admodum *Gregorius Nyſſenus Orat.* IV. *In Orat. Dom.* *Ζητεῖν προσετάχθημεν τὸ πρὸς τὴν συντήρησιν ἐξαρκοῦν τῆς σωματικῆς οὐσίας. τὸν ἄρτον δὸς, τῷ Θεῷ λέγοντες, οὐ τρυφὴν, οὐδὲ πλοῦτον, οὐκ εὐανθεῖς ἁλουργίδας, οὐ τὸν ἐκ χρυσίου κόσμον, —— οὐδέ τι τοιοῦτον οὐδὲν δι' ὧν ἀφέλκηται ἡ ψυχὴ τῆς θείας τε ϗ προτιμοτέρας φροντίδος, ἀλλὰ τὸν ἄρτον. Quærere juſſi ſumus id quod ſatis ſit ad naturam corporis conſervandum. Panem da, ad Deum dicentes, non luxum, non divitias, non floridas veſtes purpureas, non ornammenta aurea, — neque quidquam tale, per quæ anima à Divina ac potiori cura abſtrahitur; ſed panem.* Quod poſt pauca vehementer urget, ita Chriſtum mortales compellantem introducens: *Παύσασθε οἱ ἄνθρωποι περὶ τὰ μάταια ταῖς ἐπιθυμίαις διαχεόμενοι· παύσασθε τὰς τῶν πόνων ἀφορμὰς καθ' ὑμῶν αὐτῶν*

πλεονάζοντες. μικρόν ἐςι σοὶ τὸ τῆς φύσεως ὀφείλημα. τροφὴν χρεωςεῖς τῷ σαρκίῳ σου, πρᾶγμα μέτριόν τε καὶ εὐπόριςον, εἰ πρὸς τὴν χρείαν βλέπεις. *Desinite. ô homines, circa res vanas cupiditatibus diffundi ac distineri: desinite laborum adversus vosmetipsos caussas ac materias accumulare: exiguum est quod naturæ debes: cibum debes carunculæ tuæ rem & modicam & paratu facilem si usum & necessitatem spectes.* Omitto alia, quæ qui desiderat apud *Suicerum* invenire potest.

XXXI. Enimvero multum ad veram animi tranquillitatem profecit, qui frugalitatem didicit. *Est enim quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quidquam possumus, sed habentes alimenta, & quibus tegamur, hæc nobis satis erunt.* 1 Tim VI: 6. 7. 8. Hoc sibi dictum meminerint Christiani omnes, quod Hebræis olim dixit Paulus. Heb. XIII: 5. *Sint mores vestri alieni ab avaritia: estote contenti præsentibus: dixit enim ipse, neque te omittam, neque unquam te deseram.* Æque pauperibus magnam frugalitas commoditatem adfert, locupletibus æque. Pauperes enim quum multis careant, quibus alios luxuriare deprehendunt, tum demum bene beateque vivent, si ne desiderent quidem. Modo iis contenti sint, quæ natura ad sui sustentationem exigit, & quæ vix est ut cuiquam Divina neget providentia, regum æquare possunt opes animis. Non minus jucundus iis erit, imo vero aliquanto jucundior, & cibus, & somnus, quam delicatulis illis, quibus gulæ irritamenta ex peregrino adferuntur orbe, quibusque nulla ad mollitiem culcitella satisfacit. Brevissima ad divitias, per contemtum divitiarum, est via. Nihilque est eo Stoicorum paradoxo certius: *Contentum suis esse rebus, maxime sunt certissimæque divitiæ.* Multa super hoc negotio Philosophorum curiosa disputavit subtilitas. Nos re ipsa præstemus, atque experiamur. Magno potius animo, quam magnifico sermone, cum Paulo nostro dicentes 2 Cor. IV: 10. *Ut nihil habentes, sed omnia obtinentes.* Sed & divitibus sua quam maxime proderit ad tranquillitatem frugalitas; quibus omnis abundantiæ suæ usus perit, nisi ab animo impetrent res sibi suas submittere. Quantilla enim voluptas est, nunquam jucunde edere nisi gulæ responderint omnia? irasci autem, indignari, fremere, ubi famulus aut ancilla vel minimum officio suo defuerint? Certos habebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus maligne famem exstingueret: visurus an aliquid deesset ex plena & consummata voluptate vel quantum deesset, & an dignum quod quis magno labore pensaret. Et quidem gloriatur non toto asse se pasci. Comperitque in illo victu non saturitatem solum esse, sed & voluptatem. Voluptatem autem, non illam levem, & fugacem, & subinde reficiendam, sed stabilem & certam. Non enim jucunda res est aqua ac polenta, aut frustum

frustum hordeacei panis: sed summa voluptas est, posse capere etiam ex iis voluptatem. *Senec. Epist.* XVIII.

XXXII. Tertio. Dum panem *nostrum* nobis dari petimus, docemur & *Diligentiam*, & *Justitiam*, & animi *à Dei favore dependentiam. Diligentiam*, quum *nostrum* dicimus, id est nostro nobis labore comparandum. Nemo enim nisi amens exspectaverit, ut corvi sibi panem cum carne apportent; quamvis id Eliæ aliquando contigisse sacra narret historia. Laborandum cuique pro vocationis suæ ratione est, ut justo eum titulo acquirat. In primævo hominis statu hortum deliciarum omnium plenissimum custodiendum homini colendumque Deus dederat, ut ne tum quidem quum sua sponte natura produceret omnia pane suo prorsus otiosus vesceretur. Post peccatum autem dictum humano generi est: *In sudore vultus tui vescitor cibo.* Gen. III. 19. Estque hæc *occupatio illa mala*, hoc est molestia, *quam dedit Deus filiis hominum, ut se occuparent in illa.* Eccl. I. 13. Ipse Filius Dei, Jesus sospitator noster, ante publicam prophetici muneris functionem, arte fabrili se & familiam cujus membrum erat sustentasse videtur; unde non fabri tantum filius, sed & *faber* à civibus suis dictus est. Marc. VI. 3. Neque isthoc nos labore Evangelii exsolvit libertas; quæ quidem à pœnali illa quam peccatum introduxit molestia, & à rerum hujus seculi servitute, fideles vindicat, atque à nimio earum studio avocat; officii tamen diligentiam non tollit. Paulus, quamvis Apostolus, inque illo munere obeundo diligentissimus, gratis panem edere recusavit, sed *cum labore atque ærumna nocte dieque operatus est, ne cuiquam esset oneri.* Ea intentione ut cæteris se Christianis *pro exemplari ad imitandum præberet.* Estque hoc ex iis quæ demandavit Ecclesiis: *quod si quis nolit operari, etiam ne edito.* Omnesque sub Christiano nomine inordinate ambulantes, nihil agentes, sed inaniter satagentes, *obtestatus est per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cum quiete operantes suo pane vescantur.* 2. Thes. III. 8. 12. Nemo hic fucum faciat, aut Christianam libertatem studiumve rerum nobiliorum suæ prætexat ignaviæ. Indecorum est homini pio, sine exercitio aliquo, quo sibi, suis, publico prodesse conetur, *comedere cibum pigritiæ.* Prov. XXXI. 27.

XXXII. III. Dum nostrum panem petimus nobis dari, docemur A. Diligentiam.

XXXIII. Sed & *justitiam* hic docemur. Neque enim noster ille panis est, quem vi, clam malisve artibus iis ereptum imus, quibus vel jam concesserat, vel destinasse videbatur Divina providentia. Neque sincere eum à Deo nobis dari petimus, quem contra justitiæ, æquitatis ac charitatis leges, antequam à Deo detur occupamus & rapimus. Ludibrium est ac apertissimus Divini numinis contemtus, si quis pravis adhibitis mediis opes coacervans, eas Divinæ bonitati quasi acceptas ferre ausit. Hoc erat eorum scelus, qui pro arbitrio suo oves Dei interficiebant, vendebant, neque

XXXIII. B. Justitiam.

tamen idcirco se reos esse postulabant, *dicentes benedictus Jehova quod ditatus sim.* Zach. XI. 5. Nec abludit Ephraimitici mercatoris improbitas, qui quamvis dolosas manu lances teneret, amaretque opprimere, tamen sibi in male partis opibus placebat, & gloriabatur *in omni labore suo non inventum iri iniquitatem quæ peccatum sit.* Hos. XII. 8. 9. Cæterum non est ut quis tuto se ac secure injuste quæsitis fruiturum speret. Vidit olim Zacharias volumen volans, longitudine viginti cubitorum, & latitudine decem cubitorum, undique conscriptum exsecrationibus, sed & vidit illud *invadere domum furis,* (fur autem Deo judice est quisquis injustum quæstum facit,) & ita quidem invadere, *ut commorans in domo ejus consumat eam, & lingua ejus ac lapides ejus.* Zah. V. 2. 4. Elegantia admodum atque emphatica sunt, quæ in hanc rem Zophar Naamatithes disseruit Job. XX. à vers. 15. usque ad finem capitis: sed prolixiora, quam ut hic adscribantur. Id ergo omni sollicitudine caveant Christi discipuli, ne quem à Deo sibi dari panem poscunt, eum fratribus improbe eripiant aut præripiant.

XXXIV. C. Animi à Dei favore dependentiam.

XXXIV. Sed & *animi à Divino favore dependentia* hac oratione includitur. Sicuti enim quando *nostrum panem* dicimus, protestationem edimus diligentiæ qua legitime eum acquiramus; ita ubi eum nobis poscimus à Deo *dari,* simul fatemur nostram diligentiam sine Divina benedictione nihil profuturam. Dignum notatu est, quod quo Capite dixit Parœmiastes, *manus sedulorum ditat eos.* Prov. X. 4. eodem capite dicat, *Benedictio Jehovæ ipsa ditat, neque addit molestiam secum.* vers. 22. Idcirco necesse est ut quotiescunque, singuli in ea quæ nobis obtigit vocatione aliquid aggressuri sumus, toties favorem Dei super laboribus nostris accuratis precibus expetamus. Imprimis id faciendum videtur singulis matutinis temporibus, quando ad ea nos accingimus officia, quæ quisque quotidie obeunda habet. Egregium hic nobis carmen præivit Moses Ps. XC. 17. *Adsit amœnitas Jehovæ Dei nostri nobis: & opus manuum nostrarum firma nobis, opus, inquam, manuum nostrarum firmato.* Habes hic protestationem diligentiæ, quando iterato de opere manuum loquitur; sed & habes animum Divini favoris avidum, ab eoque dependentem, dum amœnitas Jehovæ super nobis, & confirmatio operis nostri ab eo rogatur.

XXXV. IV. Obligat hæc petitio ad gratitudinem, A. Ne nostræ quidquam attribuamus industriæ.

XXXV. QUARTO plurimum quoque hæc oratio confert ad ingenerandam animo *gratitudinem.* Si enim à Deo vitæ nostræ petimus sustentacula, æquum est ut pro iis acceptis reddamus ipsi gratias. Multo autem gratitudo ista complectitur. Et primo quidem ne nostræ hic quidquam attribuamus industriæ atque solertiæ, Deum nobis aut coordinantes, aut subordinantes, aut, quod eodem fere recidit, prorsus prætereuntes. Eo naturaliter inclinat humani ingenii arrogantia. Cujus rei illustre in Nebucad-

netzare habemus exemplum: qui in superbo suo obambulans palatio, unde in pulcherrimam prospectus erat urbem, apud animum suum dicebat, *annon hæc est Babylon illa magna quam ego ædificavi, ut esset regia & ornamentum decoris mei, robore potentiæ meæ?* Dan. IV. 29. 30. Confer Jes. X. 13. *Quia dixit, virtute manus meæ feci, & sapientia mea, quod prudentia instructus sum.* Hoc est *vim suam sibi Deum facere, & sacrificare plagis suis ac suffitum facere retijaculo suo.* Habac. I. II. 16. A qua re populum suum alienissimum esse volebat Deus. Deut. VIII. 17. *Ne dicas cum animo tuo, virtus mea & robur manus meæ paravit mihi opulentiam hanc.* Minaturque, si secus fecerint Israëlitæ, se ingratitudinem istam bonorum suorum ablatione ulturum. Hos. II. 8. 9. *Etenim ipsa non agnoscit me dare sibi frumentum, mustumque, & oleum, etiam argentum copiose suppeditare ipsi & aurum. Idcirco reversus recipiam frumentum meum tempore suo, & mustum meum tempestate sua, eripiamque lanam meam, & linum meum tecturum nuditatem illius.*

XXXVI. Imo ne gentilibus quidem inultum id sivit Deus. Memorabile est quod apud Ezechielem exstat, Cap. XXIX. 3. Ibi Pharao, rex Ægypti comparatur balænæ maximæ cubanti inter rivos suos, dicitque, MIHI EST RIVUS MEUS: NAM EGO FECI MIHI. Potest id intelligi ut verba sonant. Ægyptus enim Nilo suo in varios rivos regum artibus diviso valde superbiebat, eique feracitatem suam debebat. Notum est *Tibulli* illud ita Nilum compellantis:

XXXVI. Quod ne in Gentilibus quidem inultum sivit Deus.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Quia scilicet non nubium illa imbribus, sed terræ ipsius sudore, & Nili fluminis incrementis foveretur. Hunc amnem suum esse jactabat Ægypti Rex, quem sibi fecerit, id est in sua commoda suamque gloriam distinxerit atque aptaverit. At credibile est plura huic dicto subesse. Tralatitium in prophetiis est, populum cum fluento comparare. Vide sis Ap. XIV. 7. XVII. 15. Uti ergo per Euphratem intelliguntur Babylonii Jes. VIII. 7. ita hic per Nilum Ægyptii, populus Nilum bibens. Superbia ergo Pharaonis hæc erat, quod populum Ægyptiacum suum esse crederet tanquam propriam hæreditatem ac sortem, quæ auferri ab ipso non posset: quodque Deo insuper habito sibimet ipsi opes, regnum ac potentiam se debere jactaret. Injuriam hanc numini suo illatam adeo indigne fert Deus, ut dicat vers. 8. 9. *Ecce ego adducturus sum contra te gladium, & excisurus ex te homines & jumenta. Ut sit terra Ægypti desolationi ac vastitati, & experiantur me esse Jehovam; eo quod dixerit,* RIVUS MEUS EST: NAM EGO FECI. Prophetiæ respondet historia. Rex Ægypti qui tempore Ezechielis vixit, fuit *Pharao Hophra.* Jer. XLIV. 30. Nam Jeremias & Ezechiel, uti notum est,

eodem tempore prophetarunt. Eum LXX. vocant Ὀυαφρῆν. Videtur idem esse, quem *Herodotus* Ἀπρίην nuncupat. De quo hoc inter cætera narrat *Lib.* II. *Cap.* CLXIX. Ἀπρίεω δὲ λέγεται εἶναι ἥδε ἡ διάνοια, μηδ' ἂν θεόν μιν μηδένα δύνασθαι παῦσαι τῆς βασιληίης. οὕτω ἀσφαλέως ἑωϋτῷ ἱδρύσθαι ἐδόκεε. *Fertur Apries ea fuisse persuasione, ut nullus neque Deorum neque hominum possit sibi adimere regnum: adeo videbatur sibi stabilivisse.* Et tamen, sic pergit Herodotus, *tunc congressus prælio fugatus est, vivusque captus ad urbem Saim ductus est, in ædes quæ antea ipsius fuisset tunc autem Amasis regia: tandemque ab Ægyptiis strangulatus.* Sciendum tamen est, non in omnibus Herodoto & prophetis convenire. Sane quæ de Apriis superbia tradit pulchrum commentarium in Ezechiëlis verba exhibent: uti & quod generatim de fœdo ejus exitu narrat. Cæterum Herodotus dicit Ægyptios ab Aprie defecisse, & Amasin Regem fecisse. Scriptura autem tradit, Regem Ægypti illo nomine traditum esse in manus Nebucadnetzaris. Ezech. XXX. 25. At hæc propter viam. Illud solum intenderam urgere, quod non possit Deus æquo animo ferre eam sui oblivionem, qua fit ut Divina beneficia suæ miselli homunciones industriæ aut potentiæ imputent. Quod si tam severe ulciscatur in hominibus gentilibus, quid non exspectandum haberent Christiani, si eodem se impietatis crimine obstringerent?

XXXVII. B. Sed omnia bona nostra imputemus Deo.

XXXVII. Deinde id quoque exigit gratitudo, ut quod nobis derogamus Divino imputemus numini. Deut. VIII. 18. *Recordaberis Jehovæ Dei tui, quia ipse est qui dat tibi virtutem ad comparandum opulentiam.* vers. 10. 11. *Quum comederis & saturatus fueris, benedices Jehovæ Deo tuo in illa terra optima quam dederit tibi. Cave tibi, ne obliviscaris Jehovæ Dei tui.*

XXXVIII. C. Iisque hilariter utamur.

XXXVIII. Porro ista Divinæ bonitatis celebratio non sola gratæ mentis agnitione constat, neque verbis absolvitur: sed id etiam importat, ut bonis à Deo concessis, secundum ipsius voluntatem, & ad ipsius gloriam utamur. Dico *utendum* esse bonis Dei. Non enim in eo vel frugalitas consistit vel pietas, quas tamen virtutes multi aut avaritiæ suæ aut hypocriticæ superstitioni prætexunt, ut nostrum defraudemus genium, & in Divinæ benignitatis affluentia parce & nos ipsos & alios excipiamus. Hæc una earum vanitatum est, quas ex humani ingenii stultitia ortas non immerito sugillat Ecclesiastes, Cap. VI. 1. 2. *Est malum quod vidi sub sole, idque maximum super homines: Viro cui dederit Deus ipse divitias, facultatesque & honorem, & cujus animus non destituatur ulla re qua delectetur, quum huic non fecit copiam Deus ipse fruendi re illa; sed vir alienus fruitur illa. Hoc vanitatem & ægritudinem esse.* Ita qui instituit, is, insigni dementia, in mediis divitiis ipsum sese pauperem facit: *oblivisci-*

oblivifcitur ufus, rationes accipit, forum conterit, kalendarium verfat, fit ex domino procurator: uti fcite *Seneca ad finem Epift.* XIV. Homo Chriftianus, religionis fuæ veræque pietatis intelligens, quæ fibi à Deo conceffa funt, habet, poffidet, utitur, materiam virtutum.

Non hic fepofitas infelix ftrangulat arca
Divitias.
Quid ergo? —— *expofiti cenfus & docta fruendi*
Temperies.

Hoc certe ex fcitis fapientum eft. Ecclef. IX. 7. 8. *Agedum, comede cum lætitia cibum tuum, & bibe animo hilari vinum tuum; quandocunque benevole profequitur Deus facta tua Omni tempore funto veftimenta tua nitida, & unguentum infufum capiti tuo ne deficito.* Injuriam faciunt pietati Chriftianæ, qui eam pro re tetrica habent, & quæ cultores fuos hilari Divinarum benedictionum ufu fraudet. Aliter Ifraëlitas informavit Mofes, ubi de decimis agit deferendis in locum quem ifti fini deftinavit Deus, qui jufto longius fi abfuerit, permittit decimas pecunia commutare, additque: *Expendes pecuniam illam in omnia quæ defideravit animus tuus, in boves aut in pecudes, & in vinum & in alium potum inebriantem, denique in omnia quæ expetierit à te animus tuus, & comedes ibi coram Jehova Deo tuo, ac lætaberis tu cum familia tua.* Deut. XIV. 26. Neque credendum eft, fub Novi Teftamenti indulgentia Deum filios adultos adftrictius habere, quam olim infantes fub rigore Teftamenti Veteris.

XXXIX. Id tamen femper obfervandum, non aliter effe utendum bonis Dei, nifi fecundum ipfius voluntatem. Hæc autem eft voluntas ejus, ut procul omni mollitie contenti fimus præfentibus, ubique & in omnibus initiati, ad abundantiam & penuriam. Phil. IV. 12. ut corpus foventes nunquam illud proritemus ad lafciviam. Rom. XIII. 14. ne ullo unquam tempore animum gravemus crapula, aut ebrietate aut follicitudinibus hujus feculi Luc. XXI. 34. ne fub ullius rei mundanæ atque animalis poteftatem nos redigi patiamur. I Cor. V. 12. ut tempori nos accommodantes, ubi ad cilicium ac cinerem vocat Deus, deliciis ac commoditatibus noftris haut gravate careamus. Jef. XXII. 12. Denique ut res omnes hujus feculi præ Deo illiusque cultu relictas habeamus. Hebr. X. 34.

XXXIX. Semper tamen fecundum Dei voluntatem.

XL. Sed & ad gloriam ipfius referenda funt omnia I Cor. X. 31. Tunc autem ad gloriam Dei referemus, fi in ipfo bonorum ufu meminerimus benefactoris; fi non hærentes in rebus creatis, meditationibus noftris ad creatorem adfcendamus, cogitantes illius nos virtute fuftentari, illius bonitate refici, illius pinguedine fatiari, illius dulcedine exhilarari, illum denique effe cujus ubertatem in cibo, in potu noftro guftemus; fi ipfo cibo & potu ea intentione utamur, non ut inde animalem quandam voluptatem per-

XL. Et ad ipfius gloriam.

percipiamus, quam carnales homines communem cum brutis habent, sed ut corpore atque animo alacriores simus ad Dei ministerium; si ab iis quæ in vita hac animali jucunda nobis accidunt piis desideriis ad vitæ spiritualis ac cœlestis delicias enitamur, quas terrestres animæ nec sapiunt nec capiunt; si vitam ipsam eo fine amemus, ut eam impendamus Deo, utque eo plures inter mortales inveniantur, qui Patris nostri cœlestis nomen sanctificent, qui regni ipsius cives sint eique promovendo inserviant, qui denique voluntatem ipsius in terra faciant ad exemplar sanctorum cœlitum. O quam spiritualis est hæc petitio de pane corporali, modo eam rite intelligamus, & in spiritu oremus!

EXERCITATIO. XII.

DE

REMISSIONE DEBITORUM.

ΚΑΙ ΑΦΕΣ ΗΜΙΝ ΤΑ ΟΦΕΙΛΗΜΑΤΑ ΗΜΩΝ, ΩΣ ΚΑΙ ΗΜΕΙΣ ΑΦΙΕΜΕΝ ΤΟΙΣ ΟΦΕΙΛΕΤΑΙΣ ΗΜΩΝ.

BREVIARIUM.

I. *Christus oratione sua ad perfectam nos beatitudinem ducit.* II. *Partitio quartæ petitionis.* III. *Debitum hic notat peccatum.* IV. *Princeps hominis debitum est obedientia.* V. *Huic si non satisfecerit, incidit in debitum peccati.* VI. *Ea singuli habent quam plurima.* VII. *Quæ neque negari, neque cavillando eludi possunt.* VIII. *Nec à nobis, aut alio quoquam mortalium expungi.* IX. *Idcirco oranda remissio.* X. XI. XII. XIII. XIV. *Quæ multa complectitur.* XV. *Amplificatio petitionis.* XVI. XVII. *Debitores nostri qui sint.* XVIII. *Et quid debitorum istorum remissio.* XIX. XX. XXI. *Nostræ remissionis ad Divinam respectus.* XXII. *Praxis.* XXIII. XXIV. XXV. XXVI. *Uti peccato non remisso nullum dirius malum est.* XXVII. XXVIII. XXIX. *Ita in remissione peccatorum magna est felicitas.* XXX. *Quæ non tam facile acquiritur ut multi sibi persuadent.* XXXI. XXXII. XXXIII. *Quod ad excutiendum securitatis lethargum plurimum valere deberet.* XXXIV. *Pathetica excitatio.* XXXV. *Media ad obtinendam remissionem.* XXXVI. *Ejus obtentæ jucunditas.*

PErfecta omnibusque numeris consummata hominis peccatoris beatitudo duabus partibus absolvitur: primo collatione omnis boni, deinde ablatione omnis mali. Quandoquidem beatitudo, Boëthio finitore, est status bonorum omnium aggregatione perfectus; beatus censeri non meretur, cui bonum aliquod deest cujus desiderio torqueatur. Porro quum exiguum aliquod malum sufficere queat ad obtundendum sensum gustumque plurimorum & maximorum bonorum; id quoque ad beatitudinis consummationem requiritur, ut nullus in ea mali sensus remaneat. Fatendum utique est, tam perfectam felicitatem nulli mortalium in hac vita contingere. Sed & illud firmiter tenendum, hanc esse Religionis Christianæ præ cæteris omnibus quorumcunque populorum placitis ac dogmatibus præcellentiam; ut sinceros sui professores ad supremum illud beatitudinis culmen certis quibusdam gradibus promoveat. Dum etiamnum in terris commorantur, Deus se virtute gratiosi fœderis iiscum communicat, sic ut gloriari iis liceat, *Jehova portio mea est, inquit anima mea.* Thr. III. 24. Deus autem est omnia: quidquid alibi boni reperitur, quidquid boni animus vel cogitando sibi fingere potest, universum illud eminenter in Deo est; qui idcirco suis est *merces valde magna.* Sed & in Deo protectio est contra omne malum. Idcirco se suorum dicit esse *clypeum,* qui omnem mali impetum ita in se recipit, ut a suis abmoveat. Gen. XV. I. Cæterum etiamsi hæc omnia perfectissime in fruitione Dei sint, fruitio tamen Dei in hac vita non est perfecta. Ideoque semper aliquid boni remanet, quod petamus; semper aliquid mali, quod deprecemur. Donec ad perfectam Dei fruitionem promoti, omni bono abundantissime satiemur, sine ullo mali sensu aut metu. Ad tantam felicitatem discipulos suos hac oratione deducit Jesus. Primo enim jubet ea bona votis expetere, quorum primitiæ ad eam beatitudinem sufficiunt, cujus hæc vita capax est, & in quorum plena fruitione omnis est desiderii satietas. Nam profecto qui Deum perfecte cognoscendo & perfecte amando sanctificat, qui omni Regni Dei opulentia locupletatur, qui cœlestibus aggregatus geniis ita ut illi in omni voluntate Dei acquiescit, ei quid bonorum desit nemo facile dixerit. Deinde docet Dominus deprecari ea quæ mala sunt. Malorum autem omnium compendium in peccato est. Porro in peccato considerari potest, reatus quo nos obstrictos tenet ad condemnationem, & tyrannicum dominium quo sibi miseros mancipat. Adversus utrumque igitur precibus nostris vigilare jubemur. Nam neque alterum ab altero separari potest, & alterutrum sufficeret ad nos omni bonorum Dei participatione excludendos. Primo autem oramus adversus reatum peccatorum nostrorum petitione quinta, in hæc verba: **REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA. SICUT ET NOS REMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.**

I. Christus oratione sua ad perfectam nos beatitudinem deducit.

II. Partitio IV. Petitionis.

II. Duo hic nobis explicanda. I. PETITIONIS PROPOSITIO. II. ILLIUS AMPLIFICATIO. In propositione expendendum. I. Cur peccatum dicatur *debitum*. II. Cur de *debitis* hic loquamur in plurali numero. III. Quid significet hic *remissio debitorum*.

III. Debitum notat peccatum.

III. *Debitum hic* peccatum notat, exponente Luca Cap. XI. 4. *Et remitte nobis peccata nostra.* Eodem sensu dicit Dominus Cap. XIII. 4. *Illi decem & octo supra quos cecidit turris in Siloam, & quos interemit, putatis* DEBITORES (id est facinorosos) *fuisse præ omnibus hominibus qui habitant Hierosolymis?* Princeps hominis debitum est obedientia Deo. Illi debito non soluto, succedit aliud debitum peccati, quo peccator pœnam debet Divinæ justitiæ, Digna res quæ paullo enucleatius tradatur.

IV. Princeps hominis debitum est obedientia Deo.

IV. Deus est Primus, Summus, Absolutus Dominus omnium earum rerum quas fecit. Idcirco necessum est ut omnia quæ extra Deum sunt ipsi subsint, omni eo modo quo subesse possunt. Præterea Deus est suprema Ratio, & Purissima Sanctitas: inque ea re Exemplar Creaturarum rationalium. Pro ista sua suprema in res omnes potestate Legem homini dedit, in qua expressio quædam & delineatio sanctitatis suæ est, quatenus ea imitabilis est homini. Ea lege aliquid ab homine exigit atque postulat. Illud omne nimirum quod æquum justumque est Mich. VI. 8. ומה־יהוה דורש ממך *Et quid Jehova requisivit abs te, nisi ut exerceas jus, & ames benignitatem, & modeste ambules cum Deo tuo?* Eandem legem, ut venerabilior pariter atque amabilior homini esset, sancivit hinc promissionibus maximorum bonorum, quæ addicit omnibus colentibus majestatem & amantibus sanctitatem suam, inde comminationibus horrendæ maledictionis æternum incubituræ omnibus osoribus suis & contemtoribus mandatorum suorum. Unde conficitur, hominem Deo debere obedientiam, sive, quod idem est, omnis pietatis virtutisque exercitium, in agnitione supremæ potestatis & purissimæ sanctitatis ejus, ad acquirendum ejus favorem atque evitandam ejus iram. Rom. VIII. 12. *Nempe igitur, fratres,* DEBITORES SUMUS, *non carni, ut secundum carnem vivamus;* supple, sed spiritui, ut vivamus secundum spiritum. Luc. XVII. 10. *Quod debuimus facere, fecimus.* Hoc est debitum homini naturale, quod oritur necessario ex ea relatione, quæ est inter Deum ut supremum Dominum & summam sanctissimamque Rationem, & inter hominem ut Creaturam Dei Rationalem.

V. Huic si non satisfecerit, incidit in debitum peccati.

V. Huic debito si non satisfecerit homo, incidit in aliud debitum, nimirum peccati. Quod debitum vocatur quia peccando se reum facit violatæ Divinæ Majestatis & Sanctitatis: ita sese in conspectu Dei gerens quasi non esset Deus cui deberet subjectionem: imo quasi ipse esset Deus, & supremus actionum suarum arbiter; & quod omnium pessimum est, quasi Deus esset peccatori similis, qui delectetur iniquitate neque ullam unquam

criminum

criminum exacturus sit pœnam. Ps. L. 21. *Cogitas me prorsus esse similem tui.* Hoc est Deum solio suo deturbare, cui se proterve peccator imponat; imo, quod horrendum cogitatu dirumque dictu est, hoc est Deum in Satanam commutare, ne peccator dissimilis videatur Deo. Nonne ita agendo tale tantumque contrahitur debitum, cui solvendo nullæ unquam hominum facultates æternum sufficient? Mich. VI. 6. 7. *Veniamne ante eum cum holocaustis? cum vitulis? anniculis? An accepta haberet Jehova millia arietum? myriadas torrentium olei? an darem primogenitum meum pro defectione mea? fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Nonne isthoc scelere meretur peccator ut omni, si quam haberet, felicitate mulctetur, excidatque præsenti numinis favore, ac spe futuræ gloriæ? Rom. III. 23. quæ nullo rursus pretio comparari possunt. *Quid enim dabit homo ad redemtionem animæ suæ?* Matth. XVI. 26. Nonne denique debitorem se facit Divinæ justitiæ vindicativæ, ut æternis animi corporisque cruciatibus, ei, si pote, satisfaciat? Matth. XVIII. 34. *Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quo redderet id omne quod sibi debebatur.*

VI. Tale debitum si unum duntaxat numero contraxissemus, nonne illius cogitatio sufficeret ad incutiendum animo insuperabilem horrorem? Nunc autem in rationibus nostris exstant *debita*. Debita, inquam, omne genus. Originale, Imputatum, Inhærens: Actualia, omissionis, commissionis, ignorantiæ, infirmitatis: malitiæ: sine modo, sine numero. *Errores quis intelligat?* Ps. XIX. 13. **VI. Ea singuli habent quam plurima.**

VII. Si negari possent ea debita, aut cavillatione aliqua eludi; non deesset homini peccatori vel audacia mendacii, vel solertia fraudis, ut quomodocunque creditoris sui manum evaderet. Sed chirographum omnes gestamus in pectore. Jer. XVII. 1. *Peccatum nostrum scriptum est stilo ferri, & scalpro lapidis perdiuturni; exaratum in tabula cordis nostri.* Indelebilibus characteribus consignatum est in libro Divinæ omniscientiæ, libro, inquam, illo commentarii cœlestis, de quo Malac. III. 16. Unde Deus ordine peccatoribus omnia edisseret. Ps. L. 21. Neque ullus erit aut negandi aut cavillandi locus. *Si viribus experirer, ecce fortissimus est: sin judicio, quis vadimonium constitueret mihi? Si justum me assererem, os meum condemnaret me: Si integrum me, perverteret me.* Job. IX. 19. 20. Iterumque vers. 30. 31. *Si lavero me aquis nivalibus, & emundavero smegmate manus meas; tum in foveam demerges me, & abominabuntur me vestes meæ.* Quorum dictorum hæc est summa: nihil agere hominem negatione, excusatione, palliatione, purgatione delictorum suorum; imo hoc agere, ut delicta augeat, judicium sibi gravius accersat, & denique convictus atque αὐτοκατάκριτος esse appareat. **VII. Quæ neque negari, neque cavillando eludi possunt.**

VIII. Cæterum & illud aliquam debitori fiduciam faceret, si forte inter

VIII. Nec à nobis aut alio quoquam mortalium expungi.

amicos suos ac proximos opulentus aliquis ac beatus inveniretur, qui ex suarum abundantia divitiarum ære eum alieno liberare & vellet & valeret. Verum ne & hinc vel minimam sibi spem peccator fingat, efficit commune omnibus debitum; cujus confessionem edimus dicendo, *nostra debita*. Nemo unus est mortalium, quin animam debeat. *Sicut scriptum est: non est justus, ne unus quidem. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Rom. III. 10. 12. Quandoquidem ergo omnes ære alieno pressos esse constat, nemo est qui suum expungere debitum valeat; nedum aliorum. *Fratrem nullo modo redimere potest quisquam, non dare Deo redemturam ejus. Est enim cara redemtio animæ eorum, imo cessat in seculum.* Ps. XLIX. 8. 9.

IX. Idcirco oranda remissio.

IX. Hæc autem omnia eo nos subigunt, ut ad pedes Creditoris prolapsi gratiam ipsius imploremus, non ore magis quam animo clamantes, REMITTE. De remissione peccatorum non indiligenter diximus *Exercit.* XXV. *In Symbol.* quæ hic repetere nihil attinet. Id solum nunc monendum esse videtur, qua mente debitorum nostrorum remissionem hac oratione petamus.

X. Quæ multa complectitur.

X. Videlicet id exposcimus I. Ut Divinæ bonitatis indulgentia criminum nobis nostrorum veniam faciat, non exigendo à nobis quam meriti eramus pœnam, neque tanta severitate castigando ut illi ferendæ impares simus. Ps. VI. 2. *Jehova ne in ira tua reprehendas me: neque in excandescentia tua castiges me.*

XI. II. Ut Deus propter satisfactionem & merita Filii sui propitius nobis sit, animumque habeat placatum ac benevolum non obstantibus omnibus nostris criminibus, & singulari eo crimine, quod orantes cum dolore ac pœnitudine confitemur. Ps. CXLIII. 2. 7. *Ne congrediaris judicio cum servo tuo: nam non esset justus coram te ullus vivens. Festina, exaudi me Jehova, consumitur spiritus meus; ne abscondas faciem tuam à me.*

XII. III. Ut gratiæ istius suæ certiores nos facere dignetur per arcanum Spiritus sui testimonium: & sententiam pronunciatam in foro cœli obsignatamque sigillo suo, intimet atque insinuet animis nostris per Spiritum Sanctum. Hoc credibile est Davidem petiisse Ps. LI. 3. 10. *Gratiam mihi fac, ô Deus, secundum benignitatem tuam; secundum amplitudinem miserationum tuarum, dele defectiones meas. Facito ut audiam gaudium & lætitiam.* Audiverat jam gratiosum Dei consilium ex ore Nathanis. 2. Sam. XII. 13. *Etiam Jehova transtulit peccatum tuum, non morieris.* At eo nondum plane contentus, interno Spiritus alloquio certiorari sese cupit. Hoc demum considerat uti veram, & si non unicam, maximam certe & proximam caussam redeuntis post prolixum mœrorem lætitiæ. Vix est ut verbo nudi hominis, etiam si fidus Dei minister, imo & Propheta sit, committere se suspicax animus in tanti momenti negotio ausit. Tunc demum plane acquiescit, ubi

Deum

Deum ipsum de gratia sibi loquentem audire datum est. *Dic anima mea, salus tua ego sum.* Ps. xxxv. 3.

XIII. Porro quum illud Spiritus alloquium non tam verbis quam rebus absolvatur, petimus IV. ut ea nobis Deus largiatur quæ remissionem peccatorum consequi solent, imprimis ut nos re admittat ad familiare sui commercium, mutuumque jucundissimæ amicitiæ exercitium. Conferri hic analogice potest historia Absalomi. Revera condonaverat ei David commissum in fratrem parricidium; & declaraverat id per Joabum, jubendo ut Geschure rediret Hierosolymam; non tamen confestim eum admittebat ad aulam, minus ad cubiculum, minime ad osculum. 2. Sam. xiv. Eodem fere modo cum Davide agebat Deus. Quamvis animum non haberet ulciscendi ipsius crimina; quamvis, uti modo dictum, eum animum suum per Nathanem jam declaravisset; non tamen mox amico fruebatur Deo; non licebat, ut olim, familiariter ad ipsum accedere, & in suavissimo Divinæ gratiæ gustu deliciari; sed excarnificatus aliquandiu horrendis animi angoribus, petit sibi *reddi gaudium salutis, ut exsultent ossa quæ contrita erant.* Ps. li. 14. 20.

XIV. Idem frequenter accidit fidelibus. Postquam semel Dominum Jesum vera vivaque fide receperunt, reconciliati cum Deo & justificati sunt, sic ut certum sit non incubiturum iis iræ Divinæ pondus ad condemnationem. Fieri tamen potest, & fit frequenter, ut iidem fideles ex statu iræ in statum gratiæ translati, incidant in grandius aliquod crimen, vel etiam in languentem & torpidum animæ statum. Id ubi contigerit, solet Deus, ad demonstrationem sanctitatis suæ, & odii quo prosequitur peccatum, faciem suam abscondere, imo gravissimæ indignationis indicia præ se ferre, virgam paternæ vindictæ ostentare; & ne supplicem quidem mox ad benevolentiæ pristinæ jucundam fruitionem admittere. Non potest id non durissimum esse animo peccatorum suorum conscientia presso, Deum interim sincere amanti, ejusque favorem rebus omnibus anteponenti. Hinc lachrymæ, singultus, suspiria, querelæ, & ex imo corde vociferationes, donec bonus ille Pater cœlestis ad redintegrationem dulcissimæ amicitiæ exorari se patitur. Nihil vetat quo minus ea quæ dixi omnia hac petitione comprehendi posse statuamus.

XV. Placuit autem Christo Domino petitionem hanc addita insigni ratione amplificare: SICUT ET NOS REMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS. Ad cujus intelligentiam notandum est. I. Quinam sint illi *Debitores.* II. Qua in re consistat ea *nostrorum debitorum remissio.* III. Quem *respectum* hæc remissio habeat ad eam quam à Deo petimus. XV. Amplificatio petitionis.

XVI. *Debitores nostri* non ii sunt, qui, secundum contractuum civilium jus, pecuniam, aut officia aliqua nobis debent; quasi ea jure atque XVI. Debitores nostri qui sint.

ordine

ordine exigere homini Christiano nefas sit. Semper enim homo Christianus manet civis Reipublicæ, neque sanctissimæ religionis professio quenquam eo jure fraudat quod leges naturæ, aut gentium, aut civiles, hominibus & civibus concedunt. Fucum facerent debitores, qui Christianismum prætexerent suæ injustitiæ ac nequitiæ. Singulis solvendum est quod debent. Rom. XIII. 7. 8. *Reddite igitur omnibus quod debetis. &c. Nemini quidquam debete, nisi hoc ut alii alios diligatis.* Ipse Paulus, quando apud Philemonem intercedit pro fugitivo servo Onesimo, qui nondum Christianus se ipsum & alia hero subduxerat, veniam quidem delicti gratiamque petit, sed ita ut simul solutionem polliceatur. Philem. vers. 18. 19. *Quod si qua te injuria affecit, aut debitor tibi est, hoc mihi imputato. Ego Paulus scripsi mea manu, ego dependam.* Est aliqua in mundo religio, quæ ad sui propagationem, & hæresios quam vocat destructionem, jus ac fas esse putat Catholicos suos, si quid hæreticis debeant, solvendi obligatione exsolvere. Cæterum ea quæ jus naturæ ac gentium tam palam violat, quamvis sola se Christianam dici postulet, hac certe in parte nihil minus quam Christiana est. Id interim æquitas & misericordia, quam communis humanitas suadet, & Christianismus validius persuadet, à creditoribus exigit, ne nimio erga debitores suos rigore utantur; sed pro stricto jure dominetur charitas, quæ legis nostræ completio, & Christianismi tessera est. Rom. XIII. 10. Joh. XIII. 34. 35.

XVII. Debitores itaque nostri ii hic dicuntur, qui nos offenderunt, sive moliminibus, sive dictis, sive factis iniquis. Equidem omnia peccata adversus Deum committuntur, tanquam supremum Dominum, & Legislatorem. Quædam tamen adversus homines quoque; uti objecta circa quæ peccatur. Uti si quis aliorum vitæ, pudicitiæ, bonis, existimationi vim aut fraudem facere animum induxerit. Is se eo facinore alteri debitorem constituit, ad reparationem injuriæ. Et de talibus hic debitoribus sermo est.

XVIII. Et quid debitorum istorum remissio.

XVIII. Quibus sua à nobis debita *remitti* Dominus postulat: non ea mente, quasi prorsus illicitum foret injuriæ reparationem petere, modo id legitime, sine acerbitate, sine vindictæ cupiditate sine charitatis læsione fiat. Sed quod omne odium, omnem inimicitiam, omnem rancorem deponi à nobis velit; ne quid male cupiamus, nedum faciamus illis à quibus non uti par est excepti sumus: ne iis quæ ipsis adversa contingunt gaudeamus: imo vero ut iis bene velimus, &, ubi occasio ita fert, bene faciamus: id simul optantes ut & Deus ipsis condonet suæ legis in injuria nobis facta violationem. Uno verbo, remissio hæc notat omnis malevolentiæ depositionem, & officia charitatis erga offendentes. Sicut Paulus exponit. Col. III. 12. 13.

XIX. Nostræ remissionis ad Divinam respectus.

XIX. At quem denique *respectum* nostra hæc remissio habet ad eam quam à Deo poscimus? Non sane hoc docere nos voluit Dominus, magnam valde

valde nedum omnimodam inter utramque ſimilitudinem intercedere. Nam Divina illa à noſtra immenſum quantum diſſidet. I. Deus nobis remittit, ut Dominus, Legislator, Judex, pro ſuprema ſua poteſtate. Nos nobis invicem, ut pares, & in mutuis ſæpe offenſis vel æquales vel certe ſimiles. II. Deus, quum perſonam juſtiſſimi judicis deponere non poſſit, peccata non remittit niſi intuitu ſatisfactionis Chriſti, *quem conſtituit placamentum per fidem in ſanguine ipſius, ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ, ut juſtus ſit dum juſtificat eum qui eſt ex fide Jeſu.* Rom. III. 25. 26. Nos autem, quum ut privati & fratres hic conſideremur, quamvis ad reparationem teneamur injuriæ, remittere tamen debemus etiam ſine ſatisfactione ulla, & quo liberalius ac promtius cedimus noſtro jure eo agemus laudabilius. III. Deus ita condonat, ut peccatorem ab æternis pœnis ſupremoque ſupplicio liberet, ac ſuo beet favore, in quo vitæ omniſque felicitatis fons eſt. Nos ita, ut eum qui offendit non perſequamur invalida noſtra & nihil fortaſſis nocitura ira; atque ad ſummum noſtra dignemur benevolentia, quæ quum paupertina ſemper ſit, vix eſt ut multum inde commodi percipere queat. Et ſane miſere nobiſcum comparatum eſſet, ſi non infinito plus utilitatis ex Dei remiſſione ad nos redundaret, quam ex noſtra ad proximum noſtrum.

XX. At neque hoc voluit Dominus, ut noſtram remiſſionem allegaremus veluti cauſſam aliquam meritoriam remiſſionis Divinæ. Nihil enim orantem magis dedecet, quam faſtuoſa meritorum præſumtio. Maxime ubi quis delicti veniam petit. Quænam hæc eſſet impudens damnabilis peccatoris ſuperbia, ut cum criminum teterrimorum confeſſione, quibus ne ſpeciem quidem ullam prætexendam habet, arrogantem meritorum ſuorum jactationem jungat? utque miſerabilem illam ſuam remiſſionem, quam ut officium charitatis proximo debet, & qua ipſe fortaſſis haut minus frequenter indiget, allegare præſumat tanquam cauſſam qua ſe Divina remiſſione dignum faciat? Procul à Chriſtiani pectoris humilitate tam indecens faſtus abſit; cum maxime in oratione, atque ea quidem orationis parte, qua gratiam & veniam ſupplex precatur.

XXI. Verum ita noſtram hanc remiſſionem allegari Dominus patitur. I. Ut contineat argumentationem aliquam apud Deum, liberam quidem, ſic tamen ut libertas illa cum veneratione atque reverentia numinis conjuncta ſit. Argumentationem, inquam, qua, procedendo à minori ad majus, hoc fere modo cum Deo agimus: Domine, nos quorum benignitas arcta ſemper atque maligna eſt, ita erga proximum noſtrum affecti ſumus, ut offenſas ei ſuas haut illubenter condonemus; quanto ergo majori cum fiducia idem nobis à te expetamus, cujus immenſa benignitas neque modos ullos neque terminos habet? Nititurque hæc argumentatio ſimili illatione

quam præformavit nobis Christus. Luc. XI. 13. *Si vos, qui mali estis, nostis bona dona dare; quanto magis Pater ille vester cœlestis?* II. Ut indicium Divinæ circa nos & in nobis gratiæ. Hinc enim patet nondum nos pravis affectibus nostris prorsus esse traditos neque Deum Spiritu suo plane à nobis recessisse; quandoquidem ea in nobis miserationis viscera inveniuntur quæ non nisi à Spiritu gratiæ & charitatis sunt. Atque inde nobis ulterioris gratiæ concessionem non vana spe pollicemur. Solet enim Deus dona sua novis donis coronare. III. Uti id quod sensum remissionis peccatorum nostrorum necessario antecedit: & cujus defectus iram Patris nostri cœlestis adversus nos accenderet. Fieri enim non potest ut certi ac securi simus nostra nobis crimina condonata esse, idque ad gaudium ac consolationem animi nostri experiamur; nisi hoc fraternæ charitatis officium erga proximos nostros exerceamus. Imo vero iratum, uti cæteris criminibus, ita & duritiei nostræ, habebimus Deum, quamdiu implacabilem erga fratres animum retinemus. Mar. XI. 25. 26. *Et quum adstiteritis precantes, remittite si quid habetis adversus aliquem; ut & Pater ille vester qui in cœlis est remittat vobis offensas vestras. Nam si vos non remiseritis, nec Pater ille vester qui in cœlis est, remittet offensas vestras.*

XXII. Praxis.

XXII. Id itaque animo nostro infixum maneat: HOMINI PECCATORI PECCATORUM SUORUM REMISSIONEM MAXIMO SERIO A DEO EXPETENDAM ESSE. Huc enim nos ducit ea quam hactenus exposuimus Dominicæ orationis pars. Neque profecto desunt ingentes quæ eo impellant rationes.

XXIII. Uti peccato non remisso nullum dirius malum est.

XXIII. Nam nullum dirius malum est quam peccata non condonata. *Si iniquitates observaveris, Domine, quis possit consistere?* Ps. CXXX. 3. A Dici non potest quantopere peccati non remissi moles miseram premat animam, opprimat conscientiam. Ps. XXXVIII. 5. *Iniquitates meæ transcendunt caput meum; ut onus grave, graviores sunt, quam ut perferre queam.* Nulla intus tranquillitas, nulla pax est, donec criminum suorum reatu obstrictus animus, à se, à Diabolo, à Deo, ab omnibus denique metuendum habet. Ipse sibi obversatur ut monstrum horrendum, informe, ingens; cujus intuitu continuo exterretur: ubi ubi commoratur perpetuum intus carnificem circumfert, horrendis terroribus excruciatur; hæret lateri lethalis arundo, post equitem peditemque sedet atra cura. Aut si nescio quo malagmate mitigetur ad tempus dolor, ulterius carcinoma serpit, mox gravioribus symptomatibus proditurum. Non extinguitur ita incendium: manent ignes suppositi cineri doloso. Nunquam bona fide sibi reconciliabitur peccatoris animus, donec reconciliatus sit judici suo, nempe Deo. I. Joh. III. 20. Deo autem non reconciliatur, nisi per offensarum remissionem.

XXIV. B.

XXIV. B. Donec eam obtinuerimus, carendum nobis erit Divinæ bonitatis favore, qui vita ipsa jucundior est Ps. LXIII. 4. non licebit ad Deum tanquam ad Patrem nostrum familiarius accedere; aut in facie ipsius ullum cernere paternæ indulgentiæ indicium; aut ex ore ipsius ullum intelligere exoptatissimæ consolationis verbum; aut in animo nostro persentiscere ullum suavissimi amoris influxum; nedum ut ad amplexus & oscula admittamur, pro quibus vitam ipsam depacisci grave non sit. De cœlo ac salute ne cogitemus quidem. Clausa ea porta est. Paradiso ejectis, dum peccata manent, nulla redeundi spes. Si contingat nobis in isthoc rerum statu, bonis hujus seculi frui; non sunt nobis bona. Non proveniunt ex eo Dei favore, unde omnibus rebus sua demum bonitas constat. Et quid tandem proderunt mox misere perituris? Lautus fortassis & opiparus, sed novissimus, & ad mortem æternam damnatis, apparatus.

XXV. C. Neque solum Divino nobis carendum erit favore, sed & experiunda iræ atque excandescentiæ illius intolerabilis acerbitas. Dira est peccati lues: quidquid tangit, id inficit: corpus, animam, & facultates denique omnes execrabili veneno corrumpit. Maledicta peccatori sunt omnia. *Maledictus est in civitate, maledictus ruri. Maledictus corbis ipsius, & mactra. Maledictus fructus ventris sui, & fructus terræ suæ, fœtus boum, & greges pecudum. Maledictus est in ingressu suo, maledictus in egressu.* Deut. XXVIII. 16. 19.

XXVI. D. Hæc autem omnia, quantumvis dictu gravia, perpessu aspera, non nisi dolorum initia sunt. Longe duriora criminum supplicia post hanc vitam luenda habebunt peccatores, in interminabilem usque æternitatem. O si profanos illos, nimiumque suo periculo securos, manibus vel auribus potius prehensos, deducere mihi liceat ad ferreas inferorum portas, ut cominus viderent quibus excrucientur damnatorum animæ tormentis; ut audirent planctus & lamenta, quibus, at nil profuturo luctu, male impensi temporis, male collocatæ operæ, male neglectæ Divinæ gratiæ, irreparabilem jacturam dolent; ut denique quasi coram cernerent terribilissimos, sed & perpetuos, acutissimorum flagellorum ictus, quibus justissima numinis severitas, non carnem solum, sed & viscera & ossa & medullam lacerat: fortassis tantarum contemplatio ærumnarum animos horrore perculsos, ac criminum suorum conscientia tactos, ad pedes supremi judicis abjiceret, ut dum nondum oppessulata gratiæ janua est, omni prece, suspiriis, lachrymis veniam exorent. Non enim profecto hæc inania credularum mentium terriculamenta fictaque spectra sunt: sed certissimæ veritatis oracula. O miseram, neque ullis unquam lachrymis satis deplorandam eorum sortem, qui reatu peccatorum suorum constricti remissionis expertes sunt!

XXVII. Ita in remissione peccatorum magna est felicitas.

XXVII. E contra beata admodum eorum conditio est, quibus peccatorum veniam clementer indulget Deus. Psſ. XXXII. 1. 2. Tunc enim A. Ab ira & maledictione, atque omni malo quod revera malum est, liberantur. Rom. VIII. 1. Non est quod exhorrescant ad conscientiæ accusationes, ad Diaboli calumnias, ad Judicis severitatem, ad numinis vindictam, ad inferorum mentionem. Quid accuset conscientia, si placatus sit conscientiæ Dominus? Quas calumnias intentet Diabolus, si justificet Deus? Quæ metuenda sit judicis severitas, aut numinis vindicta, si satisfactum sibi esse semel declaraverit? Quid terreat inferorum mentio, si id sublatum sit cui soli inferos minatus est qui inferorum æque ac cœlorum claves solus habet? Si paternæ adhuc ferendæ sint castigationes; at benigni patris erunt, non severi judicis; dignaque ea patris virga est quam proni supplicesque osculemur. Mich. VII. 9. Si contingat ut cum variis præsentis seculi miseriis luctandum sit, aberit ab iis maledictio, cujus acerbitas sola miseriam facit; bonæ erunt, & ad bonum cooperabuntur. Thren. III. 27. 28. Rom. VIII. 28. Imo ne ipsum quidem mortis nomen iis terribile esse debet qui placatum Deum habent; quia amisso aculeo suo non est amplius illa mors, peccati pœna; sed peccandi finis, peccati condemnatio, & introitus ad vitam. Qui revera peccatorum veniam consecutus est; ei licet de morte atque inferis triumphum cum Paulo canere. 1 Cor. XV. 55. 56. 57.

XXVIII. B. Porro peccatorum remissio non solum ab ira Dei liberat, sed & favorem atque amicitiam Dei peccatori reconciliat. Nam uti ex amore benevolentiæ, atque præveniente Dei gratia peccatorum remissio proficiscitur; ita remissio ista peccatorem in eo constituit statu ut Deus eum prosequatur amore complacentiæ, & dignetur participatione dulcissimæ suæ gratiæ. Tunc licet faciem Dei ut propitii Patris intueri, & frui blandi sermonis alloquio, & deliciari in sensu gustuque jucundissimæ familiaritatis, cui nulla vini suavitas comparari queat. *Non enim*, inquit Deus, *in seculum contendam, neque in æternum effervescam: nam spiritus à conspectu meo obrueretur, & animæ quas ego feci. Vias ejus video, sed curabo eum: & reducam eum, reddamque consolationem ei, & lugentibus ejus.* Jes. LVII. 16. 18.

XXIX. C. Quandoquidem hæc omnia procedunt ex plenissima Christi satisfactione, qua non modo impunitas sed & felicitas fidelibus impetrata est; consequitur, cum remissione peccatorum conjunctam esse adjudicationem juris ad vitam æternam. Adeo ut qui remitti sibi debita sua petit, eadem opera petat decerni sibi consummatam felicitatem. Beatos itaque illos, atque omni quidem modo beatos, quibus de peccatorum suorum remis-

remissione gloriari in Domino licet. Et quis dubitet tantum bonum omnibus votis expetendum esse?

XXX. Idque eo magis, quia non tam facile acquiritur, uti multi sibi temere persuadent. Quantis Christo Domino laboribus, sudoribus, angoribus, perpessionibus; quam dira & maledicta morte constitit, antequam peccatorum remissionem electis suis impetrarit? Sed & ipsis multa supersunt agenda, antequam impetrata remissio iis applicetur. Multas oportet antecedere preces, moerores, lachrymas, luctas, cum diabolo & Deo, multos aestuantis animi dolores, priusquam de sui cum Deo reconciliatione certi reddantur. Docent id Davidis gemitus, Ps. LI. & XXXII. & Petri amarae lachrymae, Matth. XXVI. 75. & fluenta oculorum quibus pedes Domini rigavit nobilis illa & beata peccatrix. Luc. VII. 38. XXX. Quae non tam facile acquiritur, ut quidam sibi persuadent.

XXXI. Utinam haec, quemadmodum oportet; ad animum revocaretis I. Vos qui tanta cum voluptate peccatis indulgetis, qui securi, laeti, ridentesque debitorum vestrorum numerum immensum quantum indies augetis, quibus crimina non oneri aut horrori sed prolubio sunt, qui denique sannam sicut aquam bibitis. Mihi credite, nec mihi, sed Deo potius; insana illa peccandi voluptas, vel in hac vita, vel in futura, & fortassis in utraque, tandem in acerbissimum moerorem desinet. *Dicetis* aliquando *isti risui, insanus est, & laetitiae illi, ecquid ista facit?* Eccl. II. 2. Quod tanta cum aviditate nunc deglutitur, venenum est praesentissimum, quod intolerandis doloribus omnia erodet viscera. Vinum istud quod peccatum propinat, est *ex vitibus Sodomae & Gomorrae; uvae illius sunt uvae venenosae; botri amari. Venenum*, inquam, *draconum est vinum illud, imo venenum aspidum saevissimum.* Deut. XXXII. 23. 33. *Tandem velut serpens mordebit, & ut haemorrhois punget.* Prov. XXIII. 32. XXXI. Quod ad excutiendum securitatis lethargum pluri mum valere deberet.

XXXII. II, Sed & vos ex sopore vestro evigilate, qui tam gravi aere alieno pressi; sine tamen sollicitudine vitam transigitis; aut si quae aliquando invitos sollicitudo invadat, eam excutere omni nisu conamini: id agentes ne vel diem unquam minus festum, vel coenam minus hilarem, vel noctem minus securam habeatis. Quisnam hic est animi tam prave rebus suis consulentis lethalis torpor? Nunquid ea quae de peccatorum foeditate, deque debiti reatu quo obstringunt peccatorem, hactenus monuimus, nugas esse putatis & febricitantium insomnia? *Nemo vos seducat inanibus sermonibus.* Certe animam debetis, *propter ea quae perpetrastis venit ira Dei in homines contumaces* Eph. V: 6. *Afflictio*, inquam, *erit & angustia in omnem animam hominis Perpetrantis malum, tum Judaei imprimis, tum etiam Graeci. Non enim est personarum acceptio apud Deum.* Rom. II: 9. II. An vero vestra vos debita inficiaturos esse speratis? Enimvero non poteritis. Praesto sunt rationes exactissimae accuratissimi

curatissimi creditoris, quibus non potest quin adstipuletur animi vestri conscientia. An fuga vobis consulere præsumitis, ut manus injectionem à creditore evadatis? At quâ, aut quo? *Si scanderetis cælos, ecce illic est: si stratum poneretis in sepulcro, ecce adest: si assumeretis alas auroræ habitaturi in extremitate maris, etiam illic manus illius teneret vos, & apprehenderet vos dextra ejus.* Ps. CXXXIX: 8. 9. 10. Ubi tandem tutum asylum invenietis adversus omnipræsentem? *Superbia animi vestri decepit vos.* Obad. I, 3. *Si foderetis latitaturi in sepulcro, inde,* inquit Deus, *manus mea caperet vos: & si adscenderetis in cælum, illinc deducerem vos. Et si abderetis vos in vortice Carmeli, inde scrutatus caperem vos; & si occultaretis vos à conspectu oculorum meorum in fundo maris, inde præciperem serpenti ut morderet vos.* Amos. IX: 2. 3. An vero ea vos spe lactatis, futurum nunquam esse, ut rationes exigantur? Cæterum inviolabili juramento sanxit Deus, certo eas exigendas esse. *Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, Certe mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua palam agnoscet Deum.* NEMPE ERGO UNUSQUISQUE NOSTRUM DE SE IPSO RATIONEM REDDET DEO. Rom. XIV: 11. 12. An denique arbitramini, non defuturam vobis apologiam, qua excusetis aut purgetis admissa? O vanas decipientis se sponte animi cogitationes! ne folium quidem ficulneum habetis quod prætexatis peccato. Joh. XV: 22. *Ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.* Rom. III: 19. Quæ ergo ratio, aut quæ tandem rationis species superest, qua se tam insana securitas tueatur? Id fortasse restat, ut existimetis à clementissimo numine non admodum difficulter impetratum iri veniam; modo in lectulo emortuali verbis publicani illius Deum compelletis, *Domine propitius esto misero mihi peccatori.* Sed tu quis es qui plura tibi de Dei bonitate polliceri ausis, quam David aliquis, aut Hizkias, aut Petrus, aut Paulus, similesque quos amicos atque necessarios Dei fuisse ignorare utique non debebas, & qui non nisi per vallem lachrymarum in collem tranquille consolationis anhelantes enisi sunt? Nemo, nemo sibi molliores aditus imaginetur.

XXXIII. III. Sed & vos mihi compellandi estis, qui temere vobis peccatorum remissionem tanquam acquisitam certamque arrogatis, quamvis neque crimina unquam vestra uti par est defleveritis, atque etiamnum in iis vivatis, neque æquitatem, mansuetudinem, charitaten exerceatis erga proximos vestros. Quænam hæc est dementia, ut in tanti momenti negotio cascarum imaginationum stultorumve somniorum suaviludiis vos pascatis? Peccata nobis nostra, sic dicitis, sic credere vos profitemini, à Deo condonata sunt. Atque ista præsumtione freti animum, adversus omnes sive commonitiones, sive suspiciones, obduratis.

At

At quando condonata ſunt? Et quo modo? Quo die facta eſt ſententiæ illius abſolutoriæ pronunciatio? Quis illius vobis nuncium retulit? Quis inſinuavit, atque intimavit? Ubi illius exſtat exemplar? à quo ſcriptum? à quo ſubſignatum? Ænigmata, dicitis, & perplexi interrogationum gryphi: quis logos iſtos intelligat? quis reſpondeat? Itane vero? ignoratis hæc? non intelligitis? non eſtis experti? Et tamen tam confidenter de abſolutione gloriamini? Hoc ſane ſcitis, reos vos eſſe horrendorum criminum, meritos condemnationem æternam: rem vobis eſſe cum judice & omniſcio, & juſto. Ignoratis quando, quo modo, facta ſit veſtri abſolutio: non habetis proferre ullum argumentum idoneum, quo eam aliis, quo veſtro approbetis animo: & tamen libet vobis ſecuris eſſe, haut ſecus ac ſi nulla contracta eſſent debita, vel certe ac ſi apocham haberetis domi? Dicite mihi bona fide! nunquid ita inſtitueretis in debitis pecuniariis? ubi ſi quid neglectum, ſarciri meliori tempore ac faventiori oportunitate poſſet. Et quod ibi non audetis, id non dubitatis in hoc negotio facere, ubi bis peccare non licet, & à quo æterna animarum veſtrarum ſive ſalus ſive perditio pendet? Expergiſcimini tandem ex hoc lethargo: etiam atque etiam attendite, ne idem vobis eveniat, quod facinoroſo alicui, cui neſcio quis deceptor commentitios veniæ libellos obtruſit, quibus imprudenter fretus, quum minime exiſtimaret, ad malam crucem rapitur.

XXXIV. Pathetica Excitatio.

XXXIV. Vos autem, mei Fratres, quos in viſceribus Chriſti diligo, quorumque ſalutem vehementi deſiderio ſitio; vos, inquam, ſapientius atque proſpicientius agite. Miſereat vos veſtri: neque ſpem aliquam tantæ rei inædificetis niſi fundamento ſolido. Nemo veſtrum eſt, qui non mecum fateri cogatur, immenſa atque inſana ſe contraxiſſe debita; quæ neque inficiari; neque purgare habeat. Quid ſupereſt, niſi ut ad Deum converſi, in faciem proni, ſuſpirantes, plorantes, ſingultientes, iterum iterumque ingeminetis illud: Remitte Domine, remitte Pater Cœleſtis. Hoc mane, hoc meridie, hoc veſperi, hoc diu, hoc noctu clamate: interrumpite aliquoties ſeculi occupationes, ſeligite vobis locum ſolitarium ut ea de re cum Deo agatis: imo in mediis negotiis tacitis id, ſed Deo notis, gemitibus expetite: neque pacem animo aut tranquillitatem concedite, donec obtinueritis, & obtinuiſſe invictis argumentis certo perſuaſi ſitis.

XXXV. Media ad obtinendam remiſſionem.

XXXV. Ut autem obtineatis, hoc modo inſtituite. I. Peccatorum veſtrorum omnium ingenuam Deo edite confeſſionem. Nihil enim eſt quod ignoret, & diſſimulationem omnem pro indicio habet animi non candide ſecum agentis Pſ. XXXII: 2. 3. 5. Prov. XXVIII: 13. Luc. XV: 18. 19. 1 Joh. 1: 9. II. Subjicite vos humiliter virgæ paternæ caſtigationis ſuæ,

id

id unice deprecantes ne in furore suo vos corripiat. Dicite, Domine, si sapientia, & sanctitas, & bonitas tua me jubeant amaritudinem peccatorum meorum gustare; si carendum mihi aliquamdiu sit luce exoptatissimæ faciei tuæ, præ qua tamen quidquid mihi in hoc mundo jucundum est carere mallem, si experiunda indignationis tuæ, quæ morte mihi gravior est, & quam eheu! me meruisse fateor, acerbitas; neque subducere me possum, Domine, nec ut subterfugere velim æquum est. Ecce me paratum ad ea omnia sine murmure subeunda quæ imponere lubitum fuerit. Tantummodo, absit ira atque maledictio tua; castiga me modice, ad correctionem mei, non ad interitum; ubi autem castigatus fuero, in amicitiam me tandem tuam recipito, depone virgam, alluceat mihi lux faciei tuæ, redde mihi gaudium salutis, & refice ossa quæ contrivisti. Quid est quod tam humili prece non impetremus à tam immensa bonitate, quanta Patris nostri cœlestis est? III. Addite autem sinceram professionem animi *συγγνωμικῦ*, ad ignoscendum facilis promtique; non semel solum, atque iterum, sed frequenter, quoties fert occasio, etiam si opus sit non septies solum, sed & septuagies septies uno die, Luc. XVII: 4. Mat. XVIII: 21. idque non modo in levioribus offensis, sed & in gravissimis: & sine personarum delectu; etiam adversus eos quos plurimis beneficiis obstrinxistis ad gratitudinem. Qua enim fronte tot talentorum debitores veniam à creditore nostro Deo petemus, si difficiles simus minæ alicujus aut denarii gratiam fratribus, nostris facere? Videndum ne pro benedictione maledictionem nobis accersamus. Non patitur sibi ludos fieri Divina Majestas. Mat. VI: 14. 15. XVIII: 35. IV. Accedat denique protestatio serii propositi, de peccato omni cura atque diligentia vitando. Sicuti Elihu Job: XXXIV: 32. *Præterquam quod video, tu doce me: si iniquitatem operatus sum, non pergam.* Atque universa adeo Ecclesia Ps. LXXX: 19. *Non retrocedemus à te: conserva nos in vita.* Certum enim est Deum promissionem veniæ annexuisse stipulationi sinceræ resipiscentiæ. Jes. I: 16. 17. 18. LV: 7.

XXXVI. Ejus obtentæ jucunditas.

XXXVI. Hoc modo, hoc animo si precemur, exspectandum est ut viscera Patris nostri cœlestis pia commotione strepant; ipseque in media nos oratione suavissime interpellans dicat: surge, Fili, absterge lachrymas, desine gemitum, remissa sunt tibi debita tua, aversa est ira mea, redintegrata amicitia: en dextram, pignus favoris mei; apprehendito eam fide atque amore: accedito propius, ad amplexum & oscula: tu tibi à novis offensis solicite caveto: ego nunquam intermorituri amoris æternitatem polliceor. O verba omni melle dulciora, omni auro cariora, omnibus gemmis pretiosiora! Christe Jesu, Advocate noster atque

que interceſſor, fac ut ea ex ore Tui noſtrique Patris audiamus, per Spiritum Tuum. Amen.

EXERCITATIO XIII.

DE

Inductione in Tentationem.

ΚΑΙ ΜΗ ΕΙΣΕΝΕΓΚΗΣ ΗΜΑΣ ΕΙΣ ΠΕΙΡΑΣΜΟΝ, ΑΛΛΑ ΡΥΣΑΙ ΗΜΑΣ ΑΠΟ ΤΟΥ ΠΟΝΗΡΟΥ.

BREVIARIUM.

I. *Qui amicus Dei eſt, is hoſtem habet Diabolum.* II. *Et Diaboli hoſtis eſt.* III. *Petitionis hujus ordo.* IV. *Partitio.* V. *Tentatio quid hic notet.* VI. *Ea quandoque ex noſtra oritur vitioſitate.* VII. *Et tunc omnium perículoſiſſima eſt.* VIII. *Qua mente Paulus ſe diſtinguat ab inhabitante peccato.* IX. *Aliquando tentatio proficiſcitur à Satana.* X. *Cujus magna in tentando eſt aſtutia & efficacia.* XI. *Quamvis modus quo ſe humanis mentibus inſinuat, obſcurus nobis ſit.* XII. *Satanæ ſe jungit Mundus.* XIII. *Deus nullius unquam mali auctor eſt.* XIV. *Neque unquam noſtra crimina Divinæ imputanda ſunt Providentiæ.* XV. *Attamen ſano ſenſu Deus dici poteſt hominem in tentationem inducere.* XVI. *Quatenus tentatori permittit artes ſuas excutere.* XVII. *Et tentandum ei objicit.* XVIII. *Neque auxilio ſuo fulcit.* XIX. XX. *Qua mente petamus, ne inducamur in tentationem.* XXI. *Per malum intelligi poteſt, vel id quod malum eſt.* XXII. *Vel is qui malus eſt.* XXIII. *Quid ſit liberari à malo.* XXIV. *Praxis.* XXV. *Neceſſitas hujus petitionis.* XXVI. *Cui noſtra jungenda eſt vigilantia.* XXVII. *Sic ut omnes male agendi occaſiones evitemus.* XXVIII. *Alipii exemplo moniti.* XXIX. *Et ſobrii ſimus.* XXX. *Certoque propoſito adhæreamus virtuti.* XXXI. *Fortiter denique obſiſtamus malo.* XXXII. *Fundamenta Conſolationis.*

QUiſquis amico fruitur Deo, is hoſtem experietur Satanam. Qui idcirco Satanæ nomen gerit, quod primo quidem Dei ipſius ſit adverſarius; dein etiam eorum quos amicitia ſua dignatur Deus; qui Deum amantes à Dei ſemper partibus ſtant; in quibus denique imaginem Dei animadvertit, & non exiguam gloriæ Divinæ I. Qui amicus Dei eſt, is hoſtem habet Diabolum.

 reſplen-

resplendescentiam. Adeo quidem nefarius ille hostis infestus Divinæ Majestati est, ut, si quo modo potis esset, nihil ageret libentius quam eam solio suo deturbare. Id quum se consecuturum improbe desperet, omne suum virus in electos evomit: omnes artes suas excutit, omnes movet machinas, ut eos à Deo avulsos sibi mancipet. Draco ille rufus è cœlo præcipitatus, id agit ut ad insanum miseriæ suæ solatium quot potest stellas cauda sua secum trahat, sedibusque emotas ætheriis abyssi puteo mergat. Primum Adamum in Paradyso adortus; fraudibus suis circumvenit. Alterum tentavit in deserto: at cassis moliminibus. Ea spe dejectus omnem suum impetum in eos convertit, quos asseruit sibi Christus. Hos dum suis extricatos cassibus, suis solutos compedibus atque numellis, in libertatem vindicatos, rectaque ad cœlestis regni gloriam grassantes cernit; in rabiem furoremque agitur: ac rugientis leonis instar, prosequitur, ambit, cingit undique, ut tandem devoret.

II. Et Diaboli hostis est.

II. Cæterum mutuum hoc odium esse oportet: uti Deus olim in Paradiso sancivit, quum serpenti dixit, *Præterea inimicitiam ponam inter te & mulierem hanc, similiterque inter semen tuum, & semen hujus: hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum.* Gen. III. 15. Et profecto quicunque veræ sanctitatis studiosi sunt, ii internecino odio prosequuntur Diabolum cum omnibus operibus suis: & à nulla re diligentius sibi cavere amant, quam ut quicquam faciant, dicant, desiderent, cogitent, quod ipsi non displiceat. Ex hoc fonte oritur ea petitio quam nunc exponendam habemus: ET NE INDUCAS NOS IN TENTATIONEM, SED LIBERA NOS A MALO.

III. Petitionis hujus ordo.

III. Modo rogavimus ut Deus admissorum olim criminum veniam nobis faceret, redintegrata amicitia. Procul autem à piis pectoribus abesse debet, ut ea impetrandæ veniæ spes, aut impetratæ fiducia, securitatem animis inducat, eosve novis criminibus expositos faciat. Quo se clementiorem pronioremque ad gratiam Divina ostendit Majestas, eo nobis debet esse venerabilior. Ps. CXXX: 4. *Apud te est condonatio; ut reverenter colaris.* Tantæ tamque immeritæ benignitatis conscientia, uti mentem inflammat optimi sanctissimique numinis amore, ita à peccando vehementer absterret: ne & abuti Divina bonitate videamur, & novorum nobis gemituum difficiliumque supplicationum necessitatem inducamus, & amicitiæ exoptatissimæ dulcedine privemur, ejusque recuperandæ viam nobis præscindamus. Certum denique est, neminem posse justificationis suæ jucundo sensu frui, nisi qui diligentem sanctificationi operam dat. Cujus sanctificationis magna pars est, peccati odium & fuga. In id quidem juratus animarum nostrarum hostis incumbit, ut priscis soluti debitis mox contrahamus nova. Sed quia hæc scelerata hostis nostri molimina sunt; nobis

ex

ex adverso invigilandum est, ut & ille operam lusisse, & nos fidem optimo numini servasse comperiamur. Atque hæc est sapientissima ratio ejus ordinis, quo petitionem hanc antegressæ junxit Dominus.

IV. In qua duo potissimum consideranda nobis veniunt. I. Id *quod deprecamur*, ne contingat. II. Id *quod apprecamur*, ut eveniat. Deprecamur, NE Deus, Pater ille noster qui in cœlis est, NOS INDUCAT IN TENTATIONEM. Apprecamur, ut NOS LIBERET AB ILLO MALO. In deprecatione iterum observa. I. *Quid sit tentatio.* II. *Quomodo Deus dici queat, nos inducere in tentationem.* III. *Qua mente oremus, ne id nobis eveniat.* IV. Partitio.

V. *Tentatio* hic significat, aut sermonem aliquem, aut rem, aut occasionem denique quamcumque, qua excitemur, aut quomodocunque impellamur ad id quod malum est. Ita enim tentatur, probatur, exploratur homo, utrum à Dei & virtutis partibus constanter stare velit, an ab iis se avelli, patiatur. Deut. VIII: 2. *Ut affligeret te, tentando te, ad cognoscendum quod erat in id animo tuo, utrum observares præcepta ejus, nec ne.* V. Tentatio quid hic notet.

VI. Istius generis tentatio non uno modo homini accidit. Aliquando ab *interno*, aliquando ab *externis principiis* proficiscitur; quæ non raro inter se conspirant ac conjurant. Internum tentationis principium, est ea naturæ nostræ vitiositas atque corruptio, quam singuli nimis proh dolor! experimur; quam veteres Hebræorum Magistri יצר הרע *figmentum malum.* Novi autem instrumenti paginæ, *inhabitans peccatum, carnem aut concupiscentiam, & legem peccati quæ in membris est*, nuncupare solent. Ea nos inordinatis suis motibus vehementer quandoque ad malum impellit, belligeratur adversus legem mentis nostræ, ac nisi prudenter fortiterque resistamus, captivos nos redderet legi peccati, efficeret in nobis totam cupiditatem, imo seduceret nos atque occideret. Rom. VII: 23. 8. 11. Sapienter nos hujusce rei Jacobus Apostolus monuit. Cap. I: 14. 15. *Unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur, & inescatur. Deinde cupiditas posteaquam concepit parit peccatum: peccatum vero peractum gignit mortem.* VI. Ea quandoque ex nostra oritur vitiositate.

VII. Et nulla profecto periculosior est tentatio, quam quæ ex interno hoc principio proficiscitur. Vix enim est, aut ne vix quidem, quin semper pravum aliquem producat effectum. Etenim quamvis non continuo in ipsum actum exeat, atque ad plenam criminis patrationem erumpat; impedit tamen animum ne eâ qua par est, quaque ipse optat, alacritate, & boni operis perfectione, virtutem exerceat. Gal. V: 17. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis eadem faciatis.* In conflictu isthoc, quandoque hæc pars, alias opposita prævalet; mutuoque renisu utraque in actionibus suis debilitatur. Imo vero quandoquidem concupiscentia illa ani- VII. Et tunc omnium periculosissima est.

mæ nostræ actus est, non potest exinde ulla ad malum proritatio procedere, quin mox ipsa illa proritatione polluamur.

VIII. Qua mente Paulus se distinguat ab inhabitante peccato.

VIII. Verum quidem est quod videatur Apostolus semet ipsum ab inhabitante peccato distinguere Rom. VII: 20. *Nunc vero non amplius ego id facio, sed peccatum in me habitans.* Cæterum ea locutio, quamvis sapientissima ac digna Apostolo, Rhetorica est, quæ non prorsus secundum proprietatem verborum sed secundum intentionem scribentis est exponenda. Nam si rem ipsam simpliciter sectemur; peccatum quod in nobis habitat, non est alterius peccatum quam illius in quo habitat. Et peccato faciente quod malum est, omnino certe nos in quibus peccatum habitat id facimus. Nos ii sumus qui peccatum illud confiteri, lugere, deplorare habemus; Deum rogantes ut id nobis condonet. Et profecto peccaret contra mentem Pauli, qui à prava sua cupiditate ad male agendum impulsus suimet ipsius exculpandi occasionem imprudenter hinc arriperet. Hoc voluit Apostolus: alium se per Dei gratiam factum esse atque fuerat antea; neque alium solum, sed alius; non peccatorem amplius, qui cum voluptate totaque animi inclinatione malum agat, sed sanctum, qui lege Dei delectetur, & peccatum horreat; neque peccati amplius: cui mancipatus sit, sed Christi: & se quatenus sanctus & quatenus Christi est, à qua σχέσει potissimum denominari volebat, non facere peccatum; sed quatenus in ipso invito remanebant, aliquæ peccati reliquiæ, quas pro suis, multo minus pro se ipso agnoscere renuebat. Manet ergo infelicem nobis omnem tentationem esse, quæ ab intrinseco principio proficiscitur; nisi quatenus per eam demonstratur vis spiritus, peccati vim retundentis, ac superantis.

IX. Aliquando tentatio proficiscitur a Satana.

IX. Inter externa principia tentationis primum suo merito locum obtinet *Satanas*, sive *Diabolus*, qui idcirco κατ' ἐξοχὴν dicitur Ο ΠΕΙΡΑΖΩΝ. TENTATOR ille. Mat. IV: 3. Is serpentis indutus formam malesuadi sermonis veneno protoplastos in paradiso corrupit. Is Jobi; sanctissimi Viri, ipsiusque numinis præconio celebrati, innocentiæ insidias struxit. Job. I: 6. 7. Is Davidem, Regem invictissimum, immanis gigantis totque ferocissimarum gentium victoria inclytum, plus semel prostravit. I Chr. XXI: I. Is non solum perfidum Judam ad nefandum instigavit facinus, & proditorem fecit optimi ac beneficentissimi Magistri sui. Sed & Petrum, fortissimum cæteroquin athletam, adortus, ventilare sicut triticum gestivit, & quamvis prolixe ac præfidenter omnia pollicitum, ad trinam dilectissimi Domini abnegationem perpulit Luc. XXII: 31. Atque eundem semper animum obtinet in eos qui Dei Christique sunt; quos modo serpentina astutia, modo leonina sævitia ambit, quærens duntaxat quos perdat & absorbeat. Adeo quidem ut quocunque pedem movemus, insidiosum ubique ac sævissimum anguem, sub herbis quoque & floribus, latere, merito suspicandum nobis sit.

X. Ha-

X. Habet etiam tentator ille artes suas, quas sine magno nostra malo vix est ut detegamus. Eas Paulus Apostolus τὰ νοήματα 2. Cor. II: II. τὰς μεθοδείας Eph. VI. II. Christus τὰ βάθη τῦ Σατανᾶ nuncupat. Ap. II: 24. Mirumque est quanta potentia atque efficacitate quandoque agat in miserorum mortalium animos. A. Ingreditur in hominem, sic ut domesticus jam hostis esse videatur. Luc. XXII: 3. Joh. XIII: 27. B. Immittit malas in corde cogitationes Joh. XIII: 2, atque implet cor ad agendum male. Act. V: 3. C. Occœcat mentes. 2 Cor. IV: 4. D. Idque omni calliditate. 2 Cor. XI. 3. E. Et efficacitate summa. Eph. II: 2. F. Adeo ut frequenter prævaleat. I Reg. XXII: 22. & pro arbitrio suo quosdam detineat captivos. 2 Tim. II: 26. Hæc omnia sacræ nos literæ evidenter docent. X. Cujus magna est in tentando astutia & efficacia.

XI. At modus quo ea à Satana tentatore peraguntur, non æque in liquido est positus. Nam & ipse quantum potest occultat se, inque ea re magnam astutiæ suæ partem collocat, ut ex insidiis ac sine sensu noceat: & ignaræ nobis plerumque earum operationum rationes atque viæ sunt quibus mens in mentem agit. At tamen præeunte Scriptura, comite Ratione atque Experientia, hæc quidem tuto dici posse videntur de modo quo Satanas in animos sæpe nostros operatur. I. Nonnunquam sensibus externis ea objicit, quibus mentem valide affectum iri novit; uti Evæ objecit vetitæ orboris pulchritudinem, Achani togam Babylonicam, Davidi nudam Batsebam. II. Spiritus etiam in cerebro certo quodam modo disponere, movere ac determinare novit, ut ad eum motum juxta naturæ ordinem certæ quædam cogitationes in mente formentur, sive dormientibus, sive vigilantibus. III. Per motum sanguinis, & alterationem humorum in corporibus humanis dominantium, ciere potest varios adfectus, amoris, iræ, tristitiæ morosæ, similesque. Ita in Saule atram bilem vehementissime concitavit, unde tristitia & formido spontanea; mox flavam bilem, unde ira & indignatio contra Davidem. IV. Verum quidem est, quod non possit physica efficientia mentes irradiare, vel judicium invertere, aut inflectere voluntatem. Ea in animos potestas soli Deo competit. Prov. XXI: I. Cæterum quum spiritus sit subtilissimus, videtur commercium aliquod cum mentibus nostris habere posse, & revera quandoque habere, quod valide se iis & penetranter insinuet, ad eundem fere modum quo Angeli secum mutuo cogitationes suas communicant. Id datur colligere partim ex testimoniiis modo citatis, quæ de sola operatione in corpus, eoque mediante in animum, exponere nimis coactum est; partim ex spiritualibus injectionibus & suggestionibus cogitationum abstrusarum de Deo ac rebus Divinis, quæ pure mentales esse videntur, & à materia cum maxime secretæ. At cavendum est ne in hisce talibus plus XI. Quamvis modus quo se humanis mentibus insinuat, obscurus nobis sit.

justo curiositati indulgeamus. Id unum modo infixum cordi maneat, cum callidissimo simul potentissimoque nobis hoste rem esse, qui occultos animorum nostrorum aditus ipsis fortasse nobis melius norit.

XII. Satanæ se jungit Mundus.

XII. Diabolo Tentatori merito adjungitur *Mundus*, cujus *Princeps* & *Deus* est nequam ille spiritus. Joh. XIV. 30. 2. Cor. IV. 4. Per *Mundum* autem intelliguntur aliquando I. *Homines improbi*, qui ut ipsi in malo jacent; 1. Joh. V. 19. ita probos ac probitatem Vatiniano persequuntur odio. Joh. XIV. 18. iisdemque secum criminum nexibus implicare student. Prov. I. 11-14. &, ut Christi phrasi utar, ipsis pro Satana sunt. Matth. XVI. 23. II. Sed & per mundum intelliguntur *pravæ illæ consuetudines* quæ inter homines vigent, & à rectitudine præceptorum Dei deviant. Id Paulus vocat *τὸν αἰῶνα τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ*. Eph. II. 2: vetatque *συσχηματίζεσθαι τῷ αἰῶνι τȣ́τῳ*. Rom. XII. 2. Et Johannes discipulos suos præmunit adversus eam tentationem quæ ex mundo hac mente dicto obvenire fidelibus solet. 1 Joh. II. 15. 16. III. Denique mundus etiam notat ipsas *Dei creaturas, quatenus eæ mancipatæ peccato*, & vanitati propter illud subjectæ, amabilitate sæpe sua incautos animos pelliciunt, ut inordinato illas affectu depereuntes spirituale committant adulterium. Ita solis splendor, ac lunæ cæterorumque astrorum pulchritudo, adeo non homines solum aliquot, sed & integras gentes fascinavit, ut vel pro summis numinibus eos venerati sint, vel summo certe numini junxerint. Unde Jobus hoc inter alia argumento religionis suæ puritatem tuetur, *quod non adspexerit lucem quum splenderet aut lunam pulchre procedentem, sic ut pellectus fuerit in occulto animus, & osculata sit manus ipsius os suum*. Job. XXXI. 26. 27. Atque hac ratione mundus iis qui nos tentant adnumerari potest.

XIII. Deus nullius unquam mali auctor est.

XIII. Cæterum an Deo quoque attribui possit ea de qua agimus tentatio, merito disquiritur. Sane Apostolus Jacobus negat. Jac. I. 13. Illudque indubium esse debet omnibus purissimam Dei Sanctitatem uti par est agnoscentibus, eum neque suasorem, neque auctorem mali, neque hortatorem ad malum unquam esse. *Idcirco homines cordati auscultate mihi: absit à Deo improbitas, & ab omnipotente iniquitas*. Job. XXXVI. 10. Non minus in Deum injurius est, qui auctorem eum mali esse contendit, quam qui prorsus Deum aliquem esse negat. Exstat *Basilii M.* oratio cum hac inscriptione, *Ὅτι ȣ̓κ ἔςιν αἴτιος τῶν κακῶν ὁ Θεός.* In ea oratione hoc quod modo observavi eleganter exsequitur: neque pigebit ratiocinationem ipsius appingere. Sic ergo ille: *Ἄφρων ὡς ἀληθῶς ἐςηρεμένος νȣ̃ καὶ φρονήσεως, ὁ λέγων ὅτι ȣ̓κ ἔςι Θεός. Παραπλήσιος δὲ τȣ́τῳ, καὶ ȣ̓δὲν κατὰ τὴν ἀφροσύνην ἀπολειπόμενος, ὁ λέγων κακῶν αἴτιον εἶναι τὸν Θεόν. Ὁμότιμον γὰρ αὐτῶν εἶναι τίθεμαι τὴν ἁμαρτίαν διότι ἑκάτεροι ὁμοίως ἀρνȣ̃νται τὸν ἀγαθόν. ὁ μὲν ȣ̓κ εἶναι τὸ παράπαν λέγων, ὁ δὲ ȣ̓κ ἀγαθὸν αὐτὸν εἶναι διοριζόμε-*

ζόμενος. Εἰ γὰρ κακῶν ἄιτιος, οὐκ ἀγαθὸς δηλονότι. εἰ δὲ οὐκ ἀγαθὸς οὔτε Θεός. ὥστε ἀμφοτέρωθεν ἐστιν ἄρνησις τοῦ Θεοῦ. Stultus & vere à sensu alienus est qui dixerit, non est Deus. Similis item huic est, nec quidquam in stultitia differt, qui Deum malorum caussam esse dicit: par enim eorum scelus esse existimo, quoniam ambo bonum Deum similiter negant. Alter quidem non esse omnino dicit, alter vero non bonum esse adfirmat. Si enim malorum est caussa, utique non est bonus. Si non bonus, neque Deus. Itaque utrobique est abnegatio Dei.

XVI. Neque unquam nostra crimina Divinæ imputanda sunt providentiæ.

XIV. Cavendum itaque nobis quam fieri potest sollicitissime, non solum in disputationibus, quæ nimis sæpe curiosæ sunt ac temerariæ, sed & in omni meditationum nostrarum cursu, totoque adeo vitæ nostræ instituto, ne unquam criminum nostrorum culpam quomodocunque Divinæ imputemus providentiæ. Hoc enim impietatis culmen foret. Neque hanc nobis professionem extorquere debent adversariorum sanam doctrinam calumniantium cavilli, sed Divinæ sanctitatis amor atque reverentia. Dandaque accurate opera est, ut quæ loquimur, quæ meditamur, omnia ita comparata sint, ne quid sanctissimæ isti Divinissimæque veritati præjudicent. Id de Deo ad suam gloriam credendum dicendumque semper est, *rupis illius opus esse perfectum, vias illius omnes esse jus, Deum fidelem & expertem iniquitatis, justum denique & rectum esse:* Deut. XXXII. 4. de nobis autem, ad absurdissimæ superbiæ depressionem, omnem male actorum culpam penes nos residere; ut absolvatur semper Deus, homo autem criminum suorum conscientia convictus, suo damnetur calculo.

XV. Attamen sano sensu Deus dici potest hominem in tentationem inducere.

XV. Non tamen hæc omnia obstant, quo minus D. Jesus ita de hac se loquatur, quasi Pater noster cœlestis aliquando suos in tentationem inducere possit. Fuere quibus visum fuit, non modo in sua explicatione, sed & in ipsa Dominicæ orationis recitatione, dicti hujus duritiem emollire. Sane *Cyprianus* legit, *ne patiaris nos induci in tentationem*; atque ita in multis Latinis codicibus inveniri, testis est *Augustinus, de Bono Perseverantiæ Cap.* VI. Cæterum non est modestiæ nostræ tantum nobis tribuere, ut ipsam ausimus corrigere sapientiam. Non sunt mutanda verba Christi, quibus à nullo mortalium substitui possunt commodiora. Sed investigandus est verus eorum sensus. Prorsus ita suis locutus est Dominus, uti sueti erant audire. Frequens Hebræis est אל תביאנו ליד נסיון. *Ne inducas nos*, aut *ne facias ut veniamus, in manum tentationis.* Exprimitur ea phrasi valde emphatice, efficax, attamen justa semper, sancta, & casta Dei circa tentatores, tentationem & tentationis effectum Providentia.

XVI. Quatenus tentatori permittit artes suas excutere.

XVI. Quæ sese his modis exserit. I. Quod tentatori permittat, permissione non morali, sed reali, non juris, sed facti, permittat, inquam, tentatori artes suas excutere. Quum enim omnes omnino creaturæ, ne ipsis quidem

quidem dæmonibus exceptis, ita in manu Dei ſint, ut ſine ejus arbitrio ne pilum quidem, ſe movere queant; fieri omnino non poteſt ut ullas adverſus electos Dei machinas expediant, niſi ipſo annuente. Sic Satanæ facultas data tentandi ac ſeducendi Achabum. 1. Reg. XXII. 22. Et Davidem: adeo quidem ut eadem actio & Deo attribuatur & Satanæ. Conf. 1 Chr. XXI. 1. cum 1. Sam. XXIV. 1. quamvis diverſimode, Satanæ, ut hoſti ſua ſponte ad hominum perniciem procurandam inclinanti. Deo, ut ſapienti ac ſancto rerum omnium quæ in univerſo contingunt Gubernatori. Ad eundem fere modum permiſſum pſeudoprophetis eſt, tentare populum Judaicum, quod Jeremias non veretur, ſenſu tamen ſano, Jehovæ attribuere. Jer. IX. 10. *Et dixi, Aha Domine, Domine;* אכן השא השאת לעם הזה *utique plane ſeduxiſti populum hunc & Hieroſolymam, dicendo, pax erit vobis.* Reſpicit ad Prophetarum conciones, qui populo, & Hieroſolymæ imprimis, quæ poſtrema omnium deſolata eſt, promittebant ſecura & proſpera omnia. Id vero ad Deum refert; quatenus ille prophetis indulſerat, ut ita mentirentur, etiam prætenſo nomine ſuo, neque mox eos ſemper puniebat. Deum autem conſiderat ut juſtum judicem, qui populum rebellem, veriſque monitionibus refractarium, & blanda, quamvis falſa, cupientem, ſeductorum illorum blandiloquiis ludendos dabat. Niſi quis malit interrogative pronunciare; ut ſit ſermo admirantis, *An tu profecto, Domine, plane ſeduxiſti populum hunc?* Quaſi diceret, quomodo hæc fiunt, & conveniunt cum promiſſionibus Dei? Fierine poteſt ut Deus alicui imponat? Quidquid ſit, id tenendum, nullam cuiquam tentationem obvenire, niſi convenienter permiſſioni & gubernationi Divinæ. Atque id minimum eorum quæ ſua iſta phraſi innuere in oratione noſtra voluit Dominus. *Theopylactus in Cap.* XI. *Lucæ.* Μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς, τουτέστι μὴ συγχωρήσῃς ἡμᾶς ἐμπεσεῖν εἰς πειρασμόν. *Ne inducas nos, hoc eſt ne ſinas nos incidere in tentationem.*

XVII. Et tentandum ei objicit.

XVII. II. Sed plura Divinæ providentiæ circa tentationem adſcribenda ſunt. Accidit enim quandoque ut eum qui tentandus eſt in eum deducat locum, atque in iis collocet circumſtantiis, ubi tentator occaſionem habet omnes ſuas machinas admovendi. Sic de Chriſto narratur *eum à ſpiritu*, Divino nimirum, *deductum fuiſſe in deſertum, ut tentaretur à Diabolo.* Mat. IV. 1.

XVIII. Neque auxilio ſuo fulcit.

XVIII. III. Eſt etiam ubi pro ſuprema illa libertate qua in gratiæ ſuæ diſpenſatione utitur, aut in vindictam commiſſorum criminum, aut ad convictionem humanæ infirmitatis, non ea auxilii ſui efficacitate opem tentato fert qua hoſtis impetum retundat. Cujus rei inſigne exemplum in Ezechiæ hiſtoria habemus. 2 Chron. XXXII. 31. *Dereliquit eum Deus, tentando eum, ut experiretur quidquid erat ei in animo.*

XIX. Qua mente petamus ne in-

XIX. Quando itaque rogamus, ne Pater ille noſter cœleſtis nos in tentationem ducat, I. Proteſtamur ea petitione de odio quo adverſus peccatum ferimur,

ferimur, & sollicitudine animi nostri, & vigili cura, ne quo pacto laqueis illius irretiamur. Ps. xcvii. 10. II. Confitemur infirmitatem nostram, cui superandæ haut adeo magna hostium manus sufficiat. Sic ut hoc quoque sensu quisque nostrum habeat dicere, *Ego ad claudicationem comparatus sum.* Ps. xxxviii. 18. III. Petimus A. Ne eas nobis tentationes obvenire permittat, quibus superandis impares simus. 1. Cor. x. 13. B. Ne in iis quæ eveniunt, qualescunque sint, nos deserat, nobis ipsis, aut hostibus nostris permittat, atque ope isthac sua destituat sine qua nihil valemus: quod Ezechiæ accidisse audivimus modo Ps. cxix. 8. *Ne derelinquas me admodum.* C. Ut è contra efficacissimo Spiritus sui auxilio nobis adsit, cujus virtute insultus omnes fortiter repellamus. Ps. xxv. 20. 21. *Serva animam meam, & eripe me; ne erubescam, quia recipio me ad te. Integritas & rectum custodiant me, quia exspecto te.*

ducamur in tentationem.

XX. Non ergo hic est sensus, ne Deus nos permittat πειρασμοῖς περιπίπτειν, quæ communis sors est Christianorum omnium, ac maxime eorum qui plurimum in doctrina Christi profecerunt. Jac. 1. 2. 3. sed ne nos sinat oneri succumbere. Nam ובא במסה εἰσέρχεσθαι εἰς πειρασμόν, significat ita involvi illecebris aut periculis, ut non extriceris. Math. xxvi. 41. Marc. xiv. 38. Luc. xxii. 40. Plenius Hebræi dicunt, *intrare in manum tentationis*, h. e. in potestatem ejus atque dominium. Vide sis quæ erudite annotavit *Grotius*. Breviter, induci in tentationem, est κυριευθῆναι ὑπὸ τοῦ πειρασμοῦ, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν ἧτταν αὐτοῦ. *subigi à tentatione, & cladem accipere*; ut est apud *Theophanem Homil.* xxvii. Enimvero Deus non solum homines improbos vitiis sæpe suis permittit, *tradens eos cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem.* Rom. 1. 24. sed eos etiam qui viribus plus æquo confidunt ad tempus veluti abdicat. Hoc jubemur, agnitione infirmitatis nostræ, & assiduis precibus, antevertere.

XXI. Atque hæc quidem ne eveniant nobis, deprecamur. Apprecamur autem, *ut liberet nos Deus à malo.* Ubi primo expendendum, quid intelligatur per *malum*; dein qua in re *liberatio à malo* consistat. *Malum* dupliciter exponere possumus, vel ut intelligatur *id quod malum* est, vel *is qui malus* est. Si priori sumamus sensu, malum idem significabit quod peccatum. Recte observavit *Chrysostomus Homil.* vii. *in acta Apost.* πονηρὸν dictum esse ἀπὸ τοῦ πόνου, *labore*, eo quod peccatum non nisi laborem ac molestiam homini conciliet, quum vera animi quies in solo virtutis exercitio inveniatur. Jes. xxxii. 17. Et sane hac mente vox πονηροῦ, etiam cum articulo, usurpatur 1 Joh. v. 19. ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. *mundus totus in malo jacet.* Atque hoc modo si interpretemur, jubebimur precari non immunitatem ab omnibus incommodis, sed animum invictum adversus tentamenta peccati. Uti Christus oravit Joh. xvii. 15. *non rogo ut tollas*

XXI. Per Malum intelligi potest, vel id quod malum est.

tollas eos è mundo, ἀλλ᾽ ἵνα τηρήσῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ πονηροῦ, *sed ut ex malo conserves.* Et Paulus 2 Tim. IV. 18. Καὶ ῥύσεταί με ὁ κύριος ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ. *Et liberabit me Dominus ab omni opere malo.* Neque abludunt ab hac mente Hebræorum formulæ: ואל תביאנו לידי חטא ולא לידי עבירה *Et ne inducas nos in manus peccati, & in manus transgressionis.*

XXII. Vel is qui malus est.

XXII. Cæterum plerique tam veterum quam recentiorum per τὸν πονηρὸν Diabolum intelligunt. Eoque sensu hæc vox occurrit Mat. XIII. 29. 39. Ephes. VI. 16. *Chrysost. Homil.* XIX. *ad* Mat. VI. Πονηρὸν ἐνταῦθα τὸν Διάβολον καλεῖ. κατ᾽ ἐξοχὴν δὲ οὗτος ἐκεῖνος καλεῖται διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς κακίας; καὶ ἐπειδὰν μηδὲν παρ᾽ ἡμῶν ἀδικηθεὶς ἄσπονδον πρὸς ἡμᾶς ἔχει τὸν πόλεμον. *Malum hoc loco Diabolum vocat. Singulari vero modo is ita vocatur ob summam malitiam, & quia nulla à nobis affectus injuria irreconciliabili nos bello prosequitur.* Et profecto hoc mali cognomen meretur spiritus ille nequam: quia Deo Sanctissimo atque Optimo in omnibus adversatur: quia nil nisi malum agit: quia omnis mali quod in universo exstat ab illo origo est: quia in eo quod & ipse male agat, & alios ad male agendum impellat, unice delectatur, inque ea malitia desperatæ suæ miseriæ scelestissimum solamen petit. Quibus nominibus odiosum eum nobis atque terribilem esse oportet.

XXIII. Quid sit liberari à malo.

XXIII. *Liberari à malo;* non significat ita Divina virtute præservari ne in ullum posthac incidamus vitium, aut ne ullis unquam Diaboli vexationibus simus expositi; hoc enim seculi hujus conditio non patitur. Sed notat gratiosam illam Divinæ Providentiæ gubernationem, qua vehementiores & insuperabiles nobis Diaboli insultus arceantur, aut vires nobis sufficiuntur ne succumbamus ac vincamur. Adeo profecto pii homines Diabolum omniaque ipsius opera oderunt, ut cupiant nihil sibi cum eo rei esse; cæterum si id impetrari non possit, sed necesse sit aliquoties cum crudeli & insidioso illo hoste experiri, rogant eam sibi à Deo concedi fortitudinem, prudentiam atque constantiam spiritualem, ut & vim ejus frangant, & astutiam eludant, & impetum omnem retundant. Imo vero ut per ea ipsa certamina demonstretur gratiæ sibi à Deo concessæ invicta firmitas, & virtutum Christianarum soliditas, promoveaturque earum incrementum; donec tandem hostis ille feliciter triumphatus conculcetur sub pedibus ipsorum, & projiciatur in lacum ardentem igne & sulphure; unde ad nova prælia redintegranda nunquam proditurus sit. Apoc. XX. 10.

XXIV. Praxis.

XXIV. Quæ hactenus à nobis dicta sunt, si in unam colligantur summam, huc redeunt: Homini Christiano quotidianis precibus id à Patre suo cœlesti expetendum esse, ne inducatur in tentationem, sed fortiter, ubi res fert, resistat malo. Cujus petitionis necessitas ex plus una ratione demonstrari potest.

XXV. Necessitas hujus petitionis.

XXV. Etenim I. Arcta admodum est quam calcandam habemus via, ubi neque dextrorsum, neque sinistrorsum declinare datur. Matth. VII. 14. Prov. IV. 27. Eaque via plurimis undiquaque est obsepta hostibus. Ps. III. 2. Hostes illi ad singulos fere passus suos tetenderunt atque occultarunt laqueos. Ps. X. 9. Hinc Satan cum omnibus copiis suis infernalibus premit. Illinc mundus suis cassibus cingit. Intus caro instat, & vix est ubi pedem ponas quin intriceris retibus. Quæ ex omnibus propemodum rebus nectere hostes didicerunt: non ex iis solum quæ ipsa natura sua malæ sunt, sed ex iis etiam quæ indifferentes sunt & licitæ; imo & ex bonis rebus, quarum facilis est, sed & perniciosus simul, abusus. Omnia fere quæ in mundo occurrunt, postquam potestatem suam exercere peccatum incepit, fascinum quoddam habent, quo antequam deprehendas incantaris. Breviter, quoquo te vertas vel anguis in herba latet, vel incedis super ignes suppositos cineri doloso. II. Adde, hostes illos nostros & potentes esse atque feroces Eph. VI. 12. & callidos ac malos. Eph. VI. 11. Jer. XVII. 9. Atque id agere ut omnibus nos opibus nostris, ut amictu integritatis, ut ornatu Divinæ imaginis, ut unione fidei, ut hæreditate salutis, ut ipsa denique animæ vita exuant. Pugna ista missionem non habet: aut vincendum est, aut moriendum. III. Nos ipsi autem, quibus tot talesque instant hostes, invalidi prorsus sumus ad resistentiam: idemque hic nobis dicendum, quod olim Josaphato Regi 2. Chron. XX. 12. *Non est in nobis vis obsistendi multitudini isti magnæ invadenti nos; & nos nescimus quid facturi simus, sed in te Domine defixi sunt oculi nostri.* IV. Imo vero intus aliquid circumgestamus quod occultam cum externis hostibus conjurationem habet. Est in nobis εὐπερίστατος ἁμαρτία. Heb. XII. 1. magnaque ad male agendum proclivitas. Gen. VI. 5. VIII. 21. & lex peccati stabulans in membris nostris. Rom. VII. 23. & fomes omnis mali, cui ut in incendium erumpat vel una injecta favilla sufficit. Jacob. III. 5. Quæ omnia si attenta consideratione jungantur, quis non videt summam nobis impositam esse necessitatem, ut continuo clamemus, *Domine ne nos inducas in tentationem?*

XXVI. Cui nostra jungenda est vigilantia.

XXVI. Ita autem instituere hanc orationem oportet, ut interim nihil eorum quæ nobis commissa sunt negligatur. Ea infirmitatis atque imbecillitatis nostræ conscientia orandus est Deus, eo zelo potentissimum ipsius implorandum auxilium, quasi ab ipso pugnæ hujus exitus penderet, à nobis autem nihil conferri posset. Ea interim diligentia ac vigilantia peragenda nobis omnia sunt, quasi sine ea neque opem ferre Deus velit, neque felicem nobis prælii eventum largiri. In se utique suscepit custodire eos qui sui sunt: idcirco rogandus est ut dictis suis fidem factis adstruat. Sed & eum suis indit animum ut se ipsos custodiant: *Qui genitus est ex Deo conservat semet ipsum, & Improbus ille non attingit eum.* I. Joh. V. 18.

 Jungenda

Jungenda itaque nobis ipso facto sunt, quæ sua junxit admonitione Dominus Math. xxvi. 41. *Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem.*

XXVII. Sic ut omnes male agendi occasiones evitemus.

XXVII. Porro vigilantia ista non pauca complectitur. I. Ut evitemus quantum in nobis est omnes male agendi occasiones. Quicunque vel in se expertus est, vel in aliis, vel ratiocinando colligere potest, esse nonnulla quibus haut difficulter pelliciatur animus, aut quomodocunque dimoveatur à sua firmitate; næ is & Deum tentat, & seipsum in tentationem inducit, nisi à talibus sive rebus, sive locis, sive consortiis ac contuberniis, solicite sibi caveat. Imprudenter, præfidenter, ac temere agit, qui vel suis confisus viribus, vel Divinæ gratiæ auxilium justo liberalius sibi promittens, eo se ingerere non veretur, ubi alii ipso fortiores, vel ipse fortassis olim lapsus est.

XXVIII. Alipii exemplo moniti.

XXVIII. Memorabile in hanc rem est *Alipii* exemplum *Augustino* memoratum *Confess. Lib.* vi. *Cap.* vii. Is gladiatoria spectacula vehementer aversabatur & detestabatur. Factum autem est ut quidam amici ejus & condiscipuli, quum forte de prandio redeuntibus per viam obvius esset, recusantem vehementer ac resistentem familiari violentia duxerint in Amphitheatrum, crudelium ac funestorum ludorum diebus; hæc dicentem: *Si corpus meum in illum locum thrahitis, & ibi constituitis, numquid & oculos meos in illa spectacula potestis intendere? Adero itaque absens, & sic & illa & vos superabo.* Quibus auditis illi nihilo segnius abduxerunt eum; id ipsum forte explorare cupientes utrum posset efficere. Quo ubi ventum est, & sedibus quibes potuerunt locati sunt, fervebant omnia immanissimis voluptatibus. Ille autem, clausis foribus oculorum, interdixit animo, ne in tanta mala procederet. Atque utinam & aures obturavisset! Nam quodam pugnæ casu quum clamor ingens totius populi vehementer eum pulsasset, curiositate victus, & quasi paratus quidquid illud esset etiam visu contemnere & vincere, aperuit oculos: & percussus est graviore vulnere in anima, quam ille in corpore quem cernere concupivit, ceciditque miserabilius quam ille quo cadente factus est clamor; qui per ejus aures intravit, & reseravit ejus lumina, ut esset quo feriretur & dejiceretur, audax adhuc potius, quam fortis animus, & in eo infirmior quod de se præsumserat id quod debebat Deo. Ut enim vidit illum sanguinem, immanitatem simul imbibit; & non se avertit, sed fixit adspectum; & hauriebat furias, & nesciebat; & delectabatur scelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur. Et non erat jam ille qui venerat, sed unus de turba, ad quam venerat; & verus eorum socius, à quibus adductus erat. Quid plura? spectavit, clamavit, exarsit, abstulit inde secum insaniam, qua stimularetur redire: non tantum cum illis à quibus prius abstractus erat; sed & præ illis,

&

& alios trahens. Discamus ergo Alipii exemplo cautius mercari, omnesque mali occasiones prudenter vitemus.

XXIX. Cæterum & illud ad commendatam nobis vigilantiam pertinet, ut II. sobrii simus, ac tuta omnia timeamus; attendentes ad singula, ne forte laquei iis etiam rebus subsint, de quibus cæteroquin id vix suspicaremur. Tunc enim plerumque insidiosissimi sunt hostes nostri quando maxime blandiuntur. Nullumque oportunius iis tempus est, quam ubi animum occupavit socordia. 1. Pet. v. 8. *Sobrii estote, & vigilate: nam adversarius ille vester Diabolus obambulat quærens quem absorbeat.* XXIX. Et sobrii simus.

XXX. III. Armandus etiam hac cogitatione animus est, quidquid evenerit, standum esse semper à partibus Dei, & obnitendum Diabolo. Act. XI. 23. Expedit ut singulis matutinis temporibus propositum hoc renovemus, & quotiescunque ad hujus vitæ negotia accessuri sumus toties nos humilibus sanctisque pollicitationibus obstringamus Deo, futurum esse ut ad ipsius voluntatem attendamus in omnibus, ab ipsius nutu unice pendeamus; *ut decenter & apte adhærescamus Domino, absque ulla distractione* 1 Cor. VII. 35. XXX. Certoque proposito adhæreamus virtuti.

XXXI. IV. Si omnino in rem præsentem veniendum sit, & tentatio ingruat, dimicemus fortiter, resistamus firmiter; persuasi neque contemnendum hostem esse, neque desperandum de victoria. *Obsistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Jac. IV. 7. *Obsistite firmi per fidem.* 1. Pet. v. 9. XXXI. Fortiter denique obsistamus malo.

XXXII. In hunc modum si precemur, & si precationi eam quam modo descripsimus vigilantiam addamus multa, nobis hæc Dominicæ orationis pars consolationis fundamenta suppeditat. Magnam enim hæc consideratio fiduciam ingenerare potest, quod nulla nobis tentatio obvenire queat, nisi sub oculis, ductu & moderamine Patris nostri cœlestis. Id enim hac petitione supponitur. Porro si sub oculis Patris nostri tentatione lacessimur, danda nobis opera est ut fortitudinem nostram & constantiam ei approbemus, cui placere gloriæ nostræ apex, cui displicere maxima est ignominia. Si ipsius ductui & moderamini subsint omnia, uti sunt; credendum omnino est, non passurum eum esse ut graviore ac difficiliore tentatione exploremur quam sustinere valeamus. 1. Cor. x. 13. neque permissurum hosti ut omni sua nequitia in nos sæviat, sed limites ei terminosque positurum. Job. I. 12. & II. 6. neque defuturum nobis sua gratia, si eam imploremus: neque denegaturum opem, si videat nos ea indigere; secundum promissionem quæ exstat. Ap. III. 10. *Ego te servabo ex tempore tentationis.* Et denique ita gubernaturum esse omnia, ut ipsa tandem tentatio ad commodum & decus nostrum redundet. Ita enim conformes reddimur imagini Filii Dei, qui æque ac nos tentationi expositus est. Ita triumphatur superbissimus hostis noster, qui imbellibus homullis victoriam deni- XXXII. Fundamenta consolationis.

que cedere cogetur. Ita fidei nostræ pietatisque elucescit constantia, *cujus exploratio multo pretiosior exploratione auri, quod perit & tamen per ignem exploratur, invenietur nobis esse laudi & honori & gloriæ, quum revelabitur Jesus Christus*. 1. Pet. 1. 7. Et quod caput rei est, ita post feliciter decertatum virtutis certamen, gloriosum hoc dabitur cantare ἐπινίκιον. CERTAMEN ILLUD PRÆCLARUM DECERTAVI, CURSUM PEREGI, FIDEM SERVAVI. QUOD RELIQUUM EST, REPOSITA EST MIHI JUSTITIÆ CORONA, QUAM REDDET MIHI DOMINUS IN ILLO DIE, JUSTUS ILLE JUDEX. 2. Tim. IV. 7. 8.

EXERCITATIO. XIV.

DE

EPILOGO.

ΟΤΙ ΣΟΥ ΕΣΤΙΝ Η ΒΑΣΙΛΕΙΑ, ΚΑΙ Η ΔΥΝΑΜΙΣ, ΚΑΙ Η ΔΟΞΑ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΙΩΝΑΣ. ΑΜΗΝ.

BREVIARIUM.

I. *Partitio Epilogi.* II. *Cujus authentiam negant aliqui.* III. *Eorum argumenta.* IV. V. VI. VII. VIII. IX. *Quibus opponuntur validiora.* X. XI. XII. *Exponuntur singula verba.* XIII. *Nexus cum petitione proxime antegressa.* XIV. *Cum oratione Universa.* XV. *Dei gloria omnium precationum nostrarum sine fine finis est.* XVI. *Amen.*

I. Partitio Epilogi.

PAucula adhuc dicenda restant de *Epilogo*, quæ brevi Exercitatione expediemus. Epilogus autem duabus partibus absolvitur. I. DOXOLOGIA. II. Particula AMEN. De Doxologia hoc ordine disputabimus, ut I. Eam tanquam genuinam vindicemus. II. Verba illius singula paucis exponamus. III. Nexum cum antecedentibus ostendamus.

II. Cujus Authentiam negant aliqui.

II. Non desunt interpretes, qui Doxologiam hanc non à Christo profectam, neque partem Dominicæ Orationis esse, sed à pia fortassis, verum imperita & audaci manu, textui insertam autumant. Neque Pontificiæ solum Scholæ Doctores in ea versantur opinione; sed & *Grotius* contendit, ex Græciæ consuetudine cœptam esse adscribi magis, quam partem esse orationis: quippe quæ Latinis omnibus ignota sit. *Erasmus* aliquanto longius procedit, taxatque eorum *temeritatem qui non veriti sint Divinæ precationi suas nugas assuere. Nugas enim*, inquit, *jure dixerim ad Divinam doctrinam, quidquid ab hominibus profectum fuerit; præsertim si quod ab hominibus annexum sit, ad Christum auctorem conferatur.*

III. Ar-

III. Argumenta eorum qui ita sentiunt, hæc sunt potissimum. I. Abest hæc Doxologia in Vetustissimis aliquot codicibus Græcis, uti observatum est à *Beza*, & in Vetustissimo Evangelio Nazaritarum, & in omnibus propemodum codicibus Latinis. II. Non invenitur etiam Luc. XI. ubi repetitio Dominicæ orationis est. III. Neque à *Tertulliano*, *Cypriano*, *Augustino*, aliisque agnoscitur, etiam ubi ex professo orationem Dominicam enarrant, atque exponunt. Quia vero Græci Veteres omnes preces sacras hoc fere modo concludere consueverunt, hinc credibile est totam illam coronidem paullatim in textum irrepsisse. III. Eorum argumenta.

IV. Cæterum non videntur mihi hæ rationes tanti esse, ut possessione sua in Græco Matthæi Evangelio deturbanda tam magnifica Divinæ precationis coronis veniat. Nam & plura & validiora argumenta habet, quibus se tueatur. I. Constat in antiquissimis & probatissimis codicibus Græcis inveniri, ne diffitentibus quidem iis quibus secus sentire lubet. Uno Parisiensium codice excepto, cæteros omnes pericopam hanc habere testatur *Brugensis*. In vetustissimo codice se invenisse, testis est *Robertus Stephanus*. *In omnibus Græcis codicibus exstare*, & *Erasmus* & *Bellarminus* fatentur. Et si paucula exemplaria aliter habeant, ea vix est ut in censum venire queant. Unde autem evinci potest, codices eos esse falsatos, atque hanc pericopam à nescio quibus fuisse intrusam? Non sufficit ad tantum postulatum audax, uti solet, Criticorum quorundum conjectura. Audio quidem Græcis in more fuisse positum preces suas hoc epilogo concludere: verum utrum probabilius est, Græcos eum ex Evangelio didicisse, an aliunde haustum in Evangelium intrusisse? Illud sane multo mihi credibilius videtur, quam istud. Neque obest quod apud Lucam non exstet. Non enim ex unius Evangelistæ silentio adversus alterius narrationem argutandum est. Sed quod uni tacitum est aut prætermissum, id supplendum est ex alio qui adnotavit. Cujus rei tam frequentia sunt exempla, ut nemini Evangeliorum mediocriter perito latere queant. IV. Quibus opponuntur validiora.

V. II. Exstat apud *Syrum* interpretem, qui & ipse est Vetustus, & Vetustissimos Græcos codices secutus: & apud *Arabem*, non illum solum ab *Erpenio* editum, sed & alterum M. S. bonæ notæ in collegio Reg. Oxon. Quod quum agnosceret *Grotius*, hinc intulit, *non Arabicam tantum versionem sed & Syriacam factam esse postquam Ecclesiarum Liturgia certam formam acceperat*. Quasi vero pro confesso esset sumendum, quod ab omni veri similitudine abhorrere arbitror, versiones illas ad Liturgiam Ecclesiasticam ita esse concinnatas; ut textui aliquid addere ausi fuerint earum Auctores, quo cum recepta Liturgia consentiret. In Latinis quidem codicibus non inveniri hanc pericopen certum est: sed quæritur, quid justius sit, an Latinos, ut recentiores, ad Græcos, quippe antiquiores, corrigi; an Græcos,

Græcos, propter Latinos lituram pati. Percommode *Helvicus* apud *Classium*, *Phil. Sac. Lib.* I. *Tract.* II. *p.* 150. *Quæ enim cedo editio fuit prior? quæ posterior? quæ mater? & quæ filia? qui fons? qui rivus? Materne è filia, an vero filia nascitur ex matre? rivusne fluit è fonte? an fons è rivo.*

VI. III. Quamvis à *Tertulliano*, *Cypriano*, *Augustino* exposita non sit, quia in Latinis suis editionibus eam non invenerunt, exposita tamen est à *Chrysostomo*, *Euthymio*, *Theophylacto*, qui Latinis hac quidem in parte non opponi solum, sed & præponi merentur: quippe qui ex fontibus sua hauserunt, quum cæteri è rivis. Scio equidem, *Erasmum* hoc argumentum pro levi admodum habere: nam *Chrysostomus*, inquit, *illud interpretatus est quod solennis usus Ecclesiæ Græcanicæ quotidie sonabat; perinde quasi quis enarrans Psalmos, interpretaretur solennem illam coronidem, Gloria Patri & Filio. Nec mirum si hoc dignatus est facere Chrysostomus, quum in Homiliis diligenter exponat hymnum, quo Monachi quidam soliti sunt consecrare convivium suum.* Cæterum observatio ista prorsus nullius rei est; neque aliunde proficisci potuit, nisi ex quadam animi præoccupatione. Patet enim cuivis *Chrysostomum* inspicienti, quod doxologiam hanc non uti carmen aliquod Ecclesiasticum enarret, sed uti pericopen sacrarum literarum, & partem Orationis Dominicæ.

VII. Digna *Chrysostomi* verba sunt quæ hic appingantur; non solum quia id probant de quo nunc disputatur; sed & quia ad rei ipsius elucidationem apprime sunt idonea. Quia tamen prolixiuscula sunt, Latine solum exhibebo. Exstant *Homil:* XX. *in Cap.* VI. *Matt. Postquam inimici nos consideratione ad certamen permovit, desidiamque à nobis omnem prorsus exclusit: rursum mentem nostram confirmat ac suscitat, illius nos regis, cui fideliter subdimur, commonendo, eumque omnibus potentiorem esse monstrando.* TUUM ENIM, *inquit*, REGNUM, ET POTENTIA, ET GLORIA. *Si igitur ipsius est regnum, nihil oportet timere, utpote existente nullo qui ei repugnare possit, sibique imperium vindicare. Quando enim dixit, Tuum est regnum; ostendit, illum quoque impugnatorem nostrum ipsi tamen esse subjectum, etiamsi repugnare videatur, sinente interim hoc Deo. Nam & ille unus de numero servorum est, licet reorum jam atque reproborum. Nec audebit aliquando super illum irruere conservum, nisi prius ab omnium Domino acceperit potestatem.* Qui ita hæc verba interpretatur, illene aliter illa considerat quam sermonem Domini, & partem orationis? Sed pergamus.

VIII. IV. Alibi etiam in sacris literis similes doxologiæ exstant. Imprimis ea conferri meretur quam David suæ precationi inseruit 1 Chr. XXIX: 11. 12. *Tua est, ô Jehova, magnitudo, & potentia, & gloria, & æter-*

æternitas, & majestas, imo omnia in cælo & in terra: tuum est, Jehova, regnum ut qui te extollis super omnia in caput. Nam divitiæ & gloria à facie tua sunt, & tu dominium habes in omnia, in manu tua vis & potentia in manu, inquam, tua magnificandi & confirmandi rem quamlibet. Hæc quum David olim Spiritus Divini instinctu protulerit; alienum non est, si Davidis & Filius & Dominus, qui gloriam Patris sui cœlestis quæsivit in omnibus, eandemque suos quærere docuit, similia suis præiverit discipulis; atque in eodem vero finire voluerit à quo orsus erat. Accedit, quod discipuli Christi, in quibus Magistri agebat Spiritus, partes saltem aliquas ejusdem doxologiæ Divinis suis scriptis immiscuerint. Paulum certe hoc factitasse comperimus. 1 Tim. I: 17. *Regi autem æterno, incorruptibili, invisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gloria in secula seculorum. Amen.* Iterumque Cap. VI: 16. *Cui honor & robur æternum. Amen.* Idem Judas imitatus est Epistolæ suæ commate ultimo. *Soli sapienti Deo, servatori nostro, gloria esto & magnificentia, robur & auctoritas, & nunc & in omnia secula. Amen.* Quum ergo consimiles doxologias & ibi legamus unde sua desumere amavit Dominus, & apud eos qui sua â Domino mutuati sunt; ecquæ dici potest ratio, cur constantem Græcorum codicum fidem sollicitare malimus, quàm agnoscere ea verba à Domino profecta esse, quæ Domino dignissima esse diffiteri non possumus?

IX. V. Supra ostensum est, ita orationem hanc composuisse Dominum, ut in eam mira arte congesserit præstantissima eorum quæ Hebræis sui temporis in ore & votis erant. Sed & simul est ostensum, ex more Ecclesiæ Israëliticæ publicas preces hoc epiphonemate fuisse conclusas, *Benedictum sit nomen gloriæ regni ejus in seculum & sempiternum.* Cujus antiquitatem carminis Patriarcharum ætatem referunt. Quid nunc censendum est probabilius? an Dominum Jesum hoc, uti cætera fere omnia, ex gentis Hebrææ priscis institutis in suam retulisse orationem? an nescio quos Græculos ex recentioribus suis ritibus hoc assuisse sacro textui; idque tanta omnium conspiratione, ut vix ulli Græci codices inveniantur in quibus non exstet? Atque hæc quidem ad hujus loci vindicias dicta sunto.

X. Nunc singula verba ponderemus. TUUM, dicimus, EST REGNUM. Regum nimirum potestatis illius Universalis, quam obtines in omnes & in omnia: ex quo consequitur nihil esse quod nocere queat, nihil quod non inservire ad sua commoda debeat iis, quos benignitate prosequeris. Tuum etiam est Regnum gratiæ, in populum ex mundo reliquo electum, Christi sanguine redemtum, Spiritu tuo sanctificatum; in quo regnare amas demonstratione Bonitatis, Sapientiæ, Sanctitudinis, atque ad omnis sufficientis Gratiæ tuæ. Tuum est Regnum gloriæ, quod jam in tot spiritibus Justorum consummatorum feliciter auspicatus, & quoad universam Ecclesiam

X. Exponuntur singula verba.

ſiam magnis progreſſibus continuo promovens, conſummaturus es in omnem æternitatem. Pridem petiimus, ut regnum tuum veniat: & merito, quum multis etiamnum modis revelandum atque amplificandum ſit. Nunc profitemur regnum tuum eſſe: atque id quoque merito, quum & jure & facto regiam omnem dignitatem poteſtatemque habeas, ſicut habiturus es in ſecula. *Jehova regnat, celſitate indutus: indutus Jehova robore ſe accingit: etiam ſtabilitur orbis habitabilis, ne dimoveatur. Stabile eſt ſolium tuum ab illo tempore, inde à ſeculo tu regnas.* Pſ. XCIII: 1. 2.

XI. Addimus, TUA EST POTENTIA: quâ & hoſtes omnes regni tui domare, ſuperare, & ad nutum tuum dicto audientes præſtare, & peculium tuum conſervare, & quidquid in cœlo, in terra, in mari, in inferis quoque eſt, ad promovenda tuorum commoda gubernare, quidquid denique petimus, quidquid juſte ſancteque deſideramus, abundantiſſime præſtare vales. *Tibi brachium eſt cum potentia, robuſta eſt manus tua, elata dextera tua. Decus roboris noſtri tu es, & pro benevolentia tua attollitur cornu noſtrum.* Pſ. LXXXIX: 14. 18.

XII. Denique ſubjungimus: TUA EST GLORIA. Tu ſolus eas perfectiones, easque virtutes poſſides, quas nulla mens concipere, nulla lingua profari, nullus calamus pingendo exprimere queat. Tu eas & Verbo tuo ad omnium conſcientias manifeſtas facis, & operibus tuis, illo præſertim operum tuorum magnificentiſſimo, quo perditi generis humani ſalutem moliris, tam luculenter demonſtras; ut quidquid iis cognoſcendis idoneum eſt, in ſanctum quendam ſtuporem rapi debeat. Tu, qui ipſe lucem habitas inacceſſam, & amictus es luce, eos undiquaque ſpargis incomparabilis atque incredibilis ſplendoris radios, quos ne cœleſtes quidem genii inconnivis oculis intueri valeant. Dignus itaque es quem omnes, ſummi, medioxumi, infimi, agnoſcant, colant, adorent, IN SECULA SECULORUM: interminabilem illam æternitatem impendentes, non tam fruitioni ſuæ beatitudinis, quam celebrationi tuarum laudum, & admirationi tuæ gloriæ. Imo certe, *dignus es, Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem* Ap. IV: 11. *Quis eſt ſicut tu inter fortiſſimos, Jehova? Quis eſt ſicut tu, magnificus ſanctitate? reverendus laudibus, faciens mirabilia?* Exod. XV: 11. *Quis enim in ſuperiore nube par æſtimetur Jehovæ? aſſimiletur Jehovæ inter filios fortium? Deus plurimum formidabilis eſt in conſilio Sanctorum, & reverendus ſupra omnia quæ circumſtant eum. O Jehova Deus exercituum, quis eſt par tibi,* חסין יה *præditus decentia? nam fides tua circumveſtit te.* Pſ. XXXIX: 7. 8. 9. *Sic pſallemus nomini tuo in perpetuum, rependendo vota noſtra quotidie.* Pſ. LXI: 9. Hæc frequenter meditari, hæc Deo noſtro occinere, atque harum rerum meditatione, harum laudum decantatione, animum ad

æternos

æternos perfectosque hymnos præparare, id enim vero, si quidquam aliud, Christiano homine dignum est.

XIII. Cæterum id quoque videamus, quam concinne hæc cum antecedentibus cohæreant. Considerari autem possunt vel in eo nexu quem cum proxime antegressa petitione habent, vel in eo quem habent cum universa oratione. Cum proxima petitione cohærent hoc modo. TUUM EST REGNUM. Id impugnat Satanas, & Mundus & Caro, quoties nos impugnant, nolunt te in nobis regnare, quod tamen tu vis: volunt tuo nos regno nequiter subducere, quod tu non vis. *Surge itaque ô Deus, surge Rex noster, & dispergantur inimici tui, & fugiant infesti osores tui à conspectu tuo.* Pf. LXVIII: 2. TUA EST POTENTIA: Tu robustior es robusto illo, cujus alias insultibus nostra facile succumberet imbecillitas. *Evigila, evigila, indue robur, ô brachium Jehovæ; evigila, ut diebus priscis, in generationes æternas.* Jes. LI: 9. *Frange caput inimicorum tuorum, verticem comatum indesinenter ambulantis in reatibus suis. At corrobora, O Deus, quod operatus es in nobis.* Pf. LXVIII: 22. 29. TUA EST GLORIA: quæ nulla re magis offuscatur quam tuorum peccatis, nulla re magis illustratur quam tuorum liberatione, & mali ac superbi illius conculcatione sub tuorum pedibus. *O Deus ultionum, Jehova, O Deus ultionum, illusce. Attollere, O Judex terræ, redde retributionem superbis.* Pf. XCIV: 1. 2. XIII. Nexus cum petitione proxime antegressa.

XIV. Sed & eadem hæc firmamina fidei nostræ sunt in omnibus quæ petenda à Deo habemus. REX enim quum sit, Dives quoque, & Fidus, & Liberalis est; sic ut præclara omnia ab ipso exspectare liceat. *Tu ipse es Rex meus, O Deus, præcipe omnimodam salutem Jacobi.* Pf. XLIV. 5. POTENS quum sit, *summa cum exuberantia omnia potest facere, supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro vi illa agente in nobis.* Eph. III. 20. Quia EI GLORIA EST, hinc & *glorificabitur in sanctis suis & admirandus fiet in credentibus omnibus, in die illo.* 2 Thes. I: 10. Quia denique regnat, & potens & gloriosus est IN SECULA SECULORUM, hinc æterni istius regni æternæque gloriæ participationem merito nobis pollicemur. *Tu idem es, & anni tui non finiuntur. Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum stabilietur coram te.* Pf. CII: 28. 29. XIV. Et cum oratione universa.

XV. Eo tandem comparata hæc doxologia est, ut de fine omnium petitionum nostrarum edoceamur, quæ non in nostris terminandæ sunt commodis, sed in demonstratione Regni, Potentiæ & Gloriæ Dei. A Dei gloria incipiendum. In Dei gloria finiendum est. Amor Divinæ gloriæ primum debet esse principium, quo desideria nostra ad preces excitentur. Quidquid autem desideramus, desiderari debet uti medium ad summi istius finis consecutionem. Ista gloriæ Dei intentio præcipuum in Oratione est, XV. Dei gloria, omnium precationum nostrarum finis fine finis est.

& quod ei pretium addit. Post consummationem seculorum omni bonorum abundantia ita in cœlis satiabimur, nihil ut amplius desiderandum supersit. Hoc unum ex omni precatione remanebit, *Ei qui insidet throno, & Agno, sit benedictio & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Apoc. v. 13.


XVI. Amen. XVI. Amen Hebræis particula est & asseverantis, & valide aliquid optantis, *Dixit Jeremias Propheta, Amen, ita faciat Jehova.* Jer. xxviii: 6. Declaramus ergo hac voce, & sinceritatem professionis nostræ de Dei regno, potentia, & gloria: & magnitudinem desiderii nostri, quo tanta à Deo bona expetimus; & fidem nixam promissionibus Dei, non in cassum nos orare quæcunque secundum voluntatem ejus oramus. Animose, ut solet *Melanchtoni* scribebat olim *Lutherus*: *Ego pro te oro, oravi, & orabo: nec dubito quin sim exauditus: sentio enim illud Amen in corde meo.*

BENEDICTUS SIT JEHOVA IN SECULUM. AMEN. ITERUMQUE AMEN.

Ps. lxxxix: 53.



INDEX



INDEX.

Locorum S. Scr. in Exercitationibus in Orationem Dominicam ſuccinctius aut prolixius explicatorum.

Cap.	Vers.	Pag.
	GENES.	
XV.	26.	31.
	EXOD.	
XVII.	12.	46.
	LEVIT.	
X.	3.	99.
XXVI.	26.	140.
	NUMER.	
XII.	8.	18.
XXIX.	13.	118.
	DEUT.	
XXVI.	13.	78.
	JUDIC.	
VIII.	23.	111.
	I. SAM.	
II.	45.	8.
	II. SAM.	
VII.	18.	48.
	25. 27.	29.
	NEHEM.	
I.	4.	46.
	JOB.	
IX.	19. 20. 30. 31.	157.
XI.	13.	52.
XXVI.	14.	91.
XXXI.	26. 27.	53.
XXXIV.	36.	86.
	PSALM.	
XVII.	15.	18.
XX.	2.	98.
L.	21.	157.
LI.	10.	159.
LXXII.	15.	97.
XCV.	6.	39.
XCIX.	5.	41.
CIII.	19.	109.
CIV.	27.	9.
CXXX.	3.	162.
	4.	170.
CXLVII.	9.	9.
	PROV.	
XXX.	4.	98.

INDEX.

Cap.	Vers.	Pag.
	ECCLES.	
V.	1.	36.
	ESA.	
XII.	3.	32.
XX.	2.	54.
XXVI.	2.	80.
XLII.	8.	16.
	JEREM.	
IX.	10.	176.
XVII.	1.	157.
XXXI.	12. 14.	123.
XLII.	9.	9.
	LAM.	
III.	41.	52.
	EZECH.	
XXIX.	3.	151.
XXXIV.	17.	54.
XXXVI.	36. 37.	28.
	DAN.	
IX.	2. 3.	29.
	HOS.	
XIV.	2.	25.
	JOEL.	
I.	18.	9.
	JONÆ.	
III.	7. 8.	9.
	HAB.	
II.	4.	92.
	ZACH.	
I.	12. 13.	10.
XIV.	9. 16.	118.
	MAL.	
I.	6.	93.
II.	10.	83.
	MATTH.	
VI.	7.	25.
	9.	69.
	30.	146.
	33.	145.
VIII.	12.	113.
XXVI.	64.	115.
	LUC.	
XI.	2.	69.
XVII.	10.	156.
	21.	113.
	JOH.	
I.	12.	85.
IV.	23. 24.	22.
V.	23.	17.
XII.	27. 28.	100.
XVII.	4.	106.
	6.	99.
XX.	17.	82.
	ACT.	
II.	15.	58.
	ROM.	
I.	25.	15. 16.
VII.	20.	172.
VIII.	26. 27.	10. 68.
	I. COR.	
VI.	2.	116.
X.	31.	105.
XI.	4.	49.
XIV.	14. 15.	23.
	II. COR.	
IX.	10. 11.	144.
	EPH.	
II	12.	120.

PHIL.

INDEX.

Cap.	Vers.	Pag.
	PHIL.	
II.	9. 10. 18. seq.	40.
	COLOSS.	
III.	23.	105.
	I. THESS.	
V.	17.	36.
	I. TIM.	
II.	2.	144.
IV.	8.	145.
	JAC.	
I.	6. 7.	36.
	II. PETR.	
I.	4.	85.
	APOC.	
XVIII.	4.	116.

Vocum Hebr. & Græcarum Ibidem illustratarum.

רנה	7.
שאלה	7.
שועה	7.
תחנה	7.
תפלה	7.
αἴτημα.	6.
δέησις.	6.
ἔντευξις.	6.
εὐχαριστία.	6.
προσευχή.	6.

